Cet ouvrage dont une partie avoit été donné par le savant Jean Selden contient une chronique de l'histoire grecque copiée sur les marbres que le comte Thomas d'Arondel fit transporter de l'Isle de Paros en Angleterre. ces marbres qui ont étés gravés 264 avant l'ere Chretienne sont ce que nous avons de plus certain pour la Chronologie Grecque et servent à la fixer d'une maniere qui doit la mettre hors de tout doute, au moins pour ce qu'ils contiennent. cette Chronique commence à Cecrops premier roi d'Athenes, et vient jusqu'a la 1ere année de la CVI Olympiade c'est a dire 264 avant J.C.

La seconde édit. donnée par Mattaire à la Vente de Mr de la Vallière 125 ff.

24#

C. 5r

AK 129/55

BIBLIOTHEQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

Digitized by Google

MARMORA OXONIENSIA,

EX

Arundellianis, Seldenianis

aliiſque conflata.

Recenſuit, & Perpetuo Commentario explicavit,

HUMPHRIDUS PRIDEAUX

ÆDIS CHRISTI Alumnus.

Appoſitis ad eorum nonnulla

SELDENI & LYDIATI Annotationibus.

ACCESSIT

Sertorii Urſati Patavini *De Notis Romanorum Commentarius:*

BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

OXONII,

E *THEATRO SHELDONIANO.* MDCLXXVI.

BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Heroi & Honoratiſſimo Domino

Domino Henrico Comiti Norwiciæ,

Comiti Mareſcallo Angliæ, Baroni de Caſtle-riſing, omniumq; Nobiliſſimæ Familiæ Howardiorum Norfolcienſium Virtutum & Honorum, Hæredi digniſſimo.

Quantum Oxonia noſtra honoris, & literatus orbis præſidii ab illis, quæ hic exhibentur, cimeliis fœnerantur, id maximam partem Howardiano nomini acceptum eſt referendum. Quæcunque enim Vir immortalitate digniſsimus Thomas Arundeliæ Comes, legatione quaſi ſolenni eam ob rem inſtitutâ, infinitis impenſis, & repetito ſæpius capitis periculo eruditiſsimi Viri Gulielmi Pettæi, cui procuratio ea demandabatur, Europâ Aſiâque excuſsis, in Britannias noſtras deduxerat, Nepos ejuſdem tanto Avo non inficiandus, æternitati & Muſis hic loci demum conſecrabat: reliquiſque quotquot fuere eruditæ antiquitatis Patronis autor extitit, ut ad tanti Auſpicis morem, quæcunque apud ſe laterent ex temporum naufragio Tabulæ, ibidem appenderent. Parum illuſtriſsimo nimirum Heroi videbatur, quod pretioſo atque ſplendido niteret Marmore Univerſitas noſtra, niſi illud eſſet

& eruditum: atque istiusmodi præstaret decus, quod celeberrimum literarum Emporium deceret unice, & pariter faceret; ornaret admodum, sed magis instrueret. Quin & Athenarum rudera in Oxoniæ fabricam accessisse mirabamur; quemadmodum post Persicam cladem Templorum saxa urbis mœnia construxere ex mutatâ sede nihil de pristino cultu & religione deperditura. Spoliata porro Græcia ruinis gratulabatur suis, quod Academiæ, melioribus auspiciis in Britanniis collocatæ, instaurandæ inservirent. Epocha etiam Paria, nobilissimum literatæ antiquitatis monumentum, non tam elapsa retro sæcula, quam hæc ipsa, quibus postliminio orbi restituitur, tempora consignare gestiebat. Sacra demum Asiaticarum urbium fœdera, olim frustra inita, jam primum rata videbantur; quando Areopago nostro præfixa, nec a perfido hoste, nec ipsis civibus, lubricæ pariter fidei, deinceps sint violanda.

Patere ergo, Vir Illustrissime, quod dum Thesauros nostros in lucem proferimus, eorundem Auspicem, & tantum non Autorem gratanter profitemur. Insuper eundem, una cum filiis suis ad maxima quæque natis, Municipes atque Alumnos vendicamus; quod quidem publico nomine, summa fide, & impensissimo obsequio, præstat.

Comes Illustrissime

Virtutum vestrarum cultor humillimus

Marmorum Oxoniensium Editor.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

CUM Lipsius, Gruterus, Scaliger, Seldenus noster, viri in omni Literaturâ consummatissimi, aliique his doctrinæ famâ pares tantos in conquirendis antiquorum Marmorum Inscriptionibus, in iisque edendis extantlaverint labores, satis hoc convincit, me, qui in eadem jam palæstra exerceor, opus nec exiguum nec inutile suscepisse. Quis enim credet viros tam eximii ingenii, tam acerrimi judicii ad ineptias aut res parvi momenti tractandas velle unquam descendisse? aut circa exesa Marmora tantum temporis contrivisse, nisi ea non minus ob utilitatem & lucem, quam omni antiquæ doctrinæ afferunt, quam ob antiquitatem essent veneranda? Probant hoc omnium Philologicorum scripta; quoties enim hi, cum in explicandis antiquis Autoribus nullum aliunde habeant subsidium, ad Marmora confugiunt, ex iisqne diu latitantem eruunt veritatem? Quoties ex his Historia non intellecta prius, lucem mutuatur; ita ut ea frustra sæpe in libris præservari videretur, nisi etiam explicaretur in Marmoribus? Fædera, leges, & decreta, de quibus in scriptoribus tantum legimus, in his sæpe exhibentur integra. Per hæc etiam victoriarum, rerum gestarum, rituum, aliorumque, quæ ad intelligendas res antiquas maxime conducunt, novam quotidie acquirimus notitiam; per eademque Imperatores, Duces, Consules, aliique viri insigniores, quorum memoria per multa secula oblivione penitus fuerat deleta, è terræ visceribus, unde hæc effodiuntur, quasi ad novam vitam resuscitati incipiunt iterum apud posteros suos gloriâ florere: Ita ut si eodem animo, si iisdem sumptibus, quibus Honoratissimus Comes Arundelliæ, Honoratissimi Domini Comitis Marescalli jam superstitis Avus, alii etiam bonarum literarum fautores vetustas Asiæ, Græciæ, & Italiæ civitatum ruinas ad conquirenda Antiquitatis Monumenta, quæ in iisdem obvoluta delitescunt, curarent perlustrandas; quantum Antiquæ Historiæ, quæ cum libris temporis injuriâ periit, sperandum esset per hæc Marmora aliquando iterum restituendum? Ea enim monumenta sunt, quæ primam Historiæ dederunt originem, quam maxime igitur idonea, per quæ eadem interempta iterum resurgat? His [a] Dionysius Halicarnasseus præstantissimæ Historiæ suæ magnam partem debere profitetur. Ex his ea, quæ de antiquis Græcorum temporibus tam eximie solus habet, omnia hausit Pausanias. His etiam usus est Livius, eademque omnes, qui apud antiquos de rebus historicis scripsere, sæpissime consuluerunt; fidissimeque semper rerum antiquarum

[a] Vide librum illius historiæ primum.

memoriam

memoriam invenerunt retinuisse. Hinc Manetho Historiam suam de Ægyptiorum regibus, cujus reliquias tam religiose colunt, cujus interitum tam impense lugent omnes literati, totam ipse [b] *fatetur transcriptam. Cum enim doctissimis illis Ægyptiorum sacerdotibus, quas* ἱερογραμματεῖς *appellabant, utpote sacris registariis, incumberet, omnia à Regibus suis gesta in Commentarios redigere; fidissima, quibus hos committerent, maximeque idonea, per quæ incorrupti ad posteros transmitterentur, invenerunt marmora. In columnis igitur marmoreis sacris figuris, quas hieroglyphicas vocabant, quicquid eorum temporibus gestum erat, fidissime explicabant. Antiquitus igitur apud Ægyptios tota erat Historia in marmoribus, ex iisque quicquid illi* ἱερογραμματεῖς *aliis, quoties consulti erant, de rebus antiquioribus tradidere, prius hauserunt. Cum igitur* [c] *Herodotus, &* [d] *Diodorus Siculus omnia, quæ de rebus Ægyptiacis scribunt, à sacerdotibus dicant accepisse; hinc agnoscendum est, unde primo harum rerum fluxit notitia, quantaque ideo eorum etiam Autorum pars marmoribus debetur. Quæ in his stelis exarata erant transcripsisse primo dicitur* [e] *Sanchoniathon, ex iisque hausisse ea, quibus Phœnicum illam apud doctiores antiquitatis indagatores toties decantatam, composuit historiam. Cujus exemplum secutus* [f] *quidam ex Ægyptiorum sacerdotibus ob doctrinam Mercurius secundus dictus (usitatum enim apud Ægyptios erat, à Mercurio illo qui literas primo invenerat, doctiorem quemque Mercurium appellare) inde omnia ea, quæ ad res Ægyptiacas pertinebant, etiam in libros transtulit, eosque in sacratissimis templorum adytis reponebat, ubi magnâ religione à sacerdotibus diu servati, sacri Mercurii libri dicebantur, fidissimique rerum antiquarum commentarii apud eosdem non immerito forsan existimabantur. Cum igitur à Ptolemæo Philadelpho Ægyptiorum Rege, ut in instructissimâ suâ, quam ille condidit Bibliothecâ, uti aliarum gentium, sic etiam suæ haberet historiam,* [g] *Manetho unus ex his sacerdotibus jussus esset de rebus Ægyptiacis à prima gentis origine scribere, hos adiit libros, ex iisque totum composuit suum; atque ideo historia hæc, cujus fragmenta, quæ adhuc supersunt, ita venerantur doctiores, totam etiam marmoribus debuit originem; ea enim ex Mercurii libris, illi è Stelis Hieroglyphicis componebantur. Stelæ, quæ hujus generis sunt, nonnullæ ab Imperatoribus ex Ægypto magnis impensis Romam translatæ, ibi adhuc manent videndæ, figuris Hieroglyphicis ex omni latere exaratæ. Si harum interpretes satis*

[b] Vide Syncellum, pag. 40. [c] Lib. 2. [d] Lib. 1. [e] Euseb. de præparatione Evangelica, lib. 1. p. 32. [f] Syncellum pag. 40.

periti

periti dari poterant, iique restituendæ antiquæ historiæ studio alia etiam inter Ægyptiacarum urbium ruinas hujus generis quærerent monumenta, illudque permisisset Turcica barbaries, non desperandum esset, aliquando posse inveniri ipsa autographa historiæ, quæ desideratur, multaque plura inde restitui, quam adhuc cognoscimus periisse. Sed quid in his immoramur? Nonne etiam per omnes gentes, & omnia secula fidissima semper rerum gestarum monumenta existimabantur marmora? Ab ipsa mundi origine horum noscebatur usus, iisque, [h] si Josepho sit adhibenda fides, Sethus, primus ab Adamo, quicquid beneficio tam longæ vitæ in Astronomia aliisque item scientiis invenerat, commisit venturis seculis transmittendum, eaque ultra mundi ruinam ad sua usque tempora in loco quodam Syriade dicto idem Autor testatur durasse; per hæc Patriarcha Jacobus divinæ visionis illius, [i] quam Bethele viderat, per hæc fœderis, [l] quod cum Labane pepegit, memoriam curavit apud posteros suos semper celebrandam. [m] Hæc etiam post traductos Israelitas in terram iis promissam tam mirandi transitus per multa secula fuere monumenta, in illisque non dubito, quin tota illius miraculi sculpta erat historia, de iisque ideo prope [n] Gilgalem positis vocem פסלים (quæ sculptilia seu lapides sculptos significat) [o] in libro Judicum, de quâ ita certant Critici, esse intelligendam. [p] Per hæc Absolom prolis defectum reparavit, & cum nomen suum per filios vidisset non posse fieri diuturnum, per columnam marmoream curavit nunquam interiturum. Sed quid in his exemplis verba terimus? Nonne ipse deus cum populo suo leges dedisset in Tabulis Marmoreis exaravit, iisque debuere postera secula, quod easdem semper habuere præservatas? Nonne hoc exemplum secuti postea [q] Græci & [r] Romani Legislatores eodem modo per [s] Tabulas effecerunt, ut quas ipsi etiam tulerunt leges, quam diutissime apud eos, quibus latæ fuere, permanerent incorruptæ? quantum igitur humano generi profuerunt hæc monumenta, hinc satis constat, quod ab iis, & Divinæ, & Civilis Legis accepimus fundamenta. Sed ultra ad profanas progrediamur historias: quis Bacchum orientalem mundum, quis Herculem occidentalem subjecisse unquam memorasset, nisi hujus in freto Gaditano, [u] illius in [u] extremis Indiæ oris positæ columnæ tantas per multa secula præ-

[h] Lib. 1. Antiquitatis Judaicæ, cap. 3. [i] Gen. cap. 28. com. 18. [l] Gen. cap. 31. com. 45. [m] Joshua cap. 4. com. 20. [n] Compara Joshuam cap. 4. com. 20. cum Jud. cap. 3. com. 19. [o] Jud. cap. 3 com. 19. & com. 26. [p] 2 Sam. cap. 18. com. 18. [q] Plutarchus in Solone. [r] Dionys. Hal. lib. 11. Liv. Dec. 1. lib. 3. [s] Hæ Tabulæ ex ære factæ, & in Foro Curiæ Hostiliæ affixæ ultra Septimii Severi tempora in eodem loco durarunt, nonnulla earum fragmenta in Palatio Farnesiano Romæ adhuc, ut dicunt, manent videnda. Vide Ursini notas ad Augustinum de Legibus & Senatusconsultis Romanis. [t] Vide Strabonem lib. 3. Eustathium ad Dionysii περιηγήσεως carmen 64. Diodorum Siculum, lib. 4. [u] Vide Strabonem lib. 3. Eustathium ad Dionysii περιηγήσεως carmen 623.

di-

dicassent victorias? Quis Sesostris bellicas virtutes unquam cognovisset? Quem non felicissimi illius bellatoris semper laterent triumphi, nisi [x] *stelæ ab eo in omnibus, quas victoriis suis pervagatus fuerat, positæ regionibus Historiarum supplevissent defectum, earumque vice in illis semper victoris gloriam conservassent? Quod cum secunda Livii Decade nulla pars, Duilli, gloriæ tuæ periit,* [y] *columnæ debes, quæ invitâ illâ edacis temporis injuriâ tua semper à Pœnis parta in ea urbe, pro quâ vicisti, ostendit trophæa: pro tam insigni victoria* [z] *Senatus tibi dedit per totam vitam, hæc vero per omnia secula triumphare. Candelabrum, Mensa panis propositionis, & Sacræ Tubæ quanta erant religionis Judaicæ mysteria? quam necessarium ad sacros antiquæ ecclesiæ ritus, & leges, quas ei Deus dederat penitus intelligendas, ut simul qualia essent hæc divini cultus instrumenta, quam accuratissime cognosceretur? Frustra tamen in hac re sudarent doctissimi, nobisque in multis locis occulta semper manerent divina Oracula, nisi monumentum subvenisset marmoreum, & arcus Titi, quo de illis instrumentis triumphavit, eorum formas Romæ adhuc indicaret quam exactissimè delineatas. Trajanum Imperatorem optimum & fortissimum prædicat fama, cum tamen res gestas illius una tantum Xiphilini abbreviata & nimis curta explicet Historia, quanta pars ejus gloriæ periisset, nisi Columna Romæ illius semper exhiberet triumphos? Marcum Antoninum in bello Germanico cum toto exercitu fuisse periturum, nisi preces duodecimæ legionis fulminatricis dictæ, quæ tota Christiana erat, pluviam à cœlo impetrassent, narrant* [a] *Christiani scriptores: ne contradicant pagani, ne contradicant Athei, ecce in columna triumphali, quam post felicem reditum ob victos hostes, & liberatum è tantis periculis exercitũ idem imperator, licet paganus ipse, Romæ erexerat, inter alias imagines milites Legionis Fulminatricis* [b] *genibus flexis orantes, & Cruces religionis Christianæ insignia in scutis suis gerentes usque ad hunc diem integre manent in tantæ rei memoriam indicandæ; indeque quantum effectum est, ne hujus miraculi apud ullos homines unquam periat fides? Infinita alia sunt hujus generis exempla, unde ulterius indicari possit, quantum antiqua nobis profuerunt monumenta: si omnia enumerarem, ipsius libri molem præfatio adæquaret: missis ideo his, ulterius observandum est Marmora sola esse antiquitatis Monumenta*

[x] Vide Straboniem lib. 16. pag. 769. & lib. 17. pag. 790. Herodotum lib. 2. Diodorum Siculum lib. 1. part. 2. [y] Columna adhuc Romæ est rostris navium circumcirca undique adornata, & in memoriam clarissimæ victoriæ navalis à Romanis contra Carthaginenses Duce Duillio primo portæ posita. [z] Ob illam victoriam Duillius Senatus decreto hunc honorem habuit, ut revertenti à cœna tibicines canerent, & funale præferretur. vide epitomen Livii, lib. 17. Ciceronem de senectute, Florum lib. 2. cap. 2. Valerium Maximum lib. 3. cap. 6. [a] Vide Tertullianum, Eusebium, Xiphilinum, aliosque. [b] Vide Casalium de urbis, & Imperii Romani splendore, cap. 11. pag 48.

fide

fide semper dignissima, cætera, quæ in libris habemus, non nisi hic interpolationibus illic defectibus vitiata, & ubique fere mendis & erroribus plena nobis transmittuntur, sed hæc nullâ scribarum negligentiâ, nullis Criticorum conjecturis, & ineptis emendationibus mutata sincera & incorrupta semper per multa secula ipsa nobis exhibent Autographa. Quod in libris igitur corruptum est, quod in antiquis historiis injuriâ temporis vitiatum unde melius potest restitui, quam ex his monumentis, quæ semper permansere immutata? Hoc Modernæ doctiorum in antiquos Autores observationes satis indicant, cum in iis sive defectus restituunt, sive mendas corrigunt, ex his fidissime semper & felicissime præstant utrumque; ita ut à Marmoribus non tantum habemus, quod res antiquæ ab interitu vindicantur, sed insuper hoc etiam, quod alia eorum monumenta fiant digna non perire. Sed nimis latus est hic campus in eo diutius expatiari; adeas Lipsium, adeas Gruterum, adeas Ursatum, aliosque Antiquarum Inscriptionum collectores; apud eosque lege, & experire ipse, quantum est, quod Marmoribus debetur, ab antiquis, quod per ea memoria eorum virtutum & rerum gestarum ad posteros transmittatur, à nobis, quod easdem habemus in exempla. Adeas Autores, qui modernam describunt Romam, ex iisque disce, quantum vetusta conducunt monumenta, quæ in ea adhuc exstant, ut quam plurima non ignoremus de antiquâ. Sed ut hæc omnia ulterius experiaris, adeas etiam marmora, si placeat, nostra, quæ non dubito plerisque aliis longius preferre, cum hoc de iisdem sub nomine Marmorum Arundellianorum prius editis omnes literati jam dudum tulerunt judicium. Hæc Seldenus, hæc Lydiatus, hæc Palmerius, viri doctrinæ famâ ubique celeberrimi, notis suis illustranda judicarunt dignissima. Ex his Petavius Doctissimus Jesuita, Reverendissimus Usherius Ecclesiæ Hibernicæ Primas, Salmasius, Vossius, multique alii, viri in omnimodâ scientiâ peritissimi in explicandis antiquis rebus sæpius, quam ex omnibus aliis, petiere subsidium; eademque cum Clarissimo [c] *Gassendo encomiis suis celebrarunt. In uno horum plura de antiquis Græcorum temporibus, quam in omnibus fere libris, habes explicata. In eo enim Cecropis, Deucalionis, Hellenis, Cadmi, Danai, Minois, Triptolemi, Hesiodi, Homeri, aliorumque æva, de quibus dubitavit adhuc orbis literarius, exactissime tibi indicantur: In eo etiam Trojani excidii, non tantum annum, de quo ita certarunt Chronologici, sed mensem etiam & diem tibi datum habes. Quodnam aliud Ariopagitici Senatus, Amphyctionici Concilii, & Mysteriorum*

[c] In vita Peireskii lib. 4.

quæ in Eleusine erant, tam optime exposuit origines? Quam multa præterea è rebus Græciæ antiquis semper laterent orbem literarium, nisi hoc Marmor indicasset? Sed ad alia etiam progrediamur è monumentis nostris; inter ea fœdus habes gratiâ Seleuci Callinici inter Smyrnæos & Magnetes initum, quod ævum illius regis duobus fere millibus hinc retro annorum indicat exaratum, aliudque etiam in alio Marmore inter Priansum & Hieraputnam urbes Creticas, ut credo, multo antiquius, & ob dialectum, quâ inscribitur, inusitatam, & alibi nunquam, nisi in una aut altera apud Gruterum inscriptione, lectam æstimatione nostrâ dignissimum. Supervacaneum est cetera memorare: Ecce omnia habes in sequentibus tibi edita, minimeque dubito, quin ob res antiquas, quibus refertissima sunt, tanti pretii existimabuntur, ut ipsum etiam Librum, in quo continentur, non obstantibus Commentariis meis, doctiori cuiquam reddent gratissimum. Quantum igitur debemus Honoratissimo Domino Henrico Comiti Marescallo, qui præstantissima hæc Antiquitatis Monumenta ab insignissimo Heroe Thoma Comite Arundelliæ avo suo tam ingentibus impensis per Asiam, Græciam, & Italiam conquisita, Illustrißimæ Howardiorum familiæ, cujus est decus, & Clarißimorum Majorum, quibus in omnibus est par, studium & benevolentiam erga bonas literas imitatus, in earum progressum hic in Academia nostra reposuit servanda? Si perpendamus, quanto in pretio hæc Nobilißimus Heros, qui conquisivit, quantoque totus orbis literarius ob res antiquas tanti momenti per eadem restitutas merito semper habuere, quantumq; ideo illa familiæ decus, quantum Palatii ornamentum forent, si intra ejusdem parietes semper servarentur; agnoscendum est hoc beneficium esse in nos, & bonas literas collatum, quod ob magnitudinem suam à solo tam eximii herois animo poterat prodire, qui inusitato his temporibus exemplo, contempto commodo suo, maxime ardet semper promovere publicum; cujus rei memoria ne unquam interiret, in illius æternitatem grata Academia inter monumenta, quæ ab eo dono acceperat, hanc stelam, cum nondum insignißimus heros titulos meritis suis debitos consecutus fuisset, curavit ponendam.

Sed



Sed præter hæc Arundelliana per totam Europam celeberrima aliis etiam Monumentis Ceimeliarchia nostra gloriamur ditata, ob res antiquas, quorum notitiam nobis exhibent, magni pariter pretii æstimandis: Horum VIIum· VIIIum· IXum· Xum· XLIVum· XLVIIum· XCum· XCIum· & CXXXum· cum instructissimâ Bibliothecâ suâ libris omnium artium & scientiarum refertissimâ magnus Seldenus supremo Testamento suo, cujus insignissimos viros Mathæum Hale Banci Regii, Johannem Vaughan Banci communis capitales nuper Justiciarios, & Rolandum Jucks Armigerum curatores fecerat, Academiæ nostræ legavit. In cujus tam insolitæ munificentiæ memoriam in eadem Area, in qua illa Monumenta, hanc etiam stelam grati posuimus.

Hæc Donaria viri etiam alii inſigniſſimi, Reverendiſſimus ſcilicet Archiepiſcopus Cantuarienſis Marmore CXLVII^{o}. Dominus Hugo Cholmley Baronettus Marmore LXXXII^{do}. Dominus Andreas Ricchards Miles & Aldermannus Londinenſis Marmore LXXIX^{no}. Gulielmus Denington Armiger, interioris Templi Bariſtarius, & Juriſconſultus doctiſſimus Marmore. LXXXI^{mo}. & Franciſcus Cholmley Armiger Marmore CXLVIII^{vo}. magna illuſtriſſimi Comitis Mareſcalli, & Doctiſſimi Seldeni exempla ſecuti pari animi benevolentia auxere; unum etiàm aut alterum in Angliam à mercatoribus Smyrnenſibus forte illatum publicâ Academiæ pecuniâ emebatur; Præter Arundelliana igitur è marmoribus noſtris circa viginti, Arundelliana vero plura quam

centum

centum & triginta numerantur; Hæc tamen vix ultra dimidiam partem eorum conficiunt, quæ insignissimus Arundelliæ Comes collegerat; cætera, cùm tempore nuperrimi belli civilis incendii in hortis Arundellianis Londini, pulsis inde dominis, diu neglecta jacuerint, aut furtim surrepta, aut servorum negligentiâ corrupta, aut à Lapicidis ad reficiendas ædes adhibita in magnum rei literariæ damnum amittuntur. Ea illustrissimus Comes, dum in Italia degerat, (quæ ei altera patria erat,) ex antiquarum Asiæ, Græciæ, & Italiæ urbium ruinis, operâ Doctissimi viri Gulielmi Pettæi in hac re usus, summis impensis conquisivit. Græcorum pleraque è Smyrna habuit, ea ibi [a] *Gassendus (si fides ipsi hac in re habenda sit) narrat operâ Peireskii sui primo detecta erutaque fuisse, persolutis quinquaginta Aureis per Sampsonem quendem illius negotia Smyrnæ procurantem; sed cum inde convehenda essent, Turcarum fraude Sampsone in carcerem conjecto, ibi detenta erant, donec ea illustrissimus Arundelliæ Comes majori pretio per Pettæum redempta cum aliis, quæ per eundem procuratorem collegerat, Londinum in hortos Palatii Arundelliani, anno Dom. nostri 1627. curavit transferenda; quam primum illuc allata erant, instigante viro Clarissimo Domino Roberto Cottono Condo illo ac Promo vetustatis seculi sui locupletissimo, Eruditissimus Seldenus, in operis societatem ascitis Patricio Junio Bibliothecario Regio, & Richardo Jamesio Collegii Corporis Christi apud Oxonienses Socio, viris multijugâ doctrina claris, eorum auxilio Græcorum Marmorum viginti novem, & Latinorum decem, quæ ei celebriora videbantur, transcripsit, in eaque sequente anno librum aureum illum, sub titulo Marmorum Arundellianorum omnibus literatis satis notum, non minus in commodum rei literariæ, quam in famam suam scriptum in lucem edidit, qui ob insignissima antiquitatis monumenta, quæ in eo publici juris facta erant, à Bibliopolis statim tanto literatorum concursu emebatur, ab iisque tam arctissime semper retinetur, ut totâ jamdudum exhaustâ impressione per postremos hosce annos non possit licet summo oblato pretio comparari; cum igitur Honoratissimus Comes Marescallus hæc Monumenta ex ingenti illius munificentiâ in nostris Ceimeliarchiis reposuisset, instare statim doctiores, & impensius hoc à nobis flagitare incipiebant, ut ea una cum auctariis necessariis, tum in publicum rei literariæ commodum, tum in honorem illustrissimi donatoris aliâ editione donaremus, quorum desiderio, cum re Typographica ingentibus Reverendissimi Archiepiscopi Cantuariensis sumptibus hic restaurata, ad*

[a] In vita Peireskii lib. 4. ad an. 1619.

hoc

hoc maxime intendat, summeque jam curet Academia, ut libri quicunque insigniores à literatis desiderantur, hic iterum in eorum commodum prodeant impressi, justissimum arbitrabamur satisfacere; viro ideo cuidam apud nostros doctissimo hoc demandabatur opus, sed cum ille aliis negotiis implicitus per triennium distulisset, & tandem ob munus professorium, quo gravatus erat, negasset sibi ullum tempus ad alios labores posse vacare, mihi illud autoritate superiorum imponebatur tanto operi pro dignitate Academiæ perficiendo, tum ob ætatem meam, utpote qui nondum tum sextum annum in his Musarum scholis compleveram, tum ob tenues meos in iisdem progressus, fateor, omnino impari; Conscius igitur tenuitatis meæ tam grave recusassem onus, ab eoque humeros meos quam longissime statim subduxissem, si non ad illud me vidissem tantis obedientiæ & gratitudinis vinculis obligatum fuisse, quantis nec debui nec potui reluctari. Cum ideo nullus daretur subterfugii locus, quid aliud agendum erat, nisi ut totas meas convocarem vires, summam excitarem diligentiam, ut quod mihi incumbebat opus, quamvis non ut merito forsan expectant literati, secundum totas tamen quæ in me sunt, & doctrinæ, & ingenii vires perficeretur? Ad illud igitur me accinxi, primoque, cum vidissem è centum & quinquaginta monumentis, quæ in nostris Ceimeliarchiis reponuntur, tantum viginti septem in Seldeni libro inveniri, diligentiam adhibui, ut cetera ex ipsis marmoribus transcriberem, quod, cum inscriptiones sint in omnibus fere marmoribus, præsertim Græcis, sine vocum distinctionibus continuatæ, in multis inusitato his diebus charactere exaratæ, in aliisque ita vetustate deletæ & erasæ, ut vix litera manifeste tota appareat, non sine summa difficultate, & magno sæpe occulorum periculo, totum tamen ipse sine ullis auxiliis solis viribus nixus meis perfeci, summamque adhibui curam, ut excripta exemplaria, quæ in Typographi manus tradidi, licet quoad Orthographiam sæpe satis culpanda, ipsis tamen marmoribus quam exactissime responderent, & nisi per Typothetarum forte incuriam aliquando contigisset, ut impressa à scriptis meis nonnunquam aberrarent, vix credo in sequentibus inscriptionibus, quas tibi edo, sive Græcis, sive Latinis una literula ab ipsis marmoribus, unde desumptæ fuerunt, deviatum fuisse; quod ideo arbitror mihi necessarium hic testari, quia cum pleraque horum marmorum ita longa antiquitate exesa sint, ut in futurum, credo, vix ab ullo alio possint legi, tota lectionis eorum veritas à sola mea deinde pendebit fide. Sed non tantum ut hæc, quin & ea etiam, quæ in Seldeni libro prius edita fuere, in nostra editione quam correctissima prodirent, parem contuli di-

diligentiam; quamvis enim eorum exscripta exemplaria in viri Eruditissimi libro habueram, iis tamen non fidebam, sed ad ipsa marmora recurrebam, eaque, ut hæc etiam tibi ederentur quam accuratissimè, eadem cura perlegi omnia, excepto uno tantum, eo scilicet, à quo incipit pars secunda, cujus cum dimidiam tantum partem habeamus (alterâ à lapicida quodam ad reficiendum focum in Palatio Arundelliano adhibitâ) eamque ita totam erasam, ut vix una literula in illa jam legi possit, pro vera illius lectione soli Seldeno est fidendum; illud ideo eodem modo quo in viri eruditissimi libro inveneram, curavi edendum in meo. Postquam, absoluto hoc labore satis difficili, omnia monumenta nostra transcripta habueram, Græcis, quorum sensus ob lacunas non erat omnino imperfectus, versiones addidi, quas spero accuratissimas, & deinde ad componendas annotationes me accinxi, in animo habens nihil in publicum emittere, priusquam summo, quantum in me est judicio, omnia perpendissem; sed in proposito meo quam subito me falli videram? Vix enim sex aut septem folia notis meis impleveram, quin ea statim jussus essem in manus Typographi tradere, & in futurum etiam curare, ut schedæ meæ illius labori continuo præberent materiam. Difficillima hæc provincia, eoque mihi gravior, quod, cum conscius essem, quanta mihi ad hoc opus in honorem Academiæ perficiendum deesset doctrina, non tamen mihi daretur tempus modicâ eâ totâ uti, quam habueram. Ad tantum resarciendum temporis defectum nulla diligentia, nulla industria poterat sufficere, totam tamen, quam poteram, adhibui; Quot dies non obstanti sævissima frigidæ hiemis tempestate totas in publica Bibliotheca absumpsi? Quos non pervolvebam libros? Quos non penitus perscrutabar Autores, unde aliquid, quod ad nostrum propositum spectabat, erat eruendum? peritiori cuiquam satis hoc indicabunt ipsæ notæ, in quibus componendis judicium deesse merito forsan, utpote in opere autoschediastico, multi possent objicere, industriam vero nemo. Quod ad ipsa Marmora spectat, illa eodem ordine, quo in nostris Cimeliarchiis collocantur numeravi incipiendo ab insignissimo illo fœdere inter Smyrnæos & Magnetes inito; per totum autem opus curavi, ut ne una Eruditissimi Seldeni periret linea; ad quæcunque igitur Marmora ille aliquas notas composuerat, ad illa eas apposui subjuncto autoris nomine; ubi vero ille nihil annotavit, aut quæ annotaverat, non satis omnia mihi videbantur explicare, ibi etiam notas adjunxi meas. Secunda pars incipit ab insignissimo Chronico Pario. Quanti pretii sit hoc monumentum ob antiquissima tempora, quæ in eo explicantur, quicunq; Seldeni librum unquam inspexerant, satis cognoscunt;

in

in eo ideo explicando prolixiores sumus. Primo posuimus Doctissimi Lydiati annotationes Chronologicas, quas proximo post editum Seldeni librum anno, dum in Regio Banco ob æs alienum gratiâ fratris contractum incarceratus erat, in hoc Chronicon composuerat, prius nunquam editas. Deinde notas Historicas subjunxi meas, in quibus primo lacunas suppleo in multis locis Doctissimum Palmerium sequutus, qui in hac palestra se prius satis feliciter exercuerat; ubi ab eo dissentio, dissensus rationem addo; & deinde post suppletas lacunas res historicas in Marmore memoratas ex antiquis autoribus explico. His nonnulla Seldeni interspersa sunt, quæ illius nomine notantur, ubi de antiqua Musica agendum erat, quoniam in hâc re mihi minime benigna est natura, adjutorem habui magistrum Henricum Aldrichium, virum hujus, uti & aliarum Artium & Scientiarum peritissimum, eique, quæ de hac re pag. 175, 176, 177, 178, 179, & 180. *tibi eduntur, omnia debes accepta. Post notas Historicas habes apparatum Chronologicum, qui totus est Seldeni, ei subnectitur Canon Chronicus, quem in imitationem Canonis Chronici à Seldeno editi composui, sed ab eo, utpote novâ methodo formatus, multisque pluribus Epochis, unde melius pateat Synchronismus, insignitus, omnino diversus; post hunc Canonem curavi imprimendas etiam Seldeni Notas Chronologicas, quibus ipse etiam unam aut alteram interspersi Paragrapham. In componendis annotationibus in cetera, quæ deinde sequuntur, Monumenta, eandem, quam in prima parte, observavi methodum. Sed cum in Seldeni libro Inscriptiones Græcæ quatuordecim, & Latinæ item nonnullæ inveniantur, quorum Marmora, unde desumptæ erant, in nostris Ceimeliarchiis non reponuntur, ne hæ literato orbi perirent, in Appendice cum nonnullis aliis aliunde collectis adjeci, & deinde ut abbreviaturas, quæ in Latinis nostris aliisque item Monumentis occurrunt, possis intelligere, in fine apposuimus Sertorii Ursati Indicem, in quo quam optime explicantur; & sic tandem post exactum anni spatium iisdem semper gradibus, quibus Typographus, progressus faciens operi meo citius timeo quam felicius finem imposui, illudque jam trado, Candide Lector, in manus tuas, si in eo invenias me aliquid rectius dicere, utere in commodum tuum, si in nonnullis errasse, ne incuses; spectes ætatem meam: spectes difficillimas scribendi conditiones: reputa, quam pauci sunt, qui in his circumstantiis positi possunt melius; iis igitur condona, quicquid in hoc opere culpandum est; à maturioribus studiis, si deus vitam dederit, & valetudinem ferendis laboribus idoneam, spera meliora.*

Oxonii Apr. 20.
A.D. 1676.

Humphridus Prideaux.

In Marmora Arundelliana ab

Honoratissimo Henrico Comite Norwicensi

Et supremo Angliæ Marescallo, Academiæ Oxoniensi

D A T A.

SIquando insignis Cœlo dimittitur Heros,
Seu sit pace potens, vel inexpugnabilis armis,
Protinus assurgit Vatum numerosa propago,
Quæ canat æternâ gentes in pace futuras,
Victorisque sacrâ frontem circundet Olivâ,
Vel labentis equo describat vulnera Parthi,
Captivosque Getas narret, pulsumve Niphatem.
Ascendit sacrum nemo sine carmine montem,
Sed sequitur partos Clio officiosa triumphos.
Ergo favens adsis, & vati præcine, Phœbe,
Translatas Orientis opes, & quicquid ubique est,
Quod cultu sacrum fecit longæva Vetustas,
Pande mihi solido descriptas Marmore pugnas,
Urnas, Pyramidasque Heroum gesta tenentes,
Et statuas: siquas olim spectare solebas
Eois sublimis equis, miraris, Apollo,
Jam Vespertino ruiturus in æquora curru.
Et Tu, Mecœnas, audacibus annue cæptis,
Ambitiosa tuos dum Musa instaurat honores,
Te tua dona canunt, spirantia saxa loquuntur,
Te narrat, Princeps, arcanus ubique character,
Non intellecto lateant dum Marmore laudes.
Artibus his olim longum durabat in ævum
Picta Ægyptiacis Heroum fama figuris.
Quo me Musa rapit præceps, animumque sequacem
Insolitas jubet ire vias? feror æthere summo,
Vicinusque Polo subjectum metior Orbem,
Hinc juvat Italiæ lætas specularier urbes,
Et siquos sapiens miretur Græcia campos,
Solvit divinos Tibi cultus utraque tellus,
Howarde, & quamvis à Te spoliata triumphat.
Marmoreæque etiam postquam periere ruinæ,
Nectet victrices tibi Smyrna & Mantua laurus.
Mantua, Te magni nutricem agnosco Maronis,
Aspicio vivosque lacus ac frigida Tempe;
Nec procul hinc sylvas sæpe olim Numine plenas
Virgilii, ô quid non umbrâ meditarer in illâ!
Sed (quæ Mæonio dedit incunabula vati)
Jam me Smyrna vocat, *Chronicumque* tuentibus offert
Antiqui Veneranda ostentans rudera saxi.
Jam sileat Memphis surgentes ære columnas,
Sydereum frustra jactat Rhodos alta Colossum,
Attonito majora orbi miracula pandit
Nobilis hæc moles, annos retinere fugaces,
Et revocare potens; duplici dum munere cogit
Venturos olim nostri meminisse nepotes,
Heroumque facit præsentia gesta priorum.

Pingitur hesterno tanquam sit vulnere cæsus
Hector, quem bigis acer raptabat Achilles,
Crudelemque egit Trojâ inspiciente triumphum.
Fœlix, qui potuit Trojæ sub mœnibus altis
Oppetere, & pulchram per vulnera quærere mortem,
Cui modo res gestas, & non delebile nomen
Divini Lapidis tenet immortale volumen:
Tuque Lapis, toto tantum cantaberis orbe,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores.
Jam non incerto labuntur tempora cursu,
Non Te decipiet, neve indeprensus abibit,
Muta licet figat vestigia, lubricus anguis
Fallacis volvens sinuosa volumina caudæ.
Quem non audebit mordaci rodere dente,
Temporis ipse pater, metuendus falce minaci
Saturnus, quamvis lapides consumere suetus.
Te licet ingestis fecit latitare ruinis,
Obscurare volens Orbique sibique coævum;
Multa licet retro perierunt sæcula, virtus
Howardi tandem Te magna reduxit in auras,
Oppressum turpi postquam squallore situque
Vidit, & indigno jussit prodire sepulchro.
Sic infinitos tecum durabit in annos,
Munere dum grato modo quod dedit, accipit ævum.
Proxima Marmoreis erit inscribenda tabellis
Gloria, Floddenios olim quæsita per agros,
Emathiis quantam Cæsar non vidit in arvis,
Rumperet adversas acies cùm marte secundo
Undique sanguineos spargens per gramina rores.
Musa, mihi causam memora, quæ dira rebelles
Egit in arma Scotos, aut quæ discordia cives
Cognatum impulerit malesuada sitire cruorem.
Henricus justa quondam cum concitus irâ
Duceret armatas in Gallica castra cohortes,
Amissosque diu titulos cum fœnore magno
Posceret, Imperii sacras qui tractet habenas,
Absentisque vices peragat, qui pondera tantæ
Sustineat molis, nutu populosque potenti
Qui regat, & pœnas violatis legibus æquet,
Howardum videt esse parem; stat nobilis Heros,
Cui Regina, sui & commissa potentia Regni est.
Qualiter Iliacam peteret cum Jupiter Idam,
Desereretque polum, Superi quem mille sequuntur
Vexaturum armis Troas, Graiosque furentes,
Occupat alta thronum, & Cœlesti fulminat aula
Juno tonans, Illam defendunt Numina circum
Gradivus Pater, & flexo Latonius arcu.
Interea Scoticum campo se effuderat agmen,
Ibat & ante alios Princeps ardentior omnes
Fatalem dextrâ crispans Jamesius hastam,
Impatiensque moræ, quo præceps ira vocaret,
Irruit, & medio se fervidus ingerit hosti,
Ingentes animos juvenili in pectore versans.
Dii tamen adversi, atque impar Fortuna sequuta est
Te, Rex, in duri certamina martis euntem,

Ter

Ter fœlix, si non Tibi Causa inimica fuisset,
Howardus si non hostilibus iret in armis.
Si modo Te virtus ardens in bella vocasset,
Externos poteras, Juvenis, lenire furores,
Illis quanta seges laudum crevisset in oris?
Sed superi vetuere. Volat nam stridula cornus
Tempora per media, & Lethali vulnerat ictu:
Mox ruit, & sequitur, quo multas miserat ante
Pugnantum fortes animas, dum gloria facti
Ingens victorem Howardum super æthera tollit.
Tum vero multam nullo discrimine cædem
Suscitat, evertitque acies, pedibusque retundit
Scuta virum & galeas, stricto super intonat ense,
Has vestra (ingeminans) solvent perjuria pœnas,
Et violata fides, & ruptæ fœdera pacis.
Protinus infestis nubes it densa sagittis,
Tum trepidare Scoti, perculsique ordine nullo
Accipiunt inimicum imbrem! Quis funera tanta
Enarret, Scoticoque undantem sanguine Tuedam?
Pauci vitabant venientia fata fugaces,
A letho paucos Nox opportuna redemit.
Interea victor per strata cadavera miles
Armorum exuvias, & præmia debita lustrans,
Scutaque loricasque auro tulit intertextas.
Ipse Heros cæsum percurrens agmina Regem
Vestigat, curruque altus lugubre trophæum,
Virtutisque suæ monumentum insigne ferebat.
Accipiunt reducem læto & clamore salutant
Angliadum proceres, quali olim Græca juventus
Tydidem venientem à cæde & sanguine Divûm.
Sed jam propositum mea Musa resume laborem,
Et magnum sacro dic carmine Mecænatem.
Ille vel Howardos poterit superare priores,
Atque paterna suis replebit Marmora gestis,
Quotquot inexhausto largus collegerat auro.
Ite, quibus cura est peregrinum invisere mundum,
Qui petitis terras alio sub sole jacentes:
Plus licet hic spectare domi. Quæcunque Vetustas
Jam pretiosa facit, nostros quæcunque Parentes
Visendi studio varios duxere per orbes,
Angliacis cernit collecta viator Athenis.
Ignarus seu quis Romanum Pantheon intret,
Hæret, & attonito quum lumine circumspexit
Tot simulachra Deum, gressu timet ire profano,
Et dubitat, primos cui religiosus honores
Solveret, atque animum nunc huc, nunc dividit illuc.
Nulla licet meritas poterit vis reddere grates,
Illud, Mecænas, immensi pignus amoris,
Accipimus binos, ante omnia munera, natos.
Plus solito nostræ fulgent jam Palladis arces,
Quas pubes magnis exorta parentibus ornat,
Externi invideant populi: livore maligno
Aspiciat nostras in cœlum exurgere laudes
Gens vicina, leves tantum exercere choræas
Docta, vel ingenuam nugis vitiare juventam.

Jam mihi (nam quid non audax prædicere Musa
Tentabit ?) tædas videor spectare jugales,
Et quales Thalamos Howardi filius ambit :
Ipsa tori præses Juno sacra vincula nectit;
Venit Hymen, cæcusque optati vulneris autor,
Et Paphiam niveæ matrem advexere columbæ:
Illam læta cohors, & mille sequuntur Amores,
Qui magicis circum concentibus aëra mulcent,
Secum perpetuos instaurantes Hymenæos.
Hinc nova, Mecænas, expectat gaudia, plures
Atque sui similes visura Britannia natos.
Ast Howarde, Tibi mox aurea surget imago,
Qua Templum cingunt tua munera Sheldonianum,
Famaque Marmoreis stabit suspensa columnis,
Et picturatas expandet mobilis alas,
Mox medias pernix cum sese attollat in auras,
Howardo dignum dabit aurea buccina cantum,
Et juxta ex auro Pallas, solidoque Elephanto
Assistet, duplici frontem cinctura coronâ.
Nec procul, abductis Parnassi à culmine musis,
Immortale Tibi carmen renovabit Apollo.

Ed. Barbour A. B. *Ædis Christi* Alumnus.

Monitio ad Lectorem.

CUM Preli correctioni non potuissem vacare, alii hoc negotium demandatum fuit, cujus incuriâ, fateor, nonnulla errata evasere incorrecta; sed cum ea plerumque sint in vocum Orthographia, & accentibus, spero non tanta sunt, quæ erudito Lectori moram facient.

Fœdus Smyrnæorum & Magnetum, ad Majeſtatem Seleuci Callinici Aſiæ Regis tutius conſervandam, circa annum ante vulgarem D. N. Jeſu Chriſti Epocham CCXLIV, ſeu periodi Julianæ MMMMCCCCLXX, percuſſum, columnis ſingulis incіſum, & in fano Veneris Stratonicidis alibique apud utramque rempublicam ex pacto ſacratum. Bina inſuper Fœdus comitantia Decreta Smyrnæorum.

1 ΕΔΟΞΕΝΤΩΙΔΗΜΩΙΣΤΡΑΤΗΓΩΝΓΝΩ..ΗΕΠΕΙΔΗΠΡΟΤΕΡΟΝΤΕΚΑΘΟΝΚΑΙΡΟΝΟΒΑΣΙΛΕΥ
ΣΣΕΛΕΥΚΟΣΥΠΕΡ

2 ΕΒΑΛΕΝΕΙΣΤΗΝΣΕΛΕΥΚΙΔΑΠΟΛΛΩΝ..ΑΙΜΕΓΑΛΩΝΚΙΝΔΥΝΩΝΠΕΡΙΣΓΑΝΤΩΝΤΗΜΠΟΛΙ
ΝΗΜΩΝΚΑΙΤΗΝ

3 ΧΩΡΑΝΔΙΕΦΥΛΑΞΕΝΟΔΗΜΟΣΤΗΜΠΡΟΣΑΥΤΟΝΕΥΝΟΙΑΝΤΕΚΑΙΦΙΛΙΑΝΟΥΚΑΤΑΠΛΑΓΕΙΣ
ΤΗΝΤΩΝΕΝΑΝΤΙΩΝΕΦΟΔΟΝ

4 ΟΥΔΕΦΡΟΝΤΙΣΑΣΤΗΣΤΩΝΥΠΑΡΧΟΝΤΩΝΑ..ΩΛΕΙΑΣΑΛΛΑΠΑΝΤΑΔΕΥΤΕΡΑΗΓΗΣΑΜΕΝΟ
ΣΕΙΝΑΙΠΡΟΣΤΟΔΙΑΜΕΙ

5 ΝΑΙΕΝΤΗΙΑΙΡΕΣΕΙΚΑΙΑΝΤΙΛΑΒΕΣΘΑΙΤΩΜΠ..ΑΓΜΑΤΩΝ.ΚΑΤΑΤΗΝΕΑΥΤΟΥΔΥΝΑΜΙΝΚΑ
ΘΟΤΙΕΞΑΡΧΗΣΥΠΕΣΤΗΔΙΟ

6 ΚΑΙΟΒΑΣΙΛΕΥΣΣΕΛΕΥΚΟΣΕΥΣΕΒΩΣΤΑΠΡΟΣΤΟ..ΣΘΕΟΥΣΔΙΑΚΕΙΜΕΝΟΣΚΑΙΦΙΛΟΣΤΟΡ
ΓΩΣΤΑΠΡΟΣΤΟΥΣΓΟΝΕΙΣΜΕΓΑ

7 ΛΟΨΥΧΟΣΩΝΚΑΙΕΠΙΣΤΑΜΕΝΟΣΧΑΡΙΤΑΣΑΠΟΔΙΔΟΝΑΙΤΟΙΣΕΑΥΤΟΝΕΥΕΡΓΕΤΟΥΣΙΝΕ
ΤΙΜΗΣΕΝΤΗΜΠΟΛΙΝΗΜΩΝΔΙΑ

8 ΤΕΤΗΝΤΟΥΔΗΜΟΥΕΥΝΟΙΑΝΚΑΙΦΙΛΟΤΙΜΙΑΝΗΝΕΠΕΠΟΙΗΤΟΕΙΣΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΑΥΤΟΥΚΑ
ΙΔΙΑΤΟΤΟΜΠΑΤΕ

9 ΡΑΑΥΤΟΥΘΕΟΝΑΝΤΙΟΧΟΝΚΑΙΤΗΜΜΗΤΕΡΑΤΗΝΤΟΥΠΑΤΡΟΣΘΕΑΝΣΤΡΑΤΟΝΙΚΗΝΙΔΡΥΣ
ΘΑΙΠΑΡΗΜΙΝΤΙΜΩΜΕ

10 ΝΟΥΣΤΙΜΑΙΣΑΞΙΟΛΟΓΟΙΣΚΑΙΚΟΙΝΗΙΥΠΟΤΟΥΠΛΗΘΟΥΣΚΑΙΙΔΙΑΙΥΦΕΚΑΣΤΟΥΤΩΜΠΟ
ΛΙΤΩΝΚΑΙΕΒΕΒΑΙΩΣΕΝΤΩΙΔΗΜΩΙΤΗΝΑΥΤΟ

11 ΝΟΜΙΑΝΚΑΙΔΗΜΟΚΡΑΤΙΑΝΕΓΡΑΨΕΝΔΕΚΑΙΠΡΟΣΤΟΥΣΒΑΣΙΛΕΙΣΚΑΙΤΟΥΣΔΥΝΑΣΤΑΣΚ
ΑΙΤΑΣΠΟΛΕΙΣΚΑΙΤΑΕΘΝΗΑΞΙ

12 ΩΣΑΣΑΠΟΔΕΞΑΣΘΑΙΤΟΤΕΙΕΡΟΝΤΗΣΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣΑΦΡΟΔΙΤΗΣΑΣΥΛΟΝΕΙΝΑΙΚΑΙΤ
ΗΜΠΟΛΙΝΗΜΩΝΙΕΡΑΝΚΑΙΑΣΥΛΟΝΝΥΝΤΕΥΠΕΡ

13 ΒΕΒΛΗΚΟΤΟΣΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΕΙΣΤΗΝΣΕΛΕΥΚΙΔΑΟΙΣΤΡΑΤΗ..ΙΣΠΕΥΔΟΝΤΕΣΔΙΑΜΕΝΕΙ
ΝΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΣΥΜΦΕΡΟΝΤΩΣΔΙΕ

14 ΠΕΜΨΑΝΤΟΠΡΟΣΤΟΥΣΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΥΣΚΑΙΠΡΟ..ΤΟΥΣΥΠΑΙΘΡΟΥΣΙΠΠΕΙΣΚΑ
ΙΣΤΡΑΤΙΩΤΑΣΚΑΙΑΠΕΣΤΕΙΛΑΝΕΞΑΥΤΩΝ

15 ΕΝΑΔΙΟΝΥΣΙΟΝΤΟΜΠΑΡΑΚΑΛΕΣΟΝΤΑΑΥΤΟΥΣΔΙΑ.... ΛΑΣΣΕΙΝΤΗΜΦΙΛΙΑΝΚΑΙΣΥΜΜΑΧ
ΙΑΝΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΕΙΣ

16 ΠΑΝΤΑΤΟΓΧΡΟΝΟΝΕΠΑΓΓΕΛΛΟΜΕΝΟΙΔΙΑΤΗΡΟΥΝΤΩΝΑΥΤΩ..ΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΚΑΙΤΟΝΑΥ
ΤΟΝΕΧΘΡΟΓΚΑΙΦΙΛΟΝΗΓΟΥΜΕΝΩΝΥΠΑΡΞΕΙΝΑΥ

17 ΤΟΙΣΠΑΡΑΤΟΥΔΗΜΟΥΚΑΙΠΑΡΑΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΠΑΝ..ΑΤΑΦΙΛΑΝΘΡΩΠΑΚΑΙΚ
ΑΛΩΣΕΧΟΝΤΑΚΑΙΑΠΟΔΟΘΗΣΕΣΘΑΙΧΑΡΙ

18 ΤΑΣΑΥΤΟΙΣΑΞΙΑΣΤΗΣΑΙΡΕΣΕΩΣΟΙΔΕΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΠΑΡΑΚΛΗΘΕΝΤΕΣΚΑΙΑΥΤΟΙΟΝΤ
ΕΣΠΡΟΘΥΜΟΙΠΡΟΣΤΟΔΙΑΦΥΛΑΣΣΕΙΝΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΤΗΝΤΕΦΙ

19 ΛΙΑΝΚΑΙΤΗΝΣΥΜΜΑΧΙΑΝΚΑΙΔΙΑΤΗΡΕΙΝΑΥΤΩΙΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΤΑΤΕΑΞΙΩΘΕΝΤΑΥΠΟΤΩ
ΝΣΤΡΑΤΗΓΩΝΦΙΛΟΤΙΜΩΣΑΠΕΔΕΞΑΝΤΟΚΑΙΕΠΑΓΓΕΛ

20 ΟΝΤΑΙΤΗΝΑΥΤΗΝΕΞΕΙΝΑΙΡΕΣΙΝΤΩΙΔΗΜΩΙΤΩΙΗΜΕΤΕΡΩΙΕΙΣΠΑΝΤΑΤΑΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩ
ΣΣΕΛΕΥΚΟΥΣΥΜΦΕΡΟΝΤΑΚΑΙΑΠΕΣΤΑΛΚΑΣΙΝ

21 ΠΡΟΣΗΜΑΣΠΡΕΣΒΕΥΤΑΣΕΓΜΕΝΤΩΓΚΑΤΟΙΚΩΝΠΟΤΑΜΩΝΑΚΑΙ..ΕΡΟΚΛΗΝΕΓΔΕΤΩΝΥΠ
ΑΙΘΡΩΝΔΑΜΩΝΑΚΑΙΑΠΟΛΛΩΝΙΚΕΤΗΝΤΟΥΣΑ..

22 ΛΕΞΟΜΕΝΟΥΣΤΕΗΜΙΝΚΑΙΑΝΟΙΣΧΝΤΑΣΤΗΝΟΜΟΛΟΓΙΑΝΚΑΘΗΝΑΞΙ.. ΥΣΙΝΣΥΝΘΕΣΘΑΙ
ΤΗΜΠΡΟΣΕΑΥΤΟΥΣΦΙΛΙΑΝΕΠΑΧΘΕΝΤΕΣΔΕΚΑΙΟ..

23 ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙΕΠΙΤΟΝΔΗΜΟΝΣΥΝΛΕΛΑΛΗΚΑΣΙΝΥΠΕΡΑΠΑΝΤΩΝΑΚΟΛ...ΘΩΣΤΟΙΣΕΝΤΗ
ΙΟΜΟΛΟΓΙΑΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΙΣΑΓΑΘΗΙΤΥΧΗΙΔΕΔΟΧΘΑ.

24 ΤΗΝΤΕΦΙΛΙΑΝΣΥΝΤΙΘΕΣΘΑΙΠΡΟΣΤΟΥΣΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΕΠΙΠΑΣΙΤΟ...ΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣ
ΕΛΕΥΚΟΥΣΥΜΦΕΡΟΥΣΙΝΚΑΙΑΠΟΔΕΙΞΑΙΠΡΟΣΑΥΤΟΥ..

25 ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΣΤΡΕΙΣΟΙΤΙΝΕΣΤΗΝΟΜΟΛΟΓΙΑΝΤΕΗΤΙΣΑΝΔΟΞΗΙΤΩΙΔΗΜΩΙΑΝΟΙΣΟΥΣΙ
ΝΑΥΤΟΙΣΚΑΙΠΕΡΙΤΩΓΓΕΓΓΑΜΜΕΝΩΝΕΝΑΥΤΗΙΔΙ..

26 ΛΕΓΗΣΟΝΤΑΙΚΑΙΠΑΡΑΚΑΛΕΣΟΥΣΙΝΑΥΤΟΥΣΔΕΧΕΣΘΑΙΤΕΚΑΙΣΥΝΤΕΛΕΙΝΤΑΕΝΤΗΙΟΜ
ΟΛΟΓΙΑΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΚΑΙΕΑΜΠΕΡΔΕΞΩΝΤΑΙΟΙΕΜ

27 ΜΑΓΝΗΣΙΑΙΟΡΚΙΣΑΤΩΣΑΝΑΥΤΟΥΣΟΙΑΠΟΔΕΙΧΘΗΣΟΜΕΝΟΙΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙΤΟΝΟΡΚΟΝΤΟ
ΝΕΝΤΗΙΟΜΟΛΟΓΙΑΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΝΠΡΟΣΔΕΞΑΜΕΝ...

28 ΔΕΤΑΥΤΑΤΩΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΙΣΥΝΣΦΡΑΓΙΣΑΜΕΝ..ΝΤΗΝΟΜΟΛΟΓΙΑΝΚΑΙΟΜΟΣΑΝΤΩ
ΝΚΑΙΕΠΑΝΕΛΘΟΝΤΩΝΤΩΜΠΡΕΣΒΕΥΤΩΝΣΥ......

29 ΛΕΙΣΘΩΚΑΙΤΑΛΟΙΠΑΠΑΝΤΑΤΑΕΝΤΗΙΟΜΟΛΟΓΙΑΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΚΑΙΤΟΨΗΦΙΣΜΑΤΟΔΕΑ
ΝΑΓΡΑΦΗΤΩΚΑΤΑΤΟΝΝΟΜΟΝΑΝΑΓΡΑΦΗΤΩΔΕΚ.....

30 ΣΤΗΛΑΣΕΙΣΑΣΚΑΙΗΟΜΟΛΟΓΙΑΑΝΑΓΡΑΦΗΣΕΤΑΙΚΑΛΕΣΑΤΩΣΑΝΔΕ.. ΙΕΠΙΜΗΝΙΟΙΤΗΣΒΩ
ΥΛΗΣΚΑΙΤΟΥΣΠΡΕΣΒΕΥΤΑΣΤΟΥΣΠΑΡΑΓΕΝ......

31 ΕΚΜΑΓΝΗΣΙΑΣΕΠΙΞΕΝΙΣΜΟΝΕΙΣΤΟΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝΤΟΙΣΔΕΑΠΟΔΕΙΧΘΕ..ΣΙΜΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙΣ
ΔΟΤΩΜΕΘΟΔΙΟΝΚΑΛΛΙΝΟΣΟΤΑΜΙΑΣΤΟΕΚΤΟΥ......

32 ΗΜΕΡΩΝΟΣΩΝΑΝΟΔΗΜΟΣΤΑΞΗΙΑΠΟΤΩΝΤΗΣΠΟΛΕΩΣΠΡΟΣΟΔΩΝΗΜΕΡΑΙΒΤΑΓΗΣΑΜΠ
ΕΝΤΕΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙΑΠΕΔΕΙΧΘΗΣΑΝΦΑΝΟΔΗΜΟΣΜΙΚ.....

33 ΔΙΟΝΥΣΙΟΣΔΙΟΝΥΤΑΠΑΡΜΕΝΙΣΚΟΣΠΥΘΕΟΥ.

34 ΕΠΙΙΕΡΕΩΣΗΓΗΣΙΟΥΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥΔΕΠΥΘΟΔΩΡΟΥΜΗΝΟΣΛΗΝΑΙΩΝΟΣΑΓΑΘΗΙΤΥΧΗΙ
ΕΠΙΤΟΙΣΔΕΣΥΝΕΘΕΝΤΟΤΗΜΦΙΛΙΑΝΣΜΥΡΝΑΙ..

35 ΚΑΙΟΙΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΙΟΙΤΕΚΑΤΑΠΟΛΙΝΙΠΠΕΙΣΚΑΙΠΕΖΟΙΚΑΙΟΙΕΝΤΟΙΣΥΠΑΙΘΡ
ΟΙΣΚΑ..ΟΙΑΛΛΟΙΟΙΚΗΤΑΙΚΑΙΤΗΜΠΟΛΙΤΕΙΑΝΕΔΩΚΑΝ

36 ΣΜΥΡΝΑΙΟΙΤΟΙΣΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΙΣΤΟΙΣΤΕΚΑΤΑΠΟ..ΙΝΙΠΠΕΥΣΙΚΑΙΠΕΖΟΙΣΚΑΙΤ
ΟΙΣΥΠΑΙΘΡΟΙΣΚΑΙΤΟΙΣΟΙΚΟΥΣΙ

37 ΤΗΜΠΟΛΙΝΕΦΟΤΩΙΤΗΜΜΕΝΣΥΜΜΑΧΙΑΝΚΑΙΤΗΝΕΥΝΟΙΑΝΤΗΝΕΙ.....ΑΠΡΑΓΜΑΤΑΤΟΥΒΑΣ
ΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΔΙΑΤΗΡΗΣΟΥΣΙΝΟΙΕΜ

38 ΜΑΓΝΗΣΙΑΙΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΜΕΤΑΠΑΣΗΣΠΡΟΘΥΜΙΑΣΕΙΣΑΠΑΝΤΑΤΟΝΧΡΟΝΟΝΚΑ
ΙΟΣΑΠΑΡΕΙΛΗΦΑΝΠΑΡΑΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΦΥΛΑΞΑΝΤΕΣ

39 ΕΙΣΔΥΝΑΜΙΝΕΙΝΑΙΤΗΝΑΥΤΩΝΑΠΟΔΩΣΟΥΣΙΝΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩ...ΙΤΕΥΣΟΝΤΑΙΔΕΜ
ΕΤΑΣΜΥΡΝΑΙΩΝΚΑΤΑΤΟΥΣΤΗΣΠΟΛΕΩΣΝΟΜΟΥΣ

40 ..ΣΤΑΣΙΑΣΤΩΣΤΟΝΑΥΤΟΝΕΧΘΡΟΓΚΑΙΦΙΛΟΝΗΓΟΥΜΕΝΟΙΣΜΥΡΝΑΙΟ......ΟΥΝΤΑΙΔΕΚΑΙΟΙ
ΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣΚΑΙΣΜΥΡΝΑΙΟΙΤΟΙΣΕΜ

41 ΜΑΓΝΗΣΙΑΙΕΚΑΤΕΡΟΙΑΥΤΩΝΤΟΝΟΡΚΟΝΤΟΝΕΝΤΗΙΟΜΟΛΟΓΙΑΙΥΠΟΓ..ΓΡΑΜΜΕΝΟΝΣΥΝΤ
ΕΛΕΣΘΕΝΤΩΝΔΕΤΩΝΟΡΚΩΝΤΑΜΕΝΕΓΚΛΗΜΑΤΑΑΥ

42 ΤΟΙΣΤΑΓΕΓΕΝΗΜΕΝΑΚΑΤΑΤΟΜΠΟΛΕΜΟΝΗΡΘΩΠΑΝΤΑΚΑΙΜΗΕΞΕΣΤΩΜΗ..ΕΒΤΕΡΟΙΣΕΓΚ
ΑΛΕΣΑΙΠΕΡΙΤΩΓΚΑΤΑΤΟΝΠΟΛΕΜΟΝΓΕΓΕΝΗΜΕΝΩΝΜΗΤΕ

43 ΔΙΑΔΙΚΗΣΜΗΤΕΚΑΤΑΛΛΟΝΤΡΟΠΟΜΜΗΘΕΝΑΕΙΔΕΜΗ..ΑΝΤΟΕΠΙΦ..ΟΜΕ..ΟΝΕΓΚΛΗΜΑΑΚΥ
ΡΟΝΕΣΤΩΔΕΔΟΣΘΑΙΔΕΤΟΙΣΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΙΤΟΙΚ...

44 ΤΟΙΣΤΕΚΑΤΑΠΟΛΙΝΙΠΠΕΥΣΙΚΑΙΠΕΖΟΙΣΚΑΙΤΟΙΣΥΠΑΙΘΡΟΙΣΠΟΛΙΤΕΙ.ΝΕΝΣΜΥΡΝΗΙΕΦΙΣ
ΗΙΚΑΙΟΜΟΙΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣΠΟΛΙΤΑΙΣΟΜΟΙΩΣΔΕΔΕ.....

45 ..ΗΜΠΟΛΙΤΕΙΑΝΚΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣ.... ΙΚΟΥΣΙΝΕΜΜ ΓΝΗΣΙΑΙΟΣΟΙΑΝΩΣΙΝ..ΛΕΥΘΕΡΟΙΤΕΚ
ΑΙΕΛΛΗΝΕΣΑΝΕΝΕΓΚΑΤΩΣΑΝΔΕΤΟΥΣΜΕΓΚΑΤΑΛΟΧΙΣΜ....

46 ..ΩΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΙΠΠΕΩ...ΕΚΑΙΠΕΖΩΝΤΩΝΤΕΚΑΤΑΠΟΛΙΓΚΑ..ΤΩΝΥΠΑΙΘΡΩΝΟΙΟΝΤΕΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣΤΩΝΤΑΓΜΑΤΩΝΕΠΙΤΟΝΔΗΜΟΝΤΩΝΔΕΑΛ....

47 ΟΙΚΗΤΩΝΤΗΓΓΡΑΦ....ΟΙΑΠΟΔΕΙΧΘΕΝΤΕΣΥΠΟΤΩΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΩ.. ΑΝΔΡΕΣΟΤΑ
ΝΔΕΤΙΘΩΝΤΑΙΤΟΥΣΚΑΤΑΛΟΧΙΣΜΟΥΣΟΙΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣΚΑΙΟΙ

48 ..ΝΔΡΕΣΟΙΑ...ΔΕΙΧΘΕΝΤΕΣΤΗΓΓΦΑΦΗΝΤΩΝΑΛΛΩΝΟΙΚΗΤΩΝΟΡΚΙΣΑΤΩΣΑΝ....ΤΟΥΣΟΙΕΞ
ΕΤΑΣΤΑΙΕΠΙΤΟΥΜΗΤΡΩΙΟΥΙΕΡΟΙΣΝΕΟΚΑΥΤΟΙ......

49 ....ΤΕΙΣΗΜΗΝΑΠΟΤΟΥΒΕΛΤΙΣΤΟΥΑΝΕΝΗΝΟΧΕΝΑΙΤΗΓΓΡΑΦΗΝΤΩΝΟΝΤΩΝΤΩ.... ΑΡΑΥΤ
ΟΙΣΚΑΤΟΙΚΩΝΙΠΠΕΩΝΚΑΙ...............

50 ΥΠΑΙΘΡΑΤΑΣΣΟΜΕΝΩΝΤΟΥΣΔΕΑΝΔΡΑΣΤΟΥΣ....ΑΦΕΡΟΝΤΑΣΤΗΓΓΡΑΦΗΝΤΩΝ..:........
....

51 ΟΙΚΟΥΝΤΩΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΙΟΝΤΩΝΕΛΕΥΘΕΡΩΝΚΑΙΕΛΛΗΝΩΝΤΑΣΔΕΑΝΕΝΕΧ..........
....ΕΞΕΤΑΣΤΑΙΠΑΡΑΔΟΤΩΣΑΝΤΩΙΓΡΑΜΜΑ.....ΛΑΚΙΤΗΣ

52 ΒΟΥΛΗΣΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥΟΔΕΘΕΣΘΩΕΙΣ...... ΣΙΟΝΕΠΙΚΛΗΡΩΣΑΤΩΣΑΝΔΕΟ....... ΑΙΕΙΣΤΑΣΦ
ΥΛΑΣΤΑΑΝΕΝΕΧΘΕΝΤΛΟΝΟΜΑΤΑΠΑΝΤΑΚΑΙΑΝΑ

53 ΓΡΑΨΑΤΩΣΑΝΕΙΣΤΑΚΛΗΡΩΤΗΡΙΑΚΑΙΕΣΤΩΜΕΤΟΥΣΙΑΤΟΙΣΑΝΑΓΡΑΦΕΙΣΙΝΕ......... ΩΤΗΡΙΑ
ΠΑΝΤΩΝΩΓΚΑΙΤΟΙΣΛΟΙΠΟΙΣΠΟΛΙΤΑΙΣΜΕΤΕΣΤΙΝ

54 ΧΡΗΣΘΩΣΑΝΔΕΟΙΠΟΛΙΤΟΓΡΑΦΗΘΕΝΤΕΣΚΑΙΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΠΕΡΙΤΩΝΣΥΝΑΛΛ......ΩΝΚΑΙ
ΤΩΝΕΓΚΛΗΜΑΤΩΝΤΩΜΠΡΟΣΜΥΡΝΑΙΟΥΣΤΟΙΣΝΟΜΟΙΣ

55 ΤΟΙΣΣΜΥΡΝΑΙΩΝΔΕΧΕΣΘΩΣΑΝΔΕΚΑΙΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΤΟΝΟΜΙΣΜΑΤΟΤΗΣΠΟΛΕΩΣ....ΟΜΟ
ΝΚΑΙΑΡΧΟΝΤΑΔΕΟΝΑΝΑΠΟΣΤΕΛΛΗΙΟΔΗΜΟΣΚΥΡΙΕΥΣΟΝΤΑΤΕΤ

56 ΩΓΚΛΕΙΔΩΝΚΑΙΕΣΟΜΕΝΟΝΕΠΙΤΗΣΦΥΛΑΚΗΣΤΗΣΠΟΛΕΩΣΚΑΙΔΙΑΤΗΡΗΣΟΝΤΑΤΗΜΠΟΛΙ
ΝΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΠΑΡΑΔΕΞΟΝΤΑΙΟΙΕΜΜ ΓΝΗΣΙΑΙΔΟ

57 ΤΩΣΑΝΔΕΣΜΥΡΝΑΙΟΙΚΑΙΕΙΣΚΑΤΑΣΚΗΝΩΣΙΝΤΟΙΣΑΠΟΣΚΕΥΑΖΟΜΕΝΟΙΣΤΩΝΕΚΜΑΓΝΗΣ
ΙΑΣΟΙΚΙΑΣΚΑΙΝΩΝΟΣΩΝΑΝΤΩΙΔΗΜΩΙΔΟΞΗΙΑΦΟΥΑΓΧΡΟΝΟΥΗΟΜΟΛΟ

58 ΓΙΑΣΥ

58 ΓΙΑΣΥΝΣΦΡΑΓΙΣΘΗΕΙΣΕΞΑΜΗΝΟΝΜΙΣΘΟΥΣΘΩΔΕΟΤΑΜΙΑΣΤΩΝΟΣΙΩΜΠΡΟΣΟΔΩΝ.. Α
ΣΟΙΚΙΑΣΜΕΤΑΤΩΝΣΤΡΑΤΗΓΩΝΚΑΙΤΟΑΝΗΛΩΜΑΙΔΙΔΟΤΩΑΠΟΤΩΝΤΗ..

59 ΠΟΛΕΩΣΠΡΟΣΟΔΩΝΟΜΟΣΑΙΔΕΤΟΥΣΜΕΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΥΣΤΩΝΤΕΚΑΤΑΠΟΛΙ
ΝΙΠΠΕΩΝΚΑΙΠΕΖΩΝΚΑΙΤΟΥΣΕΝΤΟΙΣΥΠΑΙΘΡΟΙΣΤΑΣΣΟΜΕΝΟΥΣΚΑ..

60 ΤΟΥΣΑΛΛΟΥΣΤΟΥΣΚΑΤΑΧΩΡΙΖΟΜΕΝΟΥΣΕΙΣΤΟΠΟΛΙΤΕΥΜΑΤΟΝΔΕΤΟΝΟΡΚΟΝΟΜΝΥΩ
ΔΙΑΓΗΝΗΛΙΟΝΑΡΗΑΘΗΝΑΝΑΡΕΙΑΝΚΑΙΤΗΝΤΑΥΡΟΠΟΛΟΝΚΑΙΤΗ.

61 ΜΗΤΕΡΑΤΗΝΣΙΠΥΛΗΝΗΝΚΑΙΑΠΟΛΛΩΤΟΝΕΜΠΑΝΔΟΙΣΚΑΙΤΟΥΣΑΛΛΟΥΣΘΕΟΥΣΠΑΝΤΑ
ΣΚΑΙΠΑΣΑΣΚΑΙΤΗΝΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΤΥΧΗΝΕΜΜΕΝΩΕΝ

62 ΤΑΙΣΣΥΝΘΗΚΑΙΣΑΙΣΣΥΝΤΕΘΕΙΜΑΙΠΡΟΣΣΜΥΡΝΑΙΟΥΣΕΙΣΑΠΑΝΤΑΤΟΓΧΡΟΝΟΝ.. ΑΙΔΙΑΤ
ΗΡΗΣΩΤΗΝΤΕΣΥΜΜΑΧΙΑΝΚΑΙΤΗΝΕΥΝΟΙΑΝΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙ

63 ΚΑΙΤΗΙΣΜΥΡΝΑΙΩΝΠΟΛΕΙΚΑΙΑΠΑΡΕΙΛΗΦΑΠΑΡΑΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΔΙΑΤΗΡΗΣΩΚ
ΑΤΑΔΥΝΑΜΙΝΤΗΝΕΜΗΝΚΑΙΑΠΟΔΩΣΩΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΚΑΙΟΥΘΕΝ

64 ΠΑΡΑΒΗΣΟΜΑΙΤΩΝΚΑΤΑΤΗΝΟΜΟΛΟΓΙΑΝΟΥΔΕΜΕΤΑΘΗΣΩΕΠΙΤΟΧΕΙΡΟΝΤΑΓΕΓΡΑΜ..ΕΝ
ΑΕΝΑΥΤΗΙΟΥΤΕΤΡΟΠΩΙΟΥΤΕΜΗΧΑΝΗΙΟΥΔΕΜΙΑΙΚΑΙΠΟΛΙΤΕΥΣΟΜΑΙΜΕΘΟ

65 ΜΟΝΟΙΑΣΑΣΤΑΣΙΑΣΤΩΣΚΑΤΑΤΟΥΣΣΜΥΡΝΑΙΩΝΝΟΜΟΥΣΚΑΙΤΑΨΗΦΙΣΜΑΤΑΤΟΥΔ..ΜΟΥ
ΚΑΙΣΥΝΔΙΑΤΗΡΗΣΩΤΗΝΤΕΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝΚΑΙΔΗΜΟΚΡΑΤΙΑΝΚΑΙΤΑΛΛΑΤΑ

67 ΕΠΙΚΕΧΩΡΗΜΕΝΑΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣΥΠΟΤΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΜΕΤΑΠΑΣΗΣΠΡΟΘΥΜΙΑΣΕ
ΜΠΑΝΤΙΚΑΙΡΩΙΚΑΙΟΥΤΕΑΥΤΟΣΑΔΙΚΗΣΩΑΥΤΩΝΟΥΘΕΝΑΟΥΤΕΑΛΛΩΙΕΠΙ..

68 ΤΡΕΨΩΟΥΘΕΝΙΚΑΤΑΔΥΝΑΜΙΝΤΗΝΕΜΗΝΚΑΙΕΑΝΤΙΝΑΑΙΣΘΑΝΩΜΑΙΕΠΙΒΟΥΛΕΥΟ.... ΤΗΙΠ
ΟΛΕΙΗΤΟΙΣΧΩΡΙΟΙΣΤΟΙΣΤΗΣΠΟΛΕΩΣΗΤΗΝΔΗΜΟΚΡΑΤΙΑΝΗΤΗΝΙΣΟ

69 ΝΟΜΙΑΝΚΑΤΑΛΥΟΝΤΑΜΗΝΥΣΩΤΩΙΔΗΜΩΙΤΩΙΣΜΥΡΝΑΙΩΝΚΑΙΒΟΗΘΗΣΩΑΓΩ......ΕΝΟΣ
ΜΕΤΑΠΑΣΗΣΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣΚΑΙΟΥΚΕΓΚΑΤΑΛΕΙΨΩΚΑΤΑΔΥΝΑΜΙΝΤΗΝ

70 ΕΜΑΥΤΟΥΕΥΟΡΚΟΥΝΤΙΜΕΝΜΟΙΕΥΕΙΗΕΦΙΟΡΚΟΥΝΤΙΔΕΕΞΩΛΕΙΑΚΑΙΑΥΤΩΙΚΑΙΓΕ.... ΩΙΕΞ
ΕΜΟΥΟΜΟΣΑΙΔΕΚΑΙΣΜΥΡΝΑΙΟΥΣΤΟΙΣΑΠΟΜΑΓΝΗΣΙΑΣΤΟΝΟΡΚΟΝ

71 ΤΟΝΔΕΟΜΝΥΩΔΙΑΓΗΝΗΛΙΟΝΑΡΗΑΘΗΝΑΝΑΡΕΙΑΝΚΑΙΤΗΝΤΑΥΡΟΠΟΛΟΝΚΑΙΤΗΜΜΗ..... Α
ΤΗΝΣΙΠΥΛΗΝΗΝΚΑΙΑΦΡΟΔΙΤΗΝΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΑΚΑΙΤΟΥΣΑΛΛΟΥΣΘΕΟΥΣ

72 ΠΑΝΤΑΣΚΑΙΠΑΣΑΣΕΜΜΕΝΩΕΝΤΑΙΣΣΥΝΘΗΚΑΙΣΑΙΣΣΥΝΤΕΘΕΙΜΕΘΑΠΡΟΣΤΟΥΣ.....ΑΓΝΗΣ
ΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΥΣΤΟΥΣΤΕΚΑΤΑΠΟΛΙΝΙΠΠΕΙΣΚΑΙΠΕΖΟΥΣΚΑΙΤΟΥΣΕΝΤΟΙΣ

73 ΥΠΑΙΘΡΟΙΣΤΑΣΣΟΜΕΝΟΥΣΚΑΙΤΟΥΣΑΛΛΟΥΣΤΟΥΣΚΑΤΑΧΩΡΙΖΟΜΕΝΟΥΣΕΙΣΤΟ.....ΤΕΥΜ
ΑΕΙΣΑΠΑΝΤΑΤΟΙ ΧΡΟΝΟΝΟΥΘΕΝΠΑΡΑΒΑΙΝΩΝΤΩΓΚΑΤΑΤΗΜΟΜΟΛΟΓΙΑΝ

74 ΟΥΔΕΜΕΤΑΤΙΘΕΙΣΕΠΙΤΟΧΕΙΡΟΝΤΑΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑΕΝΑΥΤΗΙΟΥΤΕΤΕΧΝΗΙΟΥΤΕ.. ... ΝΗΙΟΥ
ΔΕΜΙΑΙΚΑΙΕΥΝΟΗΣΩΚΑΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΚΑΙΤΟΙΣΕΚΜΑΓΝΗΣΙΑΣΚΑ

75 ΤΟΙΚΟΙΣΤΟΙΣΤΕΚΑΤΑΠΟΛΙΝΚΑΙΤΟΙΣΥΠΑΙΘΡΟΙΣΚΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣΤΟΙΣΟΙΚΟ....... ΜΑΓΝ
ΗΣΙΑΙΟΣΟΙΕΙΣΙΝΕΛΕΥΘΕΡΟΙΤΕΚΑΙΕΛΛΗΝΕΣΚΑΙΠΟΙΗΣΟΜΑΙΑΥΤΟΥΣ

76 ΠΟΛΙΤΑΣΠΑΝΤΑΣΚΑΙΤΟΥΣΕΓΓΟΝΟΥΣΑΥΤΩΝΕΦΙΣΗΙΚΑΙΟΜΟΙΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣΠΟΛΙ.....ΚΑ
ΙΕΙΣΦΥΛΑΣΑΥΤΟΥΣΕΠΙΚΛΗΡΩΣΑΣΚΑΤΑΧΩΡΙΩΕΙΣΗΝΑΝΕΚΑΣΤΟΙΛΑΧΩΣΙΝ

77 ΚΑΙΟΥΤΕΑΥΤΟΣΑΔΙΚΗΣΩΑΥΤΩΝΟΥΘΕΝΑΟΥΤΕΑΛΛΩΙΕΠΙΤΡΕΨΩΟΥΘΕΝΙΚΑΤΑΔ.... ΑΜΙΝ
ΤΗΝΕΜΗΝΚΑΙΕΑΝΤΙΝΑΑΙΣΘΑΝΩΜΑΙΕΠΙΒΟΥΛΕΥΟΝΤΑΑΥΤΟΙΣΗΕΚΓΟΝΟ..

78 ΑΥΤΩΝΗΤΟΙΣΥΠΑΡΧΟΥΣΙΝΑΥΤΩΝΜΗΝΥΣΩΩΣΑΝΤΑΧΙΣΤΑΔΥΝΩΜΑΙΚΑΙΒΩΙΗΩ.....ΜΕΤΑΦ
ΙΛΟΤΙΜΙΑΣΚΑΙΜΕΤΟΥΣΙΑΝΑΥΤΟΙΣΔΩΣΩΤΩΝΤΕΑΡΧΕΙΩΝΚΑΙΤΩΝΑΛΛ...

79 ΤΩΝΚΟΙΝΩΝΤΗΣΠΟΛΕΩΣΩΝΚΑΙΟΙΑΛΛΟΙΠΟΛΙΤΑΙΜΕΤΕΧΟΥΣΙΝΕΥΟΡΚΟΥ......ΜΟΙΕΥΕΙΗΕΦ
ΙΟΡΚΟΥΝΤΙΔΕΕΞΩΛΕΙΑΚΑΙΑΥΤΩΙΚΑΙΓΕΝΕΙΤΩΙΕΞΕΜΟΥΑΠΟΔΕΙΞ..

80 ΤΩΣΑΝΔΕΣΜΥΡΝΑΙΟΙΤΕΚΑΙΟΙΑΠΟΜΑΓΝΗΣΙΑΣΑΝΔΡΑΣ.....................ΑΝΕΚΑΤΕΡΟ
ΙΥΠΟΛΑΝΒΑΝΩΣΙΝΙΚΑΝΟΥΣΕΙΝΑΙΤΟΥΣΟΡΚΙΟΥΝΤΑΣΤΟΠΛΗΘΟΣ

81 ΤΩΝΤΕΕΝΣΜΥΡΝΗΙΚΑΙΤΩΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΟΙΔΕ.....................ΝΤΕΣΤΗΙΠΡΟΤΕΡΟΝ
ΗΜΕΡΑΙΕΝΔΗΜΕΙΝΤΟΥΣΕΝΤΗΙΠΟΛΕΙΩΣΤΟΥΟΡΚΟΥΣΥΝ...

82 ΛΕΣΘΗΣΟΜΕΝΟΥΤΟΥΚΑΤΑΤΗΝΟΜΟΛΟΓΙΑΝ....ΚΙΖΕΤΩΣ.................ΟΝΟΙΜΕΝΕΚΜΑΓ
ΝΗΣΙΑΣΑΠΟΔΕΙΧΘΕΝΤΕΣΣΜΥΡΝΑΙΟΥΣΟΙΔΕΕΞΣΜΥΡΝΗΣΤΟΥΣΕΜ

83 ΜΑΓΝΗΣΙΑΙΤΑΔΕΙΕΡΕΙΑΤΑΕΙΣΤΑ... ΚΩΜΟΣΙΑΕΝΣΜΥΡΝ............. ΛΙΝΟΣΑΦΩΝΑΝΨΗΦΙ
ΣΗΤΑΙΟΔΗΜΟΣΕΝΔΕΜΑΓΝΗΣΙΑΙΟΙΤΑΜΙΑΙΟΙΣΑΝΤΟΠΛΗΘΟΣΕ

84 ΤΑΞΗΙΑΝΑΓΡΑΨΑΤΩΣ....ΔΕΚΑΙΤΗΝΟΜΟΛΟΓΙΑΝΕΝΣΤΗΛ...................ΕΤΩΣΑΝΣΜΥ
ΡΝΑΙΟΙΜΕΝΕΝΤΩΙΤΗΣΑΦΡΟΔΙΤΗΣΤΗΣΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣΙΕΡΩΙΚΑΙ

85 ΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΤΗΙΠΡΟΣΤΩΙΜΑΙΑΝΔΡΩΙΕΝΤΩΙΤΗΣΑΡΤΕΜΙΔ.............ΝΗΣΙΕΡΩΙΟΙΔΕΕ
ΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΙΕΝΤΕΤΗΙΑΓΟΡΑΙΠΑΡΑΤΟΝΒΩΜΟΝΤΟΥ

86 ΔΙΟΝ....ΟΥΚΑΙΤΑΣΤΩΝΒΑΣΙΛΕΩΝΕΙΚΟΝΑΣΚΑΙΕΜΠΑΝΔΟΙΣΕ.............ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ
ΚΑΙΕΓΓΡΥΝΕΩΙΕΝΤΩΙΙΕΡΩΙΤΟΥΑΠΟΛΛΩΝΟΣΑΝΑΓΡΑΨΑΤΩΔΕΚΑΙΟΓΡΑΜ

87 ΜΑΤΟΦΥΛΑΞΤΗΣΒΟΥΛΗΣΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥΤΑΑΝΤΙΓΡΑΦΑΤΗΣΟΜΟΛΟΓΙΑΣ.......ΟΣΙΟΝΣΥΝ
ΣΦΡΑΓΙΣΑΣΘΩΣΑΝΔΕΤΑΣΟΜΟΛΟΓΙΑΣΤΗΜΜΕΝΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣΔΟΘΗΣΟΜΕΝΗΝ

88 ΟΥΣΑΝΑΠΟΔΕΙΞΗΙΤΟΚΟΙΝΟΝΤΩΝΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΤΟΙΣΤΕΕΑΥΤΩΝΔΑΚΤΥΛΙΟΙΣΚ..., ΥΠΑΡ
ΧΟΝΤΙΚΟΙΝΩΙΤΗΝΔΕΕΙΣΜΑΓΝΗΣΙΑΝΔΟΘΗΣΟΜΕΝΗΝΣΦΡΑΓΙΣΑΣΘΩΣΑΝΣΜΥΡΝΑ...

89 ΟΙΤΕΣΤΡΑΤΗΓΟΙΚΑΙΟΙΕΞΕΤΑΣΤΑΙΤΩΙΤΕΤΗΣΠΟΛΕΩΣΔΑΚΤΥΛΙΩΙΚΑΙΤΟΙΣΑΥΤΩΝΤΑΥΤ
ΑΔΕΑΜΦΟΤΕΡΟΙΣΤΟΙΣΠΛΗΘΕΣΙΝΣΥΝΤΕΤΕΛΕΙΣΘΑΙΤΥΧΗΙΤΗΙΑΓΑΘΗΙ

90 ΕΔΟΞΕΝΤΩΙΔΗΜΩΙΣΤΡΑΤΗΓΩΝΓΝΩΜΗΕΠΕΙΔΗΠΡΟΝΟΩΝΟΔΗΜΟΣΥΠΕΡΑΠΑΝΤΩΝ,ΤΩΝΤ
ΟΥΒΑΣΙΛΕΩΣΣΕΛΕΥΚΟΥΣΥΜΦΕΡΟΝΤΩΝΔΙΕΤΕΛΕΙΚΑΙΠΡΟΤΕΡΟΝΤΗΝ ΤΕΒΑΣΙΛΕΙΑΝ

91 ΑΥΤΟΥΣΥΝΑΥΞΩΝΚΑΙΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΔΙΑΤΗΡΩΝΚΑΘΟΣΟΝΗΝΔΥΝΑΤΟΣΚΑΙΠΟΛΛΑΜΕΝΠΕ
ΡΙΕΙΔΕΝΑΠΟΛΛΥΜΕΝΑΚΑΙΚΑΤΑΦΘΕΙΡΟΜΕΝΑΤΩΝΥΠΑΡΧΟΝΤΩΝΠΟΛΛΟΥΣΔΕΥΠΕΜΕΙΝ.

92 ΚΙΝΔΥΝΟΥΣΕΝΕΚΕΝΤΟΥΔΙΑΤΗΡΗΣΑΙΤΗΝΦΙΛΙΑΝΤΗΝΠΡΟΣΤΟΝΒΑΣΙΛΕΑΣΕΛΕΥΚΟΝΚΑΙ ΝΥΝΦΙΛΟΤΙΜΟΥΜΕΝΟΣΑΥΤΩΙΣΥΝΔΙΑΤΗΡΗΣΑΙΚΑΙΣΥΝΕΧΕΙΝΤΑΠΡΑΓΜΑΤΑΚΑΘΟΣΟΝ

93 ΕΝΔΕΧΟΜΕΝΟΝΕΣΤΙΝΤΗΝΤΕΠΡΟΣΤΟΥΣΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΥΣΚΑΙΤΟΥΣΥΠΑΙΘΡΟ ΥΣΙΠΠΕΙΣΚΑΙΤΟΥΣΠΕΖΟΥΣΣΤΡΑΤΙΩΤΑΣΚΑΙΤΟΥΣΑΛΛΟΥΣΤΟΥΣΟΙΚΟΥΝΤΑΣΕΜΜΑ

94 ΓΝΗΣΙΑΙΣΥΝΤΕΘΕΙΤΑΙΦΙΛΙΑΝΙΝΑΔΙΑΦΥΛΑΣΣΩΣΙΝΤΗΝΣΥΜΜΑΧΙΑΝΚΑΙΤΗΝΕΥΝΟΙΑΝΤΩ ΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΝΟΜΙΖΩΝΔΕΑΝΑΓΚΑΙΟΝΕΙΝΑΙΤΗΙΠΟΛΕΙΠΑΡΑΛΑΒΕΙΝΚΑΙΤΟ

95 ΧΩΡΙΟΝΠΑΛΑΙΜΑΓΝΗΣΙΑΝΚΑΙΠΟΙΗΣΑΣΘΑΙΤΗΝΦΥΛΑΚΗΝΔΙΑΥΤΟΥΙΝΑΚΑΙΤΟΥΤΟΥΠΑΡ ΑΛΗΦΘΕΝΤΟΣΥΠΟΤΗΣΠΟΛΕΩΣΑΣΦΑΛΕΣΤΕΡΟΝΔΙΑΜΕΝΗΙΠΑΝΤΑΤΑΣΥΝΕΓΓΥ.

96 ΠΡΑΓΜΑΤΑΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙΣΕΛΕΥΚΩΙΔΙΕΠΕΜΨΑΝΤΟΠΡΟΣΤΟΥΣΟΙΚΟΥΝΤΑΣΕΝΤΩΙΧΩΡΙΩ ΙΚΑΙΠΑΡΕΚΑΛΕΣΑΝΑΥΤΟΥΣΑΙΡΕΣ .... . ΦΙΛΙΑΝΤΗΝΠΡΟΣΤΟΝΒΑΣΙΛΕΑΣΕΛΕΥΚΟΝ

97 ΚΑΙΠΑΡΑΔΟΥΝΑΙΤΑΣΚΛΕΙΔΑΣΤΩΙΑΡΧΟΝΤΙΤΩΙΑΠΟΣΤΑΛΕΝΤΙΥΠΟΤΟΥΔΗΜΟΥΚΑΙΠΑ.. ΑΔΕΞ.ΣΘΑΙΦΥΛΑΚΗΝΤΗΝΣΥΝΔΙΑΤΗΡΗΣΟΥΣΑΝΜΕΤΑΥΤΩΝΤΟΧΩΡΙΟΝΤΩΙΒΑΣΙΛΕΙ

98 ΣΕΛΕΥΚΩΙΕΠΑΓΓΕΛΛΟΜΕΝΟΣΤΑΥΤΑΠΟΙΗΣΑΝΤΩΝΑΥΤΩΝΥΠΑΡΞΕΙΝΑΥΤΟΙΣΠΑΡΑΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣΠΑΝΤΑΤΑΦΙΛΑΝΘΡΩΠΑΚΑΙΚΑΛΩΣΕΧΟΝΤΑΟΙΔΕΟΙΚΟΥΝΤΕΣΕΝΤΩΙ

99 ΧΩΡΙΩΒΟΥΛΟΜΕΝΟΙΤΗΝΦΙΛΙΑΝΤΗΝΠΡΟΣΤΟΝΒΑΣΙΛΕΑΣΕΛΕΥΚΟΝΜΕΤΑΠΑΣΗΣΠΡΟΘΥΜΙ ΑΣΠΡΟΣΕΔΕΞΑΝΤΟΤΑΞΙΟΥΜΕΝΑΥΠΟΤΟΥΔΗΜΟΥΚΑΙΤΑΣΤΕΚΛΕΙΔΑΣΠΑΡΑΔΕΔΩΚΑΣΙ

100 ΤΩΙΑΡΧΟΝΤΙΤΩΙΑΠΕΣΤΑΛΜΕΝΩΙΥΠΟΤΟΥΔΗΜΟΥΚΑΙΤΗΝΦΥΛΑΚΗΝΤΗΝΠΑΡΑΤΗΣΠΟ ΛΕΩΣΠΑΡΕΔΕΞΑΝΤΟΕΙΣΤΟΧΩΡΙΟΝΑΓΑΘΗΙΤΥΧΗΙΔΕΔΟΧΘΑΙΠΟΛΙΤΑΣΤΕΕΑΥΤΟΥΣΕΙΝ.

101 ΚΑΙΥΠΑΡΧΕΙΝΑΥΤΟΙΣΤΑΑΥΤΑΟΣΑΚΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣΠΟΛΙΤΑΙΣΥΠΑΡΧΕΙΚΑΙΤΟΥΣΤΕΚΛ ΗΡΟΥΣΑΥΤΩΝΤΟΥΣΔΥΟΟΝΤΕΟ .ΕΟΣΚΑΙΣΩΤΗΡΑΝΤΙΟΧΟΣΕΠΕΧΩΡΗΣΕΝΑΥΤΟΙΣΚΑΙΠΕ ΡΙΟ.

102 ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣΓΕΓΡΑΦΗΚΕΝΕΙΝΑΙΑΥΤΟΙΣΑΔΕΚΑΤΕΥΤΟΥΣΚΑΙΕΑΝΠΡΟΣΟΡΙΣΘΗΗ. ΩΡΑΗ ΝΕΧΟΥΣΙΝΟΙΠΡΟΤΕΡΟΝΟΝΤΕΣΕΜΜΑΓΝΗΣΙΑΙΚΑΤΟΙΚΟΙΤΗΙΠΟΛΕΙΤΗΙΗΜΕΤΕΡΑΙ

103 ΥΠΑΡΧΕΙΝΑΥΤΟΙΣΤΟΥΣΤΡΙΣΚΛΗΡΟΥΣΔΩΡΕΑΝΚΑΙΤΗΝΑΤΕΛΕΙΑΝΑΥΤΟΙΣΜΕΝΕΙΝΤΗΝ ΝΥΝΥΠΑΡΧΟΥΣΑΝΚΑΙΟΣΟΙΑΥΤΩΝΑΚΛΗΡΟΥΧΗΤΟΙΔΟΘΗΝΑΙΑΥΤΟΙΣΚΛΗΡΟ..

104 ΙΠΠΙΚΟΝΔΩΡΕΑΝΤΩΝΠΑΡΑΚΕΙΜΕΝΩΝΤΩΙΧΩΡΙΩΙΥΠΑΡΧΕΙΝΔΕΚΑΙΤΙΜΩΝΙΚΑ..ΤΟΙΣΠΕ ΖΟΙΣΤΟΙΣΤΕΤΑΓΜΕΝΟΙΣΥΠΟΤΙΜΩΝΑΤΟΙΣΑΠΟΤΑΧΘΕΙΣΙΝΑΠΟΤΗΣΦΑΛΑΓΓΟ..

105 ΕΠΙΤΗΝΦΥΛΑΚΗΝΤΟΥΧΩΡΙΟΥΤΗΝΤΕΠΟΛΙΤΕΙΑΝΚΑΙΤΗΝΑΥΤΗΝΑΤΕΛΕΙΑΝ.. ΑΙΤΟΙΣΑΛ ΛΟΙΣΥΠΑΡΧΕΙΚΑΙΕΙΝΑΙΑΥΤΟΥΣΕΝΤΩΙΧΩΡΙΩΙΥΠΑΡΧΕΙΝΔΕΚΑΙΩΜΑΝΕΙΚΑΙΤΟΙΣ

106 ΠΕΡΣΑΙΣΤΟΙΣΥΠΟΩΜΑΝΗΝΚΑΙΤΟΙΣΑΠΟΣΜΥΡΝΗΣΑΠΟΣΤΑΛΕΙΣΙΝΕΠΙΤΗΝ..ΥΛΑΚΗΝΤ ΟΥΧΩΡΙΟΥΜΕΝΕΚΛΕΙΤΕΚΑΙΤΟΙΣΥΠΑΥΤΟΝΤΑΣΣΟΜΕΝΟΙΣΤΗΝΔΕΠΟΛΙΤΕΙ....

107 ΚΑΙΤΑΛΛΑΦΙΛΑΝΘΡΩΠΑΔΚΑΙΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣΤΟΙΣΕΚΜΑΓΝΗΣΙΑΣΕΨΗΦΙΣΤΑΙΚ.. .ΠΡΟΝΟΗ ΣΑΙΤΟΝΔΗΜΟΝΟΠΩΣΑΥΤΟΙΣΔΙΔΩΤΑΙΕΚΒΑΣΙΛΙΚΟΥΤ..ΤΕΜΕΤΡΗΜΑΤΑΚΑΙΤΑΟΨΩΝΙΑ

108 ΤΑΛΛΑΟΣΑΕΙΩΘΕΙΕΚΒΑΣΙΛΙΚΟΥΔΙΔΟΣΘΑΙΑΥΤΟΙΣΤΟΔΕΨΗΦΙΣΜΑΤΟΔΕΑΝ....ΡΑΨΑΙΕΙ ΣΤΑΣΣΤΗΛΑΣΤΑΣΑΝΑΤΕΘΗΣΟΜΕΝΑΣΕΝΤΟΙΣΙΕΡΟΙΣΥΠΟΤΕΤΟΥΔΗΜΟΥΚΑΙ.....

109 ΕΚΓΜΕΓΝΗΣΙΑΣΑΝΑΓΕΓΡΑΦΘΑΙΔΕΑΥΤΟΚΑΙΕΝΤΟΙΣΔΗΜΟΣΙΟΙΣ.

Eadem, charactere communi, cum versione. Hiatus vero & lacunæ, conjectura, justis spatiorum mensuris, fugientium elementorum reliquiis, & circumstante vocabulorum textu nixâ, supplentur.

Smyrnæorum Decretum Fœderi prævium.

ΕΔΟΞΕΝ τῷ δήμῳ στρατηγῶν γνώμη. Ἐπειδὴ πρότερόν τε καθ᾽ ὃν καιρὸν ὁ βασιλεὺς Σέλευκος ὑπερέβαλεν εἰς τὴν Σελευκίδα, πολλῶν καὶ μεγάλων κινδύνων περιστάντων τὴμ πόλιν ἡμῶν καὶ τὴν χώραν, διεφύλαξεν ὁ δῆμος τὴμ πρὸς αὐτὸν εὔνοιάν τε καὶ φιλίαν, οὐ καταπλαγεὶς τὴν τῶν ἐναντίων ἔφοδον, οὐδὲ φροντίσας τῆς τῶν ὑπαρχόντων ἀπωλείας, ἀλλὰ πάντα δεύτερα ἡγησάμενος εἶναι πρὸς τὸ διαμεῖναι ἐν τῇ αἱρέσει καὶ ἀντιλάβεσθαι τῶμ πραγμάτων κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν καθ᾽ ὅτι ἐξ ἀρχῆς ὑπέστη. διὸ καὶ ὁ βασιλεὺς Σέλευκος εὐσεβῶς τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς διακείμενος, καὶ φιλοστόργως τὰ πρὸς τοὺς γονεῖς, μεγαλόψυχος ὢν καὶ ἐπιστάμενος χάριτας ἀποδιδόναι τοῖς ἑαυτὸν εὐεργετοῦσιν, ἐτίμησεν τὴμ πόλιν ἡμῶν διά τε τὴν τοῦ δήμου εὔνοιαν καὶ φιλοτιμίαν ἣν ἐπεποίητο εἰς τὰ πράγματα αὐτοῦ, καὶ διὰ τὸ τὸμ πατέρα αὐτοῦ Θεὸν Ἀντίοχον καὶ τὴμ μητέρα τὴν τοῦ πατρὸς Θεὰν Στρατονίκην ἱδρῦσθαι παρ᾽ ἡμῖν, τιμωμένους τιμαῖς ἀξιολόγοις καὶ κοινῇ ὑπὸ τοῦ πλήθους καὶ ἰδίᾳ ὑφ᾽ ἑκάστου τῶμ πολιτῶν, καὶ ἐβεβαίωσεν τῷ δήμῳ τὴν αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν.

PLACUIT Populo, Ducum consilio. Postquam nuper, quo tempore Seleucus Rex expeditionem fecit in Seleucidem, multis magnisq; periculis civitati nostræ & territorio circumquaq; imminentibus, servaverit erga eum Populus benevolentiam & amicitiam, &, nec hostium impetu territus, nec rerum suarum cladem pensi habens, inprimis ante omnia optimum esse duxerit in hoc perseverare proposito, majestatiq; ejus pro viribus adesse sicut ab initio susceperat; unde etiam Rex Seleucus, Deorum cultui religiose deditus, pius erga parentes, magnanimus, & ad beneficia benè de se merentibus rependenda alacris, honorem accumulavit civitati nostræ, tum ob benevolentiam & studium quo Populus ipsius majestatem affecerat, tum quod pater ejus, Deus Antiochus & mater patris, Dea Stratonice, consecrati apud nos essent & honoribus egregiis honorati, tum publice à plebe, tũ privatim ab unoque civium; & stabilivit Populo libertatem & statum popularem:

quin porro scripsit ad Reges, Principes, Civitates & Gentes, sancivisse se non modo fanum Veneris Stratonicidis inspoliatam fore, sed & urbem item nostram sacram & inspoliatam; & cum nunc etiam, simulac expeditionem fecerat Seleucus Rex in Seleucidem, Duces cupientes ut rerum status commode Regi firmaretur, miserint ad Magnesiæ incolas & eos, qui in castris versantur, equites & milites (amandato ex ipsis quodam Dionysio qui invitaret eos ad amicitiam & belli societatem cum Rege *Se*leuco servandam perpetuam) & promiserint, si conservarent, illius majestatem & eundem cum illo hostem & amicum æstimarent, fore eis & à Populo & à Rege Seleuco omnimodum favorem & benevolentiam, & redditum eis iri beneficia ejusmodi optione non indigna; Magnesii vero invitati, etiam & ipsi ad servandam Regi Seleuco & amicitiam & belli societatem & conservandam ejus majestatem proni, ea, quæ postulabantur à Ducibus, avidè amplexati sint, polliciti eandem animi se habituros sententiam cum populo nostro ad omnia Seleuci Regis commoda, & miserint ad nos Legatos, ex incolis scilicet Potamonem

ἔγραψεν δὲ καὶ πρὸς τοὺς βασιλεῖς καὶ τοὺς δυνάστας καὶ τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη ἀξιώσας ἀποδέξασθαι τό τε ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι, καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν ἱερὰν καὶ ἄσυλον. Νῦν τε ὑπερβεβληκότος τοῦ βασιλέως εἰς τὴν Σελευκίδα, οἱ στρατηγοὶ προνοοῦντες διαμένειν τῷ βασιλεῖ τὰ πράγματα συμφερόντως, διεπέμψαντο πρὸς τοὺς ἐν Μαγνησίᾳ κατοίκους καὶ πρὸς τοὺς ὑπαίθρους ἱππεῖς καὶ στρατιώτας· καὶ ἀπέστειλαν ἐξ αὐτῶν ἕνα Διονύσιον τὸν παρακαλέσοντα αὐτοὺς διαφυλάσσειν τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν βασιλεῖ Σελεύκῳ εἰς πάντα τὸν χρόνον, ἐπαγγελλόμενοι, διατηρούντων αὐτῶν τὰ πράγματα καὶ τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν καὶ φίλον ἡγουμένων, ὑπάρξειν αὐτοῖς παρὰ τοῦ δήμου καὶ παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου πάντα τὰ φιλάνθρωπα καὶ καλῶς ἔχοντα καὶ ἀποδοθήσεσθαι χάριτας αὐτοῖς ἀξίας τῆς αἱρέσεως. Οἱ δὲ ἐν Μαγνησίᾳ παρακληθέντες, καὶ αὐτοὶ ὄντες πρόθυμοι πρὸς τὸ διαφυλάσσειν τῷ βασιλεῖ τήν τε φιλίαν καὶ τὴν συμμαχίαν καὶ διατηρεῖν αὐτῷ τὰ πράγματα, τά τε ἀξιωθέντα ὑπὸ τῶν στρατηγῶν φιλοτίμως ἀπεδέξαντο καὶ ἐπαγγέλλοντα τὴν αὐτὴν ἕξειν αἵρεσιν τῷ δήμῳ τῷ ἡμετέρῳ εἰς πάντα τὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου συμφέροντα, καὶ ἀπεστάλκασιν πρὸς ἡμᾶς πρεσβευτὰς ἐγ μὲν τῶν κατοίκων Ποτάμωνα

καὶ

ϗ Ἱεροκλῆ, ἐκ δὲ τῶν ὑπαίθρων Δάμωνα ϗ Ἀπολλωνικέτην τοὺς ἀπολεξομένους τε ἡμῖν ϗ διοίσαντας τὴν ὁμολογίαν καθ' ἣν ἀξιοῦσιν συνθέσθαι τὴν πρὸς ἑαυτοὺς φιλίαν. Ἐπαχθέντες δὲ ϗ οἱ πρεσβευταὶ ἐπὶ τὸν δῆμον συνλελαλήκασιν ὑπὲρ ἁπάντων ἀκολούθως τοῖς ἐν τῇ ὁμολογίᾳ γεγραμμένοις Ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι, τήν τε φιλίαν συντίθεσθαι πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίᾳ ἐπὶ πᾶσι τοῖς τοῦ βασιλέως Σελεύκου συμφέρουσιν, ϗ ἀποδεῖξαι πρὸς αὐτοὺς πρεσβευτὰς τρεῖς οἵτινες τὴν ὁμολογίαν τε ἥτις ἂν δόξῃ τῷ δήμῳ ἀνοίσουσιν αὐτοῖς ϗ περὶ τῶν γεγραμμένων ἐν αὐτῇ διαλεχθήσονται, καὶ παρακαλέσουσιν αὐτοὺς δέχεσθαί τε ϗ συντελεῖν τὰ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ γεγραμμένα. Καὶ ἐάμπερ δέξωνται οἱ ἐμ Μαγνησίᾳ, ὁρκισάτωσαν αὐτοὺς οἱ ἀποδειχθησόμενοι πρεσβευταὶ τὸν ὅρκον τὸν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ γεγραμμένον. Προσδεξαμένων δὲ ταῦτα τῶν ἐμ Μαγνησίᾳ καὶ συνσφραγισαμένων τὴν ὁμολογίαν ϗ ὀμοσάντων καὶ ἐπανελθόντων τῶν πρεσβευτῶν, συντελείσθω καὶ τὰ λοιπὰ πάντα τὰ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ γεγραμμένα· καὶ τὸ ψήφισμα τὸ δὲ ἀναγραφήτω κατὰ τὸν νόμον, ἀναγραφήτω δὲ ϗ εἰς στήλας εἰς ἃς καὶ ἡ ὁμολογία ἀναγραφήσεται. Καλεσάτωσαν δὲ οἱ ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς καὶ τοὺς πρεσβευτὰς, τοὺς παραγενομένους ἐκ Μαγνη-

& Hieroclem, ex iis vero, qui in caſtris verſantur, Damonem & Apollonicetem, qui nobiſcum tractarent & apportarent Fœdus, juxta quod poſtulant iniri ſecum amicitiam; Legati vero introducti ad populum colloquium habuerint ſuper omnia ſigillatim, prout in Fœdere ſunt conſcripta, cum Bona Fortuna cenſeri, ut amicitia contrahatur cum Magneſiis in omni quod Seleuco Regi commodum fuerit, & ut deſignentur ad eos Legati tres, qui Fœdus quod populo placuerit apportabunt illis, & de iis, quæ in eo ſcripta ſunt, diſceptabunt, & eos invitabunt ad ea adprobanda & perimplenda quæ in Fœdere conſcripta. Poſtquam autem hæc amplexati fuerint Magneſii, & Fœdus ſigillaverint, & juraverint, & Legati redierint, perimplentor item reliqua omnia quæ in Fœdere conſcripta. Hoc ipſum porro Decretum, ut lex exigit, perſcribitor. Perſcribitor etiam in columnis, quibus ipſum Fœdus perſcribetur. Invitanto autem menſtrui Senatus ſacrificuli etiam Legatos, qui è Magneſia advenerunt, in

Pri-

Prytanium ad sacras epulas. Designatis vero Legatis præbeto commeatum Callinus, ærarii præfectus, ex *publico* in tot dies quot populus statuerit, de proventibus urbis. Dies statuti sunt quinque. Designabantur Legati, Phanodemus Mic.....:.... F. Dionysius Dionytæ F. & Parmeniscus F. Pytheæ.

σίας, ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον. Τοῖς δὲ ἀποδεχθεῖσιμ πρεσβευταῖς δότω μεθόδιον Καλλῖνος ὁ ταμίας τὸ ἐκ τοῦ κοινοῦ, ἐφ' ἡμέρων ὅσων ἂν ὁ δῆμος τάξῃ ἀπὸ τῶν τῆς πόλεως προσόδων. Ἡμέραι ἐτάγησαμ πέντε, Πρεσβευταὶ ἀπεδέχθησαν Φανόδημος Μικ........ Διονύσιος Διονυτᾶ, Παρμενίσκος Πυθέου.

Smyrnæorum & Magnetum Fœdus.

PONTIFICE Hegesia, Stephanophoro autem Pythodoro, mense Lenæone, tum Bona Fortuna, Hisce conditionibus amicitiam inierunt Smyrnæi & Magnesiæ incolæ, cum equites & pedites qui in urbe sunt, tum qui in castris, & habitatores ceteri. Civitate donarunt Smyrnæi Magnesiæ incolas, tum qui in urbe sunt equites & pedites, & qui in castris, tum qui urbe habitant; ob quam rem, belli societatem & benevolentiam erga Regis Seleuci majestatem studiosissimè observabunt Magnetes Regi Seleuco idque perpetuo, & quæcunque acceperunt à Rege Seleuco, ea tuebuntur pro viribus suis, & reddent Regi Seleuco.

ΕΠΙ ἱερέως Ἡγησίου, στεφανηφόρου δὲ Πυθοδώρου, μηνὸς Ληναιῶνος, ἀγαθῇ τύχῃ. Ἐπὶ τοῖσδε συνέθεντο τὴμ φιλίαν Σμυρναῖοι καὶ οἱ ἐμ Μαγνησίᾳ κάτοικοι, οἵ τε κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ πεζοὶ καὶ οἱ ἐν τοῖς ὑπαίθροις καὶ οἱ ἄλλοι οἰκηταί. καὶ τὴμ πολιτείαν ἔδωκαν Σμυρναῖοι τοῖς ἐμ Μαγνησίᾳ κατοίκοις τοῖς τε κατὰ πόλιν ἱππεῦσι καὶ πεζοῖς καὶ τοῖς ὑπαίθροις καὶ τοῖς οἰκοῦσι τὴμ πόλιν, ἐφ' ὅτῳ τὴμ μὲν συμμαχίαν καὶ τὴν εὔνοιαν τὴν εἰς τὰ πράγματα τοῦ βασιλέως Σελεύκου διατηρήσουσιν οἱ ἐμ Μαγνησίᾳ τῷ βασιλεῖ Σελεύκῳ μετὰ πάσης προθυμίας εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον, καὶ ὅσα παρειλήφαν παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου, φυλάξαντες, εἰς δύναμιν εἶναι τὴν αὐτῶν, ἀποδώσουσιν τῷ βασιλεῖ Σελεύκῳ.

κῳ. Πολιτεύσονται δὲ μετὰ Σμυρναίων κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους ἀστασιάστως, τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν καὶ φίλον ἡγούμενοι Σμυρναίοις. Ομοῦνται δὲ καὶ οἱ ἐμ Μαγνησίᾳ Σμυρναίοις, καὶ Σμυρναῖοι τοῖς ἐμ Μαγνησίᾳ, ἑκάτεροι αὐτῶν, τὸν ὅρκον τὸν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ὑπογεγραμμένον. Συντελεσθέντων δὲ τῶν ὅρκων, τὰ μὲν ἐγκλήματα αὐτοῖς τὰ γεγενημένα κατὰ τὸμ πόλεμον ἤρθω πάντα, καὶ μὴ ἐξέστω μηδὲ ἑτέροις ἐγκαλέσαι περὶ τῶγ κατὰ τὸμ πόλεμον γεγενημένων, μήτε διὰ δίκης μήτε κατ᾽ ἄλλον τρόπομ μηθένα. Εἰ δὲ μὴ, πᾶν τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα ἄκυρον ἔστω. Δέδοσθαι δὲ τοῖς ἐμ Μαγνησίᾳ κατοίκοις, τοῖς τε κατὰ πόλιν ἱππεῦσι καὶ πεζοῖς καὶ τοῖς ὑπαίθροις, πολιτείαν ἐν Σμύρνῃ ἐφ᾽ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ τοῖς ἄλλοις πολίταις. Ομοίως δὲ δέδοσθαι τὴμ πολιτείαν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς οἰκοῦσιν ἐμ Μαγνησίᾳ, ὅσοι ἂν ὦσιν ἐλεύθεροί τε καὶ Ἕλληνες. Ανενεγκάτωσαν δὲ τοὺς μὲγ καταλοχισμοὺς τῶν ἐμ Μαγνησίᾳ ἱππέων τε καὶ πεζῶν τῶν τε κατὰ πόλιγ καὶ τῶν ὑπαίθρων, οἱ ὄντες γραμματεῖς τῶν ταγμάτων, ἐπὶ τὸν δῆμον. Τῶν δὲ ἄλλων οἰκητῶν τὴν γραφὴν οἱ ἀποδειχθέντες ὑπὸ τῶν ἐμ Μαγνησίᾳ κατοίκων ἄνδρες. Ὅταν δὲ τίθωνται τοὺς καταλοχισμοὺς οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἄνδρες οἱ ἀποδειχθέντες τὴγ γραφὴν τῶν ἄλλων οἰκητῶν, ὁρκισάτωσαν αὐτοὺς οἱ ἐξετασταὶ ἐπὶ τοῦ

Gubernabuntur autem cum Smyrnæis juxta leges civiles à diſſidio vacantes, & eoſdem amicos & inimicos cum Smyrnæis habebunt. Smyrnæis vero jurabunt Magneſii, & Magneſiis Smyrnæi alterutrinque, jusjurandum in Fœdere ſubſcriptum. Præſtitis autem juramentis, controverſiæ illis natæ tempore belli univerſæ perimantur. Neque alterutris liceat controverſiam movere de iis quæ tempore belli facta ſunt, neque in forma judicii, neque ullo alio modo. Et ſi qua forte emerſerit, plane irrita ſit. Dari vero eis qui in Magneſia ſunt incolis, tam ſcilicet, qui in urbe ſunt, equitibus & peditibus quam qui in caſtris verſantur, jus civitatis in Smyrna æquale nec diſſimile reliquorum civium juri. Similiter dari jus civitatis etiam reliquis qui in Magneſia habitant, quotquot nimirum liberi ſunt & Græci. Exhibento autem populo cohortes eorum qui in Magneſia ſunt, tam equitum quam peditum, ſive in urbe ſiue in caſtris, ii qui ſunt agninum Scribæ. Reliquorum habitatorum deſcriptionem exhibento Viri à Magneſiæ incolis deſignati. Cum vero repræſentant cohortes Scribæ,& Viri deſignati deſcriptionem ceterorum incolarum, adjuranto

eos Quæsitores super ardentibus Fani Magnæ Matris victimis, Scribas nempe se optima fide edidisse descriptionem eorum qui apud se fuerint incolarum, equitum sc. & peditum, tam in urbe quā in castris dispositorum. Viros autem qui ceterorum descriptionem retulerint adjuranto, se similiter edidisse ceterorum descriptionem qui Magnesiam incolunt & sunt liberi & Græci. Exhibitas autem descriptiones *Q*uæsitores tradunto actorū Senatus Populiq; custodi. Is publico archivo reponito. Sorte vero cooptanto Quæsitores in tribus edita nomina, & describunto in sortium tabulas. *Q*uin participes sint ii, qui præscripti fuerint in sortium tabulis, rerū omnium quarū participes sunt reliqui cives. Utantor autem, postquā civiū numero adscripti fuerint, etiam in Magnesia, in contractibus & actionibus quæ ad Smyrnæos spectant, legibus Smyrnæorum. Admittunto etiam Magnesii, numisma civitatis ut legitimum. Excipiunto item Præfectum quem miserit Populus, qui scilicet clavibus potietur, & præsidio erit Civitati, eamque tuebitur Regi Seleuco. Præbento Smyrnæi pro habitaculis, iis qui è Magnesia emittuntur, ædes (quibus Lectorum numerus sit pro

μητρῴου ἱεροῖς νεοκαύτοις, τοὺς μὲν γραμματεῖς ἦ μὴν ἀπὸ τοῦ βελτίστου ἀνενηνοχέναι τὴν γραφὴν τῶν ὄντων παρ' αὐτοῖς κατοίκων, ἱππέων καὶ πεζῶν τῶν τε κατὰ πόλιν καὶ τῶν κατ' ὕπαιθρα τασσομένων· τοὺς δὲ ἄνδρας τοὺς ἀναφέροντας τὴν γραφὴν τῶν ἄλλων οἰκητῶν, ὁμοίως ἀνενηνοχέναι τὴν γραφὴν τῶν ἄλλων οἰκούντων ἐμ Μαγνησίᾳ καὶ ὄντων ἐλευθέρων καὶ Ἑλλήνων. Τὰς δὲ ἀνενεχθείσας γραφὰς οἱ ἐξετασταὶ παραδότωσαν τῷ γραμματοφύλακι τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου. Ὁ δὲ θέσθω εἰς τὸ δημόσιον. Ἐπικληρωσάτωσαν δὲ οἱ ἐξετασταὶ εἰς τὰς φυλὰς τὰ ἀνενεχθέντα ὀνόματα πάντα, καὶ ἀναγραψάτωσαν εἰς τὰ κληρωτήρια. Καὶ ἔστω μετουσία τοῖς ἀναγραφεῖσιν εἰς τὰ κληρωτήρια πάντων ὧν καὶ τοῖς λοιποῖς πολίταις μέτεστιν. Χρήσθωσαν δὲ οἱ πολιτογραφηθέντες, καὶ ἐμ Μαγνεσίᾳ, περὶ τῶν συναλλαγμάτων καὶ ἐγκλημάτων τῶμ πρὸς Σμυρναίους, τοῖς νόμοις τοῖς Σμυρναίων. Δεχέσθωσαν δὲ καὶ ἐμ Μαγνησίᾳ τὸ νόμισμα τὸ τῆς πόλεως ἔννομον. Καὶ ἄρχοντα δὲ ὃν ἂν ἀποστέλλῃ ὁ δῆμος κυριεύοντά τε τῶν κλείδων καὶ ἐσόμενον ἐπὶ τῆς φυλακῆς τῆς πόλεως, καὶ διατηρήσοντα τὴμ πόλιν τῷ βασιλεῖ Σελεύκῳ παραδεξόνται οἱ ἐμ Μαγνησίᾳ. Δότωσαν δὲ Σμυρναῖοι καὶ εἰς κατασκήνωσιν τοῖς ἀποσκευαζομένοις τῶν ἐκ Μαγνησίας, οἰκίας, κλινῶν ὅσων ἂν τῷ δήμῳ δόξῃ,

ἀφ-

ἀφ' οὗ ἂν χρόνου ἡ ὁμολογία συν-
σφραγισθῇ εἰς ἑξάμηνον. Μισθωσάσθω
δὲ ὁ ταμίας τῶν ὁσίων προσόδων τὰς
οἰκίας μετὰ τῶν στρατηγῶν· καὶ τὸ ἀνήλω-
μα διδότω ἀπὸ τῶν τῆς πόλεως προσό-
δων. Ὀμόσαι δὲ τοὺς μὲν ἐμ Μαγνησίᾳ
κατοίκους τούς τε κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ
πεζοὺς καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὑπαίθροις τασσο-
μένους καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς καταχωριζο-
μένους εἰς τὸ πολίτευμα, τόνδε τὸν ὅρκον.
Ὀμνύω Δία, Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν
Ἀρείαν, καὶ τὴν Ταυροπόλον, καὶ τὴν
Μητέρα τὴν Σιπυληνὴν, καὶ Ἀπόλλω
τὸν ἐμ Πάνδοις, καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς
πάντας, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως Σελεύκου
τύχην· ἐμμενῶ ἐν ταῖς συνθήκαις
αἷς συντέθειμαι πρὸς Σμυρναίους
εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον· καὶ διατηρήσω
τήν τε συμμαχίαν καὶ τὴν εὔνοιαν τῷ
βασιλεῖ Σελεύκῳ καὶ τῇ Σμυρναίων
πόλει. Καὶ ἃ παρείληφα παρὰ τοῦ
βασιλέως Σελεύκου διατηρήσω κατὰ δύ-
ναμιν τὴν ἐμὴν, καὶ ἀποδώσω τῷ βασι-
λεῖ Σελεύκῳ. Καὶ οὐθὲν παραβήσομαι
τῶν κατὰ τὴν ὁμολογίαν, οὐδὲ μεταθήσω
ἐπὶ τὸ χεῖρον τὰ γεγραμμένα ἐν αὐτῇ
οὔτε τρόπῳ οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ. Καὶ
πολιτεύσομαι μεθ' ὁμονοίας ἀστασιά-
στως κατὰ τοὺς Σμυρναίων νόμους καὶ τὰ
ψηφίσματα τοῦ δήμου. Καὶ συνδιατη-
ρήσω τήν τε αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν
καὶ τ' ἄλλα τὰ ἐπικεχωρημένα Σμυρ-
ναίοις ὑπὸ τοῦ βασιλέως Σελεύκου μετὰ
πάσης προθυμίας ἐμ παντὶ καιρῷ.
Καὶ οὔτε αὐτὸς ἀδικήσω αὐτῶν οὐθένα, οὔτε
ἄλλῳ ἐπιτρέψω οὐθενὶ κατὰ δύναμιν τὴν

arbitratu Populi) ab eo tempore quo Fœdus sigillatum fuerit, in tempus semestre. Conducito autem publici ærarii Præfectus cum Ducibus ædes illas, datâ pensione ex urbis proventibus. Juranto vero qui Magnesiæ sunt incolæ, tam equites & pedites in urbe & castris dispositi quam ceteri in hanc administrationis formulam admissi, juramentum hujusmodi: Juro per Terram, Solem, Martem, Minervam, Martiam Dianam, Matrem Sipylenem, Apollinem in Pandis, & reliquos Deos Deasq; omnes & per Regis Seleuci Fortunam; stabo pactis conventis quæ inivi cum Smyrnæis in perpetuum, & observabo belli societatem & benevolentiam Regi Seleuco & Smyrnæorum Civitati. Et quæ accepi à Rege Seleuco tuebor pro viribus meis, & reddam regi Seleuco. Et nihil eorum quæ in Fœdere sunt transgrediar, neque in pejus pervertam quæ in eo conscripta sunt, neque immutatione neque ullo commento. Vitam civilem institutam animo concordi, à dissidio vacans, juxta Smyrnæorum leges & decreta Populi; & simul conservabo Libertatem & Statū Popularem & cetera quæ indulta sunt Smyrnæis à Rege Seleuco, summa animi promptitudine, idque perpetuo. Neque ipse eorum quempiam injuriâ lacessam, nec alteri cuipiam id facere permit-

 tam,

tam, pro viribus nempe meis. Et si quem insidias aut Civitati aut Civitatis castellis struentem animadverto, aut Libertatem & Statum Popularem impugnantem, indicabo populo Smyrnæo, & opem certatim feram, idque summo studio, neque eum deseram, quantum in me fuerit. Si sanctè hæc servavero, bene mihi sit; si pejeravero, exitium & mihimet ipsi & posteris meis. Smyrnæi verò juranto iis, qui è Magnesia advenerint, juramentū hujusmodi. Juro per Terram, Solem, Martem, Minervam, Martiam, Dianam, Matrem Sipylenem, Venerem Stratonicidem, & reliquos Deos Deásque omnes; stabo pactis conventis quæ inivimus cum Magnesiæ incolis, equitibus scilicet & peditibus tam in urbe quam in castris dispositis & ceteris in hanc administrationis formulam admissis, in tempus perpetuum. Nihil transgrediar eorum quæ in Fœdere sunt, neqꝫ in pejus pervertam in illo conscripta, neque arte, neque commento aliquo. Et benevolus ero Seleuco Regi & Magnesiæ incolis, tam iis qui in urbe quam qui in castris dispositi sunt, & ceteris, qui in Magnesia habitant, liberis scilicet & Græcis; & faciam eos omnes, itemque qui ex iis nati fuerint, cives pari undiquaq; cum ceteris civi-

ἐμαυτόν. Καὶ ἐάν τινα αἰσθάνωμαι ἐπιβουλεύοντα τῇ πόλει ἢ τοῖς χωρίοις τῆς πόλεως ἢ τὴν δημοκρατίαν ἢ τὴν ἰσονομίαν καταλύοντα, μηνύσω τῷ δήμῳ τῷ Σμυρναίων καὶ βοηθήσω ἀγωνιζόμενος μετὰ πάσης φιλοτιμίας καὶ οὐκ ἐγκαταλείψω κατὰ δύναμιν τὴν ἐμαυτοῦ. Εὐορκοῦντι μέν μοι εὖ εἴη· Ἐφιορκοῦντι δὲ, ἐξώλεια καὶ αὐτοῦ καὶ γένει τῷ ἐξ ἐμοῦ. Ὀμόσαι δὲ καὶ Σμυρναίους τοῖς ἀπὸ Μαγνησίας τὸν ὅρκον τόνδε. Ὀμνύω Δία Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν, καὶ τὴν Ταυροπόλον, καὶ τὴμ μητέρα τὴν Σιπυληνὴν, καὶ Ἀφροδίτην τὴν Στρατονικίδα καὶ τοὺς ἄλλους Θεοὺς πάντας καὶ πάσας. ἐμμενῶ ἐν ταῖς συνθήκαις αἷς συνεθέμεθα πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίᾳ κατοίκους τούς τε κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ πεζοὺς καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὑπαίθροις τασσομένους καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς καταχωριζομένους εἰς τὸ πολίτευμα εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον, οὐθὲν παραβαίνων τῶν κατὰ τὴμ ὁμολογίαν, οὐδὲ μεταθεὶς ἐπὶ τὸ χεῖρον τὰ γεγραμμένα ἐν αὐτῇ οὔτε τέχνῃ οὔτε μηχανῇ οὐδεμίᾳ· καὶ εὐνοήσω καὶ βασιλεῖ Σελεύκῳ καὶ τοῖς ἐκ Μαγνησίας κατοίκοις, τοῖς τε κατὰ πόλιν καὶ τοῖς ὑπαίθροις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς οἰκοῦσιν ἐμ Μαγνησίᾳ, ὅσοι εἰσὶν ἐλεύθεροί τε καὶ Ἕλληνες καὶ ποιήσομαι αὐτοὺς πολίτας πάντας καὶ τοὺς ἐγγόνους αὐτῶν ἐφ᾽ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ τοῖς ἄλλοις πολίταις. Καὶ εἰς φυλὰς αὐτοὺς ἐπικληρώσας καταχωριῶ εἰς ἣν ἂν ἕκαστοι λάχωσιν.

σιν· καὶ οὔτε αὐτοὺς ἀδικήσω αὐτῶν οὐθένα, οὔτε ἄλλῳ ἐπιτρέψω οὐθενὶ κατὰ δύναμιν τὴν ἐμήν· καὶ ἐάν τινα αἰσθάνωμαι ἐπιβουλεύοντα αὐτοῖς ἢ ἐκγόνοις αὐτῶν ἢ τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῶν, μηνύσω ὡς ἂν τάχιστα δύνωμαι καὶ βοηθήσω μετὰ φιλοτιμίας· καὶ μετουσίαν αὐτοῖς δώσω τῶν τε ἀρχείων καὶ τῶν ἄλλων τῶν κοινῶν τῆς πόλεως ὧν καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται μετέχουσιν. Ευορκοῦντι μὲν μοὶ εὖ εἴη, ἐφιορκοῦντι δὲ ἐξώλεια καὶ αὐτῷ καὶ γένει τῷ ἐξ ἐμοῦ. Αποδειξάτωσαν δὲ Σμυρναῖοι καὶ οἱ ἀπὸ Μαγνησίας ἄνδρας ἑκατέρωθεν ὅσους ἂν ἑκάτεροι ὑπολαμβάνωσιν ἱκανοὺς εἶναι τοὺς ὁρκιοῦντας τὸ πλῆθος τῶν τε ἐν Σμύρνῃ καὶ τῶν ἐμ Μαγνησίᾳ· οἱ δὲ προνοείτωσαν κελεύοντες τῇ προτέρᾳ ἡμέρᾳ, ἐνδημεῖν τοὺς ἐν τῇ πόλει ὡς τοῦ ὅρκου συντελεσθησομένου τοῦ κατὰ τὴν ὁμολογίαν. Ορκιζέτωσαν δὲ τὸν ὅρκον τὸν ἄνω γεγραμμένον οἱ μὲν ἐκ Μαγνησίας ἀποδειχθέντες Σμυρναίους· οἱ δὲ ἐξ Σμύρνης τοὺς ἐμ Μαγνησίᾳ. Τὰ δὲ ἱερεῖα τὰ εἰς τὰ ὁρκωμόσια ἐν Σμύρνῃ ἑτοιμασέτω ὁ Καλλῖνος ἀφ᾽ ὧν ἂν ψηφίσηται ὁ δῆμος. Εν δὲ Μαγνησίᾳ οἱ ταμίαι οἷς ἂν τὸ πλῆθος τάξῃ. Αναγραψάτωσαν καὶ τὴν ὁμολογίαν ἐν στήλαις ἑκάτεροι. Τὰς δὲ ἀνατιθέτωσαν Σμυρναῖοι μὲν ἐν τῷ τῆς Αφροδίτης Στρατονικίδος ἱερῷ, καὶ ἐμ Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ

bus jure. Et in tribus eos sorte distribuam, atque in eam admittam quam unusquisque sortitus fuerit. Eorum neminem injuriâ lacessam, neque alteri cuipiam id facere permittam pro viribus meis. Et si quem animadvertero sive ipsis, sive eis qui ex ipsis nati fuerint, aut possessionibus eorum insidias struentem, indicabo quam primum potero & studiose opem feram. Et participes eos faciā tum magistratuū tum rerum ceterarū in civitate publicarū quarū reliqui cives participes sunt. Si hæc sancte servavero, bene mihi sit; si pejeravero, exitium & mihimet ipsi & posteris meis. Designanto porro tum Smyrnæi tum Magnetes alterutrinque quot idoneos fore alterutri existimaverint ad plebem tum in Smyrna tum in Magnesia adjurandam. Hi vero pridie edicto caveant, ut in urbe hæc maneat donec juxta Fœdus juramentum perficiatur. Adjuranto autem jam descripto juramento ii quos designaverint Magnetes, Smyrnæos. A Smyrnæis vero designati, Magnesios. Victimas ad sacra juramenti præstanda in Smyrna præparet Callinus, unde decreverit populus. In Magnesia autem, præfecti quibus id præceperit plebs. Perscribunto etiam Fœdus in colum-

nis

nis utrique. Has vero conſecranto Smyrnæi tum in Veneris Stratonicidis fano, tum Magneſiæ ad Mæandrum in fano Dianæ Leucophryenæ. Qui vero Magneſiam incolunt, in foro ad aram Bacchi, & ad Regum ſtatuas, & in Pandis in fano Apollinis, & in Grynæo in Apollinis fano. Deſcribito autem actorum Senatus Populique cuſtos exemplaria Fœderis in Archivum publicum. Inſuper ſigillanto Fœdera; id ſcilicet quod ad Smyrnæos dabitur, ii qui à Communi Magneſiæ deſignati fuerint, tum ſuis ſigillis, tum eo quod Communi eſt. Id vero quod dabitur in Magneſiam, ſigillanto Smyrnæi & Duces & Quæſitores tum Civitatis ſigillo, tum ſigillis ſuis. Atque hæc ab alterutra plebe perimplentor cum Bona Fortuna.

ἐν τῷ τῆς Ἀρτεμίδος τῆς Λευκοφρυηνῆς ἱερῷ. Οἱ δὲ ἐμ Μαγνησίᾳ κάτοικοι ἔντε τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τοῦ Διονύσου, καὶ τὰς τῶν βασιλέων εἰκόνας, καὶ ἐμ Πάνδοις ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἐγ Γρυνέῳ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος. Ἀναγραψάτω δὲ καὶ ὁ γραμματοφύλαξ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τὰ ἀντίγραφα τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ δημόσιον. Συνσφραγισάσθωσαν δὲ τὰς ὁμολογίας τὴμ μὲν Σμυρναίοις δοθησομένην οὓς ἂν ἀποδείξῃ τὸ κοινὸν τῶν ἐμ Μαγνησίᾳ, τοῖς τε ἑαυτῶν δακτυλίοις καὶ τῷ ὑπάρχοντι κοινῷ· τὴν δὲ εἰς Μαγνησίαν δοθησομένην σφραγισάσθωσαν Σμυρναῖοι οἵτε στρατηγοὶ καὶ οἱ ἐξετασταὶ τῷ τε τῆς πόλεως δακτυλίῳ καὶ τοῖς αὐτῶν. Ταῦτα δὲ ἀμφοτέροις τοῖς πλήθεσιν συντετελέσθω Τύχῃ τῇ Ἀγαθῇ.

Smyrnæorum

Smyrnæorum Decretum quod Fœdus *subsequutum est.*

Ἔδοξεν τῷ δήμῳ στρατηγῶν γνώμη. Ἐπειδὴ πρότερον ὁ δῆμος ὑπὲρ ἁπάντων τῶν τοῦ βασιλέως Σελεύκου συμφερόντων διετέλει, καὶ πρότερον τήν τε βασιλείαν αὐτοῦ συναύξων καὶ τὰ πράγματα διατηρῶν καθ' ὅσον ἦν δυνατὸς, καὶ πολλὰ μὲν περιεῖδεν ἀπολλύμενα καὶ καταφθειρόμενα τῶν ὑπαρχόντων, πολλοὺς δὲ ὑπέμεινε κινδύνους ἕνεκεν τοῦ διατηρῆσαι τὴν φιλίαν τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Σέλευκον, καὶ νῦν φιλοτιμούμενος αὐτῷ συνδιατηρῆσαι καὶ συνέχειν τὰ πράγματα καθ' ὅσον ἐνδεχόμενόν ἐστιν, τήν τε πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίᾳ κατοίκους καὶ τοὺς ὑπαίθρους ἱππεῖς καὶ τοὺς πεζοὺς στρατιώτας καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς οἰκοῦντας ἐμ Μαγνησίᾳ, συντεθεῖται φιλίαν, ἵνα διαφυλάσσωσιν τὴν συμμαχίαν καὶ τὴν εὔνοιαν τῷ βασιλεῖ Σελεύκῳ· νομίζων δὲ ἀναγκαῖον εἶναι τῇ πόλει παραλαβεῖν καὶ τὸ χωρίον Παλαιμαγνησίαν καὶ ποιήσασθαι τὴν φυλακὴν δι' αὐτοῦ, ἵνα καὶ τούτου παραληφθέντος ὑπὸ τῆς πόλεως ἀσφαλέστερον διαμένῃ πάντα τὰ συνεγγὺς πράγματα τῷ βασιλεῖ Σελεύκῳ, διεπέμψατο πρὸς τοὺς οἰκοῦντας ἐν τῷ χωρίῳ, καὶ παρεκάλεσαν αὐτοὺς αἱρεῖσθαι τὴν φιλίαν τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Σέλευκον, καὶ

Placuit Populo, Ducum consilio. Postquam Populus universis Seleuci Regis commodis constanter prospexerit, tum imperium ejus olim promovendo, tum majestatem ejus conservando in quantum potis erat, & possessionum suarum multas circumspexerit deperditas & vastatas, multa item sustinuerit pericula ex eo quod conservavit amicitiam cum Rege Seleuco, quin nunc etiam summo contendens studio ejus conservare & tueri majestatem, in quantum possibile est, amicitiam iniverit cum Magnesiæ incolis, tum qui in castris sunt equitibus & peditibus militantibus, tum ceteris qui Magnesiam habitant, ut nempe belli societatem & benevolentiam Regi Seleuco observent; perpendens vero necessarium esse Civitati, recipere etiam Castellum Palæmagnesiam, & præsidium in eodem collocare, ut scilicet hoc etiam recepto commodius firmarentur omnes quæ vicinæ sunt res Regi Seleuco, miserit ad castelli incolas & invitârit eos ad amplexandam amicitiam cum Rege Seleuco, & claves

ves tradendas Præfecto à Populo miſſo & excipiendum præſidium quod cum eis ſimul conſervaret caſtellum Regi Seleuco; pollicitus ſi hæc facerent, fore eis & à civitate, & à Rege Seleuco omnimodam benevolentiam & favorem; caſtelli autem incolæ amicitiam erga Regem Seleucum ſummâ animi alacritate amplexati aſſenſum præbuerint iis quæ à populo præſcripta ſunt, & tum claves tradiderint Præfecto à populo miſſo, tum præſidium à civitate receperint in caſtellum; cum Bona Fortuna cenſeri, Cives eos fore, & ad eos eadem ipſa pertinere quæcunque etiam ad ceteros cives pertinent; quinetiam prædia eorum bina, tam illud ſcilicet quod Deus & Soter Antiochus eis conceſſit quam illud de quo Alexander ſcripſit, fore eis decimarum immunia; & ſi acceſſerit regio, quam occupant priſtini Magneſiæ incolæ Civitati noſtræ, fore eis prædia illa tria ſine onere, & libertatem eis firmari eandem quam nunc obtinent. Quotquot vero eorum ſunt quibus prædia nondum aſſignantur, traditum iri eis prædium equeſtre, ſine onere, ex eis qui caſtello adjacent. Fore item Timoni & peditibus ſub Timone diſpoſitis, qui nempe ab acie

καὶ παραδοῦναι τὰς κλεῖδας τῷ ἄρχοντι τῷ ἀποσταλέντι ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ παραδέξασθαι φυλακὴν τὴν συνδιατηρήσουσαν μετ' αὐτῶν τὸ χωρίον τῷ βασιλεῖ Σελεύκῳ, ἐπαγγελλόμενος, ταῦτα ποιησάντων αὐτῶν, ὑπάρξειν αὐτοῖς παρὰ τῆς πόλεως πάντα τὰ φιλάνθρωπα καὶ καλῶς ἔχοντα· Οἱ δὲ οἰκοῦντες ἐν τῷ χωρίῳ ἑλόμενοι τὴν φιλίαν τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Σέλευκον μετὰ πάσης προθυμίας προσεδέξαντο τὰ ἀξιούμενα ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ τάς τε κλεῖδας παραδεδώκασι τῷ ἄρχοντι τῷ ἀπεσταλμένῳ ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ τὴν φυλακὴν τὴν παρὰ τῆς πόλεως παρεδέξαντο εἰς τὸ χωρίον· Αγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι, πολίτας τε αὐτοὺς εἶναι καὶ ὑπάρχειν αὐτοῖς τὰ αὐτὰ ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις πολίταις ὑπάρχει· καὶ τούς τε κλήρους ἑαυτῶν τοὺς δύο, ὅντε ὁ Θεὸς καὶ Σωτὴρ Αντίοχος ἐπεχώρησεν αὐτοῖς καὶ περὶ οὗ Αλέξανδρος γεγράφηκεν, εἶναι αὐτοῖς ἀδεκατεύτους· καὶ ἐὰν προσορισθῇ ἡ χώρα ἣν ἔχουσιν οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίᾳ κάτοικοι τῇ πόλει τῇ ἡμετέρᾳ, ὑπάρχειν αὐτοῖς τοὺς τρεῖς κλήρους δωρεὰν, καὶ τὴν ἀτέλειαν αὐτοῖς μένειν τὴν νῦν ὑπάρχουσαν· καὶ ὅσοι αὐτῶν ἀκληρούχητοι, δοθῆναι αὐτοῖς κλῆρον ἱππικὸν δωρεὰν, τῶν παρακειμένων τῷ χωρίῳ. Υπάρχειν δὲ καὶ Τίμωνι καὶ τοῖς πεζοῖς τοῖς τεταγμένοις ὑπὸ Τίμωνα τοῖς ἀποταχθεῖσιν ὑπὸ τῆς φάλαγγος ἐπὶ τὴν

φυλα-

φυλακὴν τοῦ χωρίου τήν τε πολιτείαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀτέλειαν καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει· καὶ εἶναι αὐτοὺς ἐν τῷ χωρίῳ. Ὑπάρχειν δὲ καὶ Ὠμάνει καὶ τοῖς Πέρσαις τοῖς ὑπὸ Ὠμάνην καὶ τοῖς ἀπὸ Σμύρνης ἀποσταλεῖσιν ἐπὶ τὴν φυλακὴν τοῦ χωρίου, Μενέκλει τε καὶ τοῖς ὑπ' αὐτὸν τασσομένοις τήν τε πολιτείαν καὶ τ' ἄλλα φιλάνθρωπα ἃ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐκ Μαγνησίας. Εψήφισαι καὶ προνοῆσαι τὸν δῆμον ὅπως αὐτοῖς δίδωται ἐκ βασιλικοῦ τάτε μετρήματα καὶ τὰ ὀψώνια τ' ἄλλα ὅσα εἰώθει ἐκ βασιλικοῦ δίδοσθαι αὐτοῖς. Τὸ δὲ ψήφισμα τόδε ἀναγράψαι εἰς τὰς στήλας τὰς ἀνατεθησομένας ἐν τοῖς ἱεροῖς ὑπό τε τοῦ δήμου καὶ τῆς ἐκ γερουσίας Μαγνησίας, ἀναγέγραφθαι δὲ αὐτὸ καὶ ἐν τοῖς δημοσίοις.

selecti sunt ad custodiam castelli, idem jus civitatis & eandem immunitatem quam alii obtinent; & permansuros eos in castello. Fore item Omani, & Persis sub Omane, & eis qui à *Smyrna* ablegati sunt in præsidium castelli, & Menecli & eis qui ei subjiciuntur, idem jus civitatis atque eandem benevolentiam quæ & ceteris Magnetibus. Decretum etiam est, populum prævisurum, uti eis præbeantur, ex Fisco, demensa & annona, atque alia quæcunque ex Fisco præberi eis solita. Hoc vero Decretum, descriptum iri in columnis quæ sacrabuntur in fanis tum à populo tum à *Senatu* Magnetum. Quin & idem descriptum iri in archivis publicis.

Digitized by Google

De Seleuco Callinico; cujus Majestatis tuendæ gratiâ Fœdus inter Smyrnenses & Magnesios fuit initum.

SEleucus Callinicus Seleuci Nicanoris omnium Alexandri successorum felicissimi pronepos fuit, post eumque tertius Syriæ, Babyloniæ, omnibusq; aliis Asiæ Provinciis, [a] quæ erant à mari Ægéo usque ad Indum fluvium imperavit. Seleuci enim Nicanoris (à quo qui ei successerunt Seleucidæ dicebantur) [b] filius erat Antiochus Soter, qui Stratonicem, quæ in Marmore Θεὰ dicitur, [c] patris Seleuci uxorem ab eo in remedium morbi, quem ex illius amore contraxerat, acceptam duxit, ex eaque genuit [d] Antiochum, [e] impiâ Milesiorum adulatione Θεὸς, i. e. *Deus* cognominatum, qui [f] pater erat Seleuci Callinici, cujus gratiâ Fœdus hoc in Marmore exaratum inter Magnesios & Smyrnenses initum fuit. Hujus mater erat [g] Laodice, & præter Seleucum peperit etiam Antiochum [h] Hieracem cognominatum. Sed Antiochus [i] cum post grave & diuturnum bellum cum Ptolomæo Philodelpho Ægypti Rege gestum, illius tædio defatigatus cœperit pacem optare, ut eam felicius consequeretur, demissâ Laodice Berenicen Ptolomæi filiam cum ingenti dote in uxorem accepit, de quibus nuptiis [l] Hieronymus interpretatur Prophetiam illam Danielis, [m] *Post finem annorum fœderabuntur, filiaque Regis Austri veniet ad Regem Aquilonis facere amicitiam.* Antiochus enim Aquilonis, & Ptolomæus Austri reges fuere. [n] Sed Ptolomæo non diu post has nuptias defuncto, Antiochus Berenice iterum demissâ Laodicem priorem uxorem recipit, quæ contumeliæ memor, & viri inconstantiam verita, eum, quum in Regiam reducta fuerat, [o] veneno tollit, filiumque suum majorem Seleucum Callinicum in patris loco Regem constituit, [p] qui, quam subito in regno stabilitus fuerat, illius auspicia à parricidio exorsus Berenicen novercam suam cum parvulo ejus filio jubet occidendam: ea autem periculi admonita Daphnem fugâ elabitur, ibique clausis portis obsidionem patitur: quo Asiaticis civitatibus nunciato, omnes, exceptâ solâ Smyrnâ, quæ in fide erga Seleucum constantissime manebat, hoc indigne ferentes ei auxilia misere. Frater etiam Ptolomæus Evergetes, qui Philadelpho in Ægypto successerat, periculo sororis exterritus, relicto regno cum omnibus viribus advolat. Sed Berenice ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumventa cum infantulo filio trucidatur, ut prædictum fuit [q] à Daniele, *Non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus, & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam juvenes ejus.* [r] Indigna res omnibus visa, maxime vero civitatibus quæ defecerant, quæ omnes, audito tam horrendo facinore, in illius vindictam se Ptolomæo tradunt, qui cum ingenti exercitu, sororis cædem ulturus Seleuci, Provincias invadit, [s] Laodicen captam interficit [t] totamque Syriam, Ciliciam, omniaque trans Euphratem usque ad Babylonem, & Seleuciam occupat, totoque regno Seleucum exuisset, si non in Ægyptum domesticâ seditione esset revocatus. Eâ igitur redire [u] coactus, constitutis præfectis in iis Provinciis quas occupaverat, ingentem prædam direpto undique Seleuci regno secum abducit, Argenti scilicet 40 millia Talentorum, vasa pretiosa, & simulacra deorum ad duo millia quingenta, in quibus erant & illa, quæ Cambyses captâ Ægypto in Persiam portaverat. Atque ideo de hac expeditione Hieronymus bene interpretatur illud Danielis, *Et stabit de germine radicum ejus plantatio,* [x] *& veniet cum exer-*

[a] Appian. in Syriacis. [b] Euseb. Chron. Appian. in Syriacis, aliique. [c] Appian. ib. Val. Max. lib. 5. c. 7. Plut. in Demetrio. Lucian. in Dea Syra Galenus [illegible]. Julianus in Misopogone. [d] Appian. ib. [e] App. ib. [f] App. ib. Hieronymus in notis ad 11. cap. Danielis. Justin. lib. 27. aliique. [g] Appian. Justin. & Hieronym. ib. Strabo lib. 16. [h] Justin. ib. Strabo lib. 16. [i] Hieronymus in Dan. cap. 11 [l] Ib. [m] Cap. 11. com. 6. [n] Hieronom. ib. [o] Appian. in Syriacis. Hieron. ib. Val. Max. lib. 9. c. 14. Plin. l. 7. c. 12. Solin. cap 1. [p] Justin. lib. 27. Hieronym. & App. ib. Val. Max. l. 9. c. 10. Polyænus Stratagem. l. 8. [q] c. 11. com. 6. [r] Justin. ib. [s] Appian. in Syriacis. [t] Appian. ib. Justin. lib. 27. Hieronymus in Dan. cap. 11. Polyb. lib. 5. Polyænus Stratagem. lib. 8. Joseph. lib. 2. contra Apionem. [u] Hieronym. in Dan. c. 11. [x] Cap. 11. com. 7.

citu, & ingredietur provinciam Regis Aquilonis, & abutetur eis, & obtinebit insuper & Deos eorum & sculptilia, vasa quoque pretiosa auri & argenti captiva ducet in Ægyptum. [y] Post discessum Ptolomæi Seleucus in Seleucidem maritimam Syriæ regionem profectus, ingentem ibi præparat classem civitatibus, quæ defecerant, bellum illaturus. Sed cum omnia parata essent, ortâ repente tempestate, tota classis cum eaque omnes copiæ, exceptis perpaucis qui cum Seleuco evaserunt, naufragio periere. Rem miseram dicit Justinus, sed Seleuco optandam, siquidem civitates, quæ odio illius ad Ptolomæum transierant, veluti Diis arbitris sibi satisfactum esset, repentinâ animorum mutatione in naufragii misericordiam versæ imperio se ejus restituunt; inter quas una erat Magnesia, quæ erga Seleucum deinde facta propensior, sequente anno, cum [z] secundam expeditionem in Seleucidem fecisset, aliamque ibi parasset classem Ptolomæum invasurus, cum Smyrnensibus fidelissimis illius partium fautoribus de ejus Majestate contra quoscunque hostes conservandâ hoc Fœdus iniit, quod in Marmore exaratur. [a] Eventus autem hujus secundæ expeditionis à Seleuco susceptæ æque ac prioris infelix fuit: prælio enim victus, non multo quam post naufragium comitatior trepidus Antiochiam confugit; inde per literas Antiochi fratris auxilium implorat, oblatâ ei Asiâ intra Taurum pro lata ope. Ptolomæus igitur hoc cognito, ne cum duobus eodem tempore dimicaret, in annos decem pacem cum Seleuco facit; [b] sed pax ab hoste data interrumpitur à fratre, qui quamvis puer adhuc esset tantum 14 annos natus, supra modum regni avidus, ut illud sibi totum arriperet, iisdem copiis, quas frater in auxilium implorabat, ei bellum infert, insignemque obtinet victoriam Gallorum virtute, quos circa illud tempus in Asiam primo profectos mercenarios habuit. Hi autem prædæ assueti, cum nunciatum esset Seleucum in prælio occubuisse, contra alterum etiam fratrem, pro quo modo vicerant, arma vertunt, ut exstinctâ omni stirpe Regiâ liberius Asiam popularentur. Antiochus igitur jam perfidiam erga fratrem luens, à militibus suis, ut à latronibus, cogitur semetipsum auro redimere; & mox ab Eumene Pergami rege, qui eum, copiis illius ex superiori prælio adhuc sauciis, invaserat, magnâ clade superatus, totoque regno exutus per multos annos apud Asiæ reges profugus hospitium quærebat, quod cum nullibi tutum invenisset, tandem ad hostem suum Ptolomæum Ægypti regem decurrit, à quo carceri demandatus, dum inde operâ cujusdam meretricis adjutus, quam familiariter noverat, deceptis custodibus elabitur, in fuga à latronibus interficitur. [c] Seleucus interim tot infortuniis defatigatus, Arsacis, qui Parthiam & Hyrcaniam, & Theodoti, qui Bactriam, dum fraterno bello implicitus esset, occupaverant, defectiones, postquam belli aleam [d] cum Arsace semel infeliciter tentasset, ignave tulit, nec aliquid aliud post hæc, quæ circa regni initium gesta videntur, de eo narratum invenimus, nisi [e] quod inter eos qui ad instaurandam Rhodum eo regnante ingenti terræ motu dirutam opes suas contribuere, numeratur. Postquam autem regnasset [f] annos 20, minime in fine regni quam in initio felicior, domesticâ seditione oppressus, [g] dum amisso regno salutem fugâ quæsiverat, equo præcipitatus, circa idem tempus quo frater Antiochus in Ægypto, occubuit. [h] Filii illius erant Seleucus & Antiochus, Seleucus Ceraunus dictus, utpote natu major, primus regnavit, & post eum etiam Antiochus, qui Magnus cognominatus ob bella, quæ cum Romanis gessit, satis celebratur: qui deinde in Syria regnarunt, apud Appianum & Justinum habes successionis ordine numeratos, quos consule. Hæc autem de Seleuco Callinico ut necessaria ad melius intelligenda ea, tum quæ in præcedente habentur Marmore, tum quæ in notis subsequuntur, existimavimus præmittenda.

[y] Justin. lib. 27. c. 2. [z] Vide Marmor. [a] Justin. lib. 27. Strabo lib. 16. [b] Justin. ib. [c] Justin. lib. 41. Appianus in Syriacis. [d] Posidonius apud Athenæum lib. 4. Justin lib. 41. [e] Polyb. lib. 5. [f] Euseb. in Chron. [g] Justin. lib. 27. [h] Appian. in Syriacis. Justin. ib.

Ad *Smyrnæorum* Decreta & Fœdus ab eis & *Magnetibus* percussum.

TAM de Smyrneorum & Magnetum Fœdere ad Seleuci Callinici (qui Antiochus etiam dictus est, Eusebio teste, & Pogon, uti habet Polybius libro 2.) Asiæ propriè ita dictæ & Syriæ Regis majestatem tutius conservandam inito, quam de prævio atq; illo quod subsequitur Decreto, altum est apud scriptores silentium. Res item sub eo gestæ jejunè nimis & perfunctoriè traduntur. Ceterum occasionem unde consilium, quo tum in paciscendo tum in decernendo usi sunt, ortum est, haud difficile forsan fuerit elicere. Nam binæ Regis in Seleucidem (Syriæ regionem maritimam) expeditiones in Decreto prævio memorantur. Etenim ὑπερβάλλει εἰς τὴν Σελευκίδα, bis in eodem Decreto usurpato expeditionem facere in Seleucidem fidenter vertimus, licet fateamur interim τὸ ὑπερβάλλειν ea notione, pro ἐμβάλλειν scilicet, vix reperiri. Sed reperiri tamen non dubito. Diodorus Siculus non diverso sensu ὑπερβάλλειν εἰς τὴν Αἰθιοπίαν dixit. Ἀπὸ τῶν ἀρχαίων (inquit libro 1.) χρόνων ἄχρι Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου προσαγορευθέντος, οὐχ ὅπως, τινὲς τῶν Ἑλλήνων ὑπερέβαλον εἰς Αἰθιοπίαν, ἀλλ' οὐδὲ μέχρι τῶν ὅρων τῆς Αἰγύπτου προσανέβησαν. οὕτως ἄξενα πάντα ἦν τὰ περὶ τοὺς τόπους τούτους καὶ παντελῶς ἐπικίνδυνα. Τοῦ δὲ προειρημένου βασιλέως μεθ' Ἑλληνικῆς δυνάμεως εἰς Αἰθιοπίαν πρώτου στρατεύσαντος, ἐπιγνώσθη τὰ κατὰ τὴν χώραν ταύτην ἀκριβέστερον ἀπὸ τούτων τῶν χρόνων. Eadem hic notione ὑπερβάλλειν usus est qua προσαναβαίνειν & στρατεύειν quæ non aliud significare voluit. Neque enim de privatorum peregrinationibus locutum esse, sed de Imperatorum expeditionibus (utcunque se aliter habet viri docti latina interpretatio) mihi persuasissimum est. Quin res ipsa (pericula scilicet Smyrnæorum urbi agrisque circumjacentibus imminentia, quæ in Decreto memorantur) non modo versioni hujusmodi favet, sed nec aliam admitti debere suadet, quàm ejusmodi in qua eductas à Rege copias intelligamus. Expeditionum vero harum Secunda occasionem Decretis Fœderique præbuit. Atq; ea, puto, erat qua bellum Ptolemæo Evergeti Ægypti Regi non magis feliciter intulit Seleucus, quam civitatibus, quæ defecerant, primo intulerat. Utramque ex Justino seu Trogi Epitomes libro 27. potissimum discimus. A parricidio auspicia regni cœperat Seleucus, Berenice novercâ suâ, Ptolemæi Philadelphi filia & Evergetis Sorore, & parvulo fratri ex ea suscepto, trucidatis. Daphne se clauserat illa, ut cædem, qua dolo circumventa paulo post erepta est, vitaret. Ibi obsidione cingebatur. In sororis auxilium advolans Evergetes ad Babylonem usque (quod scribit Appianus) ascendit; cui etiam Asiæ civitates quamplures, & perpetrati sceleris odio ductæ & crudelitatis exemplo territæ, se tradunt. Adversus has, Evergete domestica seditione revocato, Seleucus ingentem classem comparat. " Sed repente veluti diis ipsis (quæ verba sunt Justini) " parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit. " Nec quicquam illi ex tanto apparatu præter nudum corpus & spiritum, " & paucos naufragii comites residuos fecit. Misera quidem res, sed optanda " Seleuco fuit. Siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transie- " rant, veluti diis arbitris satisfactum fuisset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versæ Imperio se ejus restituunt. " Atque hæc prima, ni fallor, est expeditio cujus heic mentio. Secunda sequitur

"in ejuſdem verbis. "Lætus igitur malis ſuis & damnis ditior redditus, ve- "luti par viribus, bellum Ptolemæo infert; ſed quaſi ad ludibrium tantum "fortunæ natus eſſet, nec propter aliud opes regni recepiſſet quam ut "amitteret, victus prælio non multo quam poſt naufragium comitatior trepidus Antiochiam confugit." Neque vero conjecturæ fidem adeo minuit quod nulla Juſtino Seleucidis heic mentio ſit. Etenim claſſe uſum eſſe Seleucum tam in Secunda quam Prima Expeditione neceſſum eſt ut credamus. Nec fieri potuit ut aliter Ptolemæum laceſſeret, niſi per Judæam aut Arabiam, immenſis itineribus, in Ægyptum permeaſſet, quod nemo ſanus autumet. Solviſſe autem claſſem in utraque, ex portuoſo Seleucidis litore, quod regni clavis erat, ſuadet opportunitas loci, qui tum in civitates quæ defecerant, tum in Ægyptium copias commodiſſimè emittebat. Nec antequam ſe reſtituerant Civitates, aliunde emittere tuto potuiſſe Seleucum veriſimillimum eſt. Id igitur quod in Decreto primo eſt ὑπερβάλλειν εἰς τὴν Σελευκίδα intelligimus, pro eo quod eſt copiis militaribus tam ad navale quam terreſtre bellum inſtructis in Seleucidis littora tranſire. Quod ita bis ſub initiis regni ſui Seleucum feciſſe exiſtimandum eſt. In civitatibus autem Aſiæ quæ fidæ ei ſemper remanſerant, Smyrna fuit; urbs utpote, quæ etiam, Romanis poſtea ſumma rerum potitis, conſtantiſſima fuit, eoque nomine ante alias omnes liberas Aſiæ civitates clariſſima (quod memoratur in excerptis Polybii legationibus 25. & 26.) & θέατρον τῆς Ἑλλάδος, Ἀσίας κόσμος & πρόσχημα, Ioniæ στέφανος, & γῆς ἄγαλμα Ariſtidi, & καλλίστη τῶν Ἰωνικῶν πόλεων Luciano in Imaginibus dicta. In iis vero civitatibus quæ majeſtatem Regis comiter conſervare deſierant, & cum Smyrnæis, vicinis nempe, bellum geſſerant, Magneſia erat; quod ex ipſis Decretis & Fœdere ſatis manifeſto ediſcitur. Poſt ſecundam igitur Seleuci expeditionem clademq; ſecutam, Smyrnæorum (qui à Seleucide quamvis longe diſſiti, Regis tamen malis nimimum implicati erant) Duces, quibus nimirum belli paciſq; jus à populo permiſſum eſt, cum Magnetibus legatione egerunt, ut eorum amicitiâ, tum civium libertati tum Majeſtati Regiæ provide conſuleretur. Aſſentit Populus Magneſius, miſſis etiam legatis ad Smyrnenſem populum qui totius rei fundus factus eſt. Sed civiliter & prudenter quicquid de alterutra expeditione ultra dici potuit, tam in Decretis quam in Fœdere, omiſſum eſt, ne expreſſiori, ſive invidioſæ regii apparatus cauſæ, ſive infelicis exitus memoriâ, aut defectionem Civitatibus aut parricidium Regi oblique exprobrari videretur. Populus autem uterque æquè liber erat ante Fœdus initum, uti etiam populus Palæmagneſius in Decreto, quod Fœdus ſequitur, memoratus. Eo ſcilicet modo liberos fuiſſe ſentio, quo populi, qui, cum ſui Juris ſint, ſuperioris nihilominus majeſtatem comiter conſervare tenentur ad mentem Proculi L. 7. D. de Captivis & Poſtliminio. Neque aliter τὰ πράγματα τῷ βασιλεῖ διατηρεῖν & ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν πραγμάτων heic intelligo quam τὴν ἀρχὴν καὶ δυναστείαν τηρεῖν, quo loquendi genere utitur Polybius aliique Græci pro eo quod eſt Imperium & Majeſtatem conſervare, aut comiter conſervare. De Phraſeos illius vi, Politici & Juriſconſulti obiter. Ipſa vero Fœderis, quod ex eorum genere eſt quæ inæqualia ſunt, formulâ plurimum minuitur Magnetum libertas. Et quod ſpecie Fœdus eſt, revera eis precaria erat ſervitus.

Στρατηγῶν γνώμη. Etiam Pſephiſma Athenienſium de Legatis ad Philippum Regem mittendis, qui de Pactis ſervandis cum eo agerent, archonte Heropytho, apud Demoſthenem oratione de Corona, τῆς βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμη factum eſt; uti illud quod ibi ſequitur πολεμάρχου γνώμη, Polemarchi ſeu Magiſtratus qui bello præerat conſilio. Erant autem στρατηγοὶ, ſeu Duces, quos & Prætores recte dicas, atque etiam Polemarchi (hujus nominis unicus erat apud Athenienſes, Magiſtratus ordinarius; illiuſq; decem) in

in Græcis plerunque rebuspublicis, viri summâ fide & prudentiâ, quibus civitatis Præsidium Custodiaque, atque rei militaris administratio tam pacis quam belli temporibus, veluti ferme dictatoribus, mandabatur. Diserte de hujusmodi magistratibus locutus Aristoteles, Politicorum 6. capite 8, καλοῦσι δὲ inquit, στρατηγοὺς καὶ πολεμάρχους τοὺς τοιούτους, id Genus Magistratus vocant Polemarchos & Strategos. De Strategis item, apud Athenienses atque eorum in legationibus ordinandis (quæ res ad Marmor nostrum spectat) munere, consulas Psephisma in Legatos aliquot, in quibus Antiphon Rhetor erat; quod habetur apud Plutarchum in Antiphontis vita. Sed vide Sigovium de Republica Atheniensium lib. 4. cap. 5.

Θεὸν Ἀντίοχον καὶ θεὰν Στρατονίκην ἵδρυσθαι παρ' ἡμῖν] Antiochum Antiochi Soteris filium, Callinici patrem, Theon, seu Deum dictum passim apud veteres legimus. Cognomen primo sortitus est (sic Appianus in Syriacis) apud Milesios, eo quod Timarchi tyrannide eos liberasset. Sed Stratonicem alibi Deam nuncupatam minime comperio. Sed nec hujus, aut illius apotheoseos vestigium ullum; quæ tamen per ἵδρυσθαι heic innui videtur. Illud autem consecrari vertimus & intelligimus pro eo quod est fanis, delubris, seu καθιδρύμασι, aut statuis, ritu sacro positis, in Deorum album referri. Non dissimili forte ritu, ab eo quo Nicator relatus est ab Antiocho Sotere filio (de qua re Appianus) aut à Smyrnæis Homerus poeta, de cujus apotheosi Strabo lib. 12. & Cicero Oratione pro Archia. Idem honos habitus est ab Atheniensibus Lemni incolis, Seleuco Nicatori & Antiocho Soteri, proavo scilicet & avo Seleuci nostri, quod scribit Phylarchus apud Athenæum libro 6. De Stratonica autem hac, quæ Seleuci Nicatoris indulgentissimi uxor Antiocho Soteri filio, Callinici avo, qui eam efflictim deperibat, concessa est, & de Erasistrati archiatrorum principis, in amore illo tum indagando tum promovendo sagacitate, visendi sunt Plutarchus in Demetrio, Lucianus de Dea Syria, Eusebius in Chronico Græce edito, Appianus, Suidas in Seleuco, Valerius Maximus lib. 5. cap. 7. Erasistrati etiam artificium istud tangit Galenus in περὶ τοῦ προγινώσκειν.

Τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη] Ἔθνη, seu Gentes, pro singularium provinciarum incolis, seu Provincialibus eodem jure utentibus, heic sumitur; non pro integris populorum nationibus. Neq; enim solummodo Regibus & Principibus qui vicinis populis præerant, sed etiam urbibus & singulis provinciis hanc gratiam suam de Asyli jure erga Smyrnæos, merito indicari voluit Seleucus. Omnium enim illorum interfuisse eam scire nemo non videt. Eodem ipsissimo sensu τὸ ἔθνη sæpius habetur apud Marcianum Heracleotem juniorem illum (non τῆς περιηγήσεως autorem) in Periplo; quem libentius heic laudo, ideo quod & urbes clariores, & τὰ ἔθνη, seu Gentes, hac notione sumtas, quæ insulæ majores Britannicæ seculis habuerint vetustioribus, accuratius enumerat cum fluviis, promontoriis & Insulis, idque quod sciam, solus; sed à rerum Nostratium Consarcinatoribus nimium neglectus. De Hibernia ἔχει, inquit, ἔθνη ις'. πόλεις ἐπισήμους ιε'. ἀκρωτήρια ἐπίσημα πέντε, νήσους ἐπισήμους ἕξ, habet Gentes seu Provincias 16. urbes insignes 15. Promontoria insignia 5. Insulas insignes 6. Et de Albione, quam nunc magnam Britanniam appellant, ἔχει δὲ ἐν αὐτῇ, ait, ἔθνη λγ'. πόλεις ἐπισήμους νθ'. ποταμοὺς ἐπισήμους μ'. ἀκρωτήρια ἐπίσημα δ'. χερσόνησον ἐπίσημον ἕνα, κόλπους ἐπισήμους ε'. λιμένας ἐπισήμους γ'. "Continet in se Gentes, seu Provincias 33. "urbes insignes 59. fluvios insignes 40. Promontoria insignia 4. peninsulam insignem unam, sinus insignes 5. Portus insignes 3. Ptolemæo recentior est hic Marcianus. Nam eum citat. Sed vero cum hisce numeris compara Ptolemæi Chorographiam Britanniarum.

Ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης. Aphrodite seu venus Stratonicis, præterquam Tacito, veterum nemini memoratur. Dictum autem à Stratonice puto, non aliter atque Æneis ab Ænea appellata est Venus, cui extruxerunt Trojani

Italiam petentes fana bina, prope Leucadem alterum, alterum apud Actium; quod memorat Dionysius Halicarnassensis lib. 1. Nam rarissima sunt exempla quæ Deos Dealve à personis aliis quam majoribus suis denominatos exhibent, licet quæ à locis sint passim obvia. Et satis obvii sunt etiam novi Dii, ex adulatione spurcissima nati, qui priscis cognomines, ut Pythonice Venus, Themaso Hercules, Julia Juno, & quæ sunt ejusmodi. Videsis Casauboni Animadvers. in Athenæum lib. 6. cap. 14. Hujus autem generis si hæc nostra fuisset, Stratonice Venus, non Stratonicis, qui tantum denominativum est, dicta fuisset. Neque aliam opinor fuisse hanc Venerem quam ipsissimam Deam Syriam, Assyriam seu Hieropolitanam, quam à Stratonice longe ante alia numina cultam satis ostendit Lucianus, ubi illam per insomnium, dum adhuc Nicatori cohabitaret, monitam, Hierapolim se contulisse narrat, templum Deæ instaurasse & per triennium operi assidue, cum Combabo itineris comite, incubuisse. Smyrnæi autem, ut sive Stratonicen ipsam, sive maritos, sive filium, sive nepotem, sive hosce omnes simul demererentur, templo etiam eidem Deæ sacrato, à Stratonice eam non immerito denominabant: obtenso forsan interea (quod in rebus hujusmodi fieri solitum) oraculi imperio, uti etiam Romæ trecentis aut circiter annis postea obtendebant, quod ex Tacito mox ostenditur. Neque omnino obstat quod apud Lucianum non Aphrodite sed Ἥρη & Ἥρη Ἀσσυρίη Assyria Juno numen Hieropolitanum indigitetur. Nam, ut prætermittam notissimam illam Numinum apud Gentium Theologos confusionem, qua eis quæ unius saltem sexus sunt, unitas etiam divinitatis plerunque tribuitur; Hierapolitana Dea non minus Aphrodite quam Juno nominanda erat; imo potius sane Aphrodite, quod etiam bene norunt Smyrnæi, indigitamentum ejus ad amussim proculdubio ab hierophantis antea edocti quam nomen sacratum evulgarent. Utut enim Junonis Græcorum speciem præ se maxime ferebat, aliarumque quamplurium Dearum quidpiam habebat; cesto etiam seu adumbrandi amoris illecebras tunicâ (nam tunica cestus erat, non cingulum; quod optime docet Nicolaus Rigaltius in Notis ad Onosandrum) induta sedebat. Indumentum autem illud proprium erat (quod ait etiam ipse Lucianus) duntaxat Uraniæ, quæ ipsissima Aphrodite seu Venus est. Κεστὸν, inquit, ἔχει τῷ μούνην τὴν Οὐρανίην κοσμέεται. Atque diserte Plutarchus Hieropolitanam, tam Aphroditem quam Junonem, seu Ἥρην dictum scribit in vita Crassi. Quin Ptolemæus Deam Orientalibus quibuscunque nominibus vocitatam, Aphroditem fuisse ait in secundo Tetrabibli. Hoc autem nomen atque ejusmodi alia Græcorum vocabula Assyriis plane peregrina erant. Iis vero Uraniam hanc Μύλιττα, seu Μύλητα dictam esse testes sunt Herodotus in Clio & Hesychius. Μύλιττα autem Γενέτειραν, seu Genetricem denotat Syris, ut Ἄλιττα pro eodem numine Arabibus etiam, apud Herodotum loco citato, usurpatum. Ita omnia in Venerem conveniunt. Sed de Orientalium Venere, nos plura, in secundo Syntagmate de Diis Syris.

Ἄσυλον εἶναι. Jus igitur Asyli, quo fruebatur Veneris Stratonicidis fanum, magis Callinici Regis beneficium erat quam ex oraculo Apollinis natum. Hoc tamen solummodo ut juris sui argumento usi sunt Romæ, sub Tiberio Imperatore, Smyrnæorum Legati in certamine illo de Græcarum urbium Asylis. Nam ubi, ex Decreto Senatus, civitatum quæ in eo certamine & jura sua & Legatos miserant, aliæ Regum qui, ante vim Romanam, valuerant, sancita, ad Asyla sua firmanda, ediderunt, aliæ autem, quod scribit Tacitus Annalium tertio, obscuris duntaxat ob vetustatem initiis nitebantur; in his Smyrnæos ponit, utpote qui oraculum Apollinis, cujus Imperio Stratonicidi Veneri Templum dicaverant (quæ ejus verba sunt) prætexuere. Obscura scilicet numinis jussa magis quam expressissima hominum sancita, periclitanti causæ patrocinari satis imprudenter existimabant. Sed cautius postea egit Polemon Sophista juris peritissimus. Nam renascente, ὑφ' ὧν ἐν τῇ

Σμύρνῃ

Σμύρνῃ ναῶν, καὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς δικαίων ſeu de fanis Smyrnæorum (quorum is Syndicus erat) fanorumque juribus controverſiâ; orationi illius poſthumæ in judicio ſolum lectæ tanta argumentorum vis inerat, ut ſecundum Smyrnæos decerneret Imperator Antoninus, uti ſcribit in Polemonis vita Philoſtratus. Vix dubitare poſſum quin Aſyli hujus jura in judicium tunc revocata fuerint & regia ſancita (quorum in hoc Decreto mentio eſt) præ futili ſuperſtitione ſub Tiberio neglecta, in legitimas probationes à ſophiſta ritè adhiberentur.

Καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν ἱερὰν καὶ ἄσυλον. Ita non ſolum Fanum ſed & Urbs tota & Deæ ſanctitatis particeps & confugii locus erat. E Fano ſcilicet nemo in jus erat vocandus, nedum rapiendus; ex Urbe, nemo qui vicinis damnum injuriamve intulerat, in deditionem repetendus. Sic ἀσυλίας jus in utroque intelligo. Templa autem aliquot Aſyla, Lucos item, Aras, Statuas, apud veteres non raro habemus. Sed urbem totam aſyli jure potitam eſſe, alibi quam apud Judæos (quibus in hac re caſus erat tantum ſingularis, fortuiti ſcilici homicidii) rariſſimum eſt in ſcriptis veterum. Sed in Titi numiſmatis habetur ΠΑΡΑΙΤΩΝΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ & in Domitiani ΑΔΜΕΔΕΡΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ. Thapſacenorum Civitati idem tribuitur in Trajani; Gabalitarum in Elagabali nummis. Et alia ſunt ejuſmodi. Nonnullis vero ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ reperitur. Ita dicitur Cæſarea in Septimii Getæ nummis. Ita aliæ aliquot. Etiam Senatus Smyrnenſis in Auguſti aliquot ἱερὰ σύγκλητος καὶ ἐλευθέρα vocatur. Sed de Perſicæ Hierocæſarienſium Dianæ Templo & duobus millibus paſſuum tributa inviolabilis perfugii ſanctitate, vide Tacitum annalium tertio. Quin incolas totius inſulæ quæ ſparſis circa Britanniam & olim deſertis proximabat, ἱεροὺς πάντας καὶ ἀσύλους à Britannis habitos ait Demetrius perluſtratum ſub Hadriano Imperatore miſſus, apud Plutarchum libro de Defectu oraculorum. Et, uti Proclus locum Plutarchi intelligit in primo libro ad Platonis Timæum, inſula ipſa cum fuerit ſacra, erat διὰ τοῦτο ἄσυλος ἀνειμένη ὑπὸ τῶν κρατούντων, ideo etiam à principibus, ut aſylum habitum. Samothracia item inſula, ſacra erat & auguſti tota atque inviolati Soli, quod legimus apud Livium Decad. 5. lib. 5. Unde erat, quod Perſeus ultimus Macedoniæ Rex, à Paulo Æmilio victus, inviolatus extitit, uti etiam Plutarchus memorat in Æmilio. Ceterum licentia, quæ in prætexendo per urbes Græcas (in quibus Smyrna) Aſyli jure nimium crebuerat, ſub Tiberio Senatuſconſultis coercita eſt, & modus præſcriptus. Facta, inquit Tacitus, "Senatus conſulta; queis multo cum honore modus tamen præ-"ſcribebatur; juſſiq; ipſis in templis facere aras ſacrandam ad memoriam, neu ſpecie religionis in ambitionem delaberentur. Modus perſonarum qualitati, locorum ſpatio, tempori forte datus. Ita Aſylorum jura per has Civitates tantum innovata erant, minime autem omnia quæ uſquam erant abolita, quod ſatis inconſiderate (ut recte notat Lipſius) Suetonio elapſum eſt in Tiberio cap. 37. Et fruſtra nimis facit Petrus Gambacurta, qui Taciti verba Suetonio non adverſari contendit. Videſis eum de Immunitate Eccleſiarum lib. 1. cap. 17. Gentium autem Fana, ſeu templa, nonnulla tantum aſyla fuere; unde Livius libro 35. fanum lucumque Apollinis Delii ea dicit fuiſſe religione & eo jure ſanctum, quo ſunt templa quæ aſyla Græci vocant. Videſis Strabonem de Neptuni aſylo in Calauria lib. 8. Templum item Meccanum, in Alcorano, aſylum eſt; quod legitur Azoara 1. Sed Chriſtianorum in univerſum omnia, poſt adultum fere Chriſtianiſmum, templa confugis ſalutem præſtabant. Et majeſtatis crimen erat eos abducere, etiam verberibus, tonſurâ, & deportatione luendum. Vide Titulos de his qui ad Eccleſias confugiunt in utroque Codice, & de crimine ſacrilegii in Juſtinianeo; ſanctionem item Theodoſii & Valentiani Concilio Epheſino ſubjunctam. Conſule etiam Petri Ærodii Rerum Judicatarum lib. 1. tit. 9. Atqui præter juris tum Civilis tum Sacri utriuſque Imperii commentarios & varios ſingularium Gentium mores quibus

& firmatum sæpius est & mutatum asylorum in Ecclesiis jus, consulenda est Constitutio nupera Gregorii XIV. Pontificis Romani, qua modus etiam huic juri præscriptus est. Reperitur apud Laertium Cherubinum in Bullarii tomo 2. pag. 694. Quin ea editis Prosperi Farinacii & Petri Gambacurtæ interpretamentis illustratur. Vide item Petri Sarpii de Jure Asylorum librum singularem. Nec vero omnino ingratum forsan fuerit si de singulari Asyli jure, quo etiam in universis suis ædibus gaudebat olim tam Templariorum, dum stetere, sodalitium, quam Hospitalariorum, decisionem Anglicanam, eamque non contemnendam, ex vetusto rerum Hospitalariorum Codice MS. heic obiter adjecero. Maxime cum in Commentariis juris nostri vix reperiatur id genus decisionum vestigium aliquod, sed decisio ejusmodi integra omnino nullibi. Anno Henrici quarti Angliæ Regis decimo, qui vulgaris est Christi 1446. mense Julio, sedentibus pro tribunali Wintoniæ Gulielmo **Hankeford** & Gulielmo **Skrene**, judicibus nempe ad reos, juxta patrium ritum, custodiâ liberandos diplomate principali constitutis, accusatus est furti Johannes **Gore**, qui se minime judicio sistendum esse excipit, sed plane eximendum, eo scilicet quod à domo quadam vi abreptus fuisset, quæ Hospitalariorum utpote possessio, jure asyli potiebatur, uti & eorundem ceteræ; sive quod ipse (ut ipsissimâ juris nostri formulâ, utcunque barbarâ, utar) "pro felonia prædicta fugit ad quandam domum "Prioris & fratrum Hospitalis S. Johannis Jerusalem in Anglia in **Burghton** "vocatam **Spittlehouse**, quæ quidem domus privilegiata existit, sicut ceteræ domus ejusdem privilegiatæ existunt, petendo in eadem domo privilegium hospitalis prædicti. Et dicit quod ipse ab eadem domo per Constabularios villæ prædictæ & alios æmulos suos manu forti contra voluntatem "suam extractus fuit, & petit quod ipse ad domum prædictam restituatur. Adest etiam Hospitalariorum Procurator, qui domum eam fuisse asserit olim Templariorum, & Privilegia Templariis ab Innocentio..., Hospitalariis ab Urbano III. indulta exhibet, "ne quis in illos, qui ad domos eorundem fra-"trum pro salute sua confugiunt, vel in res eorum infra ambitum domorum "ipsarum, manus injiciat violentas. Eos, qui contra fecerint, anathemate feriendos, appellatione omni cessante. Quin privilegio eodem perpetuo à tempore primæ concessionis, tum Templarios tum Hospitalarios (ad quos etiam, extincto sub Clemente V. Pontifice Romano, Templariorum sodalitio, pleraque eorum bona, principum consensu, applicata sunt) ita usos esse, ut si quis criminis cujuscunque, Feloniæ dicti, reus ad eorum domum quamcunq; confugeret, non minus inviolatam ibi pacem sortiretur, quam si ad sanctam Ecclesiam confugisset. Clementis Bulla de applicandis Templariorum bonis habetur in Laertii Cherubini Bullario, tomo 1. p. 149. Ut autem de veritate, ad ritum partium, constaret, evocant è vicinia indices duodecem viros, qui, juramentis præstitis, de privilegii usu pronunciarent. "Hi dicunt super Sa-"cramentum suum quod prædicta domus vocata **Spittlehouse**, nuper fuit in "possessione Prædictorum religiosorum virorum fratrum Militiæ Templi, & "modo in possessione prædictorum nunc Prioris & Fratrum Prædicti Hospita-"lis S. Johannis Jerusalem in Anglia existit. Et quod prædictus Johannes **Gore** "fugit usq; eandem vocatam **Spittlehouse** pro Felonia prædicta, & petiit ibi-"dem privilegium prædicti Hospitalis S. Johannis Jerusalem in Anglia, & in "eadem domo extitit quousque ab eadem domo contrà voluntatem suam per "quosdam æmulos suos manu forti extractus fuit, prout idem Joh. **Gore** supe-"rius allegavit. Et ulterius dicunt super Sacramentum suum, quod tam prædicti "nunc Prior & Fratres Hospitalis prædicti necnon omnes prædecessores sui "Priores & Fratres Hospitalis illius temporibus suis hujusmodi privilegium à "tempore concessionis ejusdem habuerunt & semper hucusque continuarunt, "videlicet quod quilibet homo sive femina ad aliquam domum tam prædicto-"rum fratrum Militiæ Templi tempore suo quam prædictorum nunc Prioris & Fratrum

" Fratrum Hospitalis prædicti ac prædecessorum suorum Priorum & Fratrum " Hospitalis illius temporibus suis pro aliqua Felonia, pro salute sua fugiens " habuit in eadem domo ad quam sic fugit & in qualibet domo domorum præ- " dictarum haberet hujusmodi privilegium & libertatem prout in sacrosancta " Ecclesia tunc temporis pro eodem delicto existeret, prout Willielmus de " Wakefeld (is Hospitalariorum Procurator fuit) pro prædictis Priore & " Fratribus Hospitalis prædicti superius allegavit. Et ulterius dicunt quod " licet aliquis pro salute sua ad aliquam domum domorum prædictarum pro " aliqua felonia in forma prædicta fugiens ab eadem domo extractus fuisset, " ipse semper occasione privilegii prædicti ad hujusmodi domum à toto tem- " pore prædicto restitutus fuit. De restitutione dubitant Judices, unde causa ampliata est etiam in æstivam anni proximi sessionem. Qua, postquam interea à procuratoribus regiis privilegium impugnatum est, & alterutrinque disceptatum, & res, à ceteris etiam qui judiciis præerant, mature est perpensa, secundum reum, Asyli nomine, fertur sententia. Neque hæc sane indigna quæ, formula forensi, interseratur. " Auditis & plenius intellectis tam Recordo prædicto " quam diversis & non modicis legis peritorum rationibus pro Domino Rege " in hac parte factis ac habito prius inde avisamento tam Justitiariorum Domi- " ni Regis in utroque Banco, quam servientium Domini Regis ad legem, " necnon aliorum peritorum de ejusdem Domini Regis consilio per Præfatos " Willielmum Hanckford, & Willielmum Skrene, pro jure Domini Regis in " hac parte salvando ad hoc requisitorum, videtur Justitiariis hic quod præ- " dictus nunc Prior & Fratres Hospitalis prædicti hujusmodi privilegium, " prout ex parte sua in forma prædicta allegatum extitit, habere debeant. Ideo " consideratum est quod prædictus Johannes Gore, ad prædictam domum " prædicti Prioris Sancti Johan. Jerusalem in Anglia vocatam Spittlehouse " in Burghton, ad quam idem Johannes Gore pro felonia prædicta fugit " petendo ibidem privilegium Hospitalis prædicti & extra quam idem Johan- " nes Gore postmodum per Constabularios Villæ prædictæ & alios æmulos " suos manu forti contra voluntatem suam in forma prædictâ extractus fuit, " restituatur. Et restituitur per Vicecomitem Comitatus prædicti. Accusationis, Exceptionis, Ampliationis, & Sententiæ formulam integram olim exscripsimus ex vetusto, quem diximus, Codice qui locupletissimus est rerum ad Hospitalarios spectantium Thesaurus. Sed sub Henrico, Angliæ Rege VIII. legibus in ordinum Comitiis latis antiquata sunt hujusmodi Asylorum jura; & plane apud nos evanuere.

Ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι. Bene ominandi causa ἀγαθῇ τύχῃ & sermocinationibus Græcorum adhiberi & inscriptionibus præfigi solitum esse notissimum est. Haud alia notione quam *quod bonum felix faustumque sit*, *fors fuat*, & quæ sunt ejusmodi Romanis in usu erant. In utroque Decreto heic reperitur & ad extremum Fœderis. Sed non ita multa sunt exempla hujusmodi, in Decretis aut Fœderibus, usus. Vide annuas Atheniensium & Lacedæmoniorum inducias apud Thucydidem lib. 4. Ea τύχῃ ἀγαθῇ τῇ τῶν Ἀθηναίων pactæ sunt. Laconum item Decretum, non dissimili auspicio fit, de Epicteta Grinni filiæ legato, apud Janum Gruterum in Inscriptionibus pag. 217. Etiam pro eo quod est Romanis *quod felix faustumque sit* expresse substituunt Græci Ἀγαθῇ τύχῃ uti habetur apud Appianum lib. 4. de bello Civili. Id καλῶς γένοιτο est Hellenistis Maccabæorum primo cap. 8. 23. Et Donatus ad Terentii Hecyram *fors fuat* usurpari ait, pro *bona fortuna sit*, unde etiam nos, *cum bona fortuna*, verbum verbo reddentes heic vertimus. Pro eodem præfigebant etiam edictis Romani *Bonum factum*, quod videre est (ut testimonia id genus cetera, quæ satis obvia sunt, prætermittam) in reciproco illo mathematicorum edicto de Vitellii nece apud Suetonium cap. 14. Ubi tamen non solum edictorum formulam eos irrisisse puto, sed etiam sive artis suæ, cujus item amantior erat imperator, vocabulis rite servatis ipsis (si Græcè scribebant, quod est satis simile

mile veti) ſive intellectis & indicatis (ſi Latinè) homonymia acrius cum luſigilaſſe. *Bonum factum* (ita latine, ad formulam edicti, noctu ludebant mathematici, poſtquam ejuſmodi formula interdiu eos Italia intra Kalendas Octobris excedere juſſerat) *ne Vitellius Germanicus intra Kalendas Octobris uſquam eßet*, quod græcè ſonaſſet Ἀγαθῇ τύχῃ· Βιτέλλιος ὁ Γερμάνικος ἐντὸς τῶν καλάνδων τῶν τοῦ Ὀκτωβρίου ἀπαλλαγήσεται τοῦ βίου. Homonymia duplex fuiſſe videtur; tum in eo quod tam ſenſu indicativo quam optativo intelligi poſſet τὸ, Ἀγαθῇ τύχῃ, tum quia *Fortuna bona* ſeu Ἀγαθῇ τύχῃ, aut *bonum factum* idem innuens, tam ex artis ritu quam ex edicti formula, petenda erat. Etenim Fortunam, quæ in tota ratione mortalium ſola utramque, ut ait ille, paginam facere exiſtimabatur, ſive Ἀγαθὴν & bonam, ſive κακὴν, φαύλην aut malam nominabant mathematici, prout ſiderum in thematis genethliacis poſitura & τοῦ κλήρου τῆς τύχης ſeu ſortis Fortunæ habitudo prædictionis argumenta ſubminiſtrabant. Neque id ſolum in hominum ſed & urbium & imperiorum thematis obtinebat. Aut igitur infelicem exitum, ἀγαθῆς τύχης *bonæ fortunæ* ſeu *Boni facti* (quod idem eſt) nomine Imperatori, cujus ex themate malam fortunam ſeu exitium compererant, ironia innuebant; aut conſulto ſimul urbis ſeu Imperii Romani themate (uti artis illius præceptis oportet) bonam ex tyranni nece Fortunam imperio, ſolennibus edicti vocabulis, quæ eodem ſono fere, non diſſimili ſenſu, Aſtrologia propria erant, uſi edicebant. Non ſum neſcius interim τὰ ἐπίκτητα ſeu res externas plerunque à Magiſtris, Sorti Fortunæ tributas eſſe. Sed, cum multiplex fuerit ejuſdem Sortis ſignificatio; in vitæ etiam datoribus ſeu aphetis, teſte ipſo Ptolemæo, primarium obtinet locum. Unde prout ſive à locis ſive à ſtellis anæreticis ſeu interficientibus læditur, mortis genus oſtendere putatur. Vide, ſi placet Hermetem in Carpo, Aphoriſmo 78. Et Vettius Valens Antiochenus, Aſtrologus vetuſtus, necdum typis editus, Sortem Fortunæ, quam Κυρίαν σώματος appellat, Lunam, Sortem vero Dæmonis ſeu Genii, Solem (qui eidem Vettio νοῦς καὶ δαίμων κοσμικὸς ὑπάρχει) denotare ait. Hunc igitur τὰ πρακτικὰ ſive res agendas ſeu athla (uti vocat Manilius) tribuit; illi τὰ σωματικὰ ſive quæ ad corpus ſpectant; nimirum Sanitatem, Morbos, Pulchritudinem, necem, & quæ ſunt id genus alia. Ita ſcilicet τῶν Ἀνθολογιῶν ſive Floridorum libro 4. Ubi περὶ διαιρέσεως χρόνων ἐμπρακτῶν καὶ ἀπράκτων agit juxta ſtellarum errantium periodos & ἀφέσεις ſeu in tempora miſſiones, quas vulgus hodie aſtrologorum prorogationes vocat. Adjicit inſuper ibidem caput περὶ χρόνων διαιρέσεως ἀπὸ κλήρου τῆς τύχης καὶ δαίμονος, ſive de rebus Sortibus Fortunæ & Genii aſſignatis. Ἐπὰν οὖν, inquit, σωματικοὺς χρόνους ζητῶμεν, οἷον κλιμακτῆρας καὶ ἀσθενείας ἢ αἱμαγμοὺς πτώσεις, σίνη, πάθη, καὶ ὅσα ποτὲ ἂν ἥκει τῷ σώματι περὶ ῥώσεως, τέρψεως, ἡδονῆς, καλλονῆς, ἐπαφροδισίας, ἀπὸ τοῦ κλήρου τῆς τύχης διεκβαλλόμενοι ζωδιακῶς. Καὶ οὗ ἂν καταλήξῃ ὁ χρόνος, λογιζόμεθα τὸ ζώδιον καὶ τοὺς ἐπόντας ἀστέρας ἢ μαρτυροῦντας, πῶς σχηματίζονται πρὸς τὸν καθολικὸν οἰκοδεσπότην τῶν ἀφετικῶν χρόνων, καὶ πότερον ἐπίκεινται οἱ χρόνοι κατὰ τὸν κλῆρον εἰσὶν ἢ ἐκκεῖνται. Ideoque Ἀγαθὴν τύχην & Ἀγαθὸν δαίμονα velut Deos contubernales habemus apud veteres. Vide Ariſtidis orationem ſacram primam. Et Poema ſic inchoavit Diagoras ille atheos, ſed antequam Deos eſſe negaſſet, Κατὰ δαίμονα καὶ τύχην πάντα τελεῖται. A Dæmone ſeu Genio & Fortuna fiunt omnia; quod memorat Sextus Empiricus adverſus Mathematicos lib. 8. Et Ζαρουὰμ Zaſradi ſeu Zoroaſtri, id eſt Magorum ſcholis, Fortuna dicta eſt adeoque τῶν πάντων ἀρχηγὸς, uti habet Theodorus Mopſueſtiæ libro περὶ τῆς ἐν Περσίδι μαγικῆς apud Photium codice 81. Obiter autem alia quæ apud Vettium noſtrum habet Necepſo, qui Ægypti Rex ante annos 2300. ſcripſit, de Sorte Fortunæ ſubjungimus. Neque gratiam nos inde non inituros putamus non ſolum cum iis qui divinatricem illam artem fruſtra nimis venditant, ſed etiam cum illis qui ſobrie

phi-

philosophantes,& reverenter prisca indagando artium qualiumcunque sive deperditarum sive fugientium vestigia satagunt. Vettius, Floridorum primo, ad Felicitatem seu Infelicitatem nati dignoscendam, locum ejus ait ἀναγκαιότατον καὶ δυναστικόν. Et, ut sententiam firmet, Necepsonis Regis librum 13. citat. Ita inquit, καὶ ὁ βασιλεὺς ἐναρχόμενος ἐν τῇ ιγ΄. βίβλῳ μυστικῶς ἐδήλωσε λέγων ἐπιχρωμένως δεήσει τῆς ἡμέρας γινομένης (lege γινωμένοις) σαφῶς ἀριθμεῖν ἀπὸ ☉ ἐπὶ Σελήνην· πάλιν δὲ ἀφορῶν (depravatum esse puto ex ἀφ' ὡροσκόπου, qui abbreviante figura ex literis duabus primis & π interdum adjecta, conscribi solitus est; nisi ἀφ' ὁρῶν pro eodem illum usurpasse malles) ἰσότητα τάσσειν καὶ τὸν ἀποβάντα τόπον συνορᾶν ὅπου τετύχηκεν ἀστέρας, καὶ τίς ἢ τίνες ἐπὶ τούτων φέρονται· ταῦτα □ ἢ Δ παντάπασιν ὡς κατηστέρηται. Ἐκ γὰρ τοῦ δὲ τοῦ τῶν τόπων συγγνώσεως πρόδηλον κρίνειν τῶν γινομένων τὸ πρᾶγμα. Atque eodem modo, ait, Petosiris locum explicat in Definitionibus sive ἐν τοῖς ὅροις. Ὁμοίως δὲ καὶ, inquit, ὁ Πετόσιρις ἐν τοῖς ὅροις ἐδήλωσε τὸν τόπον. Extremo item libro tam ex Petosiride quam ex Necepsone eadem iterat. Et libro 3. caput habet de Sorte Fortunæ, ejusque in Natorum vitæ spatium imperio & legibus. Res ipsa satis futilis est & nugatoria. Sed quoniam ex eodem Necepsonis libro etiam desumuntur quæ de ea tradit, ideoque vetustiora sunt quam quæ alibi omnino legimus de Fortunæ Sortis apud Astrologos interpretatione, & satis à vulgi Scriptorum sententiis diversa, etiam totum caput adjicere visum est,quod nec bonarum literarum studiosis injucundum fore credimus, certe Astrologiæ magistellis pergratum. Lemma hujusmodi est. Περὶ κλήρου τύχης εἰς τὸν περὶ ζωῆς τόπον μεθ' ὑποδείγματος, ἐν ᾧ καὶ τὰ ἐλάχιστα ἔτη τῶν ἀστέρων. Εὗρον δὲ (inquit Vettius ille Valens) καὶ ταύτην τὴν αἵρεσιν περὶ χρόνων ζωῆς, ὑπὸ μὲν τῶν ἀρχαίων ἀναπεπλεγμένην ποικίλως· Αὐτὸς δὲ διὰ πείρας ἀναζητήσας διέκρινα. καὶ οἴομαι μᾶλλον τοῖς πλείστοις ἀρέσκειν. Ἐν γὰρ τῇ ιγ΄. βίβλῳ ὁ βασιλεὺς κατὰ τὸ προοίμιον καὶ τὰς τῶν ζώων διατάξεις, κλῆρον τύχης ἐπιφέρει ἀπὸ ☉ καὶ Σελήνης καὶ ὡροσκόπου ὁ μέγιστον (lege ὃν μέγιστον) περιποιεῖ καὶ ἐν ὅλῃ τῇ βίβλῳ μνημονεύει καὶ κύριον κρίνει τόπον· περὶ οὗ καὶ αἴνιγμα τέθηκε τὸ ἔμπαλιν καὶ ἀνάπαλιν. Καὶ ὁ ἥλιος ἀπὸ τοῦ ἀρχόμενος παντὸς αἰῶνος κύτος παραδίδωσι ἑσπέρου, κύκλον διανύων καθάπερ ὁρᾶται. Νυκτὸς δὲ ἐπερχομένης, οὐ πάντοτε ἡ Σελήνη φωσφοροῦσα τεύξεται, ἀλλ' ὅτε μὲν ἑσπέρας φαίνεται δύεται· ὅτε δὲ ἐπίμονος μέχρι τινὸς μέρους. Ἔσθ' ὅτε δὲ διὰ πάσης τῆς νυκτὸς πορεύεται διόπερ ἀκολούθως ὁλοτελῶς τὸν κύκλον ☉ παρηγγέλκει. Περὶ μὲν οὖν τούτου διανοήματος ἄλλοι ἄλλως φασίν· Ἐμοὶ δὲ ἔδοξεν ἐπὶ μὲν ἡμερινῆς γενέσεως λαμβάνειν ἀπὸ Ἡλίου ἐπὶ Σελήνην καὶ τὰ ἴσα ἀπὸ ὡροσκόπου ἐπὶ Νυκτερινῆς ἐφ' ὅσον μὲν ἡ Σελήνη ὑπέργειος ἐστι, τοῦτ' ἐστι μέχρις οὗ δύνη, ἀπ' αὐτῆς ἐπὶ τὸν ἥλιον λαμβάνειν καὶ τὰ ἴσα ἀπὸ ὡροσκόπου· Μετὰ δὲ τὴν δύσιν ἀπὸ Ἡλίου ἐπ' αὐτήν. τὸ γὰρ ἐπιλέγειν διόπερ ὁλοτελῶς τὸν κύκλον ☉ παρηγγέλκει, τοῦτο δοκεῖ· Σκοπεῖν δὲ δεήσει εἰς ποῖον τόπον ἐξέπεσεν ὁ κλῆρος, καὶ τόπον ἡγεῖσθαι κύριον. ἔπειτα συνορᾶν τὸν τοῦ ζωδίου κύριον ἐν ποίῳ ζωδίῳ τέτυχε, τρίτον δὲ τὸν τούτου οἰκοδεσπότην. Ἐκ τούτων γὰρ τῶν τριῶν τόπων καὶ τῶν τούτων οἰκοδεσποτῶν ὁ βιώσιμος χρόνος εὑρηθήσεται κατὰ τοὺς τρεῖς ὅρους οἷον ἕκαστος τῶν ἀστέρων ἰδίας περιόδους δεσπόζει· ♄ μὲν οὖν ἐτῶν λ΄. ♃ ιβ΄. ♂ ιε΄, ☉ ιθ΄ ♀ η΄, ☿, κ, ☽ κε΄· Ὁμοίως δὲ καὶ ἕκαστος ἰδίων ἀναφορῶν κατὰ κλῆρον· Κατὰ τὸ κλίμα οὖν συγκρίνειν δεήσει πότερον ἐπίκεντρος ὁ κλῆρος καὶ χρηματίζων ἐπαναφερόμενος καὶ ἀποκεκλικώς, καὶ τοὺς τῶν ζωδίων οἰκοδεσπότας καθὼς καὶ ὁ παλαιὸς μέμνηται λέγων πᾶς * ἐπίκεντρος τοὺς ἰδίους χρόνους πλήρεις δίδωσι· ἔκκεντρος δὲ ὅστις ἂν μερίζει λοιπογραφεμένους ἐν τῶν ἰδίων ἀριθμῶν· Μερίζοισι δὲ καὶ τὰς τελείας αὐτῶν περιόδους καὶ τὰς ἀναφορὰς ὅταν καλῶς τύχωσι· Συμμερίζουσι δὲ καὶ οἱ συναιρετικοὶ συμπάροντες ἢ μαρτυροῦντες ἢ ἐν οἰκείοις ζωδίοις τυγχάνοντες εἰ μή τι ἀμφότεραι αἱ αἱρέσεις συμμερίζουσι· Καὶ αὐτὸς δὲ ὁμοίως· Πρότερον δὲ δεῖ λογίζεσθαι τοὺς ἀριθμοὺς· ὥρας· ἡμέρας· μῆνας· εἶτα ἐνιαυτοὺς· καὶ τοῖς τρισὶν ὅροις χρῆσθαι· ἐλαχίστῳ· μέσῳ· τελείῳ. ἐπισυντιθέντας τὸν πρῶτον τῷ δευτέρῳ· ἢ τὸν τρίτον· Πολλάκις γὰρ ὁ δὲ μὲν τόπος ἐμέρισεν ἡμέρας· ὁ δὲ μῆνας· ὁ δὲ ἐνιαυτοὺς· παρὰ τὰς διαφορὰς τῶν χρηματιστικῶν ζωδίων καὶ

τοῦ οἰκοδεσπότου· ἢ τοῦ κακωτικοῦ αἰτίου καὶ ἐναντιώσεων. Προσεπιμερίζουσι δὲ μετὰ τὰ ἔτη καὶ μῆνας, ἰσαρίθμοις τοῖς χρόνοις. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁ ☊ καὶ ὁ ☋ τόπος ἐφέξει τοῦ κλήρου κατὰ τὸν μερισμόν. ὁπότ' ἂν οἱ κληρικοὶ τόποι ἢ οἱ κύριοι παραπέσωσι· μάλιστα ὁπότ' ἂν ὁ κλῆρος τῷ ☊ τὸν μερισμὸν ἐκχωρήσῃ· Καὶ γὰρ οἱ ἀστέρες ἀντιπαραχωροῦσιν ἀλλήλοις. Δηλώσωμεν δὲ καὶ ἐν τῷ περιόντι λόγῳ εἰς τοὺς ἐπιμερισμούς. Ἔστω δὲ ἐπὶ ὑποδείγματος. ☉ ♀ καρκίνος ☾ ☋ ἰχθύες ♄ ♐ ♃ ♈ ♂ ♍ ☿ ♌ ὁ κλῆρος τῆς τύχης καρκίνος. ἀγα-

Figura Cœli primum Vettij Valentis Hypodigma oculis subjiciens

θοδαιμονῶν· ἡ κυρία τοῦ κλήρου ἐπὶ τοῦ κέντρου εὑρέθη. Ἔθηκα τὰ ἔτη τῆς Σελήνης κε΄ ἔτη καὶ τοῦ καρκίνου τὴν ἀναφορὰν τοῦ δευτέρου κλίματος ἔτη λβ΄· καὶ τοῦ οἰκοδεσπότου τῆς Σελήνης ♃ ἔτη λβ΄. γίνονται ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἔτη ξθ (ita MS. Sed calculus exigit πθ. τοσούτων) ἐτῶν ἐτελεύτα. Ἄλλη ☉ ♒ ☽ ☊ ♍ ὁμοίως δὲ καὶ ♂ ♄ ♃ ☿ ♈. ♀ ♓ ὁ κλῆρος τῆς τύχης ♒ ἀποκεκλικώς. Ὁ κύριος ἀγαθοδαιμονῶν παρ' αἱρε-



Figura Cœli quod secundum Hypodigma Ostendit

σιν ἐμέρισε τὰ ἴδια ἔτη λ΄. καὶ μῆνας τοὺς αὐτοὺς ἐν ἰδίῳ τύχης ζωδίῳ· τούτῳ δὲ συμπαρὼν ♃ ἐμέρισεν ἐνιαυτόν. Ἐτελεύτα τῷ λδ΄· ἔτει. Παρατηρητέον οὖν ἐπὶ πάσης γενέσεως τὰς προγεγραμμένας ἐν ἀρχῇ παραγγελίας καὶ τὰς φάσεις καὶ τὰς μοίρας, ἵνα μὴ δόξωμεν καθ' ἕκαστον εἶδος ὑπομιμνήσκειν καὶ τὰ αὐτὰ γράφειν· Ὡς ὑποδείγματος γὰρ ἀνάγκην ἔσχον προτάξαι γενέσεις.

Sequitur dein caput cui lemma eſt, περὶ κλιμακτήρων (in ipſo capite κληρικοὶ κλιμακτῆρες vocantur) ſeu de annis nati in quos Imperium obtinent ſtellæ maleficæ, pro variis quas ad Sortem Fortunæ, ſortiuntur ipſæ radiationibus. Alia ſequuntur περὶ ἐνιαυτῶν τῶν μέσων τῶν ἀστέρων. Nam ἔτη ἀστέρων habet triplicia; τὰ ἐλάχιστα, qui ſunt anni ſuperius ſideribus tributi, τὰ μέσα, τὰ πλεῖα. Sic apud vulgus Aſtrologorum eodem ſenſu occurrunt anni minores, medii, majores. Videſis Julium Firmicum Matheſeos lib. 2. cap. 33. Ubi is de ejuſmodi annis, & Chronocratoribus, in ſequentibus, ut ferme

ferme Vettius. Etiam ad has nugas, quæ velut antiquissima omnium quæ extant Astrologiæ judiciariæ specimina adduximus, fusius explicandas pluribus libro agit quarto. Τὰ ὑποδείγματα quæ affert, Schematis Cœli ut & oculis facilius accommodentur, repræsentavimus. Planetarum autem & signorum heic characteres non prorsus similes sunt eis quos Codex MS. exhibet. Quales in Typographi loculis reperiuntur, talibus usi sumus. Sed nec ita discrepant ut alios omnino esse sentias, nisi ductuum ejusmodi varietati, quæ ad figuras easdem ipsas repræsentandas adhiberi solet, ignoscendum esse non velis. Varii sanè apud librarios, idem interea volentes, ductus sunt. Et codex MS. haud alios ferè habet quam Tetrabiblon Ptolomæi Græce editum. Sed hi & illi qui passim hodie in usu sunt, à veteribus scilicet, ut fieri amat, paulo deflexi, eadem ipsa, etiam quà linearum ductus sunt, significant, & earundem rerum Sideribus singulis respondentium sunt imagines. Saturni plane, in utrisque, Falcem tantum innuit, Iovis fulmen, Martis Spiculum, Solis sive Globum lucidum, ut vulgo pingitur, sive radium Solarem, ut frequentius in libris Græcis; Veneris speculum, Mercurii caduceum, Lunæ ipsam novam: ita etiam in Signis, Arietis sc. Tauri & Capricorni, Cornua, quæ tamen satis distincta; Geminorum, amplexus mutuos; Cancri, Chelas; Leonis, caudam; Virginis, pectinem; Libræ, jugum; Scorpionis item caudam sed dissimilem Leonis; Sagittarii sagitam; Aquarii, lineas undulantes; Piscium, Pisces, ut in Cœlestibus ejusce signi diagrammatis, connexos. Ita Sors Fortunæ rota plerunque denotatur. Quæ tamen omnia inartificialiter à Librariis solent formari. Tantum abest ut in hisce figuris, mysterii quidpiam latere sentiamus, cum iis qui nescio quos abditos naturæ sensus inde expiscari se frustra (ne quid gravius dicam) credidere. Solenne erat Græcis etiam vocabula alia sæpius occurentia ejusmodi figuris abbreviare, uti in descriptis etiam videre est; ubi ☊ δαίμων est, (cujus partem habent seu Sortem cum aliis pluribus, præter Fortunæ, Astrologi) ☋ & ☊ ὡροσκόπος, ☋ ἐλάχιστα. Etiam ⊙ quod Solem vulgo indicat, Circulus est apud Vettium sæpius. Id genus habet compluria. At demum perpendant hæc & committant Ptolemæi caput περὶ τοῦ κλήρου τῆς τύχης in Tetrabibli tertio, astrologorum filii. Ita intelligent etiam quis ὁ συγγραφεὺς fuerit quem ibi memorat Ptolomæus. Necepso plane est συγγραφεὺς ille, ita propter excellentiam dictus, uti ὁ βασιλεὺς ἐναρχόμενος & ὁ βασιλεὺς & ὁ παλαιὸς, & interdum ὁ συγγραφεὺς etiam à Vettio nominatur. Citat item Vettius Timæum, Abramum, Hermippum, Orionem, Critodemum, Astrologos, quorum plerique apud Firmicum item reperiuntur. Ideo autem Necepso ἐναρχόμενος dictus est, ni fallor, quia primus fuisse creditus est, qui astrologiæ præcepta scriptis tradiderit. Quin is simul & Petosiris eadem causa simplici τῶν παλαιῶν nomine nonnunquam appellantur. Videsis exegesim veterem quæ Proclo tribuitur in caput quod diximus Ptolemæi. Scio ἀγαθὴν τύχην diversam Astrologos obtinere notionem. Nam domum schematis cœlestis quintam ita antiquitus vocabant, ut in Sexti Empirici quarto, Julii Firmici lib. 2. cap. 19. alibi item, legimus. Sed cum ea notione nihil huic loco est. Atqui Hesychius; Ἀγαθὴ τύχη, ἡ Νέμεσις καὶ ἡ Θέμις.

Ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς. Antistites nimirum qui τὰ ἐπιμήνια, id est, *sacra Menstrua* sive pro tota urbe sive pro Senatu peragi solita faciebant. Idque noviluniis. De sacris ejusmodi apud Græcos fusius, ex autoritate veterum, Iohannes Meursius in Græciæ Feriatæ lib. 5. in Νουμηνία. Ibi etiam de Epimeniorum nomine & functione in sacris illis. Doctissimi viri notis adjicio, ad ea, mense nimirum redeunte semper celebrata, epulas menstruales, Plauto ita vocatas, spectare. Ergasilus parasitus in Captivis.

Dico unum ridiculum dictum, de dictis melioribus,
Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier;
Nemo ridet.

Quin & ἐπιμηνίους sacrificulos ejusmodi aut sacrorum antistites generatim interdum denotare, uti & ἐπιμήνια *sacras epulas* quæ menstruæ non erant, sed annuæ, & ἐπιμηνιεύειν ita *sacrificare*. Id liquet tum ex testamento Epictetæ Grinni filiæ, in Marmorea tabula Venetiis, tum ex Lacedæmoniorum psephismate quo firmatur testamentum. Sacræ enim epulæ seu ἐπιμήνια plane ibi quotannis tantum celebrantur, idque diebus 19. 20. & 21. Delphinii mensis. Et temere egit interpres qui εἴ τις μὴ ἐπιμηνιεύσῃ "Si quis mense suo sacris "non ministraverit ibi vertit, & ἐπιμήνιοι menstruatim sacro deservientes, & "ἐπιμήνια menses solennes. Debuit sane, si quis functioni suæ sacræ defue- "rit, epularum antistites sacri, sacræ epulæ, quod ex ipsis testamento & Decreto manifestum fit. Ea vise apud Ianum Gruterum. Ex frequentia scilicet sacrorum in noviluniis celebratorum, vocabula quæ ratione stati temporis primo indita sunt, nulla habita postmodum temporis ratione, ad similia seu quæcunque periodica sacra, periodis dissimilibus celebrata, translata sunt. Inde est etiam quod Hesychio Ἱεροποιοὶ (ut scilicet sacerdotium id denotat, seu ut Brauroniis sacrificabant quolibet quinquennio antistites ita dicti, sive Eleusiniis majoribus, aut id genus aliis redeuntibus, sacris, apud Pollucem in octavo non ut κεχωρισμένον τῆς ἱερωσύνης vocabulum est apud Philosophum Politicorum sexto) redduntur ἐπιμήνιοι, quod sacros antistites simpliciter, ut diximus, significabat. Tantundem habet Phavorinus. Ita Ἱερομηνίαι generatim tandem dies festi dicti; uti ex Demosthenis contra Timocratem ab Harpocratione & Suida observatur. Et Hellenistis pari forsan ratione חדש quod novilunium est, & Νουμηνία sæpius vertitur, item ἑορτὴ seu *Festum* eis redditur 3. Regum cap. 12. comm. 33. Idque festum à novilunio remotissimum; quinto decimo scilicet die Marwhescan mensis celebrandum. Scio חדש pro mense ibi ab aliis sumi. Sed res ipsa quæ narratur Seniorum interpretationi maximè favet.

Ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον. Ipsa ἐπιμήνια, seu sacræ epulæ per ξενισμὸν innuuntur. Tempestas enim adventus legatorum è Magnesia ejusmodi erat, ut instante novilunio opportune exciperentur. Ξενισμὸς pro sacris ejusmodi epulis usurpatur apud Plutarchum in Demetrio. Decreverant misere adulantes Athenienses, Demetrium quotiescunque appelleret Athenas, τοῖς Δήμητρος καὶ Διονύσου ξενισμοῖς δέχεσθαι *Cereris & Liberi patris lautitiis* seu *epulis sacris excipere*. Eodem nempe ritu honorem Regi, ut Numini, exhibere, quo Deorum, quos diximus, sacra celebrabant. De ea re consulas porro Casaubonum Animadversionum in Athenæum libro 6. cap. 15. Legati autem heic ad ipsorum deorum epulas tantum honoris causa invitandi; idque in Prytaneum, quod, uti ceteris Græciæ urbibus, ita Smyrnæ proculdubio, erat locus, in quo tum victus publicus Hieronicis aliisque de republica optime merentibus dabatur, tum Vesta perpetuo sacrata, & publicæ epulæ pollucibiliter celebratæ sunt. Doctissime item de Prytaneis Casaubonus dicti voluminis lib. 15. cap. 19.

Ἐπὶ Ἱερέως Ἡγησίου. Eminentioribus apud utrumque populum dignitatibus, iisque annuis, ni fallor, Fœderis annus notatur, quemadmodum Ephororum simul & Archontum ἐπωνύμων nomina annos signare solebant in Lacedæmoniorum & Atheniensium fœderibus, quod ex Thucydide & Demosthene satis cognoscitur. Sed dignitas hæc sacra est utraque. Et Pontificem summum par est ut credamus fuisse Hegesiam. Quin, de anno Sacerdotiis variis signari solito, vide Arrianum ad Epi-

ctetum lib. 1. cap. 19. Flavium Josephum Ἀρχαιολογίας lib. 14. cap. 16. 1. Maccabæorum cap. 13. commat. 42. & cap. 14. comm. 43. Ianum Drusium ad locum penultimum; Ioannem Meursium in Archontibus lib. 3. cap. 6. de sacerdotibus Iunonis apud Argivos, & in Græciæ Feriatæ lib. 3. festo Ἥραια. Et habet Dogma Melitensium, incisum Romæ, hunc titulum ἐπὶ Ἱεροθύτου, τοῦ Ἰκέτου Ἰκέτου, ἀρχόντων δὲ Ἡρέου καὶ Κίττητος, quod videsis apud Gruterum in Inscriptionibus pag. 400. aliud item ejusmodi Agrigentinorum ibidem pag. 401. Adde Platonis de Legibus lib. 12. Plutarchum in vita Demetrii, Decreta aliquot apud Demosthenem de Corona, Castorem apud Eusebium in Chronicorum priore, de Sicyoniorum Carniis & in Canone numero DCCCLXXXIX in addendis etiam pag. 213. Consule porro Meursium dicti de Archontibus operis lib. 3. cap. 16. & 17. Et durarunt ejusmodi aliique varii distinctionis annuæ characteres usque ad Justinianum Imperatorem; adeoque ut Civitatibus aliquot in more etiam tunc temporis positum esset, sine ulla alius notæ adjectione, annos instrumentis publicis & contractibus, suo duntaxat ritu, designare. Neque aliud innuit ille Novella 47. ubi παρατήρησιν ἐπὶ τοῖς τῶν πολέων χρόνοις *seu observationem in civitatum temporibus* maxime Orientalibus habitam memorat. Eadem vero Novella primo sancitum est, ut non solum in Urbe, sed etiam in omnibus Provinciis & Civitatibus, actis singulis & instrumentis, actuarii, tabelliones, exceptores, & qui sunt id genus ceteri, præponerent Imperatoris annum, Consulem, indictionem, Mensem & Diem, & demum, pro civitatum arbitrio, τὸ τῆς πόλεως πᾶσι τρόποις ἔτος, *annum*, scilicet, *qui quocunque modo civitati proprius erat.* Edita est hæc Novella anno Justiniani 9. Salutis nempe reparatæ DXXXVII. Dicebatur præterea dignitas apud Smyrnæos primaria, eaque, qua annos significabant, Stephanephorus, uti altera illa heic memorata, quæ Magnetum est. Sed illius usus Smyrnæ, puto, nondum inoleverat, seculis utpote aliquot post Seleuci tempora receptus; de qua re statim plura.

Στεφανηφόρου δὲ Πυθοδώρου. Stephanephorus heic seu *Coronam gestans*, tum ex supremis erat, puto, Magnetum judicibus annuis, tum Solis & Apollinis sacerdos, isque primarius (nam plures etiam erant ejusmodi ibi sacerdotes) cujus nomen Fastis ad annum designandum adeoque Fœderi huic, pro more, adjiciebatur, uti Archon primarius seu ἐπώνυμος. Id sane elicere fas esse videtur ex Platonis lib. 12. de legibus, ubi de judicum Supremorum & Correctorum electione verba faciens exemplum affert de Magnetibus. Utrum de iis qui in Thessalia & vicinis Thessaliæ Regionibus, an de nostris, non satis liquet. Cum vero ex veteribus doceamur, hosce illorum fuisse, idque diu ante Platonem, coloniam, non est cur dubitemus non ita diversa fuisse utrorumque instituta, maxime in sacris ceterisque quæ solenniora erant. Neque opinor sane, Platonem dum Magnetas in civili illo de Magistratibus præcepto generali, meminit, ipsos, qui eis tunc fuere in usu, mores, non simul innuisse. Quotannis voluit in communi Solis & Apollinis templo, Civium conventu habito, post Solstitium æstivum, triumviros, qui supremi forent judices simul & utriusque Numinis sacerdotes, ex optimis civibus, suffragiis, hisque paritate turbatis, sorte eligi, & θαλλῷ seu fronde viridi coronari; tum pronuntiari; Ὅτι Μαγνήτων ἡ κατὰ θεὸν πάλιν τυχοῦσα σωτηρίας πόλις ἀποφήνασα αὐτῆς Ἡλίῳ ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τρεῖς· ἀκροθίνιον Ἀπόλλωνι κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον ἀνατίθησι κοινὸν καὶ Ἡλίῳ. "Quod Magnetum civitas, instaurata sibi divinitus salute, designatos suos soli triumviros optimos ut primitias, ritu veteri, Apollini & Soli communes consecrat. Ita nempe annum auspicabantur forte Magnetes. Triumviris autem hisce minorum, scribit, Magistratuum, correctorum scilicet seu εὐθυνῶν, censuram competere, atque ab his ad illos reis provocare licere. Quin exuta post annum dignitate, singulari, dum vixerint, honore haberi, hos solos civium Coronam lauream gestare, ac omnes Apollinis & Solis Sacerdotes perpetuo

manere. Ἀρχιερέα δὲ, inquit, ἕνα κατ᾽ ἐνιαυτὸν, τὸν πρῶτον κριθέντα τῶν γενομένων ἐκείνῳ τῷ ἐνιαυτῷ τῶν ἱερέων, καὶ τοὔνομα ἀναγράφειν τούτου κατ᾽ ἐνιαυτὸν, ὅπως ἂν γίγνηται μέτρον ἀριθμοῦ τοῦ χρόνου ἕως ἂν ἡ πόλις οἰκῆται, Summum vero sacer-" dotem unum esse quolibet anno, atque eum qui primus renuntiatus est ex " his qui illius anni fuerint sacerdotes. Hujus autem nomen perscribi ad tem-" pora designanda dum civitas habitatur. Si hæc ad Magnetas omnia spectant, Stephanephororum eis genus duplex erat. Alii, tam Magistratuum censuræ quam Deorum sacris, annis suis electi, præerant; alii exuta, post elapsum annum, dignitate, profana seu administratione civili, perpetuo tamen manebant sacerdotes honorarii. Saltem sacrorum cura ab his amplius haud erat exigenda, sed ultimo electis delegata. At Stephanephori non minus hi quam illi dicti. Universis enim iisque solis Coronam eamque lauream gestare] fas erat. Primi autem generis tres duntaxat erant, quorum, is qui primus renuntiatus est, Pontifex erat maximus, & ἐπώνυμος τοῦ ἐνιαυτοῦ seu anni signator; unde illius nomen, quod sortitus est heic Pythodorus, cum Smyrnæorum Pontifice Hegesiæ Fœderi præfigitur. In hanc dignitatem evectus est Themistocles cum sedes haberet Magnesiæ, quam ut panem, sicut alias Orientis urbes ut vinum, obsonia, vestes, & stragula ei sigillatim subministrarent, dono à Xerxe acceperat. Ita Posis vetustissimus rerum Magneticarum Scriptor apud Athenæum libro 12. Πόσις ἐν τρίτῳ, ait ille Μαγνητικῶν τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ, τὴν Στεφανοφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα θῦσαι Ἀθηνᾷ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι. Neque vero est cur porro de vocabuli ratione soliciti simus. Tam notum est Coronas velut dignitatis maxime propria insignia gestasse sacros antistites, quam sacra eos fecisse. Atque inde vocabulum, ut fit, natum. Tarsi idem dignitatis nomen Herculis Sacerdotem denotabat, quod scribit Athenæus libro 5. ubi Lysiam Philosophum Epicureum Stephanephorum ibi creatum ostendit & στέφανον δαφνῆς χρυσοῦς ἐστεμμένον, *Coronam lauream, quæ aurea etiam erat, gestasse.* Metrodorum item Hermogenis F. à mystarum conventu Stephanephorum seu Sacerdotem Matris Deum renuntiatum habes in veteri inscriptione apud Gruterum pag. 309. 1. & pag. 1097. 5. Vide, si placet, Carolum Paschalium de Coronis lib. 4. cap. 14. atque adde magni Casauboni animadversiones in quintum Athenæi cap. 13. & ejusdem notas ad Suetonii Octavium cap. 18. Ceterum non omnes Coronæ Sacerdotum provincialium aureæ erant, quod tamen ex Tertulliani de Idololatria cap. 18. ab eo ibi elici videtur. Fuere duntaxat nonnullæ; neque aliter intelligendus Tertullianus. Nam aliæ laureæ in provinciis non minus quam Romæ erant, aliæ ex aliis frondibus, pro ritu vario. Etiam ipsi Atheniensium archontes myrto coronabantur, licet inde non denominati. Testatur Pollux in octavo; & videsis V. C. Iohannem Meursium Atticarum lectionum lib. 6. Postmodum autem & Smyrnæorum Pontifex maximus, cujus nomine annum signabant, Stephanephorus, seculis aliquot nimirum transactis, dici cœpit ad aliarum civitatum, quibus vox illa in usu, exemplum. Id comperimus sub temporibus Antonini Philosophi. Tunc enim Heraclides sophista (quod scribit Philostratus) Στεφανοφόρον ἀρχὴν παρ᾽ αὐτοῖς ἦρξεν, ἀφ᾽ ἧς τοῖς ἔτεσι Σμυρναῖοι τὰ ὀνόματα, "Coronatam dignitatem, seu eam quæ Stephanephori est, apud eos " obtinuit à qua annis suis Smyrnæi nomina imponunt. Et ad Smyrnam spectant, puto, & inde, ni fallor, translatæ sunt illæ, quas supra dedimus, inscriptiones ævi Fœdere recentioris, in quibus habetur dignitatis hujus mentio. Vide 4. 5. & 9. Arundellianarum quæ Græcæ sunt. A tam frequenti nominis apud Orientales usu, Stephanephororum & eorum qui, coronas gestantes, aliis tamen nominibus noti erant, sodalitio, & administrationis tum vicissitudinibus tum jure partario, dignitas hæc ἀξίωμα τὸ ἀπὸ μέρους στεφανοφόρον seu στεμματοφόρον dignitas cui coronam gestandi jus erat partiarium interdum dicebatur; quo scilicet distingueretur à fastigio vere regio seu monarchico.

Ita

Ita intelligo Ptolemæum libro 4. Tetrabibli capite 2. περὶ τύχης ἀξιωματικῆς seu *de fortuna dignitatum*, quam à luminarium & comitantium seu stipantium, δορυφορούντων nempe planetarum, positu sumit. Si in masculinis signis, inquit, & in angulis luminaria fuerint planetis quinque stipata, Reges nascuntur. Si Planetæ ipsi stipantes angulos occupent, orbis decernunt imperium. Si, ceteris ita se habentibus, Sol fuerit in masculino, Luna in feminino signo, atque horum alterum duntaxat angulum habeat ἡγεμόνες μόνον ἔσονται ζωῆς καὶ θανάτου κύριοι "Principes erunt solummodo non supremi, vitæ tamen necisque "potestatem habentes. Ἐὰν δὲ πρὸς τούτοις, ait, μηδὲ οἱ δορυφοροῦντες ἀστέρες ἐπίκεντροι ὦσιν ἢ μαρτυρήσωσι τοῖς κέντροις, μεγάλοι μόνον ἔσονται καὶ ἐν ἀξιώμασι τοῖς ἀπὸ μέρους στεμματοφόροις ἢ ἐπιτροπικοῖς ἢ στρατοπεδαρχικοῖς καὶ οὐχὶ τοῖς ἡγεμονικοῖς. Ubi MS. codex in Bibliotheca Collegii Corporis Christi Oxoniis habet μεγαλυνόμενοι ἔσονται καὶ ἀξιώμασι τοῖς ἀπὸ μέρους στεφανοφόροις ἢ ἐπιτροπικοῖς, ἢ στρατοπεδαρχικοῖς ἢ ἱερατικοῖς καὶ οὐ τοῖς ἡγεμονικοῖς. "Si ceteris ita se habentibus, stipan-"tes planetæ angulos non occupent, neque eis testimonium præbeant, magni "erunt & dignitate, cui Coronam gestandi jus est partiarium, seu vicarii, seu "castrorum præfecti, seu Sacerdotali, minime autem principali dignitate, "conspicui. Ita locus ille reddendus, quem depravarunt nimium Latini interpretes Gogava, Camerarius, horumque sequaces, dum "Natalium splen-"dore conspicuos aut in dignitatibus generis illustres pro ἀξιώματι τοῖς ἀπὸ μέρους στεφανοφόροις plerunque ignoranter substituunt. Alii habentes magnum posse super aliquam villam. Sed veri sensus vestigia maxime habentur in versione illâ Ægidii Tebaldini ex Hispanico sermone in Latino-barbarum ante secula aliquot edita, ubi legimus, "Erit natus magni nominis tantum; & ejus "valetudo velut illius, qui uni parti dominabitur, apparebit. Hispanica autem versio Alfonsi ..... Castellæ Regis jussu ex Arabica sumta est, versione quam nondum vidimus. Sed partiarium dignitatis jus Arabem agnovisse ibi palam est, quod aut dissimularunt aut ignorarunt interpretes ceteri omnes. Neque doctius sane eorum, qui Commentarios ad locum consarcinarunt, quispiam. De alia quam hac ipsa Stephanephori dignitate minime capiendum est illud in Hephæstionis Thebani atque aliorum aliquot Astrologorum priscorum excerptis. Quibus ascendit (aiunt) tertius Libræ Decanus, eorum nonnulli στεφανοφρονήσουσι (ita in Codice typis edito) καὶ ἄρξουσι πόλεων. Plane legendum στεφανοφορήσουσι.

Μηνὸς Ληναιῶνος. Ut sacra pleraque ita etiam Temporum nomina, solennes rationes, atque alia compluria Athenis in Ioniam, in tertia Coloniarum è Græcia migratione (de qua consulendus Pausanias in Achaicorum initio) transfretarunt. Cuinam igitur tempestati mensis hic, Smyrnæis & Magnetibus, puto & Ionibus ceteris, communis responderit, è moribus Atticis illuc traductis, cum Ionicis alias destituti simus, eruendum est. Mensium Atticorum laterculos habemus apud recentiores, varios. In iis Lenæonis nomen non habemus, extra quam ubi à Grammaticis aliquot, accuratiores temporum rationes negligentibus, infarcitur. Et raro satis apud veteres omnino habetur. Apud Hesiodum occurrit. Versus notissimus est, Μῆνα δὲ Ληναιῶνα κάκ' ἤματα, βουδόρα πάντα, τοῦτον ἀλεύασθαι, &c. Bœotius erat poeta, ideoque mensem Bœotium ita dictum, sunt qui non absurde colligunt. Sed Bœotiis mensem ita aliquem vocatum negat eruditissimus Hesychius. Ianuarius pro eodem Hesiodi interpretibus plerumque substituitur, & nunc Gamelioni Attico nunc Posideoni tribuitur. Vide Ioannem Tzetzen ad Hesiodum, & Theodorum Gazam de mensibus Atticis, qui Κήκον eum, puto, appellat de hac re agens. Quin Etymologici autori mensium principium dicitur Lenæon & Choiaco Ægyptiorum convenire. Sed Choiacus in fixo Ægyptiorum anno intervallum quod à 27. Novembris ad 26. Decembris interjicitur, oc-

cupat

cupat. Hybernum interim fuisse, apud Hesiodum, nemo dubitare potest: Ionibus autem mensem Lenæonem fuisse etiam tradunt & Proclus ad Hesiodum & Tzetzes in Trincavelli editione; qui porro inter menses Atticos eum tam bene forsan numerat quam male collocat. Ego vero, doctiorum pace, Lenæona (si aut Athenienses spectemus, aut eos qui ab Atheniensibus mores suos accepere) ipsissimum fuisse Anthesterionem sive secundum mensem Atticis Hybernum, opinor. Etenim menses Atticos à solennioribus suis sacris plerunque denominatos esse manifestum est. Ut à Thargeliis Thargelion dictus, Pyanepsion à Pyanepsiis, Anthesterion ab Anthesteriis. Non dissimili fere ratione priscis Danis **Christmanath** Decembrem, & Saxonibus Eoſtmonaþ Aprilem denotabat; uti etiam à Februis, Februarius Latinis dictus. Certissimum autem est Atheniensibus Dionysia seu Liberalia triplicia fuisse. Ea quæ κατ᾽ ἀγρὺς, seu Ruralia (ut eorum anni seriem observemus;) ea quæ Anthesteria seu Dionysia simpliciter sæpius & propter excellentiam, Dionysia Majora, & Dionysia in Limnis, dicta; & quæ κατ᾽ ἄςυ seu Urbana. Horum genus primum Posideone mense celebrabantur, teste Theophrasto περὶ ἀδολεσχίας. Secundum Anthesterione, quod à Demosthene contra Neæram, Thucydide in secundo, Hesychio, aliis docetur. Tertium Elaphebolione, ut idem Hesychius, & alii. Atticorum mensium seriem, quæ, ad hanc rem, extra controversiam posita est, vide supra pagina 69. Ubi si Mæmacterionem excipias, nullum suo loco non tributum habes. Dionysiorum autem primum & secundum annua erant; tertium trietericum. At secundum genus, nostra sententia, dicebatur etiam τὰ λωαια seu Lenæa (quæ adversantur heic, licet, à doctissimis viris oscitanter nimis recepta, & subjiciemus & cluemus) festum scilicet Liberi patris maxime solenne & vetustissimum; adeoque duplex Festi nomen binominem ipsum Mensem effecit. Ut ab Anthesteriis Anthesterion, ita Lenæis Lenæon formatus. Neque enim aliud sonat Lenæa quam Bacchanalia, Liberalia seu Διονύσια illa quæ Anthesteria fuere. Expressissime de nomine, ad hanc rem, Lenæorum, Hesychius. Λίμναι, ἐν Ἀθήναις τόπος ἀνειμένος Διονύσῳ ὅπου τὰ Λήναια ἤγετο. "Limnas dicit locum esse Libero patri sacrum in quo sacra Lenæa peragi solita. At vero quæ in Limnis sacra, ea Anthesteria ipsissima, seu Majora fuisse nemo dubitat. Itaque Lenæa & Anthesteria eadem. Idem Hesychius in Ληναιῶν μὴν, Οὐδένα, inquit, τῶν μηνῶν Βοιωτοὶ οὕτω καλοῦσιν. Εἰκάζει δὲ ὁ Πλέταρχος Βυκάτιον· Καὶ γὰρ ψυχρός ἐστιν. Ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον ὅς κατὰ τὸν Βυκάτιόν ἐστιν. Καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ληναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν. Nullum mensem Lenæonem vocabant Bœotii. (Dum hæc scripsit versum illum Hesiodi respexit) " Putatur autem Bucatius idem esse " Plutarcho. Nam & is frigidus est. Alii Hermæum esse Lenæonem volunt, " qui Bucatium sequitur. Nam etiam in eodem Lenæorum Festum celebrant " Athenienses. Mensis igitur, quo Lenæa peragi solita, Hermæo Bœotorum respondit, id est, secundo eorum mensi. Nam Bucatius eis, annum à solstitio hyberno auspicatis, primus erat quod docet Plutarchus in Pelopida. Hic itaque Gamelioni Attico respondet. Secundus igitur, nempe Hermæus, Anthesterioni; adeoque Anthesterionis sacra sunt quæ Lenæa dicta. Videsis Proclum ad Hesiodi Opera & Dies, ubi male Βύκαρος pro Βυκάτιος legitur, & à doctis aliquot viris patienter nimis excipitur. At diserte ibi de Hermæo locutus, cui Lenæa Attica etiam tribuit, Ἴωνες, inquit, τοῦτον οὐδ᾽ ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσιν, Iones mensem illum non alio quam Lenæonis nomine appellant. Idem, ni fallor, voluit ibi Ioannes Tzetzes; tametsi veterum temporis rationum omnino expers, Romanorum Ianuarium, Ægyptiorum Choiacum & Lenæonem temere confundat. Nam Lenæi seu Lenæonis mensis nomen inde petit, ὅτι τὰ Πιθοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο eo *quod Pithœgia in eo peragebantur.* Et expresse Ληναιὸς, inquit, παρὰ Ἴωσι καλεῖται, *Lenæus Ionibus appellatur.* Ita scilicet Tzetzes in Editione Trincavelliana seu veteri. Sed nuper hæc verba nescio quare prætermittuntur, aliis eo in loco substitutis; & non

τῷδε ἰάσι, sed παρ' Ἕλλησι Ληναιὼν καλεῖται in ea legitur. At vero Pithœgia 11. de Anthesterionis peragi solita, teste Plutarcho Symposiacon 3. quæst. 7. Sed & Hesychius, opinor, Anthesterionem ipsum Lenæonem appellat, ubi de Liberalibus in Διονύσια agit. Διονύσια, ait, ἑορτὴ Ἀθήνῃσιν ἡ Διονύσῳ ἤγετο. Τὰ μὲν, κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ χλαῖα μηνὸς Ληναιῶνος, τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Triplicia proculdubio Liberalia Atheniensium docere heic voluit vir scientissimus. At Ruralia & quæ Urbana dicta, seu trieterica, suis mensibus recte tributa videmus. Illud vero τὰ δὲ χλαῖα verba nihili sunt. Eemendarunt alii legentes τὸ δὲ πάλαι Ληναιῶνος. Sed ita duplicia tantum erunt ibi Liberalia, & ea quæ Majora, annua, & maxime solennia, contra morem Hesychianum, prorsus omissa. Quin nec ita heic satis congrua tradiderat ipse iis quæ, verbo Ληναιὼν, dixerat. Alii τὰ δὲ Λήναια ibi legunt. Sed in iis etiam sunt qui summa interim incogitantia Lenæa & Liberalia Ruralia etiam ipsi confundunt. Sed lectio hæc est appositissima, quam etiam firmatam habeo perspicacissimo judicio Amplissimi & amicissimi viri Danielis Heinsii. Ita castigandum illum Hesychii locum me amanter literis suis docuit Sidus illud orbis literati splendidissimum. Atque æquum certe est, ut aut eam lectionem amplexemur, aut τὰ δὲ ἀρχαῖα (pro χλαῖα) Ληναιῶνος substituamus. Utroque modo Anthesteria seu Dionysia in Lymnis, Lenæone, id est, suo mense, rite collocabimus. Etenim Dionysia hæc τὰ ἀρχαιότερα Thucydidi, ideoque ἀρχαῖα seu vetusta, propter excellentiam & vetustatem dicta sunt. Sic triplicia Dionysia suis sigillatim mensibus pulchre ab Hesychio ordinata. Et non solum Mensis nomen, sed & nominis ratio ad Ionas nostros Athenis migravit. Iis enim Lenæa etiam, Liberalia illa Majora & vetusta, eodem Anthesterionis, 12. nempe die, quo Athenis, quotannis peragebantur. Locuples est hujus rei testis Thucydides libro 2. Ab australi arcis parte compluria scribit delubra Athenis fuisse sita; Jovis, inquit, Olympii & Apollinis Pythii, & Telluris sive Cereris καὶ τὸ ἐν λίμναις Διονύσου ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι, ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, "& Bacchi in Limnis cui vetustiora Liberalia "fiunt 12. die mensis Anthesterionis, quemadmodum nunc quoque Iones "juxta morem celebrant. Ibi Scholiastes ἀρχαιότερα, inquit, ἐπεὶ, διότι ἔστι καὶ νεώτερα ἄλλα. Vetustatis nimirum nomine, à ceteris Liberalibus hæc signanter distincta. Atque hæc ipsa sunt Liberalia quæ ἦρος ὥρᾳ πρώτῃ Διονύσια celebrari solita etiam in Smyrna nostra, diserte memorat Aristides tum in Σμυρναικῷ πολιτικῷ tum in προσφωνητικῷ. Ea scilicet quibus Triremis sacræ pompa fieri solebat, de qua & ipse Aristides & Philostratus in vita Polemonis Sophistæ, ubi etiam expresse Anthesterioni mensi apud Smyrnæos Liberalia illa tribuuntur. πέμπεται, inquit Philostratus, τις μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι μεταρσία τριήρης ἐς ἀγορὰν, ἣν ὁ τοῦ Διονύσου ἱερεὺς οἷον κυβερνήτης εὐθύνει. "Pompa fertur mense Anthesterione, sublimis Triremis in forum, quam dirigit Liberi "patris sacerdos ut gubernator. Attamen male illi qui τὰ διονύσια simpliciter dicta semper Anthesteria seu ἀρχαιότερα significare volunt. Dionysia simpliciter dicta Ruralia etiam nonnunquam denotant, & interdum Urbana; cum scilicet aut expresse à Lenæis discriminantur, aut aliter ex ipsa, de qua mentio fit, re satis dignoscuntur. Thrasyllus apud Laertium in vita Platonis, Tragœdi, inquit, τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις "quatuor dramatis (seu tetralogia) certabant, in Dionysiis, Lenæis, "Panathenæis & Chytris. Dionysia capienda heic esse pro aliis à Lenæis manifestum est. Panathenæa mensem Hecatombæonem occupabant, quod liquet ex psephismate Timocratis in Demosthenis, adversus eum, oratione. Chytrorum Festum Lenæorum postride celebratum. Similis vocabulorum, ni fallor, ratio est apud Pollucem lib. 8. ubi Archontem Dionysia ordinare ait,

Regem vero Sacrorum Lenæis præesse. Sic Eupolis in Urbibus (Comœdiæ nomen est) tributa Athenas à sociis εἰς τὰ διονύσια portari ex sancito solita ait apud Aristophanis Scholiastem in Acharnenses. Sed Anthesteria seu Lenæa ab Eupolide intellecta fuisse, sentire nequeo. Nam sub agonem Lenæum tributa socii non afferebant; quod diserte docet Aristophanes, utcunque Scholiastes cum ibi de Ruralibus agere perperam censet. Et quod de Comici Babyloniis & Cleone traditur, ad Ruralia referendum est, non ad aliud Dionysiorum genus. Nam ad Urbana, quæ trieterica erant, nequit, quoniam tributa annuatim persolvebantur, ut ex Æschinis oratione περὶ παραπρεσβείας scimus. Dionysia autem Galeno intellecta libro de Antidotis primo, ubi de iis qui τῷ Διονύσῳ βακχεύοντες εἰώθασι διασπᾶν τὰς ἐχίδνας παυομένου μὲν τοῦ ἦρος, οὔπω δ' ἠργμένου θέρους, agit, ipsa Urbana, ni fallor, seu Trieterica erant. Mensem enim Elaphebolionem indicare videtur qui Ver clausit. De eisdem Dionysiis intelligendus forsan locus ille Aristotelis Metaphysicorum 5. c. 24. ubi de variis modis dicendi, aliquid ex aliquo fieri verba faciens, unum affert de eo quod aliud sequitur, & proinde ex eo fieri, dicitur. οἷον, inquit, ἐξ ἰσημερίας ἐγένετο ὁ πλοῦς, ὅτι μετὰ ἰσημερίαν ἐγένετο. καὶ ἐκ Διονυσίων Θαργήλια, ὅτι μετὰ τὰ Διονύσια, ut ex Æquinoctio fit navigatio quia post æquinoctium fit, & ex Dionysiis Thargelia, quia post Dionysia. Certe Dionysia illa Elaphebolionis seu Trieterica proxime suis annis præcedebant, interjecto Mense Munichione, Thargelia. *i.e.* alia non interveniebant Dionysia. Quod si de annuis Dionysiis capiendus sit Aristoteles, tunc Anthesteria seu Lenæa innuit, quæ interjectis, præter complures dies, mensibus integris, tam Elaphebolione, quam Munichione in anni Attici ratione Thargelia antevertebant. Crassum errorem aliquot interpretum, qui Thargelia ibi mense Februario collocant, & de iis nescio quid ignavum effutiunt, libenter prætermittimus. Sed vero doctissimis ævi nostri viris placere video, Lenæa sacra à Ruralibus, quæ Posideone celebrabantur, non fuisse diversa. Nituntur illi plerunque autoritate Scholiorum in Acharnenses, quibus fateor Lenæa & Ruralia eadem sunt. Scholiis illis, & Marco Musuro, qui eorum pleraque congessit, plurimum debemus. Sed assensum heic præbere ego omnino nullus queo. Illud Dicæopolis apud poetam in Acharnensibus.

Ἐγὼ δὲ πολέμου καὶ κακῶν ἀπαλλαγεὶς
Ἄξω τὰ κατ' ἀγρὺς εἰσιὼν Διονύσια.

" Ego bello malisque solutus rus me conferam & Liberalia agam Ruralia: De Lenæis male interpretatur Scholiastes, & fallit dum fallitur: Nec melius eadem ipsa intelligi vult, quæ in eadem Comœdia postea hisce verbis traduntur.

Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών
Κοὔπω ξένοι πάρεισιν. Οὔτε γὰρ φόροι
Ἥκουσιν, οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι.

" Nos ipsimet sumus. Certamen hoc in Lenæo est. Neque adsunt peregrini. " Non enim hac tempestate adferuntur tributa, neque ex urbibus adveniunt socii. Primo loco Posideonis sacra nemo non vidit. Sed de iis verba ibi fiunt à persona Acharnensi, quæ gravioribus soluta curis, rus se conferre destinat. Et tempus in quo loquitur ad inducias, de quibus ibi mentio, spectat. Sed ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν in secundo loco, ipsissima Anthesteria sunt seu Liberalia quæ in Limnis agebantur, id est, Lenæa, quibus scilicet Comœdia illa, Acharnenses, docebatur Archonte Euthymene, quod legimus in ejusdem argumento

gumento. Lenæon enim, nempe Ληναιον in urbe erat, non rure, locus, in quo certamina celebrabant Athenienses ante Theatrum extructum. Ibi etiam Bacchi Lenæi fanum; adeoque à Limnis locus hic non diversus. Tantundem asserere videtur mihi omni exceptione major Hesychius in Ἐπὶ Ληναίῳ. Ἀγών ἐστιν, inquit, ἐν τῷ ἄστει Λήναιον περίβολον ἔχων μέγα, καὶ ἐν αὐτῷ Ληναίου Διονύσου ἱερὸν ἐν ᾧ ἐπετελοῦντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι. Manifestissimus est ad secundum Aristophanis locum commentarius, quem recentiorum Scholiis præponderare nemo dubitet. Atque inde etiam Suidas, Etymologici autor, & Favorinus intelligendi in Ἐπὶ Ληναίῳ. Etymologus item corrigendus. Adeo autem Aristophanis Scholiastem in hisce aberrasse nemo miretur, qui eundem etiam in Autumno Lenæa collocare adverterit. Etenim Liberaliorum triplicium nulli locus erat in autumno, neque ejusce rei apud veteres alibi vestigium occurrit. Alibi etiam in sacrarum ratione nimium fallit idem Scholiastes. Sed ab eo heic stat quod apud Stephanum de Urbibus legitur, Ληναῖος, ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς ἀπὸ τοῦ Λήνου, & citatur Apollodori Chronicon. At quæ supra attulimus satis persuadent, verba illa ἐν ἀγροῖς futile esse sive Hermolai Epitomatoris sive recentioris alicujus, magis glossema, quam sive Stephani, sive Apollodori (quorum uterque intercidit) mentem aperuisse. Et aut veteris Græciæ sacrorum ignorantia est, aut incogitantia est nimia Procli ad Hesiodum, ubi de Bœotorum Hermæo mense locutus, eundem eum cum Attico Gamelione facit, καθ' ὃ, inquit, τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις, "quo tempore Atheniensibus Lenæa celebrari solita. Quis unquam sive Lenæa sive Dionysiorum alia ulla Gamelioni antea tribuit? Adeoque nil satis obstat, quin demum Lenæa, Dionysia in Limnis, & Anthesteria eadem ipsa sacra fuisse concludamus, atque inde mensem Lenæonem vocitatum, ac si Dionysion seu Bacchius dictus fuisset, quæ idem sonant. Nam & Baccho mensis ipse ante alios sacer habebatur, uti notat Harpocration, & pro varia Embolismorum, prosthaphæresium & Cyclorum ratione, à Januario per Februarium in Martium, in Mensibus Julianis, diversimode vagabatur. Vide nunc, si placet, viros summos Josephum Scaligerum de Emendatione temporum lib. I. capite de Mensibus Atticis & Canonum Isagogicorum lib. I. pag. 57. & Isacium Casaubonum tum ad Theophrasti characterm περὶ ἀδολεσχίας tum de Satyrica poesi lib. I. cap. 5. Adde Phavorinum in Lexico & Petri Castellani Ἑορτολόγιον. Nemo est horum cui non heic adversamur; sed non sine ratione, qua aliter edocti sententiæ libentissime renuntiabimus. De Liberalibus item Atticis consule Dionysium Petavium ad Themistii Orationem 12. Sed de Mense hactenus. De anno item videbimus. Annos quorum initia loca habuere circa Solstitia æstiva, cum ceteris plerisque Græciæ civitatibus, nostris hisce in usu fuisse, vix est cur dubitemus. Et quod ex Platone supra notavimus de Stephanephororum electione tantundem firmare videtur in Magnesia. Seleucidarum autem anni tam incerti sunt apud Scriptores, ut vix de eorum cujuspiam initiis & excessu exacte satis consentiant. Sed si Eusebio fides, Seleucus Callinicus & Ptolemæus Evergetes, hic Ægypto, ille Asia, regnare cœperunt anno 2. Olympiadis CXXXIII. qui periodi Julianæ est MMMMCCCCLXVII. Si igitur in occasione Fœderis supra non erravimus, quarto vel quinto Seleuci anno, seu anno I. vel 2. Olympiadis CXXXIV. id initum esse non absurdum erit conjectare. Detur enim Seleucum circa initia anni 2. Olympiadis CXXXIII. id est, æstate, regnum accepisse. Auspicia regni à patricidio cepisse scribit Justinus; & tam Ptolemæum in sororiam ultionem advolasse, quam Seleucum postea adversus civitates quæ defecerant classem comparasse narrat, perinde ac si res, pro incœptorum magnitudine, festinantius à neutro geri potuissent. Trinarum autem, quas memorat ille Expeditionum tempora, Ptolemæi scilicet in Seleucum, Seleuci primæ in Civitates, secundæ in Ptolemæum, suos (si quod verisimillimum est, id sentiamus) habuere an-

 nos

nos ſaltem ſingulos. Quod non modo rerum geſtarum ratio ſuadet, ſed & uſitatiſſimus ille tam in Oriente mos quam in Occidente, tum claudendi maris, tum aperiendi. Nam quin maritimæ fuerint illæ expeditiones, nullus dubito. Claudebatur autem mare ab Autumno ad tempus vernum. Verno aperiebatur. De Romanorum in hac re more, Vegetius, alii paſſim teſtes. De Græcorum, Heſiodus, Theophraſtus. De Orientalium autem ipſorumque Syriæ Regum, teſtimonium in ſacris literis perhibetur 2 Samuelis cap. 11. 1. & 1 Paralipomenon cap. 21. 1. "Factum autem eſt vertente anno eo tempore quo "ſolent Reges ad bella procedere Quod ad mare etiam claſſibus aperiendum ſpectat. Neque aliam præter vernam tempeſtatem ibi denotari vult Rabbi Chimchi, quem merito ſequitur etiam magnus Scaliger in prolegomenis ad Canones. In Ebræo tempus illud vocatur עת צאת המלכים *tempus expeditionis* ſeu *profectionis regum*. Helleniſtis ὁ καιρὸς τῆς ἐξοδίας τῶν βασιλέων. Vere igitur anni 2. Olympiadis CXXXIII. ſeu primi Seleuci, Ptolemæus in ſororis auxilium cum claſſe advolavit. Vere anni 3. Olympiadis ejuſdem adverſus rebelles civitates Seleucus claſſem comparat. Adeo enim acciſæ erant res ejus bello Ptolemaico, ut citius claſſem illam comparaſſe non ſit credibile. Eadem anni 4. tempeſtate, inſtauratis poſt naufragium, quod miſere paſſus eſt in expeditione adverſus civitates, viribus, bellum in Ptolemæum infeliciter redintegrat. Atque ita neceſſe eſt ut Fœdus Antheſterione ſeu Lenæone, ſub Februario ſcilicet poſt haſce clades proximo, initum cadat in annum 1 Olympiadis CXXXIV. Qui ita erit Seleuci quartus. Quod ſi regnare cœpit ille ſub finem anni 2. Olympiadis CXXXIII. ſimili ratiocinio, Olympiadis CXXXIV Secundo, *ſeu periodi Julianæ* MMMMCCCCLXXI. qui ante vulgarem Chriſti Epocham eſt annus CCXLIII. tribui poſſit. Et diſerte, hoc forſan calculi genere ductus, Sethus Calviſius utriuſque Regis res geſtas ita diſtribuit, ut ultimam Seleuci cladem quæ Fœdus, uti noſtra ſententia eſt, proxime anteceſſit, quarto ejus anno collocet. Annus autem Olympiadis CXXXIV. primus ſeu quartus Seleuci, eſt Calippicæ periodi ſecundæ 11. adeoque ſecundus duodecimus. Si igitur periodus illa etiam Smyrnæis in uſu fuerit, etiam Antheſterionis ſeu Lenæonis initium & finis, in Menſibus Julianis ad (quod ſatis eſt credibile) varias Chronologorum rationes, maxime Scaligerianas, & Petavianas, quorum laterculos conſulas, facile reperiri poſſunt.

Ἐξετασαί. Quæſitores hi erant ad quos rerum repetundarum, interverſæ pecuniæ publicæ, atque aliorum quæ in adminiſtratione publica committuntur, criminum judicium ſpectabat. Aliis Λογισαὶ, εὔθυνοι, συνήγοροι, dicti. Ita Ariſtocles Politicorum tertio cap. 8.

Ὅσοι ἂν ὦσιν ἐλεύθεροί τε καὶ Ἕλληνες. De civitatis donatione Attica, quæ Ionicæ, ſeu Smyrnenſi, forſan non ita diſpar erat, conſule I. Meurſium de Fortuna Attica, capite 5.

Ἐπὶ τοῦ Μητρῴου ἱεροῖς νεοχαύτοις. Fanum Magnæ Matris ſeu Metroum in planitie urbis (nam pars etiam montana erat) memorat Strabo lib. 14. ſuper ἱερὰ νεόχαυτα, quæ etiam ἔμπυρα dicta, ſeu ardentes victimas, & ἐπὶ τομίων ſeu animalium immolatorum profecta, aris etiam aliiſve ſacris ſive tactis ſive inſpectis, ſolenne gentibus erat jurare, uti Chriſtianis ſuper ſacroſancta Evangelia, Cruces, Reliquias ſacras. Etiam Ἐμπύρια inde ὅρκος δημόσιος eſt apud Heſychium. Et Alcidamas ὤμοσε τὸν Ἀπόλλωνα τῆς δάφνης ἁψάμενος, *juravit per Apollinem, tacta lauro*, quod habetur ex Nicandro apud Antonium Liberalem in Metamorphoſi prima. De variis jurandi ritibus, conſulendi Briſſonius in Formulis, Gulielmus Barclaius ad tit. de Jurejurando ff. Thomas Dempſterus & Baptiſta Hanſenius libris de Juramento, præter Petrum Fabrum in Commentario de Magiſtratibus Romanis, Danielem Heinſium ad primum Silii Italici, & Fredericum Lindebrogium in Gloſſario, verbo *Jurare*. Adde porro Philippum Mauſſacum ad Harpocrationem pagina 243. ubi de juramento in

Agrauli

Agrauli ædibus ab Ephebis præstari solito. Nobis heic, quæ ii adnotarunt, compilare religio est. De Judæorum vero ritu in Juramentis veteri & satis portentoso, vide quod ex Tabulis Præfectoriis legitur in Juris Græco-Romani lib. 1. pagina 119. Et Turcarum Imperator Achmetes Fœdus cum Henrico Magno Galliarum Rege anno MDCIV. ictum firmat juramento " per " Veritatem Magni Dei, omnipotentis, creatoris Cœli & Terræ, & per animas avorum suorum & proavorum. Christiani autem aut tangunt plerumq; sacra; aut manum ad pectus admovent, sustollunt, aut protendunt, sacris inspectis. Nec dissimilem fuisse gentibus morem, cum non tangebant, æquum est ut opinemur. Quæ vero ita sive tactis sive inspectis, & admota, sublata, aut protensa manu præstantur juramenta, Corporalia dicuntur seu Corporaliter præstita, ut in C. tit. Si adversus venditionem l. 1. & tit. Si minor se majorem dixerit lib. 3. Et Cuiacius ad Novellam 51. de Mulieribus scenicis; Corporaliter inquit, jurat, qui jurat tactis sacrosanctis Evangeliis vel manu sublata, quos Balsamon vocat σωματικοὺς ὅρκους. Quin vide, si placet, Linduvodum nostrum ad Constitutionem *Presbyteri*, tit. de Jurejurando, verbo *inspectis*. Et ὅρκον σωματικῶς διδόναι & σωματικῶς ὀμνύωαι est Sacramentum corporaliter præstare Jurisconsultis Græcis. Consule Basilicon eclogam 10. tit. 25. cad. 4. & Harmenopuli Procheiron lib. 1. tit. 12. Id ipsum vocabant αὐτῇ τῇ ἀληθείᾳ ἐπομνύωαι seu ipsa veritate aut revera jurare, quo nempe corporaliter jurare distinguerent ab eo quod est συμβολαίῳ sive ἐγγράφως μεθ' ὅρκου βεβαιῶσαι pro quo sub Diocletiano Romæ dicebant " in instrumento per sacramenti religionem " adseverare; ut in lege Codicis penultimo citata legimus. Non enim fiebat restitutio in integrum, si minor in instrumento per Sacramenti religionem se majorem esse adseverasset, nisi palam ex ipso instrumento constitisset illum nihilominus minorem fuisse. Sin vero corporaliter & revera præstitisset de ætate majori juramentum, haud restituendus erat omnino. De restitutionis illa seu ἀποκαταστάσεως lege, in dicta Basilicon Ecloga, Ταῦτα ὅπου ἐνεγράφη τῷ συμβολαίῳ μόνον ὁ ὅρκος, οὐ μὴν σωματικῶς καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὤμοσεν ὁ νεώτερος ἑαυτὸν εἶναι μείζονα, quod non aliud sonat quam quod jam diximus. Putarunt igitur Græci Jurisconsulti Sacramenti religionem instrumento insertam, nec corporaliter præstitam, non esse τῇ ἀληθείᾳ ὅρκον. Certe fidem interpositam sine corporali juramento, corporali æquiparari, video apud clarissimum Jurisconsultum Andream Gaillium quem visas lib. 1. Observationum practicarum 101 & lib. 2. observat 59. Adnotare heic non ingratum, puto, erit, ritum illum Londinensem veterem, quo, in Judiciis publicis, super mortuorum tumulos, de eo jurare solenne erat quod ipsi testarentur mortui, si in vivis superessent. In Tabulis publicis ab Henrico Angliæ Rege III. Civibus Londinensibus confectis, anno ejusdem Regni 52, die Martii 26. legimus. " Concessimus eisdem civibus, quod de placitis ad Coronam pertinentibus, de hiis maxime quæ infra civitatem prædictam & ejus suburbium fieri contingent, se possint disrationare secundum antiquam consuetudinem civitatis prædictæ, eo tamen excepto, quod super tumulos Mortuorum de eo quod dicturi sunt viverent, non liceat præcise jurare, sed loco mortuorum qui ante obitum suum electi fuerint ad eos disrationandos qui de rebus ad Coronam spectantibus appellati fuerint, vel rectati alii liberi & legales eligantur, qui idem sine dilatione faciant quod per defunctos memoratos, si viverent, fieri oporteret.

Κληρωτήρια. Exigit res ipsa ut Sortium Tabulas, quibus eorum, qui in tribus sortito cooptabantur, nomina perscripta erant, heic intelligamus. Nec tamen alibi hac notione vocabulum occurrere memini. Scriptoribus tam pro locis ubi Magistratus Sorte creati sunt, quam ubi ejusmodi Magistratus in theatro sedere soliti, usurpatur. Item pro Sortium urnis. Videsis Pollucem lib. 9. & 10. & Scholia ad Aristophanis Ecclesiazusas.

Συναλλαγμάτων ϗ ἐγκλημάτων, *Contractibus & actionibus* vertimus. Συναλλάγματα eodem heic sensu capio, quod apud Aristotelem, in Ethicorum 5. cap. 5. ubi in ἑκούσια & ἀκούσια distribuuntur & totum illud satis comprehendunt, unde actiones apud Jurisconsultos nascuntur, quæ sive ex contractu, aut quasi contractu, sive ex delicto aut quasi delicto competunt. Etiam tota justitia quæ forensis est ita Συναλλάγμασι nititur. De Aristotelis loco consule inprimis Andronicum Rhodium in paraphrasi lib. 5. cap. 3.

Οἰκίαι ὅσων ἂν τῷ δήμῳ δόξῃ. Singularum ædium capacitas sit prout populo placuerit. Nam à lectorum sive discubitoriorum sive cubicularium numero heic tam ædium capacitas, puto (quæ scilicet aut ad contubernalium numerum aut familiarum amplitudinem attinebat) quam alibi sæpius œcorum & conclaviorum, æstimabatur. Oecorum æstimationem hujusmodi videre est maxime in Callixeni & Moschionis descriptionibus navium Ptolomæi Philopatoris & Hieronis Regis Syracusani apud Athenæum lib. 5. Inde œcus ibi πεντάκλινος, τρισκαιδεκάκλινος & εἴκοσι κλίνας ἐπιδεχόμενος.

Τὴν Σιπυλήνην. Ut Mater Deum Berecynthia, Idæa, Phrygia, dicta à locis cognominibus in quibus colebatur, ita Sipylene heic à Sipylo. Sipylus autem mons Phrygiæ passim memoratur; Plutarcho de fluminibus in Mæandro, Hesychio, Straboni, & in proverbio ὅλον τὸν Σίπυλον μετακινεῖν. Atqui & urbs erat Sipylus Phrygiæ, quod notat Stephanus, nomenque gentile esse Σιπυληνοὶ & Σιπυληνή. Notat autem ex Hellanici libro primo Ἱερέων, seu de Sacrificiis Junonis Argivæ. Æschylus item in Niobe apud Strabonem in extremo libri 12. habet. Σίπυλον Ἰδαίαν ἀνὰ χθόνα *Sipulum Idæo in solo.* Urbs ea multis abhinc seculis, regnante Tantalo, terræmotu eversa est, uti & complures circumjacentes. At celeberrimam fuisse inde liquet, quod dum terræmotum hunc memorant Scriptores, Sipyli nomine potissimum designant. Ita Strabo lib. 1. Quin Aristoteles in 2. Meteorologicorum cap. 8. terræmotus meminit in quo τὰ περὶ Σίπυλον ἀνετράπη *Sypilus evertebatur.* Σίπλον ibi male habet Commentarius Alexandri Aphrodisiensis. Sed pejus multo facit vir doctus qui φλεγραῖον πεδίον *Phlegræum campum* eo in loco Sipylum, Philosopho appellatum in Thesauro Geographico scribit. Non minus campum à Sipylo quam regionem Ligusticam distinguit ibi Aristoteles.

Ἀπόλλω τὸν ἐν Πάνδοις. Nec de Apolline in Pandis alibi legi, nec de ullo loco qui Pandi aut Panda dictus præter Sogdianorum (qui sub alio Cœlo locati) oppidum quod Panda vocatur apud Plinium lib. 6. cap. 16. & Solinum cap. 52. Fieri sane potuit ut etiam inde nomen in Ioniam deduceretur. Altaria enim ibi constructa sunt, non solum à vetustissimis illis, Hercule, Semiramide, Cyro; sed etiam ab Alexandro magno, velut trophæa metarum imperii eousque promotarum; eaque, ut videtur, Apollini. Ita enim conjectura est ex altaribus quæ eidem Numini Iaxartem fluvium postea transvectus Demodamas Seleuci & Antiochi Dux Apollini struxit, ut terminorum scilicet imperii prolationis insignia. Sed ultra quid heic affirmare plane nugari est, si hoc non est.

Καὶ τοὺς ἄλλους Θεοὺς πάντας ϗ πάσας. Post insigniorum numinum nomina, pes omnes ita generatim jurabant, idque ex ritu Pontificio passim servari solito. Exempla sunt apud Homerum & Virgilium, ad cujus Georgicorum initium, " Post specialem, adnotat Servius, invocationem transit, ad generalitatem, ne quod numen prætereat. More Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales Deos quos ad ipsum sacrum quod fiebat necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. Vide, si placet, jus jurandum quo fœdus iniere Carthaginienses & Philippus Macedonum Rex apud Polybium lib. 7. & fragmentum Fœderis in Creta effossi apud Janum Gruterum pag. 505.

Καὶ τὴν τοῦ βασιλέως Σελεύκου τύχην. Mos invaluit in Oriente jurandi sæpius per

per Fortunam, Salutem, Vitam, Caput Principis. Neque inter hæc in Gentilitatis Theologia discrimen erat. Vetustissimum est exemplum in Geneseos cap. 42. Ubi Josepho חי פרעה *vivit Pharaoh*, seu *per vitam Pharaonis*, ad Ebræorum &, qui cognatas habent linguas, morem adjurandi profertur. Nec aliter transtulit Aquila quam per ζῇ Φαραώ ut & hodie Galli *vive Pharaoh*. Atqui senioribus redditur, Νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραὼ *per salutem Pharaonis*, quod retinet Latina. Nam vivere etiam est valere, lætari, felicem esse. Vetustissimum autem Geneseos exemplar MS. in Bibliotheca Cottoniana habet ibi, Μὰ τὴν ὑγίειαν Φαραώ. Jurat etiam Urias Davidi Regi חייך וחי נפשך "per vitam tuam & per vitam animæ tuæ, seu per salutem tuam & salutem animæ tuæ, ut in Latina editione. Habetur 2 Samuelis cap. 11. comm. 12. Et de capite Regis testatur R. Abenezra in Decalogum. Ubi eum capite plectendum, etiam suo ævo, scribit fuisse, qui apud Ægyptios בראש המלך *per caput Regis* pejeraverat, nec tanto auro, quantum ipse pendebat, redimendum. Sed hæc omnia in τὴν τύχην, pro veterum ritu, recidunt. Et Juramentum ita præstitum ὅρκος βασιλικὸς dictum videtur, saltem in Armenia. Adi Strabonem lib. 12. Ubi de fano Pharnacis mensis. Manavit mos ex Oriente ad Romanos. Decreverat Senatus Julii Cæsaris τὴν τύχην ὀμνῦναι quod scribit Dio lib. 44. Eo occiso, populus Antonii oratione de ejus dignitate habita (ut fit) irritatus, percussores furibunde quæsitum it, & Senatores incusat quod passi essent eum virum interfici, pro quo, uti quotannis publice vota conciperentur, decrevissent, καὶ οὗ τήν τε ὑγίειαν τήν τε τύχην ὤμνυσαν *& per cujus Salutem & Fortunam jurassent*. Ex Decreto erat quod jurabant. Atque inde indiscriminatim per salutem jurabant & per Fortunam. Honor hic qui in juramentis tributus est Julio, mansit etiam Augusto; sed à Tiberio vetitus est, postea redivivus. Videsis Dionem lib. 57. de Tiberio. In Epistolæ item Stationariorum Tyriorum, Puteolis ad Tyrios ceterasque Phœniciæ civitates sub Antonino Philosopho scriptæ, fronte legitur Διὰ τοὺς Θεοὺς καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν αὐτοκράτορος τύχην, quod videre est apud Janum Gruterum, in Inscriptionum corpore, pagina 1105. Et Aristo medicus, qui Romani martyris linguam Asclepiadis jussu sub Galerio Imperatore exsecuerat, accusatus (cum elinguis martyr summum Dei veri Optimi Maximi potestatem verbis, ut scribunt, copiose proferret) quod mercede ductus collusisset, nec linguæ nervos omnes abscidisset,

> Testor, inquit, salutem Principis, me simplici
> Functum secantis arte, judex optime,
> Servisse jussis absque fraude publicis.

Ita Prudentius Peri Stephanon hymno x. Inhumaniter autem aliquos plectebat Caius, quod nunquam per Genium suum dejerassent, teste Suetonio capite 37. Ita Genius seu δαίμων idem cum Fortuna æstimatus. Nam & εὐδαιμονία *Virtus cum Fortuna conjuncta* recte Ciceroni redditur. Consule, si placet, 5. 101. Danielem Heinsium ad Hesiodi opera & dies cap. 17. Quin Plutarchus in præceptis politicis, Οἱ μεγάλοι inquit δαίμονα καὶ τύχην τοῖς κατορθώμασιν συνεπιγράφουσι, "Magni viri rebus præclare gestis Genium & Fortunam, ut "authores, secum inscribunt. Et in exemplis quæ adducit utrumque confundit. Sed & tam Partis seu Sortis δαίμονος seu Genii quam aliarum complurium Sortium, quæ in usu erant veteribus Astrologis, unica Fortunæ sors (de qua supra) Ptolemæo & ceteris plerisque, si Arabas & eorum sequaces excipias, vices sustinet. Per Genium autem Principis jurandi mos diu post Tiberium renatus, duravit. Vide acta Martyrii S. Polycarpi apud Eusebium hist. Ecclesiast. lib. 4. cap. 15. Et Ulpianus L. 13. si duo D. tit. de jurejurando sect. 6.

Si

" Si quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis dare se non oportere, " & pejeravit, vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus juraverit se so- " luturum, nec solvit, Imperator noster cum patre rescripsit fustibus eum " castigandum dimittere, & ita ei superdici προπετῶς μὴ ὄμνυε, *i. e.* petulanter ne jurato. Nam pejerantibus per Principis Fortunam pœna erat quam sustulit suo tempore Tiberius, uti est apud Dionem; minuit etiam ita Alcander Severus, ut, qui, calore animi, non consulto pejeraverat, is minime puniretur C. tit. de rebus] creditis L. 2. " Periculum corporis vel majestatis crimen (ait " Imperator) secundum constituta Divorum parentum meorum, etsi per Prin- " cipis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet. Ita id quod primo in Juramentis Fortuna, salus, Genius erat Principis, in Venerationem etiam interdum immutabatur, uti postea in Majestatem (quod videre est apud Vegetium de re militari lib. 2. cap. 5.) item & in ipsum Principem, per quem non tam ut fidei testem, quam ut perfidiæ vindicem dejerare in more positum erat etiam Christianis, qui nec " tam per creaturam jurabant " quam per auctorem creaturarum, nec in creatura aliud quam creatorem " ipsius venerabantur, quod ait Gratianus C. 22. q. 1. c. 16. Et quemadmodum in dignitate seu potestate principum exprimenda, Majestas, Serenitas, Perennitas, & quæ sunt ejusmodi in codice utroque alibique, ita forsan in votis de eorum felicitate (qualia ejusmodi juramenta sunt) Salus, Vita, Fortuna, Genius, ipsas principum personas revera denotabant. Exemplum forte deductum est ex sacris literis, ubi *per sanctitatem Dei*, atque id genus alia pro Deo ipso usurpari notant viri docti. Vide Amosium prophetam cap. 4. & 1. Drusii lib. 14. Observat. cap. 15. & περὶ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, seu *Majestate Dei* apud Hellenistas ad eam rem & doctissime & ingeniosissime magnus Heinsius in Aristarcho Sacro Exercitatione 15. At vero salus Principis Christianis ita discriminabatur à Genio, seu Fortuna, ut per hosce jurare nefas, per illam fas fuerit olim æstimatum. De Fortuna, vide Acta quæ diximus martyrii S. Polycarpi. De Genio, Tertullianus Apologetici cap. 32. " sed & juramus, in- " quit, sicut non per Genios Cæsarum, ita per Salutem eorum quæ est augu- " stior omnibus Geniis. Nescitis Genios dæmones dici, & inde diminutiva vo- " ce dæmonia. Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus qui gentibus " illos præfecit? Id in eis scimus esse quod Deus voluit, ideoque & salvum " volumus esse quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus. Cete- " rum dæmonas, id est Genios, adjurare consuevimus, ut illos de hominibus " exigamus, non dejerare ut illis honorem divinitatis conferamus. Et ubi Arcadius & Honorius Imperatores rescripserunt, eos qui 25. annis majores adversus pacta vel transactiones libero arbitrio confectas, & invocato Dei Optimi Maximi nomine firmatas veniendum putaverint, infamia inuri, & emolumento quod ex pacto fuerint consecuti prorsus carere. Ejusdem etiam legis pœnæ subjiciunt eos qui (rescripti verba sunt) " nomina nostra placitis inse- " rentes salutem principum confirmationem initarum juraverint esse pactionum, quod legimus C. tit. de transactionibus l. 41. Si quis, & C. Theodos. lib. 2. tit. 9. Ubi vetus Scholium ejusmodi jurantes esse eos ait, qui " Dominorum " nomina conjurant, placitis inserentes, diffinita implere neglexerint. Sed " lege Cum jurant, placitis, &c. Ita emendo ex MS. codice Theodosiano quem breviario suo ante D. annos de Romanis Imperatoribus ex Haymone Floriacensi confecto intexuit Guilielmus Monachus Malmesburiensis. Ceterum pro *nomina nostra* veteres Orientis Jurisconsulti *numina nostra* proculdubio exemplaribus suis ibi legere. Vertebant enim οἵ τινες ἡμετέραν θειότητα τοῖς συμφώνοις ἢ ταῖς διαλύσεσιν ἐντιθέντες id est, *qui numen nostrum pactis aut transactionibus inserentes, &c.* Vide Eclogam Basilicon lib. 11. tit. 2. cap. 49. Item Marcelli- " nus in causa Donatistarum, per admirabile mysterium Trinitatis, per incar- " nationis dominicæ sacramentum, & per salutem supra memoratorum princi- " pum (Honorii & Thedosiii) secundum allegationes partium se judicaturum promit-

promittit, in Collationis Carthagine habitæ primæ cap. quinto. De jurejurando hujusmodi per Principem locutus est Athalaricus Rex, literis ad populum Romanum. "Ecce, inquit apud Cassiodorum Variarum 8. formula 3.) "Trajani vestri claris seculis reparatum exemplum. Jurat vobis per quem "juratis. Nec potest ab illo quisquam falli quo invocato non licet impune "mentiri. Et Constantinus Harmenopulus, qui ante quingentos ferme annos Thessalonicæ judex floruit, in Prochiri lib. 1. tit. 7. Οὐδεὶς κατὰ τοῦ Θεοῦ ὀμόσας κινδυνεύει. ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχει τιμωρὸν τὸ θεῖον, εἰ κατὰ τοῦ Θεοῦ γέγονεν. Εἰ δὲ κατὰ βασιλέως κατά τινα θερμότητα ὀμόσει τις, συγχωρεῖται. Ὁ ἐπὶ χρήμασι κατὰ τοῦ βασιλέως ὀμόσας καὶ ἐπιορκήσας ῥοπαλίζεται. Ὁ ἐκ δικαστικῆς ψήφου ἢ ἐξ αἰτήσεως τοῦ ἀντιδίκου ὅρκον ἐπέχων ἐπ' ἐκκλησίας τῶν ἀχράντων ἐφαπτόμενος εὐαγγελίων· ἐπιορκεῖν δὲ μετὰ ταῦτα ἐλεγχθεὶς, γλωσσοκοπείσθω· τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ μαρτύρων. "Nemo qui per Deum jurat, periclitatur. Sufficit enim juramentum "vindicem habere Deum, si per Deum præstetur. Quod si quis per Princi- "pem (per venerationem Principis, habet Joannis Merceri versio) animi ca- "lore motus juravit, veniam consequitur. Qui in re pecuniaria per Princi- "pem (per Genium Principis, substituit heic Mercerus) juraverit, & pejera- "verit, fustigatur. Qui vero sive ex sententia judicis, sive adversario postu- "lante, jus-jurandum in ecclesia præstiterit sacrosanctis tactis evangeliis, ei per- "jurii postea convicto lingua exscindatur. Idemque in testibus observetur. Verba usque ad ῥοπαλίζεται excerpta sunt ex Basilicis. Videsis Theodorum Balsamonem ad Photii Nomocanonem tit. 13. cap. 18. Eclogas Basilicon. lib. 40. tit. 30. Cujacium observat. lib. 2. 19. Cetera Harmenopuli fere in Ecloga Leonis & Constantini Imperatorum habentur, tit. 28. & apud Michaelem Athaliatam in Synopseos titulo 18. Sed de discrimine Juramenti quod per Deum & quod tactis Evangeliis præstatur, vide illud D. Chrysostomo tributum C. 22. q. 1. C. 2. & Sententiarum lib. 3. distinct. 39. cap. 5. & ibi Magistros. Sed hæc obiter. Ceterum non modo per Salutem principum, sed etiam per suam litigantes ex præscripto legis jurabant. Uti & vetustioribus ævis per Capita, Oculos, & hujusmodi, tum sui tum parentum ex more passim jurabant, non aliter ac Hiberni hodie per manus sive parentum sive Domini. Videsis Brissonium Formularum lib. 8. De litigantibus vero per Salutem suam jurantibus, consule sis Ulpianum ff. tit. de Jurejurando l. 3. sect. 4. l. 5. & 33. Quin legimus in Basilicon Eclogis, lib. 22. tit. 5. cap. 30. Ὁ κατὰ τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας ὀμνὺς δοκεῖ μὲν ὀμνύναι κατὰ τοῦ Θεοῦ, quod translatum est à Græcis Jurisconsultis iisque Christianis ævi medii ex illis Ulpiani verbis loco jam ultimo citato. "Qui per salutem suam jurat, per Deum jurare videtur. Re- "spectu enim divini numinis ita jurat. Et Synesio non infrequens est in epistolis, jurare νὴ τὴν ἱερὰν σοῦ κεφαλὴν καὶ τὴν τῶν παίδων μου σωτηρίαν, "per sacrum "tuum caput & per liberorum meorum salutem. Vide epistolas ejus 49, 85, 103, alias. Nec aliud puto voluit quam per Salutem suam aut Caput jurare Cosmas sub Alexio Comneno Patriarcha Constantinopolitanus, cum per suum nomen jurabat nolle se Patriarchali sede secedere, nisi Irene Imperatrix suis manibus insigniretur. Anna Porphyrogenneta in Alexiados lib. 3. Τὴν ἰδίαν ἐπομοσάμενος κλῆσιν φησὶ πρὸς αὐτοὺς νὴ τὸν Κοσμᾶν, εἰ μὴ διὰ τῶν ἐμῶν χειρῶν ἡ Εἰρήνη τοῦ στέφους ἀξιωθῇ, τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου οὐκ ἀποστήσομαι, quod idem sonat. Et per vitam suam jurat Avicenna Arabs lib. de Almahad cap. 3. Videsis item Balsamonem ad Canonem 84. Synodi in Trullo. Idem autor τὴν ἐξωμοσίαν seu Juramentum Episcoporum Ægypti quod fidejussionis vicem supplebat, in Synodi Chalcedonensis Canone 30. ita interpretatur, ut eam esse dicat, τὸ εἰς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως ἢ εἰς τὴν οἰκείαν σωτηρίαν ὀμόσαι τινά, "per "Imperatoris caput, vel salutem suam quempiam jurare. Sed Zonaras ibi, per Imperatoris caput, & Salutem ejus ipsiusque jurantis jurare, ἐξωμοσίαν esse notat. Obtinuit etiam mos per Filiorum Regis Vitam jurare. Sed in

Occidente, lege ante annos 800 lata, hujuſmodi juramenta vetita ſunt, atq; inde puto in judiciis exoluerunt. In Occidente dico. Nam in Oriente diutius manſiſſe ſcimus ex Græcis Juriſconſultis. Lex eſt, "Ut nullus præſumat "per vitam Regis & filiorum ejus jurare. Habetur in Capitulis Karoli & Ludovici lib. 51. tit. 42. & Legum Longobardorum lib. 3. tit. 24.

Ἐφιορκοῦντι δὲ ἐξώλεια καὶ αὐτοῦ καὶ γένει τὸ ἐξ ἐμοῦ. Imprecationes ejuſmodi, diræ, ſeu ἀραὶ, ſatis ſunt frequentes apud veteres. Et Cicero de legibus lib. 2. "Perjuris pœna divina exitium, humana dedecus. Unde & Diagoras ille ἀδικηθεὶς ὑπό τινος ἐπιορκήσαντος καὶ μηδὲν ἕνεκα τοῦ παθόντος μεθηρμόσατο εἰς τὸ λέγειν μὴ εἶναι Θεὸν, quæ verba ſunt Sexti Empirici, adverſus Mathematicos lib. 8. Jurisjurandi autem formulam cum adjecta imprecatione & vetuſtiſſimam & horrendam ſubjungo ex Vettii Valentis Antiocheni nondum typis vulgati Scriptoris, Floridorum ſeu Anthologιῶν lib. 4. Ubi fratrem & ceteros omnes qui libro ſuo apoteleſmatico initiandi erant, ita adjurat; Ὁρκίζω σε, ἀδελφέ μου τιμιώτατε καὶ τοὺς μυσταγωγέ μου ταύτῃ τῇ Συντάξει, οὐρανὸν μὲν ἀστέρικτον κύτος καὶ ☉ δυοκαιδεκάζωδον θʹ τε καὶ ☽, καὶ τοὺς εʹ. πλανήτας ἀστέρας, δι' ὧν ὁ πᾶς βίος ἡνιοχεῖται, αὐτήν τε τὴν Πρόνοιαν καὶ Ἱερανάγκην, ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα συντηρῆσαι καὶ μὴ μεταδοῦναι τοῖς ἀπαιδεύτοις, εἰ μὴ τοῖς ἀξίοις καὶ δυναμένοις διαφυλάσσειν καὶ ἀμείβεσθαι δικαίως αὐτοὺς τῷ ἐμοὶ Οὐάλεντι τῷ ἀσκησαμένῳ ἀείμνηστον καὶ ἀγαθὴν φήμην ἀπονέμειν· καὶ μάλιστα ἐπιγνόντας τὸ ἄφθονον καὶ τὸ τῆς ἀληθείας μέρος ὡς ὑπὸ οὐδενὸς ἀνδρὸς ἐπιλελυμένον αὐτὸς ἐφώτισα· μὴ δὲ παρέντας τὸ ἐμὸν ὄνομα ἑτέροις ἐπεισφέρειν ταύτῃ Συντάξει· μὴ δὲ λωβῆσαι τινὰ τῶν προγεγραμμένων ἢ μελλόντων λέγεσθαι πρὸς τὸ ἀθετῆσαι τοὺς ἐντυγχάνοντας· καὶ μὴ ψόγον ἐπενέγκαι. Καὶ ταῦτα μὲν διαφυλάσσουσιν οἱ προειρημένοι Θεοὶ πάντες ἐμμενεῖς ἔσονται καὶ βίος εὐπαθὴς, καὶ καταθύμιος λογισμῶν συντέλεια. Ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία· μήτε γῆ βατή· μήτε θάλαττα πλωτή· μή τι τέκνων σπορά· τυφλός τε νοῦς καὶ πεπαιδευμένος ὑπάρχων, ἀσχήμονα βίον καὶ ἀνεπίτευκτον ἀγαθῶν ἐπάγοι. Ἐὰν δὲ τὶς καὶ μετὰ θάνατον ἐστὶ κακῶν τε καὶ καλῶν ἀμοιβὴ, κἀκεῖ τῶν ὁμοίων μεταλάβοιεν. Videſis Julium Firmicum Matheſeos, lib. 7. in in initio. Præter diras ejuſmodi gentibus uſitatas (quæ obviæ ſunt apud rituum veterum conſarcinatores) Vide eas quæ Judæorum Conſtantinopolitanorum juramentis adjectæ erant ex tabulis præfectoriis, in Juris Græco-Romani lib. 1. pag. 119. De iis etiam quæ Chriſtianis olim in uſu, conſulas Novellam 8. Adde Durandi ſpeculum tit. de Juramento calumniæ, ſect. 3. Diræ autem illæ horrendæ 11. Novella 8. etiam ante Juſtiniani ævum vetuſtæ erant & ſolennes, ut in tremendo, ſcilicet, die Judicii perjurus haberet portionem Judæ, lepram Gehezi, & tremorem Caini. De hiſce enim ipſiſſimis loquitur Procopius in Arcana hiſtoria, ἀράς τε πάσας, inquit, ἐπέβαλεν, ὅσαι πρὸς τῶν παλαιοτάτων ὠνομασμέναι εἰσὶν, quod *Diris omnibus more majorum devovit*, non male vertit Nicolaus Alemannus. Diras ſcilicet congeſſit eas omnes quæ veteribus ſolennes habitæ. Juramenta autem per corpora cœleſtia ſolenniter præſtita, uti apud Vettium noſtrum per Cœli Syſtema, Zodiacum, Lunam, & quinque Planetas ceteros (adjectis item Providentia & Fato) ſatis raro occurrunt in ſcriptis veterum. Certe in Mahumedis Alcorano aliquoties ejuſmodi habemus formulas: Azoara 95. (ut Latinæ editionis numeri ducunt) ſeu Alburochu, legimus والسماء ذات البروج quod *per cœlum ſigniferum* vertit Retinenſis. Ubi Paraphraſtes Arabs, qui Mahumedicis explicationibus in ipſo contextu interſertis, verba Alcorani, lineis miniatis notata, interpretatur, habet الكواكب اثني عشر برجا تقدمت في الفرقان *Sydera 12 antiquitus delineata in Alphurcan* ſeu *Alcorano.* Alia id genus occurrunt in Azoaris 96 & 63. Ubi *per Stellam Veſpertinam* juramentum concipitur. Et in Azoara 89 والفجر ſeu *Per Auroram*, أي (inquit Paraphraſtes ille) فجر كل يوم *id eſt, per auroram diei cujuſlibet*. Azoara item 66, quæ 56 eſt in Arabico, legimus. *Per loca occaſus ſtellarum quod magnum ſapientibus eſt Sacramentum, hic Alchoran optimus à Rege mundi compoſitus eſt.* Id tamen (quod obſervavit nobis V.C. & doctiſſi-

mus Gulielmus Bedwellus) Arabicis minime convenit. Nec magis conveniunt quam plurima alia quæ in Latina illa versione veteri obtruduntur. In Arabicis autem legitur فلا اقسم بمواقع النجوم وانه لقسم لو تعلمون عظيم id est, *Ne jura per occasus stellarum. Nam illud juramentum, si noveritis, magnum est.* Sed vetustissimum penes me exemplar Latinum non aliter eo loco se habet quam codex editus. Binis autem, quibus utor, exemplaribus Arabicis, ea quæ transcripsimus verba locum illum occupant. Alias in Alcorano jurandi formulas satis portentosas vide Azoara 85. 87. 95. 56. 99. & 100. Adde Alcorani Epitomes veteris orationem quartam. Et de Perjurorum pœna vide Azoaram 68. Sed juramentis, quæ indicavimus, ipsum Deum Optimum Max. plerunque usum esse impie innuit impostor ille qui Alcoranum consarcinavit.

Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ. Duplex Magnesia. Ad Mæandrum fluvium urbs altera erat, ad Sypilum montem altera. Neutrius est infrequens mentio apud autores utriusque linguæ. Mæoniæ urbs utraque. Hæc autem illâ multo Septentrionalior.

Ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος Λευκοφρυήνης ἱερῷ. Ita populus alter in alterius Numinum fanis Fœdus ex pacto collocabant. Ideo autem hiatum Leucophryenes nomine supplevimus, quod tum elementorum numerus haud impar fuerit, tum quia Diana Leucophryne seu Leucophryene dicta impense Magnesiæ culta est, Strabone teste. " In ea quæ hodie extat urbe (inquit lib. 14. de Magnesia " locutus) fanum est Dianæ Leucophryenæ, quod magnitudine quidem Tem- " pli & donariorum multitudine Ephesio cedit: concinnitate autem & ar- " tificiosa delubri structura longe illud superat. Magnitudine etiam omnia " Asiatica superat duobus exceptis, Ephesio & quod Didymis est. De fano hujus Deæ, quod nempe pseudodipteron erat, volumen conscripsit Hermogenes. Vitruvius in proœmio libri 7. " Edidit volumen Hermogenes de " æde Dianæ Ionia, quæ est Magnesiæ Pseudodipteros. Et Magnesiæ Dianæ nomine culta est, non dissimili fano, Alabandi, quæ Cariæ urbs erat, quod testatur idem lib. 3. Dianæ Leucophrynes meminêre Tacitus, Clemens Alexandrinus, Arnobius. Videsis Lipsium ad Taciti Annalium lib. 3. Commentario 121. Sed non minus Leucophryene, ut in vetustis aliquot Strabonis exemplaribus, quam Leucophryne dicenda est. Apud Magnesios magis Leucophryene. Nam in Numismate Marciæ Otacillæ Severæ Aug. Philippi Augusti uxoris nomine insignito legitur (si Occoni fides) ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΛΕΥΚΟΦΡΥΗΝΗ. A Leucophrynes nescio cujus funere nomen petitur ab Arnobio & Clemente. Fanum ejus etiam Asylum erat, teste, loco quem diximus, Tacito. Leucophryenem notari Dianam figurâ Dianæ nudæ arcitenentis in æreo Elagabali numismate cui inscribitur ΕΠΙ.....ΜΑΓΝΗΤΩΝ vix est cur dubitemus. Idem dicendum de Maximini illo cujus pars altera Julium Verum F. exhibet, altera vero ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ.

ΔΙΟΝΥΣΟΥ. Disrupto heic Marmore, elementorum ductus ferme disparuere. Sed ex apicibus reliquis non est difficile hanc lectionem elicere.

Συνσφραγισάσθωσαν. Vetustissimus est Sigillorum in Oriente usus, tametsi ante Iliaca tempora non annulis, id est, sigillis, sed nodi notâ Epistolas, alia claudi solita vult Plinius. Vide eum lib. 33, cap. 1. sed consule Geneseos cap. 38. commate 18. Exodi cap. 28. 11. & 36. 1 Reg. cap. 21. 8. Danielis 6. commate 17. Jeremiæ cap. 32, 11. Esther cap. 3. 12. Tobit cap. 7. commate 14. præter historiolam Beli & Draconis. Adde Josephum Scaligerum in Elencho trihæresii Nicolaii Serrarii cap. 11. Ante Sigillorum inventionem aiunt Græci nonnulli, eorum vice in usu fuisse virgulas seu asserculos à cimicibus variatim irrosos. Isacius Tzetzes, ad illud Lycophronis.

Τὰ δ᾽ ἄλλα θριπόβρωτος ἄψαυστος δόμων
Σφραγὶς δοκεύσει.

Reliqua vero vermiculis exesum, intactum ædium Sigillum observabit, aut,
Intacta vermiculata claxendix domos servabit alias....

Ut vertit Josephus Scaliger: πρὶν γὰρ, inquit ibi Tzetzes, εὑρεθῆναι τὰς σφραγῖδας, οἱ παλαιοὶ ἐσφράγιζον ξύλοις ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένοις, διὰ τὸ αὐτὰ πολυκέντητα εἶναι, "priusquam sigilla reperta sunt, veteres sigillabant lignis cimicibus "irrosis, eo quod plurima eis inerant puncta. Quasi vero seculum ejusmodi unquam fuisset in quo Cimices tantum sive foramina sive lineas qualitercunque ductas ligno incidebant, homines vero adeo stupidi ut incidere non possent. Atqui etiam ejusmodi virgulas seu asserculos Sigillorum officium sæpius præstitisse forsan non est dubitandum. Etiam nunc forte interdum præstant. Ideone vero alia sigilla nondum inventa? Et intelligendus sane Lycophron potius ac si vetustatem duntaxat (cujus caries comes est) in sigillo notasset. Videsis autem Ammonium & Hesychium in Θριπόβρωτος, & Suidam in Θριπηδέστατον. Herculem ejusmodi Sigillo Cimicibus exeso primo usum esse ait Philostephanus apud Hesychium. Ceterum ars etiam sculptoria cum sigillorum confectione speciatim occurrit in sacris literis, idque seculis plurimis ante quidpiam memoriæ, de Græcorum moribus, traditum Exodi cap. 28. commate 11. פתוחי חתם quod *cælatura gemmarii* antiquitus vertitur, Senioribus septuaginta est γλύμμα σφραγῖδος *cælatura Sigilli*. Et Munsterus ibi, quem recentiores plerunque recte sequuntur; "Opere gemmarii "& qui Sigilli cælaturas facit sculpe duos lapides, &c. Consulas etiam Exodi cap. 39. Neque infrequens est vocabuli חתם, pro eo quod est *sigillare*, metaphora in veteri Instrumento, unde & sigillorum in Syria usus frequentia satis manifesta est. Sed Plinius annulos Sigillaritios (ut Vopisci verbo utar) in desuetudinem maxime in Oriente postmodum abiisse scribit. Libro 33. cap. 1. "Nullos, ait, omnino annulos major pars gentium hominumque e"tiam qui sub imperio nostro degunt hodie habent. Non signat Oriens "aut Ægyptus etiam nunc literis contenta solis. Sed de veterum Persarum Sigillis, vide excerpta de Legationibus ex Menandro pag. 296. Editionis Latinæ, 1609.

Καὶ τῷ ὑπάρχοντι κοινῷ. Commune igitur Magnetum suum habebat sigillum; ita etiam Smyrhæorum Civitas; uti & ævis citerioribus passim Corpora & Collegia. Sed de sigillo Communis alicujus populi alio in loco qui non fuerit plurimis seculis Marmore recentior, legisse me non memini. Etiam & sigillum hoc δακτύλιος dictum à pari, uti par est existimare, forma cum iis qui personarum singularum digitis gestabantur. Ideoque etiam curiosulis nonnullis ævi nostri, qui omnia purioris ævi sermone pronuntiare studiosius quam par est, cupiunt, Annuli Sigilla sunt principum, tametsi revera non sint annuli sed crassiores laminæ nihil omnino annuli præ se ferentes.

Παλαιμαγνησίαν. Quod Palæmagnesia, seu *vetus Magnesia* dicitur non aliud puto fuit quam sive Castellum, sive Urbecula in ea Planitiei, cui Thorax mons imminet, parte sita, unde Magnesia Civitas quæ tunc floruit & Fœdus percussit in alium ejusdem Planitiei locum translata est. Strabo de Matris Dindymenes fano in veteri Magnesia & Thorace monte verba faciens lib. 12. νῦν δ᾽ οὐκ ἔστιν, inquit, τὸ ἱερὸν διὰ τὸ τὴν πόλιν εἰς ἄλλον μετῳκίσθαι τόπον. Ita Scepsis & Palæscepsis urbes erant vicinæ in Phrygia & Mysia, ita Byblos & Palæbyblos in Phœnicia. Et sunt id genus aliæ. Palæmagnesia igitur aut sui plane juris erat, aut ita saltem Magnetum, qui Fœdus cum Smyrnæis

per-

percusserant, imperium detrectabant, ut, icto Fœdere, Seleuci majestati haud satis prospexissent Smyrnæi, nisi singulari legatione etiam hosce ad illius amicitiam seorsim invitâssent.

Ἀδεκατεύτους. Prædia illa seu fundi bini, κλῆροι dicti, Palæmagnesiæ incolis à Seleuci decessoribus assignati (de quibus nemo frustra expectet ut plura cognoscere videamur) Decima immunes erant, id est, annuo censu qui sive jure tunc usitato, sive pacto convento, præstari solebat, ubi privilegium aberat. Ita agri assignati, Romanis olim omni munere & collationis onere vacui erant L. 3. C. de fundis Limitotrophis. Duplex autem plerunque erat veteribus Græcis Decimarum, quæ, uti proventus publicus, pendebantur, genus. Portoria seu navium aut rerum importarum & exportarum vectigalia, alterum erat. Ea quæ colonorum agri sive Scripturarii, sive Sativi reddebant, alterum. Decima quæ portorium erat, memoratur Demostheni in oratione contra Leptinem quæ & περὶ ἀτελείων nominatur. Archebius & Heraclides, inquit, Byzantium Thrasybulo tradentes, κυρίους ὑμᾶς ἐποίησαν τοῦ Ἑλλησπόντου ὥστε τὴν Δεκάτην ἀποδόσθαι, "Dominos vos (Athenienses) "fecere Hellesponti, adeo ut decimis inde frueremini. Ubi Ulpianus adnotat; Δεκάτην ἐκ τῶν φορτίων τῶν ἐμπόρων τῶν Ἑλλησπόντου ἐλάμβανον. "Decimam "negotiatorum mercium in Hellesponto accipiebant. Et Publicanus qui Decimam hanc colligebat Δεκατεύτης, & δεκατελόγος dictus, uti & Arabibus عشار eadem notione quod alicubi item legisse me memini, & تعشير pro ipso vectigali. Vide Harpocrationem & Suidam. Adde sis Joannis Meursii Atticarum lectionum lib. 3. cap. 2. Neque hæc decima raro occurrit. Alterum genus quod huc spectat meminit Aristoteles Oeconomicorum 2. In Oeconomia Satrapica, docet ille, proventuum augendorum ratio est præstantissima ex agrorum fructibus. Proventum inde natum (pensionem scilicet à colono pro agro Sativo præstitam) οἱ μὲν, inquit, ἐκφόριον, οἱ δὲ δεκάτην προσαγορεύουσιν. "alii tributum, alii Decimam appellant. Aliam rationem ex re pecuaria affert sive ex agris scripturariis aut ἀπὸ τῶν βοσκημάτων quæ ejus verba sunt. Etiam & hunc proventum ἐπικαρπίαν & δεκάτην dictum ait. Vide porro 1 Samuelis cap. 8. comm. 15. Ejusmodi Decima etiamnum passim in Oriente à Turcarum Imperatore exigitur. Neque de alia olim intellexi illud in Alcorani Retinensis Azoara 17. "De Decimis & beneficiis sume & "inde secundum morem consuetû operare. Sed Arabs habet العفو وامر بالعرف "quod tibi indultum est & ea quæ dari consuescunt. Paraphrastes, quem diximus, Arabs habet, السير من اهلات الناس ولا تحسس عنا, "quod à benevo"lentia hominum obvenerit, aut eorum beneficio, neq; ab eis quid extorque. In Arabico est Azoara 7. Verum & alibi Robertus ille Retinensis, locis non dissimilibus, Decimas substituit pro ejusmodi vocabulis. Et in Azoara 68, quæ in Arabico est 58. "Oratores & Decimatores, inquit, Estote sequen"do Deum omnium operum cognitorem atque Prophetam, ubi Arabs habet, فاقيموا الصلوة واتوا الزكاة واطيعوا الله ورسوله id est, Preces celebrate & eleemosynas date obedientes Deo & Prophetæ ejus. Sed hæc obiter. Ex agris item Sativis Romanis, pendi solebat locatoribus Decima, quod ex Appiani Civilium primo cognoscimus. Nec dissimilis est Decimarum proventus qui tum ex annuis agrorum fructibus, tum ex fossilibus, Galliis, Hispaniis, alibi in Europa, etiam alicubi in Anglia, penditur. Videsis Choppinum lib. 1. de Domanio Franciæ, tit. 1.

Ἡ χώρα ἣν εἶχον οἱ πρότερον ὄντες ἐν Μαγνησίᾳ. Ager, puto, veteri Magnesiæ adjacebat quem possidebant ii qui Magnesiæ olim fuerant incolæ, id est, qui sedibus mutatis in Smyrnæum agrum transmigrarant. Hunc si Smyrnæorum Civitatis possessionibus accederet, Decretum hoc veteris Magnesiæ incolis seu Palæmagnetibus assignat nomine κλήρου seu prædii sine onere possidendi.

Κλῆροι

Κλῆρον ἱππικόν. Prædium equestre heic non diversi fuisse generis autumo à fundis illis olim in Imperio Romano ad subministrandos rei militaris sumtus, assignari solitis. Eorum duæ species. Nam aut tam tironibus quam veteranis in perpetuum sive beneficium & Stipendium, sive præmium donabantur, aut, ad annonæ militaris duntaxat pensitationes, Colonis locabantur; idque plerunque fiebat in limitibus Imperii, unde agri limitanei dicti & fundi limitotrophi. De his videsis L. 15. Item si sect. 2. ff. de rei vindicatione & C. tit. de fundis limitotrophis. In Specie prima, planissima sunt Feudorum vestigia. Et, de vetustissima Feudorum natura, Consule quæ occurrunt de Ducibus limitaneis apud Lampridium in Alexandro Severo, & de Cimbris apud Lucium Florum lib. 3. cap. 3. Nec discrepabant τὰ κτήματα στρατιωτικὰ seu prædia militaria quæ in Imperii Orientalis legibus habentur. Constantini Porphyrogennetæ de iis Novella extat tum apud Leunclavium in Jure Græco Romano tum apud Cujacium in Feudis. Sed emendatior apud Carolum Labbæum in Constitutionibus Imperatorum Græcolatinis, & Joannem Meursium. Sed vero κλῆρος hic noster Equites tantum alebat ad hostes ab Imperii Magnetici seu potius, postquam icto inæquali Fœdere servitutem induerant, Smyrnæi finibus arcendos; adeoque κλῆροι ἱππικοὶ (si de prima Romanorum specie intelligas) ipsissima fere sunt Feuda quæ phrasi forensi Feuda militaria seu *fees de Chivaler* Anglis nuncupantur. Δωρεὰν autem, quod *sine onere* vertimus, Decimas aut alias annonæ pensitationes, non Militiæ onus heic excludit.

II.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
ΚΑΘΑ ΕΨΗΦΙΣΑΤΟ Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΒΟΥΛΗ
ΤΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ
ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΚΑΙ
ΛΑΜΠΡΟΤΑΓΗΣ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟ
ΠΟΛΕΩΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ
ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΩΝ
ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟ-
ΓΜΑΤΑ ΓΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ
ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΥ
ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙ
ΩΝ ΠΟΛΕΟΣ
ΑΥΡ ΦΑΥΣΤΑΝ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ
ΠΟΜΠΩΝΙΑ ΚΛΑΥΔΙΑ
ΦΑΥΣΤΑ ΛΟΥΠΕΡΚΙΑΝΗ
Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΤΗΝ ΧΡΗ
ΣΤΗΝ ΤΗΘΗΝ
ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ.

Ἀγαθῇ Τύχῃ.	Bonæ Fortunæ
καθὰ ἐψηφίσατο ἡ κρατίστη Βουλὴ	Ut decrevit præftantif. concilium
τῆς πρώτης τῆς Ἀσίας	Primæ per Afiam
κάλλει καὶ μεγέθει, καὶ	Pulchritudine & magnitudine, &
λαμπροτάτης, καὶ μητρο-	Splendidiffimæ, & Metro-
πόλεως τῆς Ἀσίας, καὶ	polis Afiæ, &
τρὶς Νεωκόρου τῶν	ter Æditux
Σεβαστῶν κατὰ τὰ δόγ-	Auguftalium fecundum de-
ματα τῆς ἱερωτάτης	cretum fanctiffimi
Συγκλήτου, καὶ κόσμου	Senatus, & Ornamenti
τῆς Ἰωνίας Σμυρναί-	Ioniæ Smyrnæo-
ων πόλεως.	rum Civitatis.
Αὐρ. Φαύστην Ἀρχιέρειαν	Aureliæ Fauftæ Summæ Sacerdoti
Πομπώνια Κλαύδια	Pomponia Claudia
Φαῦστα Λουπερκιανὴ	Faufta Luperciana
ἡ κρατίστη τὴν Χρη-	præftantiffima optimæ
στὴν τήθην.	Amitæ fuæ.
Εὐτυχεῖτε.	Valete.

Notæ

Notæ ad Marmor Aureliæ Faustæ.

HOc Marmor erat basis statuæ, quam ex inscriptione discimus Pomponiam Claudiam Faustam Aureliæ Faustæ summæ Sacerdoti Dianæ & Amitæ suæ è decreto Senatus Smyrnensis posuisse. Statuas enim in publico habere apud Græcos, uti & Latinos, maximum erat, quod ab aliqua civitate bene merentes aut virtutis, aut benevolentiæ præmium poterant accipere; atque ideo hunc honorem largiri penes eos solos fuit, qui reipublicæ præerant, nec eum apud antiquos aliquis unquam sine illorum decreto assequebatur. Statuas, quas civitates ob majora merita decernebant, ipsæ etiam publicis erigebant impensis. Sic Athenienses [a] Harmodio & Aristogitoni aliisque; sic Delii Alexandro Polycleti filio Marm. 132, & Reginæ Laodicæ Marm. 142, & Theophrasto Acharnensi Apend. Marm. 27; & sic ipsi Smyrnenses Pomponio Cornelio Marm. 78, & Lerennio Septimio Heliodoro Mar. 143, & L. Septimio Aurelio Apend. Marm. 15, & decreverunt & posuerunt statuas. Ob minora vero merita tantum ei, cui statua decernebatur, aut alicui ex amicis aut cognatis illius copia facta erat, ut erigeret ex propriis: atq; ideo hic statuam, quam Senatus Smyrnensis Aureliæ Faustæ decrevit, non ipsa civitas, ut in superioribus modo citatis, sed cognata illius Claudia Fausta, & sic Apend. Marm. 19, quam Senatus Thyatirenus M. Ulpiæ Marcellæ Andronicus & Stratonice, qui educarunt, ex propriis impensis dicuntur posuisse. Hic honos priore longe inferior erat, & plerumque non ob merita decernebatur; sed illi, qui in liberis civitatibus, qualis erat [b] Smyrna, apud populum aut Senatum, in aliis apud principem aut provinciæ rectorem gratiâ valebant, pro amicis & cognatis impetrabant, & sic Titinius Capito [c] apud Plinium à Trajano dicitur impetrasse, ut sibi liceret L. Syllano statuam in foro ponere. Jus enim decernendi statuas, quod Romæ salvâ libertate penes solum Senatum fuit, eâdem amissâ ad imperatores translatum erat, illud autem sub Augusto & Tiberio, nondum satis firmiter stabilito imperio, neglectum fuit, ita ut quicunque vellet imaginem suam publicabat, donec Caligula [d] edicto suo prohibuit, ulli nisi se consulto & autore statuam collocari. Cui simile etiam edictum edidit [e] Claudius successor illius: totam vero rei curam ille Senatui remisit, jure autem non decessit suo, eo enim imperatores post Claudium usos fuisse ex modo citato Plinii loco satis apparet. Fallitur igitur Clarissimus Casaubonus, qui ad illum [f] Ælii Spartiani locum, ubi Severus patri, matri, avo, & uxori priori statuas per se collocasse dicitur, notat, *Jus publice ponendi statuas penes Senatum fuit; at Severus ponit istas sua per se, i. e. sine decreto vel autoritate patrum.* Quis enim credet Imperatores Romanos, quorum autoritas in imperio omnibus modis plena, & plane despotica fuerat, jus statuæ honorem largiendi sine Senatus decreto non habuisse? Ea igitur Spartiani verba aliter intelligenda sunt. Per se enim dicitur Severus has statuas posuisse, quod cum sub omnium aliorum principum imperio prima esset Senatus adulatio summos honores illius amicis & cognatis decernere, Severus hâc non expectatâ seu potius spretâ, eosdem autoritate propriâ, quâ alii in hâc re principes ex modestia non utebantur, ipse suis conferebat. Si vero aliquis sine Senatus aut populi decreto, aut in iis civitatibus, qui Imperio Romano suberant sine Imperatoris aut provinciæ rectoris rescripto amici statuam faciebat, in publico non licebat collocare, [g] sed tales vel in Hortis, vel in Bibliothecis, vel in porticibus seu vestibulis ædium privatarum ponebantur, [h] in iisque plerumq;

[a] Vide notas ad Ep. 46. Chronici Marmorei. [b] Vide quæ infra habemus. [c] Lib. 1. Epist. 17. [d] Suetonius in vita Caligulæ. [e] Dion Cassius in vita Claudii. [f] In vita Septimii Severi Imp. [g] Vide Arnob. lib. 1. aliosque. [h] Vide Juvenal. Sat. 8.

Romani

Romani majorum suorum imagines, per quarum numerum nobilitatem suam æstimarunt, magnâ ostentatione publicabant.

Aureliam Faustam summam Dianæ Sacerdotem fuisse, quamvis hoc non indicat Marmor (in eo enim solam legimus vocem Ἀρχιερείαν) ideo supponimus, quia solis Deabus administrabant [k] Sacerdotes feminæ; in Ionia autem, inter cujus limites erat urbs Smyrna, maxime & fere sola dearum colebatur Diana, cujus [l] Templum insignissimum totiusque [m] Ioniæ & Asiæ commune Ephesi erat, secundum plerosque ab [n] Amazonibus, cum Asiæ imperium tenuissent, secundum [o] Pausaniam vero à Creso indigena & Epheso filio Caystri, qui fluvio Caystro nomen dedit, multo antiquius conditum. Quantâ superstitione hic Diana, & διοπετὲς ἄγαλμα illius ([p] quod in Templo Ephesino ab Amazonibus positum tradit Pausanias) à Smyrnæis ceterisque Ioniæ & Asiæ incolis colebatur, legimus in [q] Actis Apostolorum. Ad eam promovendam multum conduxisse videtur Templi magnificentia, illud enim ab Herostrato quodam ex pessimâ ambitione, ut eo facinore celebris apud posteros evaderet, circa tempus, quo Alexander nascebatur, incensum, [r] Ephesii ceterique Asiatici tam magnifice & splendide iterum exstruxerunt, ut merito deinde omnium apud Græcos Templorum maximum & præstantissimum judicatum inter insignissima totius orbis opera, & [s] septem illius miracula numerabatur. Quæ in hoc Templo Deæ sacris & mysteriis præerant, feminas fuisse constat inde, quod [t] eas Massilienses & [u] Mantinienses, qui Dianam iisdem sacris iisdemque omnino ritibus, quibus Ephesii, colebant, pro antistibus habuere. [x] Illæ autem Ephesi in tres Classes, eodem modo quo Virgines vestales Romæ, dividebantur; quæ in prima erant Μελλιεραί, quæ in secunda Ἱεραί, quæ in tertia Παριεραί dicebantur. Μελλιεραί erant candidatæ, quæ tantum ritus & mysteria, quibus Dea colebatur, discebant, in quibus perdiscendis cum definitum tempus peregissent, ad Sacerdotium admissæ Ἱεραί factæ erant, omniaque ministeria Templi per certum tempus peragebant: eo autem peracto, utpote sacerdotio defunctæ, ab omnibus illius ministeriis & officiis liberatæ in Παριερῶν classem promovebantur, iisque deinde solum incumbebat prospicere, ut omnia Deæ sacra à sacerdotibus rite peragerentur, eademque à candidatis discerentur. Unam ex iis, quæ ἱεραί dicebantur, supponimus fuisse Ulpiam Marcellam, cui, cum sacerdotio defuncta esset, statua Thyatiræ è decreto Senatus istius urbis, è qua forte fuit, erigebatur, Append. Marm. 19. Quæ inter Παριεραῖς prima, seu potius [y] unaquæque illarum Ἀρχιέρεια dicebatur, qualis fuit Aurelia Fausta, quam hæc inscriptio statuam Smyrnæ à cognata sua Claudia Fausta consecratam habuisse indicat. Eam enim potius Ephesi quam Smyrnæ, ubi illius statua collocata fuit, summam Dianæ sacerdotem fuisse arbitror. Iones enim omnes ad illam Deam colendam Ephesi conveniebant, atque ideo vix ulli eorum illius Deæ fanum in propriis civitatibus habuere; & si qui forte habuissent, de sacerdotibus, quæ in illis administrabant, hæc eadem possunt intelligi, [z] cum nullibi Iones Dianam nisi eodem omnino modo, quo Ephesi, coluerunt: sed Smyrnæ hanc Deam Templum unquam habuisse in nullo autore invenitur.

Ἀγαθῇ τύχῃ. Hæc eadem verba Marmoribus 57 & 153, & in Appendice sæpius inscriptionibus habes præmissa; significant idem quod apud Latinos bene vertat, seu sit Faustum felixque, seu cum bonis auspiciis, & apud Græcos

[k] Pythia enim Delphis non Sacerdos fuit sed vates, i. e. non sacra peragebat, sed tantum oracula à tripode accipiebat. [l] Vide Strabonem lib. 14. & omnes fere antiquos scriptores. [m] Act. Apost. c. 19. v. 27. Asia tota dicitur Dianam Ephesiam coluisse, & ejus Templum dicit Plinius a tota Asia conditum lib. 6. c. 40. & lib. 36. c. 14. [n] Vide Strab. lib. 14. & Pausan. in Achaicis. Eustathius in Scholiis ad Dionys. ad v. 828. [o] In Achaicis. [p] Pauf. lib. 4. [q] Cap. 19. [r] Strabo l. 14. [s] Vitruv. præf. ad lib. 7. Cassiodor. Variarum, lib. 7. [t] Strabo lib. 4. [u] Pausan. in Arcadicis. [x] Plutarchus in libro Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. [y] Plures enim in eodem Templo Ἀρχιερείας fuisse nihil prohibet, cum vox Ἀρχιέρεια non tantum sacerdotem summam & omnium primam, sed unam inter summas seu primarias etiam significat, eodem modo quo Ἀρχιερεύς: & sic qui inter Sacerdotes primarios in Templo Hierosolymitano fuerunt, Ἀρχιερεῖς dicuntur, Mat. 2. v. 4. [z] Vide Historiam de Phocæis. Strab. lib. 4.

in omnibus fere statuarum basibus & cippis in alicujus viri bene meriti honorem, aut fœderis promulgandi gratiâ erectis, bene ominandi causâ præfigebantur. De iis plura vide in notis ad Marmor primum, & etiam in Seldeni libro De Diis Syris Syntagm. 1. cap. 1.

Τῆς πρώτης τῆς Ἀσίας κάλλει καὶ μεγέθει, &c. Hæc eadem verba de Smyrnæorum urbe habes etiam in Marmoribus nostris 78 & 143, & in Append. Marm. 15. atque ideo videntur communis formula fuisse omnibus statuis in alicujus honorem, Smyrnæ, è publico decreto Senatus istius urbis erectis, fuisse subscripta; & nomini titulisque illius cui statua consecrata fuit per modum præfationis præmissa. Si apud antiquorum inscriptiorum collectores aliquæ è Smyrnæorum Marmoribus transcriptæ præservatæ essent, non dubito, quin in illis hæc eadem legerentur; sed cum tales in Grutero omnibusque aliis, quos ipse præ manibus habeo, desiderentur libris, nullas possum invenire, in quibus habentur, præter nostras.

Τῆς Ἀσίας. Nomen Asiæ ambiguum est & variæ acceptum in antiquis autoribus, nunc enim pro ea Regione quæ jam est quarta orbis pars, nunc pro peninsula maribus Euxino, Ægéo & Cilico inclusâ, quæ respectu prioris Asia Minor appellata est, sumebatur; nunc etiam solius provinciæ, quæ Proconsuli Romano, nunc Diœceseως, quæ Vicario parebant, sæpissime vero solius Lydiæ, quæ nominis antiquissima est acceptio Asiam nomen esse invenimus. De singulis his agemus, & deinde inquiremus de quânam earum intelligendum sit τῆς Ἀσίας nomen, quod in hoc Marmore habetur.

Quænam sunt limites Asiæ, quæ ante inventam Americam tertia, jam quarta dicta est orbis terrarum pars, satis notum est apud omnes Geographos, unde vero est nominis origo variæ disceptatur. Multi [a] ab Asia Promethei uxore dictam volunt; sed cum sola Mythologicorum nitantur autoritate, & ipsi etiam Mythologici non omnes consentiant, Promethei uxoris [b] nomen Asiam fuisse, hanc opinionem utpote fabula fundatam merito rejicimus. [c] Vir inter nostrates in doctrina Judaicâ nemini secundus cum Gigantes eos, qui ante adventum Israelitarum ex Ægypto montana Judææ incolebant, in Samaritana versione, [d] אסהים i. e. Asæos appellari inveniat, sic eos à Syris aliisque Orientis populis Syriace aut Chaldice loquentibus vocatos, & Asiam ab his, utpote in medio illius degentibus, & ob stupendam & monstrosam corporum molem præ omnibus aliis Asiaticis celeberrimis, nomen habuisse opinatur. Sed pace tanti viri nec à Chaldæis, nec à Syris, hi Gygantes Asæi unquam appellati fuere, sed à solo Samaritano interprete quem indoctum & linguæ Hebrææ non valde peritum satis arguit futilis ejus & nullius pretii versio. Ille enim vocem רפאים quasi à radice רפא *Sanavit, curavit* derivatam, interpretatus est per Samaritanam vocem אסהים, quæ non gentem aut populum aliquem sed medicos significat à verbo אסה seu אסי derivata, quod [e] idem apud Samaritanos & Chaldæos, quod רפא apud Hebræos significat, in quem errorem alios etiam interpretes incidisse invenimus, Psal. enim 88. v. 11. in versione Græcâ, Arabicâ, Æthiopicâ, & vulg. Lat. pro אם רפאים יקומו legimus *an medici resurgent*, quæ autem sit vocis רפאים in hoc loco, & Prov. 21. v. 16. significatio, vide [f] Medum nostrum: In utrisque autem his locis secundum Judæos Interpretes hæc vox mortuos significat, in omnibus aliis vero locis Gygantes, Medicos vero nullibi; atque ideo [g] Grammatici רפאים non à רפא sanavit, sed à רפה remisit deducunt, ideoque Gigantes sic vocatos volunt, quod quicunque eos aspiceret, manus ejus præ metu remittebantur. Sed concesso hoc, quod hi Gigantes Asæi appellati fuerunt, quis unquam dixit tam antiquum fuisse Asiæ nomen, ut possibile sit illud ab his originem ha-

[a] Herodot lib. 4. Isidor. lib. 14. [b] Apud Apollodor lib. 1 Asia Iapeti uxor dicitur; Apud Strabonem Clymene Promethei uxor est, lib. 9. in fine. [c] Cl. Lightfoot in Decade Chorographica, cap. 10 sect. 5. [d] Gen 15. v. 20. Deut. 2. v. 20 [e] Vide Buxtorph. Lex. Rab. in אסי & Castelli Lex. Polyglot. in eadem voce. [f] In dissertatione in Prov. 21. v. 16. [g] Vid. Buxtorph. in רפה.

buisse?

buisse? Nulla hujus nominis mentio apud Homerũ, quem aut Asiæ aut Europæ nomen cognovisse negat [h] Stephanus Byzantinus; nec apud aliquem alium antiquum autorem, unde eliciatur illud ante Persicum Imperium, quod non nisi post 900 an. postquam hi Gigantes deleti erant, initium habuit, toti illi orbis parti, quæ jam Asia dicta est, inditum fuisse. Præterea quis unquam existimáre potest totam hanc plagam à montanis his, qui unam tantum, aut alteram urbem in montibus Judææ, angustissimo & obscuro angulo illius, tenuerunt, nomen accepisse? Quis credet eorum famam ad Græcos, apud quos prima nominis origo, cum illi, prius quam Græci extitere, periissent, unquam transiisse. Deliria hæc omnia, in quæ tam doctum virum nollem incidisse. [i] Eustathius tradit, cum Asius quidam magicus Palladium Telesmanice præparatum Troi, cum Trojam condidisset, in tutelam illius urbis obtulisset, illum Regem in Magici honorem totam Regionem, cui præerat, Asiam appellasse, eamque primam fuisse nominis originem; quod idem etiam ex Johanne Malela refert Tzetzes in Scholiis ad Lycophronem; illudque in ipso Malela MS in Bibliotheca Bodleianâ invenio lib. 5. cujus verba hæc sunt, Παλλάδιον, ζώδιον τῆς Παλλάδος, μικρὸν ξύλινον, ὃ ἔλεγον εἶναι τετελεσμένον εἰς νίκην φυλάττοντα τὴν πόλιν, ἔνθα ἀπόκειται, ἀπαράληπτον, ἔδωκε τῷ Τρωῒ βασιλεῖ μέλλοντι κτίζειν τὴν πόλιν Ἄσιός τις φιλόσοφος καὶ τελεστής. Καὶ ὑπὲρ εὐχαριστίας ὁ Τρῶος βασιλεὺς εἰς μνήμην αὐτοῦ τὴν ὑπ' αὐτοῦ οὖσαν χώραν πᾶσαν τὴν πρώην λεγομένην Ἐπίτεροπον (apud [l] Eustathium ἤπειρον) μετεκάλεσεν Ἀσίαν. Sed hæc, uti & cetera omnia istius autoris ex primo intuitu fabulam sapiunt. Liceat nihilominus hic notare, Artes Telesmanicas, quæ à Zabiis (de quibus vide [m] Hottingerum, & [n] Clarissimum Pocockium) originem habuere, tam antiquas non fuisse, nec in Græcia ante Apollonii Tyanei tempora unquam notas. [o] Bochartus Asiam dictam vult à חצי, quod dimidium & etiam medium sonat, quia media est inter Africam & Europam: quod falsissimum est, Asia enim non est inter Europam & Africam, sed à latere utriusque. Becmannus Asiam ab אש *ignis* derivat, quia in ea regione ignis à Magis colebatur. Sed nugæ hæc, ineptiæ, nec nostrâ observatione digna, si non à viris summæ famæ & doctrinæ traderentur. His igitur rejectis, verissimum videtur solam Lydiam, quæ & Mæonia, [p] antiquitus Asiam appellari, sicut ea [q] sola Africæ pars, in qua sita erat Carthago, primo Africa dicebatur, indeque nomen processu temporis ad denotandam totam continentem transiisse: & hæc est [r] Eratosthenis doctissimi inter antiquos Geographos opinio. Lydia autem Asia dicebatur, [s] ab Asio quodam, qui in ea regione olim regnabat (hoc enim circa tempora belli Trojani non inusitatum fuisse in iis Asiæ partibus virorum nomen, testatur [t] Homerus) [u] urbs etiam erat in Lydia sub Tmolo monte sita ab hoc Asio condita, ab illiusque nomine Asia appellata, eique & fluvio Caystro vicini erant, ab eodemque Asio sic denominati [x], Ἄσιοι λειμῶνες, quorum [y] Homerus & post eum [z] Virgilius meminere, in iisque [a] usque ad Strabonis tempora, qui sub [b] Augusto floruit, sacellum huic Asio consecratum ab incolis ostendebatur. Sardibus etiam [c] Herodoti temporibus tribus erat Asias, quam Lydi ab hoc eodem Asio [d] sic appellatam dicebant, eumque & Regem suum & nominis Asiæ, quod tertiæ tunc orbis parti inditum fuit, autorem fuisse contendebant. Sed non nisi multis post Asium seculis nomen Asiæ in tam latâ acceptione notum fuit. Asius enim soli Regioni cui imperabat Asiæ nomen indidit, secundum morem

[h] In Ἀσία. [i] In Scholiis ad Dionysii Afri περιήγησιν. [l] In Scholiis ad Dionysii Afri περιήγησιν. [m] In Historia Orientali. [n] In Specimine Historiæ Arabicæ. [o] In Geographia Sacra. [p] Demetrius Sceptius apud Strabonem lib. 13. Apollonii Rhodii. Scholiastes vetus ad lib. 2. Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 365. [q] Vid. Casauboni notas ad Strab. lib. 1. pag. 44. col. 2. [r] Apud Strabonem lib. 1. Vide Casauboni notas ad illum locum. [s] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 254. Phavorinus in Ἀσία, & Etymol. magn. [t] In eo enim legimus de Asio Hyrtaci filio Arisbæ Rege qui Trojanis auxilium tulit, & de Asio Hecubæ fratre. [u] Stephanus Byzantinus in Ἀσία. Etymol. magn. & Phavorinus ad eandem vocem. [x] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 254. Etymol. mag. in Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι. Strabo lib. 14. [y] Hom. Il. β'. v. 461. [z] Georgicorum lib. 1. Æneid. lib. 7. [a] Strabo lib. 14. [b] Vide lib. illius 17. pag. 829. Vide etiam notas Casauboni ad lib. 12 Strabonis & quæ idem Criticus notis suis de Strabone & scriptis illius præmisit. [c] Herodot. lib. 4. [d] Herodot. ib.

tunc temporis apud omnes fere Reges usitatum, qui quam subito in aliqua regione regnum adepti essent, abolito antiquo nomine eam à suo denominabant. Sic Attica [e] sub Actæo Rege Actica, sub Cecrope Cecropia, & sub Cranao Cranaa dicebatur, quo exemplo etiam post Asii obitum, eadem Regio, quam ille à suo nomine Asiam appellabat, [f] mox Mæonia, & deinde [g] Lydia à successoribus illius denominabatur. Sed antiqui Græci Asiæ nomen retinebant, eoque solam eam regionem, quæ ab Occidente mari Ægéo, ab Oriente monte Tmolo terminata, fluvios Mæandrum, & Caicum interjacet, denominarunt. Postea vero, sub Gygis posteris, Mermnadis dictis, ut auctum erat Lydorum imperium, sic latius etiam extendebatur Asiæ nomen, donec tandem temporibus Crœsi, quicquid cis fluvium Halym & Taurum montem, & mox, cum eo victo quicquid Lydi tenuerunt, Persico Imperio adjungeretur, totum illud & quicquid aliud Orientis erat trans Hellespontum & mare Ægeum situm, apud Græcos inceperat Asia appellari. Non tamen desiit Lydia (intra cujus terminos Ioniam & Æolidem comprehendimus) stricte semper eo nomine dici, atque ideo sic habet Euripides in Bacchis,

> Ἀσίας ἀπὸ γᾶς ἱερὸν Τμῶλον
> ἀμείψασα.

Et Eunapius in vita Ædesii de Sosipatra, feminâ quâdam doctâ, dicit, quod erat ex ea Asia, quæ circa Ephesum est, per quam currit fluvius Cayster. Et habet [h] Hieronymus *Asia Regio, quæ vocatur minor, undique circundata est mari; sed specialiter ubi Ephesus civitas est, Asia appellatur.* Et hanc solam Eusebius in Ecclesiastica Historia per nomen Asiæ, quod in ea sæpius occurrit, videtur denotare, & non Asiam Proconsularem, ut [i] plerique interpretantur; Libro enim quinto cap. 1. & cap. 14. Phrygiam ab Asia distinguit, Phrygia autem Asiæ Proconsularis pars. Nec huic obstat, quod lib. 3. cap. 31. & lib. 5. c. 9. idem scriptor Hieropolin, quæ intra Phrygiæ limites fuisse putatur, urbem Asiæ dicat. Cum enim [l] Strabo tradat terminos Lydiæ, Cariæ, Phrygiæ, & Mysiæ, postquam hæ regiones Romanis suberant, quod illi non per regiones, sed per conventus seu præfecturas Provinciam diviserunt, tam implicatos fuisse, ut discerni nequirent, incertum inde factum videtur, an urbs Hieropolis ad Phrygiam, an ad Lydiam, [m] cum inter utramque sita fuit, pertineret: atq; ideo bene possumus opinari, eam à nonnullis huic regioni, ab aliis alteri attributam fuisse; ab Eusebio autem intra Lydiæ terminos existimatam fuisse non dubito, præsertim cum [n] Laodiceam, intra cujus conventum seu præcinctum hæc urbs erat, in Lydia sitam inveniamus. Et non tantum Eusebius, sed omnes fere alii Christiani scriptores per Asiam stricte dictam solam Lydianam intelligunt, quod ideo ab iis factum videtur, quod hoc nomen in ea sola significatione in sacris scripturis invenitur. Quotiescunque enim ibi occurrit, stricte sumitur pro aliqua parte Asiæ Minoris, atque ideo vel pro Asia Lydiana, quæ ex sola Lydiâ cum Ionia, & Æolide constabat, vel pro Asia Proconsulari, inter cujus terminos præter Asiam Lydianam etiam Caria Phrygia & Mysia continebantur. Sed in Actis Apostolorum cap. 2. com. 9. & 10. Asia à Phrygia, & cap. 16. com. 6. & 7. à Phrygia & Mysia, & cap. 20. com. 16. & 17. [o] à Caria distinguitur: sola igitur relinquitur Lydia cum Ionia & Æolide (quæ etiam intra Lydiæ terminos ponuntur) quam nomen Asiæ in iis ceterisque Sacræ Scripturæ locis potest denotare, in eaque significatione in Apocalypsi Johannis hoc nomen accipiendum est, [p] quoties ibi septem Asiæ Ecclesiarum fiat mentio; omnes enim hæ, [q] Ephesus scilicet, Smyrna, Per-

[e] Vide notas ad Ep. 1. Chronici Marmorei. [f] Herodot. lib. 1. & lib. 7. Diodorus Sic. lib. 4. Dionysius in Periegesi. Strabo lib. 13. Plinius lib. 5. c. 29. Stephanus Byzantinus. [g] Herodot. lib. 7. [h] In locis Heb. in Act. Apost. [i] Vide Valesium in notis ad Euseb. lib. 5. cap. 23. [l] Lib. 14. [m] Stephanus Byzantinus dicit, Ἱερὰπολις μεταξὺ Φρυγίας καὶ Λυδίας πόλις. [n] Vide quæ infra habemus. [o] Miletus enim ibi ponitur extra Asiæ terminos, Miletus autem urbs Cariæ. [p] Cap. 1. Com. 4. & 11. &c. [q] Apocalyp. cap. 1. com. 11.

gamus,

gamus, Thyatira, Sardes, Philadelphia, & Laodicea, in Lydia sitæ fuerunt; de Pergamo enim [r] Xenophon & [s] Aristoteles, de Epheso Scylax Charyandensis & [t] Herodotus, de Sardibus Philadelphiâ & Thyatirâ [u] Ptolomæus, de Smyrna [x] Aristoteles & Scylax Charyandensis, de Laodicea (quamvis hunc [y] alii Cariæ [z] alii Phrygiæ ob terminorum confusionem attribuunt) Stephanus [a] Byzantinus testantur. Et sic etiam Act. Apost. cap. 19. com. 27. ubi de Diana dicitur, *quam Asia tota & orbis terrarum colit,* in omnibusque item aliis Sacræ Scripturæ locis nomen Asiæ est intelligendum; in eaque sola significatione in plerisque antiquis historicis, priusquam Romani exercitus Hellespontum transiissent, Asia, quoties stricte dicitur, accipienda est. Cum vero Romani Duce Scipione [b] Antiocho victo hanc Asiam occupassent (à qua Scipio denominatus est Asiaticus) eam Regibus Pergamenis dedissent, quicquid deinde hi reges tenuerunt, inceperat extenso nomine Asia stricte appellari: atque ideo cum Romani [c] ab Attalo horum regum ultimo regni illius hæredes scripti illud in Provinciæ formam redegissent, Asiam Proconsularem nominabant, eaque est, quæ apud [d] Strabonem & [e] Ptolomæum Asia ἰδίως καλουμένη dicitur, quam [f] Cicero ex Caria, Lydia, Phrygia, & Mysia constare dicit, quæ eædem etiam sub Augusto, cum Provinciæ Romani Imperii de novo ordinatæ essent, illius partes fuere. Dicit enim [g] Strabo eam tunc continere totam illam Asiam, quæ cis Halym & montem Taurum erat, præter Galatiam, Bithyniam, Propontidem (cum Ponto) & regiones quæ [h] Amyntæ regi paruerunt; iis igitur subductis remanent in Asia Proconsulari eæ Regiones, quæ ab [i] Onuphrio illi Provinciæ assignantur, Lydia scilicet, Ionia, Phrygia, Caria, Mysia, & Hellespontus Proconsularis (lege Consularis, [l] Hellespontus enim nunquam fuit Provincia Proconsularis, sed Consularis) eædemque hæ sunt, è quibus Cicero supra dixit Asiam Proconsularem constare; Ille enim sub Lydiæ nomine Ioniam etiam & Æolidem, sub Mysiæ utramque Mysiam, & sub Phrygiæ utramque Phrygiam designabat. Nam Ionia & Æolis intra Lydiæ terminos continebantur, ut supra diximus, & sicut [m] Phrygia, sic etiam [n] Mysia erat major & minor. Phrygia major erat è parte Lydiæ Orientali versus septentrionem usque ad Bithyniam, versus Austrum usque ad Lyciam & Cariam extensa; postea (circa Constantini tempora) [o] in Phrygiam salutarem, cujus Metropolis erat [p] Synnada, & in Pacatianam, cujus mentio est [q] in subscriptione ad Epistolam Pauli ad Timotheum, dividebatur. [r] Phrygia Minor Hellesponto, mari Propontide, & fluvio Æsepo, quo [s] à Mysia Minori & sinu Adramyttico, [t] quo à Mysia Majori dividitur, undique terminata, quicquid antiquitus erat Priami regnum, continebat, & sub Romanis etiam [u] Epictetus, & ab Hellesponto, ad quem sita erat, Phrygia [x] Hellespontia, & à Troade Metropoli illius (cujus frequens mentio in [y] Sacris Scripturis) [z] Troas dicebatur. Inter utrasque has Phrygias à fluvio Caico, qui [a] Lydiam è parte septentrionali terminabat, versus septen-

[r] De Expedit. Cyri lib. 7. [s] In libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, dicit enim ibi, ἐν τοῖς περὶ Λυδίαν μετάλλοις τοῖς περὶ Πέργαμον. [t] Lib. 1. [u] In Geographicis. [x] Lib. 3. de Poetica apud Plutarchum de vita & Poesi Homeri. [y] Ptolomæus in Geographicis. [z] Vide Subscriptionem ad Epistolam Timothei à Græca Ecclesia additam. [a] In Λαοδικεία. [b] Liv. lib. 37. Polyb. Leg. Ecl. [c] Strabo lib. 13. Justin. lib. 36. L. Florus l. 2. c. 20. [d] Lib. 13. &c. [e] In Geograph. [f] In oratione pro Flacco. [g] Lib. ult. in ipso fine. [h] Quænam erant regiones quæ Amyntæ paruerunt, vide Strabonem lib. 12. [i] Commentar. de republicâ Romana, lib. 3. pag. 378. Edit. Franc. an. 1597. [l] Vide Notitiam Imperii Orientalis, & notas Pancirolli, cap. 101. [m] Strabo lib. 12. Ptol. lib. 5. c. 2. Dionys. Afer. Diodor. Sic. lib. 18. Liv. lib. 38. [n] Ptol. lib. 5. c. 2. [o] Notitia utriusque Imperii, sect. 2. & 15. Editionis Labbianæ. [p] Concil. 5. collat. 8. [q] A Græca Ecclesia hæc subscriptio addebatur. (Cujacius in Exposit. Novel. 145.) Priusquam enim Constantinus Imperii Provincias de novo ordinasset, earumque novas instituisset divisiones, nunquam auditum fuit Phrygiæ Pacatianæ nomen. Illud à Pacatiano, qui Constantini temporibus Vicarius Brittaniæ (vide cod. Theod. lib. 11. Tit. 7.) & postea præfectus Prætorio Orientis fuit (Theod. cod. l. 10. Tit. 15.) putatur originem habuisse. Ex nova hac divisione ortum fuit, quod Laodicea, quæ Lydiæ urbs erat, in hac subscriptione Metropolis Phrygiæ Pacatianæ dicitur. [r] Strabo lib. 13. [s] Homerus apud Strabonem lib. 13. [t] Strabo lib. pag. 583. ibi enim dicit Promontorium Lectum terminum Phrygiæ Hellespontiæ Australem fuisse, illud autem in Sinu Adramyttii ostio erat. [u] Strabo lib. 2. pag. 129. & lib. 12. pag. 563. & 571. [x] Diodor. Sic. lib. 18. Liv. lib. 38. Strabo lib. 13. [y] Act. Apost. 16. com. 8. & 11. & cap. 20. com. 5 & 6. & 2 Epistol. ad Corinth. c. 2. com. 12. & 2 Epist. ad Tim c. 4. com. 13. [z] Strabo lib. 13. [a] Herodot. lib. 6. & 7. Strabo lib. 12. pag. 576. & 571.

trionem

trionem uſque ad Myſiam Minorem extendebatur Myſia Major, quæ ab Olympi montibus in ea ſitis [b] Myſia Olympena appellabatur. [c] Myſia autem minor, cujus Metropolis erat Cyzicus, ad ipſam Propontidem ſita fuit, à Phrygia Minori ſeu Epicteto fluvio Æſepo diſterminata. Utræque hæ Myſiæ conſtituebant regionem, [d] quæ, ut à Myſia ſeu potius Mæſia ad fluvium Iſtrum in Europa ſita diſtingueretur, Myſia Helleſpontia dicebatur, [e] è qua & Phrygia Minori Helleſpontiâ etiam dictâ conſtabat Provincia, quæ poſt Conſtantini tempora, quod ſub Conſulari regimine erat, Helleſpontus Conſularis appellabatur, eaque eſt quam Onuphrius in Catalogo regionum Aſiæ Proconſularis ſupra citato per Helleſpontum Proconſularem videtur denotare: ideoque ibi etiam Myſiam nominat, quod forte Helleſpontum Conſularem (quam ille Proconſularem vocat) pari errore è ſola Phrygiâ Helleſpontiâ ſeu Troade putabat conſtitiſſe. Hæ ſunt regiones, quas Aſia Proconſularis à morte Attali Regis Pergameni uſque ad Conſtantini tempora per an. circiter 450 limitibus nunquam mutatis continebat, eamque & ab Aſia Lydiana, & ab Aſia Magna continente bene diſtinguit Ariſtides Rhetor. dum de urbe Smyrna dicit, [f] Καθαρῶς ἐξεφάνη ὅσος τις παρ' αὐτοῖς τῆς Ἀσίας κόσμος ἦν, λέγω δὲ οὐχὶ τῆς μέχρι Μαιάνδρου πηγῶν, οὐδ' ὅσην ὁ τῶν ἡγεμόνων ἡμῶν κλῆρος ὁρίζεται, ἀλλ' ἣν ἐξ ἀρχῆς Ἕλληνες προσεῖπον Ἀσίαν, προσήγορον δὲ καὶ ἤπειρον διαφερόντως αὐτὴν τῶν τριῶν, i. e. ſecundum Canteri verſionem, Perſpicue apparuit quantum eſſet ipſa (Smyrna ſcil.) ornamentum Aſiæ, non ejus quidem, quæ uſque ad Mæandri fontes protenditur, nec quantam Prætorum (ſeu potius Proconſulum) complectitur juriſdictio, ſed quam initio Græci Aſiam dixerunt, ac de tribus mundi partibus continentem præcipue appellarunt, ubi eum per Aſiam, quæ ad Mæandri ripas exporrigitur, Aſiam Lydianam, per Aſiam, quæ erat ἡγεμόνων κλῆρος, Aſiam Proconſularem, & per alteram Aſiam tertiam tunc orbis partem evidenter apparet intelligiſſe. Et hæ ſolæ erant nominis Aſiæ acceptiones, quæ [g] illius temporibus notæ erant, poſtea vero orta etiam eſt Diœceſis Aſiæ. Conſtantinus enim cum Imperii Provincias de novo ordinaſſet, [h] quicquid penes Romanos erat trans Helleſpontum & mare Ægeum Proconſuli Aſiæ, & tribus Comitibus (qui, quod ſub diſpoſitione erant Præfecti prætorio Orientis, Vicarii etiam nuncupati fuere) commiſit regendum, eaſque Regiones, quæ his Comitibus ſuberant Diœceſes appellavit, inter quas una fuit Diœceſis Aſiana, quam ſupra diximus per nomen Aſiæ apud ſcriptores etiam denotatam fuiſſe, ceteræ duæ Pontica & Orientalis dicebantur; Diœceſes autem definiente [i] Balſamone erant, αἱ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσαι ἐν ἑαυταῖς. Multas enim illæ continebant regiones. In Aſiana primo hæ fuerunt [l] Pamphilia, Piſidia, Lycia, Lycaonia, Helleſpontus Conſularis (quæ ex utraque Myſia & Phrygia Minori conſtabat) Phrygia Salutaris, Phrygia Pacatiana, Caria, & Inſulæ, quarum Helleſponto, Cariâ, & utraque Phrygiâ Salutari ſcilicet & Pacatianâ ab Aſia Proconſulari detractis, illa Provincia ab eo tempore inter anguſtiores terminos coarctata [m] ſolam Aſiam Lydianam, Lydiam ſcilicet Ioniam & Æolidem, & poſtea cum Lydia etiam Diœceſi Aſianæ Imperante Arcadio adjecta eſſet, tantum [n] Ioniam & Æolidem continebat. Lydia autem videtur Diœceſi Aſianæ ideo adjecta fuiſſe, ut compenſatio fieret pro Helleſponto, quæ Imperante [o] Theodoſio Arcadii patre, & Inſulis, quæ forſan eodem tempore à Diœceſi Aſianâ abſtractæ diſpoſitioni Proconſulis Aſiæ ſubjiciebantur, quorum ille has per Præſidem, qui Rhodi ſedem habuit, illam per Conſularem regebat; & ſecundum hanc diſtributionem quæ diu in

[b] Herodot. lib. 7. Strabo l. 12. [c] Ptol. lib. 5. c. 2. [d] Galen. de ſanitat. tuend. lib. 5. [e] Vide Notitiam Imperii, & notas Pancirolei. Et etiam L. Offic. Helleſponti. L. de Offic. com. ſacr. Patrimon. [f] In προσφωνητικῷ Σμυρναϊκῷ. [g] Maxime enim floruit temporibus M. Aurelii & Commodi Imperatorum, ut ex illius orationibus paſſim apparet. [h] Imperii notitia [i] In Concil. Chalcedon. can. 9. [l] Notit. Imperii, ſect. 2. Edit. Lab. [m] Eunapius in vita Maximi dicit Aſiam Proconſularem, cum Clearcho ſuberat, (i. e. Imperante Valente) à Pergamo uſque ad Cariam extenſa è parte Orientali Tmolo monte terminatam fuiſſe, intra hos autem terminos Lydia, Ionia, & Æolis continebantur. [n] Atque ideo Palladius in vita Chryſoſtomi. & ex eo Georgius Alexandrinus de Synodo agentes ſub Chryſoſtomo A.D. 402 celebratâ Epiſcopos Aſianos à Lydianis diſtinguunt. [o] L. Offic. Helleſponti C. de Offic. Sacri Patrimon.

Imperio

Imperio immutata videtur mansisse in Notitia Imperii sub dispositione Asiæ, Asia, Hellespontus, & Insulæ; & sub dispositione Vicarii Diœceseos Asiæ [q] Lydia, Caria, Phrygia Salutaris, Phrygia Pacatiana, Lycia, Lycaonia, Pisidia, & Pamphylia numerantur. E ceteris duabus Diœcesibus, quæ trans Hellespontum erant, Pontica [r] Bithyniam, Galatiam, Paphlagoniam, Honoriadem, Galatiam salutarem, Cappadociam primam, & secundam, Armeniam primam, & secundam, Helenopontum, & Pontum Polemoniacum; Orientalis Palestinam, Syriam, Arabiam, Mesopotamiam, Phœnicem, [s] Osrhoenam, Isauriam, Ciliciam, & Cyprum insulam continebant. E duabus igitur Diœcesibus, Asianâ scilicet, & Ponticâ, & Provinciâ Proconsulari Asiæ, si è Pontica utramque abjicias Armeniam, & earum loco Ciliciam & Isauriam è Diœcesi Orientali assumas, constabat ea Asia, quæ minor dicitur. [t] Ducta enim à Tarso Ciliciæ ad Themiscyram lineâ, quâ Geographi versus Orientem hanc Asiam terminant, intra eam provincias, quas ei assignamus, invenies contentas; Asiam scilicet Proconsularem, Diœcesin Asianam totam, & Diœcesin Ponticam, si Armenias auferas, cum Ciliciâ etiam & Isauriâ, quæ Diœceseos Orientalis partes fuere. Hæc Asia maxime apud Geographos nota erat, & postea, cum Diœcesi Orientali [u] à Saracenis occupata ea totum erat, quod in Oriente habuerunt Imperatores Græci, [x] ipsa tandem ἀνατολικὸν θέμα, i. e. Orientalis Provincia, & Ανατολία, & tandem corrupte omissa prima litera Νατολία, seu Natolia, quo nomine apud modernos nostros Geographos cognoscitur, inceperat appellari. Hæ sunt variæ nominis Asiæ acceptiones, quas explicandas suscepimus, in quânam earum sumendum sit nomen τῆς Ἀσίας quod in hoc Marmore bis habetur, jam restat inquirendum.

Nomen τῆς Ἀσίας in latissima acceptione pro eâ, quæ jam quarta est orbis pars, minime in hoc Marmore acceptum fuisse nemo potest dubitare. Nec Asiam minorem, cum ea esset apud solos Geographos nota, atque ideo in nullis Imperatorum legibus, aut decretis invenitur, per nomen Asiæ in hac inscriptione denotatam fuisse omnino est probabile. Diœceseos Asiæ nomen, cum hoc Marmor exaratum fuit, nondum notum erat; Constantino enim Imperante, ut supra diximus, primo ortum fuit; eo autem Marmor antiquius esse inde apparet, quod in eo Smyrna dicitur Νεωκόρ☉ Σεβαστῶν; illius enim Imperatoris temporibus [y] abolitâ Idololatriâ desinebant Civitates gloriari se Augustalium [z] Ædituas fuisse. Vel igitur de Asia Proconsulari, vel de Asia Lydiana nomen Asiæ hic intelligendum est, cujus Smyrna urbs pulcherrima, maxima, splendidissima, & Metropolis fuisse dicitur. Cum autem ut supra diximus, ante Constantini regnum, & ut infra indicabimus, post Adriani tempora hoc Marmor exaratam fuit, eoque intervallo maxime per ora hominum ferebatur Asiæ Proconsularis nomen; nullam aliam Asiam in hoc Marmore credo intelligi. Publicum enim hoc Psephisma erat. In eo igitur Asia in illa sola significatione, quâ publice nota, & in publicis per ea tempora decretis & edictis usitata fuit, accipienda est. A morte autem Attali Regis usque ad Constantini tempora Asiæ nomen stricte dictum pro sola Asia Proconsulari publice in omnibus Edictis & Decretis usitatum fuisse satis evidens est, cum in ea sola significatione Dominis Romanis notum fuerit, sub quibus per ea tempora omnes hujus Provinciæ partes sic eâdem politiâ, ejusdem Magistratus consuetudine, [a] communibus festis, ludis, & sacrificiis quotannis celebratis sic unitæ fuerant, ut non tantum in unam Provinciam, sed etiam in unam quasi

[q] Notit. Imp. sect. 15 Edit. Lab. [r] Notit. Imp. sect. 16. [s] Notit. Imp. sect. 13. [t] Strabo lib. 2. & lib. 11. [u] Vide Elmacini Historiam Saracenicam, Abul Pharagium De Dynastiis, Eutychium Batr. c dem in Annalibus Ecclesiasticis in vita Omari Chalifæ, & Cedrenum in vita Heraclii. [x] Constantinus περὶ θεμάτων. [y] Vide Eusebium in vita Constantini, & Socratem, & Sozomenem, & Theodoretum in lib. 1. Hist. Ecclesiast. [z] Consule Occonem de Numismatibus, in eoque sæpius invenies civitates Asiæ ante Constantini tempora nunquam post gloriari se Νεωκόρους fuisse. [a] κοινὰ τῆς Ἀσίας à tota Provincia Proconsulari celebratum fuisse infra ostendam.

Regionem

Regionem coalescebant; atque ideo [b] Strabo, qui Augusto, & [c] Ptolomæus, qui Antonino Imperantibus floruerant, eam *Ἀσίαν ἰδίως καλουμένην* vocant, ut quæ maxime proprie eorum temporibus illo nomine nota fuerat; & in hac significatione Tacitus nomen Asiæ accipit, [d] cum dicit undecim Asiæ civitates coram Senatu certasse, in quanam earum Templum Tiberio statueretur; harum enim urbium Ilium in Phrygia, Magnesia & Halicarnassus in Caria extra limites Asiæ Lydianæ fuerunt. Sed maxime de hâc re valet Aristidis autoritas, quoniam ipse Smyrnensis fuit, & eo tempore ([e] Antoninis scilicet Imperantibus) floruerat, quo credo hoc Marmor exaratum fuit, quem, dum hæc eadem, quæ in Marmore habentur, de urbe Smyrna prædicat, eam scilicet fuisse, [f] *Ἀσίας κόσμον*, [g] *Ἀσίας πρόσχημα*, & *Ἀσίας Μητρόπολιν*, in iis locis Asiam Proconsularem intellexisse satis constat, cum [h] in alia oratione in qua his simillima de eâdem urbe repetit, dicat Chios, Teios & Erythras, quæ in Ionia, & Hallicarnassum, quæ in Caria sitæ fuerunt, inferioris Asiæ partis urbes fuisse. Secundum illum igitur pars superior erat Mysia & Phrygia, atque ideo per nomen Asiæ totam Provinciam, quæ tunc suberat Proconsuli Asiæ intelligit, nec aliquam aliam in hac inscriptione denotatam fuisse omnino dubito. Smyrnam igitur totius Asiæ proconsularis pulcherrimam, maximam, & splendidissimam fuisse gloriatur Marmor. [i] De hac urbe tradit Aristides, quod à Tantalo primum sub monte Sipylo, deinde à Theseo propius mari, & postremo ab Alexandro in eo ubi nunc est loco condita fuerat. Ex aliis autem colligo autoribus, eam ab [l] Ephesiis primo conditam fuisse. Ephesi enim urbis regio erat [m] Smyrna, secundum plerosque à Smyrna [n] Amazone, quam volunt hanc urbem occupasse, appellata. [o] Porro qui eam incolebant in coloniam emissi Smyrnâ, ei urbis Ephesi partis è qua migraverant cognominem, ad Meletem amnem condidere, [p] quæ postea ab Æolibus occupata, multis illuc ex Æolicis civitatibus deductis colonis magnum accepit incrementum, & ad hoc respexisse videtur Eusebius, [q] ubi dicit regnante Athenis Thersippo Smyrnam in urbis modum ampliatam fuisse, quamvis in assignando tempore paululum aberraverit. Thersippus enim, ut in Canone Chronico infra in parte secundâ videre possis, Homero recentior fuit; priusquam autem hic Poeta nascebatur, Æoles Smyrnam occuparunt: cum iis enim, qui ex Æolicis civitatibus ad Smyrnam incolendam mittebantur, [r] è Cuma migravit Critheis Homeri mater, è furtivo concubitu tunc gravida, & paulo postquam Smyrnam advenerat Homerum peperit ad ripas Meletis amnis, qui Smyrnam præterfluit, atque ideo ille primo Melesigenes dicebatur, postea vero cum oculos amisisset, inceperat Homerus appellari. [s] Qui Smyrnam ante Æolensium adventum incoluerunt, inde pulsi Colophonem fugerunt, in eamque urbem recepti, ibi ipsi & posteri eorum diu manebant, donec tandem cum aliis Colophoniis per seditionem inde iterum exacti, in partem urbis à Smyrnæis, oblitis hos esse, quos eadem olim expulerant, recepti fuere; sed antiquæ injuriæ, magis quam novi beneficii memores, observato tempore, quo Smyrnæ omnes extra mænia Bacchi Sacra peragebant, eam urbem, unde olim expulsi fuerant, [t] portis contra hospites suos clausis, sibi iterum vindicarunt; ab eoque tempore, inito cum Ionibus fœdere, Smyrna pro civitate Ionicâ, cum prius Æolica esset, cœperat reputari, [x] & ad commune Ionum concilium, & commune festum Panionium dictum admissa, numerum duodecim Ioniæ civitatum explebat, inter easque satis celebris fuit usque ad tempora Gygis Lydorum regis: [y] ab eo autem diruta, &

[b] Lib. 12. pag. 577. dicit enim ibi, *Ἀπάμεια ἐστὶν ἐμπόριον μέγα τῆς ἰδίως καλουμένης Ἀσίας*, Apamia autem Phrygiæ urbs. [c] Ad finem lib. 8. Geograph. ibi enim dicit, *ἡ ἰδίως Ἀσία ἐν ᾗ ἡ Φρυγία*. [d] Lib. 4 c. 55. & 56. Annal. [e] Nonnullæ enim illius orationes erant coram M. Aurelio dictæ. [f] In *στεφανωτικῷ Σμυρναϊκῷ*. [g] Ib. [h] Ad Imperatores Romanos de casu Smyrnæ terræ motu dirutæ. [i] In orationibus sæpe. [l] Strabo lib. 14. pag. 634. [m] Strabo ib. Eustathius ad Dionys. Afr. *περιήγησιν*, ad ver. 428. Plinius lib. 5. cap. 29. [n] Iidem Autores ib. vid. etiam Salmasium in notis ad Solinum, p. 808, 809, &c. [o] Strabo lib. 14. pag. 634. [p] Strabo ib. Herodot lib. 1. Pausanias in Achaicis. [q] In Chronicis [r] Herodotus in vita Homeri. [s] Strabo lib 14. [t] Compara Herodot. lib. 1. cum Strabone lib. 14. p 634. & Pausan. in Achaicis. [u] Herodot. l. 1. Pausan. in Achaicis. Strabo lib. 14. [x] Iidem Autores, ib. [y] Strabo lib. 14. pag. 646.

in formam pagi redacta per 400 deinde annos, nec antiquâ gloriâ, nec urbis nomine recuperatis, satis obscura mansit; atque ideo nulla illius [z] in antiquis Græcis historicis mentio. Cum autem Alexander contra Persas profecturus in has Asiæ partes transiisset, [a] in somnio, ut dicunt, monitus hanc urbem instauravit, novamque Smyrnam à veteri circa [b] 20 stadia propius mari dissitam in eo quo nunc est loco condidit, quæ ab eo tempore primo [c] Antigoni & Lysimachi Alexandri successorum impensis (qui tantum hujus urbis incremento addidere, ut pro conditoribus illius à nonnullis reputantur) ipsorum deinde civium curâ, & Romanorum tandem benevolentiâ, [d] quibus hæc urbs semper fuerat fidelissima, sic continuo aucta & ornata fuit, donec tandem Strabonis temporibus [e] ipso teste facta erat, ut de eâ gloriatur Marmor, πασῶν καλλίστη. Et sic testatur [f] Lucianus: Ἰωνικῶν πόλεων καλλίστην Σμύρναν. [g] Plinius eam alterum Asiæ lumen dicit. Smyrnæ autem pulchritudinem maxime admiratur & optime describit Aristides Rhetor, qui ipse Smyrnensis fuit, eamq; vocat, [h] Ἰωνίας στέφανον· Ἀσίας κόσμον, καὶ πρόσχημα· Θέατρον Ἑλλάδος & γῆς ἄγαλμα, additque insuper, [i] οἶμαι εἴ τινος πόλεως ἔδει φαίνεσθαι κατ᾽ οὐρανὸν, ὥσπερ τὸν Στέφανον φασὶ τὸν Ἀριάδνης, καὶ ἄλλα εἴδωλα ποταμῶν τε καὶ ζώων, ὅσα πρὸς θεῶν ἐτιμήθη, τὴν δ᾽ ἂν φαίνεσθαι νικῶσαν, οὕτω μοι δοκεῖ πεφυκέναι παράδειγμα πόλεως εἶναι, καὶ οὔτε τοῦ πολίτου ποιητοῦ προμνωμένου προσδεῖσθαι, οὔτε ἄλλης τέχνης εἰς ἔπαινον, ἀλλ᾽ αὐτὴ προξενεῖν τὸν ἔρωτα αὐτῆς πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ αὐτὴ καταναγκάζειν, ὀφθαλμοὺς οὐχὶ ὦτα πείθουσα, Τέταται γὰρ ὑπὲρ τῆς θαλάσσης, ἄνθος ὥρας ἀφιεῖσα διηνεκὲς, ὥσπερ οὐ κατὰ μικρὸν πολισθεῖσα, ἀλλὰ εἰσάπαξ ἀνασχοῦσα τῆς γῆς, &c. i. e. Interprete Cantero, si enim alicujus imago urbis in cœlo deberet apparere, velut Ariadnes aiunt coronam, aliaque tum fluviorum, tum animalium diis dilectorum simulacra, hanc equidem (scil. Smyrnam) existimo ceteris prælatam iri, adeo videtur exemplar quoddam urbis esse, nec vel Poetâ cive, vel aliâ ad commendationem arte indigere, cum ipsa sui amorem omnibus conciliet, ac præ se cogat oculos non aures delectans; etenim supra mare extensa est perpetuum emittens pulchritudinis florem, quasi non paulatim constituta sit, verum tota simul è terrâ emerserit, &c. Hactenus de tota urbe: singularum etiam illius partium admirandam pulchritudinem & splendorem idem Rhetor summis laudibus describit, tam in oratione de Concordia ad civitates Asiaticas, quam in ea unde hæc quæ modo citata sunt transcripsimus; in quâ etiam de pulchritudine simul & magnitudine urbis, hæc subjungit, [l] Οὐ πρὸς ἀνάγκην οὐδ᾽ ἠπειγμένον τὸ μέγεθος παρεχομένη, ἀλλὰ πανταχοῦ πολλὴ καὶ παραπλησία καὶ ἔστιν αὐτῇ τὸ μέγεθος κάλλους περιουσία, οὐδ᾽ ἂν φαίης πόλεις εἶναι κατὰ μικρὸν διεσπαρμένας, ἀλλὰ μίαν μετὰ πολλῶν ἀντίρροπον, μίαν δ᾽ οὖν ὁμόχρων, καὶ σύμφωνον ἑαυτῇ, καθάπερ ἀνθρώπου σῶμα συμβαίνοντα τῷ ὅλῳ τὰ μέρη παρεχομένην, &c. i. e. Interprete Cantero, Magnitudinem vero non pro necessitate, vel occasione sortita est, sed ubique ampla, sibique similis conspicitur, & magnitudinem pro incremento pulchritudinis habet, neque multas esse urbes dixeris dispersas, sed unam multis respondentem, eamque sibi conformem, & concordem, nec aliter atque in humano corpore aptas toti partes exhibentem, &c. Ita ut hujus inscriptionis Autor non vane & sine aliis ei suffragantibus gloriatur Smyrnam omnium Asiaticarum urbium πρώτην κάλλει καὶ μεγέθει καὶ λαμπροτάτην fuisse.

Καὶ Μητροπόλεως τῆς Ἀσίας. Vox Μητρόπολις non hic eâ, quâ olim significatione accipienda est. Primo enim ex solæ urbes, quæ aliis præbuerant originem, respectu illarum, quasi earundem matres, Μητροπόλεις vocabantur. Et

[z] Nec in Thucydide scilicet, nec in Xenophonte, nec Diod. Sic. [a] Pausan. in Achaicis. Strabo lib 14. p. 634. Aristides in μονῳδίᾳ ἐπὶ Σμύρνῃ aliisque item orationibus. [b] Strabo lib. 14. pag. 646. [c] Strabo ib. [d] Polyb. in Excerpt. Legat. 25. & 36. Tacit. Anal. lib. 4. cap. 56. [e] Lib. 14. pag. 646. [f] In Imaginibus [g] Lib. 5. cap. 29. [h] ἐν προσφωνητικῷ Σμυρναϊκῷ, aliisque autem orationibus. [i] Ἐν Σμυρναϊκῷ πολιτικῷ. [l] In Σμυρναϊκῷ πολιτικῷ.

ſic apud [m] Thucydidem Corinthus Corcyræ, & apud [n] Dionyſium Halicarnaſſeum Alba Romæ Μητροπόλεις dicuntur; & non tantum urbes, ſed etiam Regiones, unde coloniæ progreſſæ alicui civitati aut genti originem præbuerunt, reſpectu earum ſic vocatas invenimus. [o] Apud Strabonem enim Dryopidem Regionem Theſſaliæ tetrapolin ſub Oetæis montibus ſitam Dryopū, qui in Peloponneſo habitabant, Μητρόπολιν fuiſſe legimus, [p] & Dionyſ. Halicarnaſſeus habet Μητρόπολιν γῆν. Frequentius vero, & ſignificatione magis propriâ ſolæ civitates reſpectu Coloniarum Metropoles dicebantur. Sed cum apud antiquos Græcos hæ Metropoles Regionum, in quibus ſitæ erant, ſemper urbes primariæ eſſent, in iiſque omnes publici conventus, concilia, ſacrificia pro totâ gente facta, & feſta communia celebrarentur, inde obtinuit tandem, ſub Romanorum ſcilicet imperio, cum hic honos non antiquiſſimis civitatibus, ſed maximis & opulentiſſimis deferretur, ut quæcunque civitas alicujus Provinciæ regionis aut præcinctus, conſtituto ibi prætoris tribunali, facta erat primaria, quamvis nuperrime condita nullas emiſiſſet colonias, mutuato ab iis titulo, qui antiquitus erant primariæ, Metropolis diceretur. Et ea ſola ſignificatione videtur hæc vox Romanis nota fuiſſe, atque ideo in eorum [q] numiſmatibus nonnullas civitates ſimul Colonias & Metropoles appellari invenimus, [r] aliaſque, quam primum conditæ fuerunt, hoc titulo inſignitas, [s] οὕτω γὰρ τὴν πρώτην πόλιν τοῦ ἔθνους καλοῦσι Ῥωμαῖοι, & non tantum civitates gentis alicujus aut præcinctus primas, ſed alias etiā ſub primis conſtitutas, ſi modo inſigniores & bene frequentatæ eſſent, Metropoles dictas notat Commentator in [t] Cod. Theodoſ. eoque forſan ſenſu Philadelphia & Thyatira, quamvis nullius præcinctus primæ eſſent, Metropoleων titulos habuere, eorumque ideo Epiſcopi in [u] Apocalypſi inter Metropolitanos Aſiæ numerantur.

In quanam harum vocis acceptionum Smyrna Metropolis dicitur, non difficile eſt inveſtigare. In prima enim Smyrna minime Metropolis fuit, cum omnium Ionicarum civitatum [x] recentiſſime fuerat ab Ionibus habitata. Nec vero in ſecunda totius Aſiæ, quia uſque ad Conſtantini tempora in Romanis Provinciis, & ſic etiam in Aſia multæ Metropoles erant æqualis dignitatis, nec priuſquam ille Imperator Romanum Imperium de novo ordinaſſet, in ſingulis Provinciis una tantum erat, ubi Prætor omnibus Provincialibus jus dicebat, Metropolis, [y] ſed ſingulæ Provinciæ in multas juriſdictiones, quæ Conventus dicebantur, diviſæ fuerunt, in ſinguliſque earum una erat urbs ceteris inſignior, quæ primis noſtrorum in Anglia comitatuum oppidis (quæ **The Asize Towns** vocantur) non diſſimilis Conventus caput fuit, ad quam Prætor ſeu præfectus, eodem modo, quo ad ea prima Comitatuum oppida apud noſtrates Judices Itinerarii, ſtatis anni temporibus [z] veniebat ad dicendum jus illius conventus incolis, qui ſub ejus adventu omnes ad eam urbem congregati fuerunt, indeq; tota Regio unde hâc occaſione conveniebant, Conventus dicebatur: maxime vero proprie & frequētiſſime urbs in qua hic congreſſus ſeu conventus celebratus fuerat eo nomine denotata erat, quæ cum juriſdictionis cujus incolæ ad eam conveniebant, fuit ſemper urbs primaria eſſet, etiam Metropolis vocabatur. Atque ideo bene obſervat doctiſſimus [a] Scaliger, voces Conventum & Metropolin promiſcue acceptas fuiſſe, & Conventum Uticenſem apud Tertullianum nihil aliud quam Uticæ Metropolin ſignificaſſe. Tales Metropoles ſeu Conventus in Gallia Ammianus Marcellinus 12. Sextus Rufus 14. recenſent. In Hiſpania Plinius lib. 3. multas numerat, uti & in

[m] Lib. 1. [n] Lib. 3. [o] Lib. 9. [p] Lib. 1. [q] Vide Spanhemium de uſu & præſtantia numiſinatum lib. 9. pag. 877, &c. [r] Sic Cæſarea Capadociæ, & Cæſarea Philippi, quæ Auguſto Imperante conditæ fuere in illius, & Tiberii Nummis Μητροπόλεις dicuntur. [s] Procopius de ædif. lib. 5. c. 4 [t] Tom. 5 pag. 41. col. 2. [u] Cap. 1. [x] Herodot. lib. 1. Strabo lib. 14. Pauſan. in Achaicis. [y] Vide Plin. lib. 3. & l. 5. [z] Vide Budæum in not. in Pandact. & Calvin. Lex Jur. C. in conventus. [a] In notis ad Euſeb. Chron. ad annum MXXXI.

Asia lib. 5. inter quas una erat [c] Smyrna, quæ jurisdictionis seu præcinctus, qui Australem Æolidis & Septentrionalem Ioniæ partes continebat, caput fuit. Et hoc solo sensu, eo scilicet quem supra de secunda vocis acceptione agentes explicavimus, hanc urbem hic in Marmore, ut & alibi, in [d] numismatibus scilicet, eam aliasque Asiæ civitates Metropoles dictas fuisse evidentissimum est. Nullo enim alio modo explicandum est, quomodo Smyrna, Pergamus, Laodicea, Sardes, Ephesus, aliæque inter ejusdem Provinciæ Asianæ limites sitæ Metropoles possunt appellari. Errat igitur [e] vir Clarissimus, qui ut explicet quomodo Smyrna & Ephesus, quæ utræque erant Ioniæ civitates, Metropoles fuere, huic Asiæ, illi Ioniæ primatum attribuit. Sed si Ephesus Asiæ prima esset, cur non etiam Ioniæ? Hoc enim negare, idem mihi videtur, ac si dicerem Londinum Angliæ, non vero Mediæ saxæ, aut Lutetiam Galliæ, non vero Insulæ Franciæ urbes Primarias fuisse. Præterea quis unquam dixerat Smyrnam totius Ioniæ Metropolin fuisse? Omnium Ionicarum civitatum [f] recentissima hæc & nuperrime in Communitatem recepta, atque ideò summo inter eos honore indignissima. Nunquam Ioniæ civitates Smyrnæ festa, aut sacrificia communia, aut publica de tota gente concilia habuere; hæc enim Ephesi semper [g] celebrata fuerant: ubi etiam erat insignissimum [h] Dianæ Templum omnibus Ionibus commune, ad quod illi, eodem modo quo Judæi ad Templum Hierosolymitanum, ad deam colendam conveniebant, atque ideo hæc sola, quamdiu libera erat Ionia, illius gentis Metropolis fuit; postea vero, quum Romani rerum potiti essent, [i] Asia non per Regiones, sed Conventus dividebatur, & non quæ olim Regionum, sed quæ horum conventuum capita fuerant, Metropoles deinde dicebantur: ob quarum dignitatem [l] cùm Episcopi, qui in iis sedebant, præeminentiam quandam supra Episcopos inferiorum civitatum (his sponte concedentibus) adepti fuerint, omniumque Controversiarum, quæ in minoribus per singulos conventus seu jurisdictiones Ecclesiis ortæ erant, ob tantum eo tempore, quo Prætor jus dicebat, Christianorum ad Metropolin congressum, quos in iis dirimendis consulere, & determinationis testes adhibere poterant, judices maxime idonei semper existimarentur; inde Episcoporum Metropolitanorum nomen & autoritas in inferiorum civitatum Episcopos habuit originem, quæ in Ecclesia Christiana valde antiqua erat, atque ideo [m] in Apocalypsi omnes Asiæ Lydianæ Ecclesiæ per septem Metropolitanas repræsentantur. In Asia autem Proconsulari multo plures fuere Metropoles, quæ omnes diu erant dignitate pares, nullâ earum à dominis [n] Romanis aliis prælatâ, atque ideo sæpe inter eas erant controversiæ de Primatu, ut [o] ex Dionis Chrysostomi, & [p] Aristidis orationibus, quas ad eas sedandas dixerant, apparet; atque inde est secundum [q] nonnullos, quod multæ eorum in antiquis numismatibus se πρώτας τῆς Ἀσίας gloriantur, quia scilicet hunc titulum nulli datum omnes arrogabant. Alii autem τὴν πρώτην τῆς Ἀσίας opinantur idem esse ac Μητρόπολιν τῆς Ἀσίας, easque civitates, quæ in numismatibus πρώτας τῆς Ἀσίας dicuntur, revera eo tempore, quo ea numismata cusa fuerant, totius Asiæ Metropoles fuisse: & sic vocem interpretatur [r] Vir Clarissimus supra laudatus, atque ideo dicit Smyrnam totius Asiæ Metropolin fuisse, quia Smyrnæi in Marmore Arundeliano nondum edito πρῶτοι τῆς Ἀσίας dicuntur. Sed si ad hoc Marmor, aut ad Marm. 143, aut ad Append. Marm. 15. (quæ Marmora Arundeliana sunt & ante hoc tempus inedita) ut credo respiciat (nam inter Marmora Arun-

[c] Lib. 5. cap. 29. [d] Vide Occonem & Goltzium. [e] Cl. Isaacus Vossius in Epist. secunda ad Rivetum. [f] Herodot. lib. 1. Strabo lib. 14. Pausan. in Achaicis. [g] Diodor. Sic. lib. 15. Dionys. Hal. lib. 4. [h] Strabo lib. 14. aliique. [i] Strabo lib 13. p. 629. [l] Vide Armachanum in Geographica disquisitione de Asia, & in lib. de Origine Metropolitanorum, & Hammondum de Scismate, aliosque. [m] Cap. 1. [n] Primo enim Antoninus Ephesum prætulit. Ulpian. in L. observare D. de Offic. Proconf. [o] Orat. 34. [p] Orat. de Concordia. [q] Vide Spanhemium de usu & præstantia numismatum. [r] Cl. Vossius in Epistola secunda ad Rivetum.

deliana, quæ Academiæ nostræ dedit honoratissimus Comes Marescallus, in nullo alio aliquid tale invenio) fœdissime iterum errat, quia in his Smyrna non dicitur absolute, πρώτη τῆς Ἀσίας, sed πρώτη τῆς Ἀσίας κάλλει, καὶ μεγέθει, prima Asiæ civitas pulchritudine & magnitudine, i. e. pulcherrima & maxima. Quin ego numismata in quibus Asiæ civitates πρῶται τῆς Ἀσίας dicuntur, aliter interpretor. Hæc enim numismata eodem modo quo talia hisce nostris temporibus, non nisi magnis solemnitatibus aut ob actos Triumphos, aut Imperatorum nuptias, aut Templorum consecrationes, aut aliqua alia occasione, quam aut inscriptio, aut figura plerumque indicabat, celebratis edita fuere. In Asia autem frequentissimæ horum edendorum occasiones erant festa communia, & publica Sacra: atque ideo in plerisque Asiaticorum numismatibus Civitates, à quibus causa erant, [b] Νεωκόροι dicuntur, quia scilicet ea, cum hæ alicujus festi aut Sacri certaminis in Imperatoris aut numinis alicujus honorem celebrati curatrices essent, in vulgus spargebantur. Maximum autem in Asia Festum, & ob cujus celebrationem præcipue Asiæ civitates Νεωκόροι dicebantur erat Κοινὸν τῆς Ἀσίας, i. e. Commune Asiæ: hoc enim in honorem Imperatoris celebratum fuit ab omnibus Asiæ Proconsularis incolis, atque ideo civitas ad quam ad hoc festum celebrandum conveniebant, quod, hoc totius Provinciæ ad eam facto congressu, honorem, qui inter civitates Asiæ summus erat, consecuta earum Metropoleως vice fungeretur, omnium primatum pro eo tempore sibi vindicans, ea tum in vulgus spargebat numismata, quibus se πρώτην τῆς Ἀσίας gloriabatur, atque inde est, [c] quod nunc Ephesus, nunc Smyrna, nunc Pergamus in antiquis numismatibus hoc titulo insigniuntur; in omnibus enim his, ceterisque aliis Provinciæ civitatibus Metropolitanis observato quodam cyclo, per vices celebratum fuit, Κοινὸν τῆς Ἀσίας. Smyrnæ Marmor. III. & Marmor Farnesianum apud Gruterum, & Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio Polycarpi; Ephesi Act. Apost. cap. 19. & Euseb. lib. 4. cap. 13. Pergami Aristidis Orat. ad civitates Asiæ de Concordia, & in Phrygia Synnadæ scilicet aut Apamiæ ejusdem Aristidis Orat. Sac. 4. habitum fuisse testantur. Hæ igitur civitates, cum in iis hic conventus celebratus fuerat, totius Provinciæ, aliis autem temporibus tantum suarum jurisdictionum seu Conventuum, Primæ & Metropoles fuere. Per Μητροπόλεως τῆς Ἀσίας, igitur in Marmore intelligendum est, Smyrnam non totius Provinciæ Metropolin, sed tantum unam inter illius Metropoles fuisse.

Καὶ τρὶς Νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν κατὰ τὰ δόγματα τῆς ἱερωτάτης συγκλήτου. Imperatoribus Romanis per Imperii Provincias decernente Senatu Aras & Templa posita fuisse, & Sacros Ludos in eorum honorem institutos, & Historici, & alia prisci ævi monumenta testantur. Hoc olim in Romæ urbis dominæ honorem primo [x] à Smyrnensibus, & deinde [y] ab Alabandensibus factum fuit, ab illisque ei summa adulatione Templa & Aræ ponebantur, Ludique Anniversarii ut Deæ in eorum civitatibus celebrati fuere. Postea vero cum Roma inceperit servire, ad Imperatores hic cultus translatus fuit, [z] qui primo in partem honoris, qui huic urbi olim dabatur, admissi illum tandem soli habuere. Hoc autem initium habuit temporibus Augusti, qui post victoriam Actiacam [a] Ephesiis, Nicæis, Pergamenis, & Nicomediensibus Romæ urbi & patri Julio conjunctim Templa ponere, & Sacros ludos celebrare iis petentibus concesserat. Quod postquam semel factum fuerat, Provinciæ exemplum secutæ per omnium deinde Imperatorum tempora fere usque ad Constantini Regnum [b] magno sæpe conatu petiere, & pro summo semper beneficio habuere sibi jus dari, Imperatoris, qui tunc regnabat, Aras & Templa in aliqua suarum urbium consecrare, ubi communi nomine populi totius Provinciæ honoris ejus causa & sacra facerent, & Ludos ederent. Tale Templum

[b] Vide Occonem & Goltzium de numismatibus. [c] Vide eosdem Autores & Spanhemium de usu & præstantia numismatum, lib. 9. [x] Tacitus Annal. lib. 4. [y] Dio. lib. 43. [z] Dio lib. 51. [a] Dio ib. [b] Vide Casauboni notas ad Monumentum Ancyranum.

Lugduni

Lugduni in Gallia erat Augusto consecratum, & ara ad quam sexaginta populos ad ludos in ejus honorem celebrandos convenire solitos refert [c] Strabo. Tale etiam Athenis eidem Augusto [d] Reges socii cœperant extruere; Tale [e] Tiberio ab Asianis Smyrnæ, Tale [f] Adriano ab Ægyptiis Alexandriæ, & in aliis Provinciis, alia tam his quam aliis Imperatoribus posita fuere tanto quidem studio & adulatione, ut earum urbium incolæ, qui hujusmodi Templa apud se haberent, non alio magis nomine superbirent, quam quod essent istorum νεοφύτων numinum æditui, & Ludorum, qui in eorum honorem edebantur, curatrices. Atque inde est, quod Smyrna hic in Marmore, uti & etiam ea, aliæque Asiæ civitates, quæ aut Templa imperatoribus consecrata, aut jus ludos in eorum honorem edendi habuerunt, in antiquis [g] nummis toties se Νεωκόρους fuisse gloriantur. [h] Νεωκόρος enim est æditus, quem Titulum Smyrnæi tunc primo obtinuisse videntur, cum [i] Templum in honorem Tiberii condendi privilegium, quod à Senatu Provinciæ Asiæ datum fuerat, illi præ omnibus aliis Asianis ejusdem Senatus decreto obtinuere. De voce Νεωκόρος plura legas in iis quæ infra annotantur ad Marmor 28.

Κόσμος τῆς Ἰωνίας, eandem Smyrnam Κόσμον τῆς Ἀσίας, apud Aristidem oratorem [l] in loco, quem de pulchritudine Smyrnæ agentes supra citavimus, invenies appellatam.

De tempore, quando hoc Marmor exaratum fuit, jam restat inquirendum. Observat Seldenus in notis ad Marm. XXVIII. post Gallieni tempora desiisse civitates se Νεωκόρους appellare. Gallieno igitur antiquius Marmor, in quo eo Titulo Smyrna insignitur, & tertia vice habuisse dicitur: atque ideo Adriano, cum illius tempore secundâ tantum vice Smyrna Νεωκόρος esset, recentius fuisse indicat Marmor XXVIII. Cui vero hujus intervalli parti prima Marmoris consecratio assignanda sit difficilius est determinare. Si post Terræ motum, qui Imperantibus M. Aurelio & L. Vero, [m] Smyrnam totam destruxerat, aliquid ab antiqua illius urbis pulchritudine & magnitudine, ut credo detractum fuisset, ante hunc Terræ motum ex eo, quod Smyrna hic dicitur, πρώτη τῆς Ἀσίας κάλλει καὶ μεγέθει; & si per Μητρόπολιν τῆς Ἀσίας intelligendum sit hic Smyrnam gloriari se primam totius Asiæ Metropolin fuisse, ut nonnulli scio sunt interpretaturi, ante Antonini Edictum, [n] quo sancivit omnium Asiæ Metropoleωn primam fore Ephesum, atque ideo circa initium illius Imperatoris conjectarem hoc Marmor primo positum fuisse.

[c] Lib. 3. [d] Suetonius lib. 2. [e] Tacitus Annal. l. 4. [f] Vide Casauboni notas ad Spartianum de vita Adriani. [g] Vide Occonem & Golzium. [h] Vide Phavorinum in Νεωκόρος. [i] Tacitus Annal. lib. 4. [l] In προσφωνητικῷ Σμυρναϊκῷ. [m] Aristides in μονῳδίᾳ ἐπὶ Σμύρνῃ. Syncellus pag 353. [n] Ulpian L. observare D. de Offic. Proconf.

C. Ant.

III.

C. Ant. Septimii Publii Citharœdi Victoriæ.

Γ.ΑΝΤ.ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΠΟΠΛΙΟΣ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΣ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΟΣ ΚΙΘΑΡΩΔΟΣ ΜΟΝΟΣ ΚΑΙ
ΠΡΩΤΟΣ ΤΩΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ ΝΙΚΗΣΑΣ
ΤΟΥΣ ΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ
ΣΜΥΡΝΑΝ ΟΛΥΜΠΙΑ Η ς ΙΓ ΑΔΡΙΑΝΙΑ
ΡΩΜΗΝ Β] ΠΟΤΙΟΛΟΥΣ Β' ΝΕΑΝΠΟ
ΛΙΝ Γ' ΑΚΤΙΑ Β' ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΥΣ ΑΣ
ΠΙΔΑ ΝΕΜΙΑ Γ' ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΘΕΞΗΣ
ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ ΠΕΡΓΑ
ΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ' ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ
ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β' ΠΥΘΙΑ
ΤΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ ΕΦΕΣΟΝ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ
ΕΦΕΣΟΝ:: ΕΦΕΣΗΑ. ΒΑΡΒΙΛΛΗΑ
ΕΠΙΔΑΥΓΟΝ ΑΣΚ ΛΗΠΕΙΑ ΑΘΗΝΑΣ
.ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ ΣΑΡΔΕΙΣ ΧΡΥΣ.ΑΝΘΙ
ΝΟΝ TRΑΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ ΜΕΙΛΗ
ΤΟΝ ΔΙΔΥΜΕΙΑ ΡΟΔΟΝ ΑΛΕΙΑ Β'
ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΑ ΜΑΝΤΙΝΕΙΑΝ
ΘΕΜΑΤΙΚΟΥΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΛΛΑΝΤΙΑΙΟΥΣ
ΠΑΝΤΑΣ ΟΣΟΥΣ ΗΓΩΝΙΣΑΤΟ
ΥΠΟ ΦΩΝΑΣΚΟΝ Γ' ΑΙΛ. ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΝ
ΕΦΕΣΙΟΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ ΚΑΙ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ ΚΙΘΑΡΩΔΟΝ ΙΕΡΟΝΕΙ
ΚΗΝ ΚΑΙ ΜΕΛΟΠΟΙΟΝ ΕΝΔΟΞΟΝ ΠΕΡΙ
ΠΑΝΤΑ ΕΥΝΟΥΝ ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ ΩΣ ΦΥΣΕΙ
ΠΑΤΕΡΑ.

Idem, cum verſione.

Γ. Αντ. Σεπτίμιος Πόπλιος (ναῖος Περγάμηνος ϗ Σμυρναῖος ϗ Αθηναῖος ϗ Εφέσιος κιθαρῳδὸς μόνος ϗ πρῶτος τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος νικήσας τοὺς ὑπογεγραμμένους ἀγῶνας· Σμύρναν Ολύμπια Η ς Ι' Αδριάνια Ῥώμην Β', Ποτιόλους Β, Νεαπόλιν Γ', Ἄκτια Β', τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα, Νέμια Γ', πάντας καθεξῆς. Σμύρνην κοινὸν Ασίας, Πέργαμον Αυγούστεια Γ', Τραιάνεια, Ασκλήπεια, Κομόδεια Β', Πύθια τὰ ἐν Δελφοῖς, Ἔφεσον Αδριάνεια,

C. Ant. Septimius Publius, Pergamenus, Smyrnæus, Athenienſis & Epheſius, Citharœdus, ſolus & primus, qui poſt homines natos vicit ſubſcripta certamina. Smyrnæ Olympia H $\overline{5}$ I7, Adrianalia Romæ II, Puteolos II, Neapolim III, Actia II, ex Argis clypeum, Nemea III, omnia ordine continuo. Smyrnæ commune Aſiæ, Pergami Auguſtalia III, Trajanalia, Æſculapia, Commodalia II, Pythia in Delphis, Epheſi Adria-

Εφεσον

Ἔφεσον :: Ἐφέσηα, Βαρβίλληα, Ἐπίδαυρον Ἀσκλήπεια, Ἀθήνας Ἀδριάνεια, Σάρδεις Χρυσάνθινον, Τράλλεις Πύθια, Μίλητον Διδύμεια, Ῥόδον Ἅλεια Β΄, Λακεδαίμονα, Μαντινείαν. θεματικοὺς δὲ καὶ ταλανταίους πάντας· ὅσους ἠγωνίσατο ὑπὸ φωνασκὸν Γ΄. Αἰλ. Ἀγαθήμερον Ἐφέσιον καὶ Σμυρναῖον καὶ Περγάμηνον κιθαρῳδὸν, ἱερονείκην καὶ μελοποιὸν ἔνδοξον, περὶ πάντα εὔνουν γενόμενον ὡς φύσει πατέρα.

nalia, Epheſi :: Epheſia, Barbillea, Epidauri Æſculapia, Athenis Adrianalia, Sardis Chryſanthinum, Trallibus Pythia, Mileti Didymeia, Rhodo Halia II, Lacedæmonem, Mantineam. Omnia propoſita præmia ſua habuere & fuere difficillima. Certavit ſub moderatore C. Ælio Agathemero Epheſio, Smyrnæo & Pergameno, Citharœdo, Hieronice, & modis faciendis clariſſimo, in omnibus benevolo; non aliter ac ſi naturalis pater fuiſſet.

Notæ ad C. Ant. Septimii Publii Citharœdi Victorias, ſeu Marmorum Oxonienſium III.

EVanuere ex Marmore, ſuperiores elementorum ſeptem primorum apices. Sed ex reliquiis inferiorum conjecturâ Γ. ΑΝΤ. ΣΕΠ. ſubſtituimus. Hujuſmodi autem ἀναγραφαὶ τῶν ἱερονικῶν qualis erat in agonibus Muſicis Septimius noſter Publius, λιθιναὶ ſeu *Saxeæ Hieronicarum deſcriptiones*, ut vocantur Lycurgo, frequentes erant apud veteres. De eis autem videſis Scholiaſtem ad Pindari Olympiorum oden 7. & Marmor. 10. pagina 40. præter ejuſmodi alia aliquot apud Lipſium & Gruterum.

Περγαμηνὸς, καὶ Σμυρναῖος, καὶ Ἀθηναῖος, καὶ Ἐφέσιος. A plurium civitatum populis civitate donatus, tot habuit denominationes tum hieronices hic, tum moderator ejus C. Ælius Agathemerus. Sic Artemidorus & Daldianus erat & Epheſius, uti ipſe teſtatur Onirocriticon, lib. 3. cap. 67. Sic alii.

Σμύρναν Ὀλύμπια Η h Π Bini ſcilicet Smyrnæ erant, ſub Adriano, agones Olympici ſeu quinquennales; id eſt, Olympia bina, præter ea, quæ, pro Communis Aſiæ votis, ibi ſæpius celebrari ſolita; de quibus etiam mox. Ea quæ ſic ſimpliciter dicta ſunt, atque ea quæ Olympia Adriania, ab Adriano nempe ſive inſtituta, ſive conceſſa, nuncupabantur. Neque hæc alia, ni fallor, fuere, ab ἀγῶνι illo ἱερῷ Smyrnæorum, cujus, ſub ſequentis Inſcriptionis finem, mentio eſt. Frequentia autem ejuſmodi agonum à gliſcente provinciarum, poſtquam ſervituti egregie litare cœperant, adulatione ſub Octavio duxit initium. Suetonius in ejus vita, cap. 59. *Provinciarum pleræque, ſuper templa & aras, ludos quoque quinquennales pene oppidatim conſtituerunt.* Ex indulto nimirum aut juſſu Principali conſtituerunt provinciæ, urbes, oppida. Unde indiſcriminatim ſive à Principe, ſive à Provinciis, urbibus, oppidis, certamina inſtituta fuiſſe ſæpius dicebatur. De binis quæ diximus Smyrnæ Olympiis

Olympiis vide V. Cl. Claudium Salmaſium ad Adrianum Spartiani. Adi item Hermodori illam Farneſianam, quæ habetur in Lipſii Auctario & apud Gruterum eſt, pag. 314. & Philoſtratum in Polemonis Sophiſtæ vita, præter Pauſaniam in Eliacorum primo & Philippi epigramma quod citat Petrus Faber Agoniſtici libro 3. cap. 27. Sed vero fallitur eruditiſſimus Faber, capite præcedente, ubi Farneſianæ inſcriptionis τὰ Ἀδριάνια de ludis in Antinoi honorem inſtitutis intelligenda eſſe, perſuaſum habet. Erant ſane in Antinoi honorem ludi gymnici alibi inſtituti. Atqui non Adriania dicta ſunt, ſed Antinoeia, de quibus etiam poſtea. Quid vero ſibi heic velint notæ illæ H ϟ̄ ĮΤ omnino neſcimus nos. Nodum mihi hactenus inextricabilem, ſolvant eruditiores. Prima earum ita typis repræſentari debuit, ut ſuperior, quæ tranſverſa eſt linea, ſiniſtro τοῦ H apici conjungeretur, ac ſi T & H in unum coaluiſſent. De ſecunda figura, quæ ſive τῷ ἐπισήμῳ ϛ ſive Hebraico ל non prorſus eſt diſſimilis, & non ſemel in ſequentibus etiam iterari videtur, vide, ſi placet, Gruterum in Inſcriptionibus pag. 585. 2. & Nicolaum Alemannum ad Procopium pag. 42. Sed nos heic planiſſime cæcutimus, quod fateri, ubi aliter non ſuppetunt vires, nunquam pudet.

Ἀδριάνια Ῥώμην Β'. Romæ, Athenis, Epheſi, Adrianalia vicit Septimius, quod teſtatur Marmor. Paſſim ferme certaminum ſibi cognominum Autor fuit Adrianus. Xiphilinus; ἐποίει, inquit, καὶ θέατρα καὶ ἀγῶνας περιπορευόμενος τὰς πόλεις. Id ipſum Spartianus; *In omnibus pene urbibus & aliquid ædificavit, & ludos edidit.*

Ποτιόλους Β'. Apud Puteolos Adriani memoriæ ſacravit Antoninus Pius *quinquennale certamen & Flamines & Sodales, & multa alia quæ ad honorem quaſi numinis ſpectarent*, quæ verba ſunt Spartiani. Illud Εὐσέβεια in Farneſiana dicitur ſeu Pialia, & certamen erat iſelaſticum. Hieronicis nempe jus erat ſingulare, dirutâ parte mœnium, pompâ in urbem invehi. Videſis Caſaubonum & Salmaſium ad Spartiani extremum, & Joſephum Scaligerum 5. de Emendatione Temporum, pag. 447. Melphitana autem, quâ ad hanc rem utuntur, inſcriptio eſt apud Gruterum pag. 254. n. 4. Ἀγὼν ἐν Ποτιόλοις hic memoratur etiam in Stationariorum Tyriorum Epiſtola, quem Gruterus habet pag. 1105. Stadium item hujus Agonis innuit Artemidorus Onirocriticorum lib. 1. cap. 28. ubi Εὐσέβεια τὰ ἐν Ἰταλίᾳ ἀχθέντα ὑπὸ βασιλέως Ἀντωνίνου ἐπὶ τῷ πατρὶ Ἀδριανῷ memorat, de curſore verba faciens, qui per inſomnium ſe luminibus orbatum eſſe vidit, atque victor evaſit.

Νεάπολιν Γ'. Σέβαστα ſeu Auguſtalia agon hic dictus in Farneſiana, ut Σέβαστα ἐν Νεαπόλει, &c. Quinquennalis item erat & Octavio à Neapolitanis, ut videtur, ſacratus. Memoratur Statio, Suetonio, Senecæ. Conſule ſi plura velis, P. Fabri Agoniſtici 3. cap. 26. & Scaligerum loco jam citato. Adde Julium Cæſarem Capacium Hiſtoriæ Neapolitanæ, lib. 1. cap. 15.

Ἄκτια Β'. Agon in Actio Apollini ſacer erat; quem poſt victoriam Actiacam, conditâ urbe Nicopoli, inſtauravit Auguſtus; teſtibus Strabone & Dione. Videſis Fabrum loco nunc ſupra dicto, & Scaligerum 5 de Emendatione Temporum, capite de primo Agone Actiaco.

Τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα. Etiam Nemeos ludos ab Argivis celebrari ſolitos eſſe; in quibus cum clypeis decurrebant armati, conſtat; quales ἀσπιδοδούπους ὁπλίτας δρόμους vocavit Pindarus Iſthmiorum primo. Romæ item in vinea Cardinalis Carpenſis τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα τρὶς, corona circundatum exhibet Saxum quadratum. Vide Pauſaniam in Eliacorum primo, Hyginum Fabula 170, & 273. quem in hujus agonis nomine depravatum recte emendavit V. Cl. Joannes Meurſius in Græcia Feriata, verbo Ἡραῖα. Eum item ibi conſule. Adde Agoniſtici P. Fabri libri 2. caput 23. præter Farneſianam illam ſeu Hermodori, apud Gruterum, inſcriptionem.

Σμύρναν

Σμύρναν κοινὸν Ἀσίας. Commune scilicet Asiæ, quod ex pluribus eisque celebrioribus Asiæ civitatibus conflatum; velut ex Ephesiis, Smyrnæis, Pergamenis, Milesiis, aliis, qui concordiam foventes & societatem, & sacris eam firmare studentes, communia Asiæ sacra certamina in urbe, de qua sive in comitiis omnium convenerat, sive aliter decretum erat, celebrabant. Atque hisce præfuere puto, Asiarchæ; de quibus ad Marmor proximum. Ita nummum Caracallæ interpretatur Scaliger 5. de Emendatione Temporum. ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙ. ΑΙΝ. ΦΙΛΙΠΠΟ. ΠΥΘΙΑ. *Communia*, inquit, *tria*, (unde unum item confectum) *Thraciæ celebrabant Pythia Thraciæ*. Vide in Farnesiana, Σμύρναν ἱ. κοινὰ Ἀσίας δίς. Et κοινῦ τῆς Κρήτης habetur agon quinquennaliis apud Gruterum pag. 1094, 5. Certamina hæc Communis Asiæ ipsissima esse, τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια, apud Philostratum in vita Polemonis Sophistæ, vix dubitare queo, pace viri doctissimi qui ad Spartianum hæc eadem esse cum Adriani Olympicis ibi institutis obiter affirmat. Neque obest quod Polemoni & posteris ejus datum sit Adrianeis, προκαθῆσθαι seu præsidere, & quod præsedit postea τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν. Decreto civitatis duntaxat Smyrnensis est perpetua illa præsidendi Adrianeis prærogativa data. Sed Communis Asiæ sacris Commune item Asiæ tantum, aut Senatusconsultum Romanum, aut rescriptum principale, non civitas aliqua singularis eum præficere, puto, potuit. Communia autem Asiæ sacra hæc fuere, opinor, uti alia sæpius apud Græcos, Majora & Minora. Majora quæ pentaeterica. Minora quæ Annua. De hac distinctione, uti etiam de ἱ. κοινοῖς, in Farnesiana, paulo post plura.

Πέργαμον Αὐγούστεια Γ'. Postquam Pergameni Templum Augusto sacraverant, etiam iis permissum est ut sacros ludos, honori ejus ampliando, instituerent. Ita Dio lib. 51. Hi Augustalia seu Αὐγούστεια dicta, adeoque quod in Farnesiana legimus, Ὁμοίως ἐν Σμύρνῃ Ὀλύμπια καὶ Ἀδριάνια Ὀλύμπια, Πέργαμον Αὐγούστεια τρίς, vertendum est, *Similiter in Smyrna, Olympia, & Adrianalia Olympia, Pergamo Augustalia* 3. Neque erat sane cur de Augustalibus illis, quæ plane Pergami collocantur, ita solicitus esset vir magnus in 5. de Emendatione Temporum. Qui item alii sive Farnesianam edidere, sive vocabula, quæ adtulimus, citarunt, male hactenus ea intellexerunt. Apud Gruterum pag. 109. legimus ex Sepulchro quod via Appia, 7 ab urbe miliari, visitur, Πέργαμον κιθαρῳδούς. Adjecta est corona hederacea.

Τραιάνεια. Spectacula, Parthica dicta, sacravit Adrianus Trajano, teste Xiphilino. Ea Romæ celebrari solita. Gymnasium etiam erat Romæ, Trajani opus, architecto Apollodoro. Utrum ad hoc an ad illa Trajanalium nomen heic spectet, non liquet.

Ἀσκλήπεια. Horum item in Farnesiana mentio. Et Μεγαλοασκληπείων Πυθίων in alia, apud Gruterum pag. 410. n. 3. Atque etiam Æsculapia Smyrnæ fuisse videntur. Aristides in Oratione sacra prima. Ἐδόκουν ὡς ἐν Σμύρνῃ περὶ ἑσπέραν περιιέναι τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τῷ ἐν τῷ Γυμνασίῳ. Tam Gymnasium quam Templum in Gymnasio extructum Æsculapio forsan sacrum ibi erat.

Κομόδεια Β'. Commodaliorum seu Κομοδείων mentio in Saxo Venetiis. Corona nempe ipsum vocabulum ΚΟΜΟΔΕΙΑ circumdat, sub Epigrammate in Achiristi athletæ honorem. Vide Gruterum pag. 317. n. 1. Alibi, puto, apud Veteres, non occurunt. Instituta forte à Severo Imperatore Commodum in Divos referente.

Ἔφεσον Ἀδριάνεια. Ut Smyrnæ Adrianalia Olympia erant, ita Ephesi, quæ heic memorantur, nec alibi, puto, omnino præterquam in Farnesiana; ubi habemus, Ἔφεσον Γ'. Ἀδριάνεια Ὀλύμπια.

Ἔφεσον::Ἐφέσια. In Festis deorum cognominibus enumerat Julius Pollux lib. 1. Ἀρτέμιδος. Ἀρτεμίσια καὶ Ἐφέσια. Vide item Meursium in Græciæ Feriatæ

lib. 3. de Ephesiis. Sed an ad hoc Dianæ festum agon hic spectet, non constat.

Βαρβιλλῆα. In Farnesianæ inscriptionis Editione Gruterianâ legimus BABBIΛΔHA quod ipsum in Lipsianâ, unde sumtum est, punctulis subnotatur, ac si de lectione inter exscribendum dubitatum fuisset. Marmor nostrum BARBIΛΛHA habet manifesto, quod ut in BABBIΛΔHA sive quadratarii, sive exscriptoris incuriâ migraret, non erat difficile. Sed non minus nescimus unde nomen hoc natum, quam hanc veram Marmoris nostri lectionem esse certo scimus. Vide Lipsii Auctarium pag. 57. Hactenus Seldenus. Sed quod de origine nominis & agonis Barbilleorum profitetur se ignorasse vir eruditissimus, ex excerptis è Dione à doctissimo Valesio postquam Seldenus hæc scripserat editis quam optime explicari potest; in illis enim de Vespasiano hæc leguntur, τούς τε Ἀστρολόγους ἐκ τῆς Ῥώμης ἐξώρισε, καίτοι πᾶσι τοῖς ἀρίστοις αὐτῶν χρώμενος, ὥστε καὶ διὰ Βαρβίλλιόν τινα ἄνδρα τοιουτότροπον ἀγῶνα τοῖς Ἐφεσίοις ἱερὸν ἄγειν συγχωρῆσαι, ὅπερ οὐδεμιᾷ ἄλλῃ πόλει ἔνειμεν, i. e. Astrologos etiam urbe expulit, etsi peritissimis eorum uteretur, ut in gratiam Barbillii cujusdam Astrologi Ephesiis sacrum Agonem celebrare concesserit, quod nulli alii civitati indulsit.

Επιδαύρεια Ασκλήπεια. Hæc memorat etiam Farnesiana. Alibi occurrere non memini.

Αθήναις Αδριάνεια. Adrianalia Athenis habentur in Inscriptione illa de Achiristo apud Gruterum pag. 317. quam vide item apud Scaligerum ad numerum Eusebianum 2147, sed emendatiorem in Salmasii Notis ad Spartianum. Fanum Adriano Athenis sacratum est, Panellenion dictum; atque is ἐπ' αὐτῷ, seu *juxta idem* (ut scribit Xiphilinus) Certamen instituit quod ipsa Adrianalia heic fuisse existimo. Neque cur Panellenia id nuncupatum esse censendum sit video, tametsi, eo quod Fanum Panellenium dicebatur, ideo & agonem cognominem fuisse velit vir doctissimus. Memorantur, opinor, hæc sacra certamina cum aliis in Farnesiana Hermodori; ε Παναθήναια, Ολύμπια, Πανελλήνια, Αδριάνεια δίς. Viro summo qui tum in libris de Emendatione, tum ad Eusebium, quatuor hæc vocabula unum agonem, adeoque ipsa tantum Adrianalia Athenis denotâsse vult, nullus assensum præbeo. Quot vocabula, tot certamina magis innuuntur; atque omnia Athenis peracta. Per ε. παναθήναια Panathenæa Pentaeterica, seu majora intelligo. Nam Minora (quæ & vetustiora erant) quotannis, seu post minorem periodum elapsam, celebrabantur. De utrisque vide quæ supra notantur in Notis Historicis ad Græcorum Epochas, præter Harpocrationem, Suidam, & autorem argumenti Orationis Demosthenis adversus Midiam. Ut igitur justâ Certaminis distinctione expressior honoris Victori fieret accessio, ε Παναθήναια dici videntur, pro Πενταετηρικοῖς seu *quinquennalibus*. Neque ab alia ratione opinor τὸ ε. postea postea in eodem Saxo præfigitur τοῖς κοινοῖς τῆς Ἀσίας. Quemadmodum enim Panathenæa (quo nomine signanter dicta sunt sacra Atheniensium, seu omnium qui Attici ruris accolæ erant, Certamina Communia) & minora erant, & majora quæ etiam quinqennalia; ita etiam in Asia minori, quæ Atticos mores plerunque imbiberat, Communia sentiendum est sacra ad eundem modum quandoque divisa esse. Et Panionium, pro communibus Ionum sacris non dissimili notione legitur apud Philostratum in vita Apollonii lib. 4. cap. 2. Ita fit ut ε. κοινὰ Ασίας, pro quinquennalibus Communibus Asiæ capienda sint, non pro quinque communibus seu Civitatibus Asiæ, ut volunt aliqui. Ita recte à minoribus etiam disterminata sunt. Olympia, quæ in Farnesiana hoc loco sequuntur, Attica item erant, uti etiam Panellenia. Atque eorum origines Adrianum seculis plurimis antevertunt. Videsis Scholiastem ad Pindari Olympionicon Odem 7. Quin & Adrianalia ibi, Attica similiter puto erant; sed Athenarum nomine ideo forte minime notata quod, post Panathenæorum men-

mentionem, cetera, quæ continenter ſequuta ſunt, ad Athenas pertinere, neminem dubitaturum non immerito ſenſerit is qui conſcripſit.

Σαρδεις Χρυσάνθινα. Etiam Chryſanthina Sardis occurrunt in illa Hermodori. Item Nummus Alexandri Mammeæ F. habet, ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quod ex Occone diſcimus. Id ipſum innuit Martianus Juriſconſultus ubi Certaminis Chryſanthiani meminit, L. 24. D. de Annuis legatis, "Cum erat certa pecunia, inquit Martianus, id eſt centum reipublicæ Sardianorum (in nonnullis Editionibus Pandectarum, male "legitur Sardinianorum) relicta per quadriennium Certaminis Chryſanthiani, Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt videri perpetuam penſitationem reliquiſſe teſtatorem per quadriennium, non in primum quadriennium: Sed Chryſanthini potius legendum. Et certamen inde nomen habuiſſe putat Faber, "quod è floribus aureis Coronæ ſertave contexerentur, atque præmii loco victoribus, ſicut apud Toloſates poetico agone annuo argentei, "præſtarentur. Apollinis oppidum in Chryſa, & quod de Chryſanthide ex Pauſania adnotat Dionyſius Gothofredus huc ſpectare mihi parum videntur. Aliis à Chryſanthio, nomine inſtituentis Lydio, nomen hoc certaminis manaſſe videtur. Certe & ſummi Lydiæ, cujus urbs primaria Sardes, Pontificis, ſub Juliani tempora, nomen erat. Et Certamina, ſub nomine inſtituentium quandoque celebrari, non modo ex Adrianaliis liquet, verum etiam ex illo Lucii Titii Teſtamento apud Scævolam L. 21. liberto D. de annuis Legatis ſect. 3. Et ſane τῶν ἱερῶν ἐπανόρθωσις, ſive *Sacrorum* in Lydia *inſtauratio* diſerte ab Eunapio, apud quem de Chryſanthio, utpote ejus præceptore, complura legimus, tribuitur. Sed hic ita multo recentior eſt quam cui Certaminis, ſub Severo eodem nomine celeberrimi, origo aut nominis ratio aſſignetur. Adi Cujacium lib. 23. obſervat 7. & Petrum Fabrum Agoniſtic. lib. 3. cap. 26.

Τράλλεις Πύθια. Gymnaſium, quod terræmotu Trallibus collapſum eſſe memorat Strabo, libro duodecimo, ſatis oſtendit ſeculis vetuſtioribus certamina ibi celebrari ſolita. Ad idem forte redintegratum ſpectant hæc Pythia.

Μίλητον Διδύμεια. Apollini Didymæo agonem ſacrum fuiſſe, ſaltem ex illo nomine natum, non eſt cur dubitemus. Apollinis Didymæi oraculum in Branchidis apud Mileſios, cultum habet Strabo, lib. 14. Stephanus de urbibus, Sozomenus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 1. cap. 7. & Nicephorus Calliſtus lib. 7. cap. 45. De Didymæi nominis ratione conſule Macrobium Saturnaliorum lib. 1. cap. 17. Neque de Didymæis hiſce alibi legiſſe me memini.

Ῥόδον Ἅλεια. In Hermodori Farneſianâ legitur ΡΟΔΟΝΑΛΕΙΑ. Et tam recte in conficiendis ad Gruterum indicibus Ἅλεια inter ſacra Certamina inde numerat magnus Scaliger, quam male in caſtigationibus ex ΠΟΔΟΝ ii πόδων facit & ad ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ, quod ibi præcedit, retrotrahit, ac ſi de curſu ſeu ſtadio Æſculapio ſacro, locus foret intelligendus. Sed extra controverſiam eſſe puto aut quadratarium Farneſianæ, pro Græco Ρ τὸ Π ibi perperam incidiſſe, aut Lipſium exſcriptorem fugientibus clementi apicibus deceptum, pro ΡΟΔΟΝΑΛΕΙΑ, ΠΟΔΟΝ ΑΛΕΙΑ ediſiſſe (uti videre eſt in ejus Auctario) quem ſecutus temere magis peccavit ſive Gruterus, ſive quis alius qui Latina verſione Podonalia, quod verbum nihili eſt, ſubſtituit. Ad Rhodum plane pertinent hæc Sacra: quæ Ἅλια &, ad ævi citerioris ſcribendi rationem, Ἅλεια eis dicta. Ariſtides in Ροδιακῷ, Rhodios alloquens καὶ τὸν μὲν, inquit, τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιήσετε, *Ludos Halios*, ſeu *Agonem Haliorum peragetis.* Haud alias forſan erat agon hic ab illo, qui Tlepolemus item vocatus Soli ſeu Ἡλίῳ (unde nomen, ut videtur, ortum eſt) ſacer erat, & Corpiæi menſis die 24 celebratus ſeu 6 die à Nemeis. Corona in eo præmium erat populea. Videſis Scholiaſten ad Pyndari Olympionicas, Od. 7.

Λακεδαίμονα. Farneſiana Hermodori habet, Ευρύκλεια ἐν Λακεδαίμονι. Lacedæmonis

cedæmonis etiam Hyacynthina memorantur Philostrato in vita Polemonis Sophistæ.

Μαντινείαν. Hinc emendanda est Farnesiana ubi ΔΙΑΝΤΙΝΕΙΑΝ, quod nihil omnino significat, occurrit. Doctissimus Petrus Faber ΔΙΑΝΤΙΝΟΙΑ ibi voluit substitui, Certamina nempe Antinoo sacra. Sed vocabuli sono deceptus est. Rem ipsam tamen plane tetigit. Vide eum Agonistici lib. 3. cap. 27. Certissimum est MANTINEIAN pro ΔΙΑΝΤΙΝΕΙΑΝ legi oportere. Mantineæ quinquennale certamen in Antinoi honorem ab Adriano institutum est. Hoc Ἀντινόειον seu ἀγὼν Ἀντινόειος dictum. Etenim patria Antinoi Bithynia erat. Bithyni autem ex Arcadibus ipsisque Mantiniensibus oriundi. Inde erat quod Mantinæa parentalia ejus annua haberi & sacrum Certamen quinquennale voluit Adrianus. Ita Pausanias in Arcadicis, τούτων ἕνεκα, inquit, ὁ Βασιλεὺς κατεστήσατο αὐτῷ καὶ ἐν Μαντινείᾳ τιμάς. Καὶ τελετή τε κατὰ ἔτος ἕκαστον καὶ ἀγών ἐστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτου. Atque hæc sunt Ἀντινόεια apud Gruterum pag. 317. n. 1.

Θεματικός. Id quod præmii loco dabatur victoribus, seu bravium, θέμα dictum est. Nam certamina, obscuriora forsan compluria, præmia præter existimationem, puto, alia non habuere, adeoque θεματικὰ minime fuere. Θέμα hoc sensu non semel legitur in Oraculis Sibyllinis. Omnes autem agones quibus præmia erant cujuscunque generis nominatim proposita, θεματικοὶ erant. In iis aliquot duntaxat στεφανῖται seu Coronarii. Et ut à στεφάνῳ στεφανείτης & στεφανίτης dicebatur, ita à θέματι θεματίτης & θεματείτης, pro eo quod est Θεματικός. Nec tamen θεματείτας alibi quam in Columna Farnesiana reperisse me memini. Περὶ θεματικῶν aliter Grammatici plerunque. Videsis Julium Pollucem sub extremum, lib. 3. Favorinum, id genus alios. Sed nemo melius de hac re quam Petrus Faber in Agonistico lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 13. Adde Scaligerum de Emendatione, lib. 5. pag. 446. Quæ ad hoc Marmor, exceptâ Periochâ, quam de Barbillæis addidimus, uti & quæ ad primum Marmor, exceptâ Seleuci vitâ, annotantur, omnia sunt Seldeni.

IV.

Κλαύδιος ἰητὴρ Ἀγαθήμερος ἐνθάδε κεῖμαι
Παντοίης δεδαὼς κραιπνὸν ἄκεσμα νόσου.
Ξυνὸν τοῦτο δέ μοι καὶ Μυρτάλῃ εἴσα συνεύνῳ
Μνῆμα. Μετ᾽ ἐυσεβέων δ᾽ ἐσμὲν ἐν Ελυσίῳ.

Claudius Agathemerus medicus hic jaceo,
Omnigeni qui cognoveram præſentiſſimum remedium morbi.
Commune hoc mihi eſt & æque Myrtalæ conjugi
Monumentum; cum Piis autem nos ſumus in Elyſio.

V.

D. M.
L. PONTIUS HELENUS
MATRI SUAE
JUNIAE SATURNINAE
BENE MERENTI
FECIT

VI.

D. M.
L. ANNAIO FIRM.
VIXIT ANNIS. V.
M. II. D. VI. H VI.
QUI NATUS EST
NONIS JULIIS
DEFUNCTUS
EST IIII IDUS
SEPTEMBRIS.
ANNAIA FERU
SA VERNAE SU
O KARISSIMO.

D. M.

D. M. i. e. Diis Manibus, quas voces aut integras, aut abbreviate per primas literas eodem modo quo in his Marmoribus ſignatas in omnibus fere Marmoribus ſepulchralibus Epitaphio præfixas invenimus. Iis apud Græcos reſpondent, Θεοῖς καταχθονίοις, quæ etiam abbreviate per primas ſuas literas Θ. Κ. frequentius exprimuntur, ut in Marmoribus noſtris 28, & 143. habes exempla.

VII.

ΟΙ ΔΙΣΣΟΙ ΣΥΝΟΜΑΙΜΟΙ ΙΩ ΞΕΝΕ ΤΩΙΔ ΥΠΟ ΤΥΜΒΩΙ
ΑΨΑΥΣΤΟΙ ΤΕΚΝΩΝ ΚΕΙΜΕΘΑ ΚΟΥΡΙΔΙΩΝ
ΙΚΕΣΙΟΣ ΚΑΓΩ ΝΕΑΡΑΝ ΠΛΗΡΟΥΜΕΝΟΣ ΗΒΑΝ
ΕΡΜΙΠΠΟΣ ΚΡΥΕΡΟΝ ΤΟΝΔ ΕΧΟΜΕΝ ΘΑΛΑΜΟΝ
ΑΙΔΑΝ ΕΓΚΥΡΣΑΝΤΕΣ ΑΛΑΜΠΕΤΟΝ ΕΥΓΕΝΕΤΗΣΔΕ
ΘΕΥΔΟΤΟΣ ΟΥ ΣΤΥΓΕΡΟΝ ΠΕΝΘΟΣ ΕΦΕΙΔΕ ΠΑΤΗΡ
ΜΗΤΗΡΔ Η ΔΥΣΤΗΝΟΣ ΟΔΥΡΕΤΑΙ ΟΙΑ ΤΙΣ ΑΚΤΑΙΣ
ΑΛΚΥΟΝΙΣ ΓΕΟΡΟΙΣ ΔΑΚΡΥΣΙ ΜΥΡΟΜΕΝΑ
ΜΗΤΡΙ ΣΗ ΛΙΠΙ ΑΔΕΛΦΟΣ ΕΡΗΜΩΘΕΙΣΑ ΔΕ ΤΕΚΝΩΝ
ΓΗΡΑΙΟΜ ΒΙΟΤΑΣ ΤΕΡΜΑ ΑΝΕΠΛΗΣΕ ΚΑΚΟΝ.

Οἱ δισσοὶ συνώμαιμοι, ἰὼ ξένε, τῷ δ᾽ ὑπὸ τύμβῳ
Ἄψαυστοι τέκνων κείμεθα κουριδίων,

Ικέσιος

Ἱκέσιος κἀγὼ νεαρὰν πληρούμενος ἥβαν
Ἕρμιππος κρυερὸν τόνδ' ἔχομεν θάλαμον
Αἴδαν ἐγκύρσαντες ἀλάμπετον, εὐγενέτης δὲ
Θεύδοτος οὐ στυγερὸν πένθος ἔφεισε πατήρ.
Μήτηρ δ' ἡ δύστηνος ὀδύρεται, οἷά τις ἀκταῖς
Ἀλκυόνις γοεροῖς δάκρυσι μυρομένα.
Μητρὶ σῇ λίπ' ἀδελφὸς, ἐρημωθεῖσα δὲ τέκνων
Γηραιὸν βιοτᾶς τέρμ' ἀνέπλησε κακόν.

Nos duo fratres, ô hoſpes, ſub hoc tumulo
Jacemus non aſſecuti liberos teneros.
Hiceſius, & ego recentem complens adoleſcentiam
Hermippus frigidum hunc habemus Thalamum
In orcum incidentes tenebricoſum, nobilis vero
Theudotus pater non pepercit gravi luctui.
Mater vero infelix luget, ſicut aliqua in ripis
Halcyonis, lachrimas fundens lugubres.
Matri tuæ reliquit frater, orbata vero filiis
Senilem vitæ terminum implevit malum.

VIII.

VIII.

Νικηφόρε χρηστὲ
χαῖρε

Nicephore bone
vale.

Hoc Monumentum quoad Inſcriptionem ſimile eſt iis quæ apud Sicyonios in uſu fuiſſe tradit Pauſanias lib. 2. ea enim ſic deſcribit. Αὐτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ ἐοικότι τρόπῳ θάπτουσι, τὸ μὲν σῶμα γῇ κρύπτουσι, λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπῖδα κίονας ἐφιστᾶσι, καὶ ἐπ᾽ αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι, κατὰ τοὺς αἰετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς· ἐπίγραμμα δὲ ἄλλο μὲν γράφουσιν οὐδὲν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ᾽ ἑαυτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν. i. e. Interprete Amaſæo. Ad hunc ferme modum ſuorum cadavera condunt Sicyonii Corpus terrâ contegunt, deinde lapideâ baſi extructâ columnas erigunt, iiſque faſtigium imponunt, eo fere modo quo aquilas in Templis. Inſcriptionem autem aliam addunt nullam, ſed defunctum ſuo tantum nomine omiſſa patris mentione appellatum valere jubent.

IX.

IX.

Ακεςείμη Δημαγόρȣ	Aceſtime Demagoræ filia
γυνὴ δὲ Αρτεμιδώρȣ χαῖρε	Uxor vero Artemidori vale.

X.

Ὁ Δῆμος	Populus
Απολλωνίαν Κηφισοφῶντος	Apolloniæ Cephisophontis.

XI.

XI.	XII.	XIII.
SERVAEO SAGARI C.INGONIA EVCARPEA MARITO OPTIMO	D. M. LIVIAE CASTAE CONIVGI L.VALERIVS APRILIS FECIT ET SIBI	D. M. M. CORNELIO PIO QVI.V.A.XIII.M.XI.D.V M. CORNELIVS ONESIMVS FILIO KARISSIMO FECIT.

QVI .V. A. XIII.M. XI. D.V. i. e. qui vixit Annis tredecim, Menſibus undecim, Diebus quinque. Sic ſupra Marm. VI. habes, Annis .V. M.II.D.VI.H.VI. Lege ibi, Annis quinque, Menſibus duobus, diebus ſex, horis ſex.

XIV.

Sub capite mulieris Marmoreo pulcherrime exciſo.

SVLPICIA CAIINI.

XV.

Κοσμητεύοντος Στα Σεραπίωνος Χολλείδου
Καὶ Κοσμητεύοντος Κασι Απολλωνίου Στειριέως

Σωφρονιςὴς Ἀθήναιος Σπένδοντος Ἐλδυσείνιος
Τοῖς ἐφήβοις τὸν Ἡρακλέα ἀπὸ τ ἐν Ἐλδυσεῖνι νείκης.

Παιδοτειβοῦντος Ἀβασκάντυ
Τȣ Εὐμόλπȣ Κηφεισιέως ἔτος κγ.

Cofmetæ magiftratum gerente Sta Serapione Collidæ filio
Et Cofmetæ magiftratum gerente Cafi Apollonio Stirienfi
Sophronifta Athenæus Spendontis filius Eleufinius
Ephebis Herculem ob victoriam in Eleufine.

Pædotribâ Abafcanto filio
Eumolpi Cephifienfi, anno 23.

Hoc Marmor Athenis pofitum fuiffe, indeque huc allatum, Sophroniftæ Athenæi, & Steirienfis, Eleufinii, Cephefienfis, Δήμων Athenienfium nomina, & caufa confecrationis illius, parta fcilicet in agone El nio victoria, in quo foli certabant Athenienfes, fatis convincunt. Locum habuit in uno è Gymnafiis, in eâque parte illius, ut ipfum indicat Marmor, in quâ Ephebi exercebantur, Ephebéo dictâ; atque ideo Cofmetarum & Pædotribæ feu Gymnafiarchæ nominibus, qui tempore confecrationis illius eorum exercitiis præerant, fignatur.

Κοσμητεύοντος. Cofmorum Cretenfium, qui decem erant, & non diffimile Ephoris Lacedæmoniorum tenuere imperium, fufius meminit Ariftoteles Politicorum lib. 2. & de Protocofmis item Cretenfibus plura habentur in faxis vetuftis ex Lytti Cretæ urbis ruinis erutis, quæ Typis mandavit Gruterus, pag. 1084. num. 8, 9, 10, &c. & pag. 1094. num. 5. An Κοσμητεύοντες hic iidem fuerint cum Cofmis illis non fatis perfpectum habeo. Hactenus Seldenus. Sed quare putaret vir eruditiffimus hos Κοσμητεύοντας eofdem fuiffe cum Cofmis Cretenfium nulla eft ratio; non enim legitur Κοσμεύοντος fed Κοσμητεύοντος, atque ideo hic non de Cofmo, fed de Cofmeta agitur. Κοσμηταὶ autem non fuere in republica, ut Κόσμοι Cretenfium, fed tantum in Gymnafiis magiftratus. Eorum mentio in antiquis Marmoribus frequentius habetur, & vix unquam alibi: atque ideo ex his maxime intelligendum fit, quinam fuerat Κοσμητῶν magiftratus; apud Gruterum, in quibus de eo legitur, hæc inveniuntur.

Ἀγαθῇ τύχῃ.	Cum bona fortuna.
[a] Ἐπὶ Κλ. Ἀττάλȣ Ἄρ	Sub Claudio Attalo
χοντος, Κοσμητὴς	Archonte, Cofmeta
Ἐφήβων ἱερεὺς Θεȣ̃	Epheborum fuit Sacerdos Dei
καὶ Θεᾶς Εἰρηναῖ	& Deæ Irenæus
ος ὁ Παιανιεὺς,	Pæanienfis,
ἐφήβευεν αὐτȣ̃	Ephebus factus erat ejus

[a] Grut. pag. 317. Habes etiam apud Petitum in Commentar. ad leges Attic. pag. 299. Fabr. Agonift. lib. 1. c. 21. Meurfium Attic. Lect. lib. 2. & Gruterum etiam vide pag. 79.

υἱὸς

υἱὸς Διονύσιος	filius Dionysius
Εἰρηναίου Παιανι-	Irenæi fil. Pæanien
εὺς, ἐγυμνασιάρ-	sis, Gymnasiarcha
χησεν τοῦ ἐνιαυ-	erat Ephebo
τοῦ τοὺς ἐφήβους	rum hujus anni
Φλ Στρατόλαος	Flavius Stratolaus
Φυλάσιος, ἐγένον	Phylasius, fuerunt
το ἔφηβοι διακό	Ephebi ducenti
σιοι καὶ δύο.	et duo
Λάμπαδα	In certamine lampadifero
νικήσας	vincens
συνεφήβοις στήλα	iis qui simul Ephebi erant
ν ἔθηκεν Ὀ	cippum posuit O.
τιγίδης	tigides filius
Παντώνου	Pantoni filii
Τυχίδου	Tychidæ
Ἀθμονεὺς	Athmoniensis.

b. Ἐπὶ Θέωνος	Sub Theone
Ἄρχοντος,	Archonte
Κοσμητοῦ Διον	Cosmetâ Dio
υσίου, Μάρκος	nysio; Marcus
Ἀναφλύστιος,	Anaphlystius
γυμνασιαρχήσας.	gymnasiarcham egit.

c Κοσμητεύοντος Πλουτάρχου	Cosmetâ Plutarcho
Ἀχαρνέως	Acharnensi
στῆσεν Ἀχήριστος	posuit Acheristus
στήλην, &c.	cippum, &c.

Exceptis his Marmoribus in solo Erotiano vocem invenies; dicit autem ille in Lexic. Hippocr. Κόσμου τάξεως, Ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις, καὶ γὰρ κοσμίους λέγομεν τοὺς εὐτάκτους, καὶ κοσμητὰς τοὺς τῆς ἐφήβων εὐταξίας προνοῦνται. Κοσμηταὶ igitur erant boni ordinis & modestiæ Epheborum in Gymnasiis curatores; vox enim εὐταξία utrumque, tam modestiam scilicet quam bonum ordinem significat. Athenis autem fuisse Magistratum, qui curabat, ne quid contra modestiam & pudicitiam puerorum & Epheborum in Gymnasiis fieret, testatur [d] Æs-

b Grut. & Petit. & Meurs. ib. c Grut. ib. Meurs. ib. d In orat. contra Timarchum.

chines.

chines. Cum enim [e] Athenienſes Pæderaſtiæ peſſime dediti fuerint, horrendumque illud laſciviæ genus maxime iis in voluptate eſſet, atque ideo [f] Gymnaſia frequentare, & exercitiis, in quibus adoleſcentes certabant nudi, intereſſe eos maxime delectabat, ibique ſæpiſſime inceperint corrumpere, quos libidini ſuæ ſubjiciebant, juvenes; [g] Leges de præſervanda puerorum & Epheborum pudicitiâ latæ erant ſeveriſſimæ, ne ſcilicet Gymnaſiarchæ ante ortum ſolis ſcholam aperirent, ut clauderent ante occaſum, ut puerorum Gymnaſiarchæ nullum adultum in ſcholam admitterent, præſertim dum feſta Μυσεῖα & Ἑρμαῖα celebrarentur (in quibus multa laſcive agi ſolita teſtatur [h] Diogenes Cynicus) ſub pœna capitali. Ut hæ leges ceteræque omnes in hunc finem latæ obſervarentur, magiſtratus creabatur, cui incumbebat hoc curare, illeque videtur fuiſſe Κοσμητὴς, de quo in Marmore agitur, atque ideo, cum illius munus eſſet omnibus aliis Gymnaſiorum curatoribus præeſſe, cavereque, ut juvenes ſub eorum tutelâ modeſte & pudice agerent, & ut omnia ſecundum leges fierent, præ omnibus, qui in Gymnaſiis aliquod munus exercebant, tam in hoc quam in aliis Marmoribus primus nominatur.

Καὶ Κοσμητεύοντος. Hinc apparet duos Κοσμητὰς fuiſſe, quod notat [i] Petitus, dicitque unum παίδων, & alterum ἐφήβων fuiſſe, & hunc eſſe, qui Κοσμητὴς ἐφήβων (ut in primo Marmore è Grutero) & illum, qui Κοσμητὴς ſimpliciter (ut in ſecundo Marmore è Grutero) appellatur. Sed quamvis hoc forſan veriſſimum ſit, obſervandum tamen eſt, illum de Coſmetis hæc ſine ullâ autoritate aſſeruiſſe, cum nulla omnino niſi ex hoc Marmore, quod Petitus nunquam viderat, habenda ſit, unde conſtare poſſit eos duos fuiſſe. Forſan voculis ΣΤΑ & ΚΑΣΙ, quæ Seldenus non explicavit, voces, quæ diverſas horum Κοσμητῶν Provincias diſtinguunt, abbreviate ſignantur, cum quid aliud ea hic denotant, non omnino poſſum conjectare.

Ἀπολλωνίῳ Στειριεῖ. i. e. Apollonio Stirienſi ſeu δήμου Stirienſis populari: in more enim erat Athenienſibus ſemper fere poſt nomen, cujus δήμου erant, adjungere. Atque ideo [l] Themiſtocles Φρεάῤῥιος, i. e. populo Phrearienſis. [m] Pericles Χολαργεύς, i. e. populo Cholargenſis. [n] Ariſtides & Socrates Ἀλωπεκῆς, i. e. populo Alopecenſes dicebantur, & ſic Apollonius hic Στειριεὺς dicitur, ἀπὸ τῆς Στειρίας [o] δήμου Atticæ Tribus Pandionidis, cujus δήμου populares etiam erant [p] Theramenes, [q] qui unus è triginta erat, qui poſt captas à Lyſandro Athenas urbi præerant, & [r] Thraſybulus, [s] qui expulſis his Triginta patriam ab eorum Tyrannide liberavit, & a ſcriptoribus pariter Στειριεὺς dicuntur. Ab hoc populo [t] urbs Stiris in Phocide nomen habuit, quod ex iis, qui duce Peteo Ornei filio Athenienſi hanc urbem condidere, plerique Stirienſes fuerunt.

Σωφρονιστὴς Ἀθήναιος. Seldenus habet φροντιστὴς Ἀθήναιος, ſed in Marmore manifeſte legitur φρονιστὴς ſine literâ τ, Lacunam in initio lineæ duabus literis recipiendis æqualem, literis Σω ſuppleo, legoque Σωφρονιστὴς Ἀθήναιος, i. e. Sophroniſta Athenæus, Ἀθήναιος enim non eſt *Athenienſis*, ut interpretatur Seldenus, ſed nomen viri, ut ex adjunctis conſtare obſervavit vir in omni doctrina ſummus [u] Reverendus Epiſcopus Ceſtrenſis. [x] Σωφρονιστὴς igitur magiſtratum denotat, quem Athenæus Eleuſinius geſſerat, cum hoc ſignum

[e] Apud eos enim tam frequens erat, & ita ab omnibus uſitatum horrendum hoc amoris genus, ut Zeno Stoicorum pater, ſeveriſſimus in moribus inter Philoſophos eo etiam ſe polluiſſe fatetur, ne ei in approbrium eſſet non amaſſe humanum genus. Diog. Laert. in vita Zenonis. [f] Vide Plutarch. in ἐρωτικῷ. [g] Æſchines in initio orationis in Timarchum, vide etiam Petitum in Comment. ad leges Atticas, pag. 297. [h] In Epiſtola illius ad Græcos. [i] In Comment. ad leges Atticas, p. 299. [l] Vide Plut. in vita Themiſtoclis. [m] Vide Plut. in vita Periclis. [n] Vide Plut. in vita Ariſtidis, & Diog. Laert. in vita Socratis. [o] Strabo lib. 9. Suidas, Heſychius, Harpocrat. & Stephanus Byzantinus in Στειρία. Lucianus in Dial. Meretr. [p] Scholiaſtes Ariſtoph. ad Ranas. [q] Vide Diodorum Siculum, & Xenophontem. [r] Æſchines in Cteſiphontem, & Diodor. Sic. lib. 14. [s] Vide vitam illius apud Cornelium Nepotem. [t] Pauſan. lib. 10. [u] In vindiciis Epiſt. Ignatii poſt cap. 12. [x] Vide Sigonium de Republica Athenienſi lib. 4 c. 3.

consecrasset. [y] Σωφρονισταὶ enim Athenis Ἄρχοντές τινες Χειροτονηταὶ δέκα τὸν ἀριθμὸν ἑκάστης φυλῆς, ἐπεμελοῦντο δὲ τῆς ἐφήβων σωφροσύνης, i. e. Sophronistæ Athenis erant magistratus quidam populi suffragiis creati numero decim per singulas tribus, curam vero gerebant pudicitiæ adolescentum. Idem igitur erat Sophronista in tribu sua, quod Κοσμητὴς in Gymnasio: atque inde est quod σωφρονιστὴς apud [z] Thucydidem aliosque, castigatorem seu monitorem significat, cum allusione scilicet ad hunc magistratum, cujus Athenis munus erat juvenum mores corrigere, eosque quoties deliquerint, officii monere.

Ἐλευσίνιος, i. e. ἐκ δήμου Ἐλευσῖνος. [a] Ἐλευσὶς enim Atticæ δῆμος erat Tribus Hipothoontidis, & urbs etiam totius Atticæ post Athenas maxima, & ob Templum Cereris, & mysteria ibi celebrata olim insignissima: de ea Lege [b] Pausaniam, & è modernis [c] Johannem Meursium.

Τοῖς ἐφήβοις. Hinc apparet signum hoc in Ephebéo, in ea scilicet Gymnasii parte, ubi Ephebi exercebantur, locum habuisse. [d] Ephebi autem dicebantur juvenes, qui sub primis erant pubertatis annis. Varii enim erant ætatum gradus apud Athenienses: quam subito enim eorum filii in album φρατέρων inscripti in Tribus admittebantur, utpote jam Athenienses facti, publicis Magistris instituendi traditi fuere, sub quibus in Gymnasii loco διδασκαλεῖῳ dicto [e] literis tantum, musicis, & palæstris exerciti usque ad decimum octavum ætatis annum παῖδες dicebantur: eo [f] autem completo in superiorem classem promoti, [g] & ad tractanda arma admissi, [h] per duos deinde annos Ephebi dicebantur, quibus robustioribus exercitiis & artibus bellicis, utpote, [i] qui jam ἐν τοῖς περιπόλοις si quid ibi ingruente hoste gereretur bellum, tenebantur militare, studium & operam dabant, iisque sub proprio Gymnasiarchâ, [l] qui ἐφήβαρχος dicebatur, instructi erant, donec tandem completo τῆς ἐφηβείας tempore post annum vigesimum ἐξέφηβοι facti, [m] & Lexiarchico inscripti, inter viros deinde omnibus eorum privilegiis donati inceperant numerari. Sed de his ætatum gradibus contraria tradit Censorinus; dicit enim ille [n] de tertia ætate adolescentulorum tres gradus esse factos in Græcia, priusquam ad viros perveniatur, quod vocent annorum quatuordecim παῖδα, μελλέφηβον autem quindecim, dein sedecim ἔφηβον, tunc septendecim ἐξέφηβον, cum quo etiam conveniunt Aristoteles [o] apud Scholiastem Aristophanis, & [p] Artemidorus, quod hic τῆς ἐφηβείας tempus per unum tantum annum durasse, & ille à decimo sexto ætatis anno id initium habuisse dicunt, nisi forte, [q] ut opinatur Petitus, apud Scholiastem Aristophanis pro literis ιϛ, ιη, sint restituendæ. Sed diversa hæc ab his autoribus tradita bene conciliari possunt, si eos ad diversa tempora, aut diversas civitates, in quibus diversi mores obtinuere, supponamus respexisse. Athenis vero olim decimo octavo ætatis anno Ephebos primo factos, & ad militiam admissos fuisse, istius civitatis incolarum filios, cum à plerisque autoribus tradatur, iisque fide dignissimis, videtur verissimum.

Τὸν Ἡρακλέα. Imaginem Herculis in Gymnasiis consecrare apud antiquos frequentissimum fuit (de qua re vide [r] Petrum Fabrum) [s] Hercules enim fuit Gymnicorum agonum Deus, & primus inventor, [t] atque ideo τινὲς τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας σήμερον Ἡρακλείους ἀγῶνας ἐκάλεσε.

Ἀπὸ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι νίκης. i.e. Post victoriam in certamine Eleusinio partam. Gymnicum enim certamen erat in urbe Eleusine tempore celebratio-

[y] Phavorinus & Etymolog. in Σωφρονιστής. [z] Lib. 3. & lib 6. [a] Stephanus Byzant. in Ἐλευσίς. [b] Lib. 1. [c] Lib. de Eleusiniis. [d] Suidas in ἔφηβος, Hesychius & Phavorinus ad eandem vocem. [e] Plato in Critone & Theage. [f] Pollux lib. 8. c. 9. Harpocration in ἐπιδιετές. [g] Plutarch. in Phocione. Ulpianus ad Demosthenis orat. Olynth. 3. Æschines ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας λόγῳ. [h] Pollux & Harpocrat. ubi supra. [i] Æschines & Pollux, ubi supra. [l] Arrianus in Epictetum lib. 2. [m] Pollux lib. 8. cap. cap. 9. Vide etiam Hesychium, Harpocrationem, & Suidam in Ληξιαρχικόν. [o] Ad Vespas. [p] Onirocrit. lib. 1. cap. 56. [q] In Commentar. ad leges Atticas. pag. 150. [r] Agonist. lib. 1. cap. 16. & Semestrium lib. 2. cap. 11. [s] Vide Fabrum ib. [t] Pollux lib. 3. cap. 30. sect. 9.

nis

nis mysteriorum singulis quinquenniis propositum: de eo vide, quæ infra annotavimus ad Ep. Mar. 17. Athenæus autem Sophronista, cum in hoc certamine victor extitisset, hanc Herculis imaginem, aut ab votum aliquod inter certandum ei Deo factum, aut in victoriæ ostentationem, videtur consecrasse.

Παιδοτριβοῦντος Ἀβασκάντου. i. e. Pædotribæ seu Gymnasiarchæ munere fungente Abascanto; παιδοτριβεῖν enim idem quod γυμνασιαρχεῖν, & παιδοτρίβης idem quod γυμνασιάρχης significat; quamvis enim παιδοτρίβης primo & sensu stricto solum Gymnasiarcham puerorum, cumque [v] qui hos jaculandi arte, aliisque exercitiis instituerat, significasset, postea tamen æque latam ac γυμνασιάρχης significationem obtinuit, cum eoque promiscue usurpatur pro quocunque exercitiorum in Gymnasiis magistro, atque id [x] Pollux habet, Τὰ χωρία τῆς ἀσκήσεως ἀποδυτήριον, γυμνάσιον, παλαίστρα, κονίστρα, καὶ ὁ ἐφεστηκὼς παιδοτρίβης τε, καὶ γυμναστὴς, & Hesychius, & Suidas Παιδοτρίβαι, ἀλεῖπται, γυμνασταὶ, [z] & Alexander Aphrodisiensis dicit, Athletas, antequam luctatum veniant, oleo præmolliri παρὰ τῶν παιδοτριβῶν· voces igitur, γυμνασιάρχης, γυμναστὴς, παιδοτρίβης, & ἀλείπτης, eandem habent significationem, & παιδοτρίβης idem est qui γυμνασιάρχης. Gymnasiarchæ autem in singulis Gymnasiis multi fuere, alius enim παίδων, alius ἐφήβων, alius in Palestrâ, aliique in aliis exercitiis Gymnasiarchæ seu Pædotribæ erant. Abascantum autem, de quo hoc agitur, ex eo, quod hoc Herculis signum Ephebis donatur, in eorumque scholâ, ut videtur, positum fuisset, Epheborum Gymnasiarcham fuisse manifestum est; eos enim proprium in Gymnasio locum, ubi exercebantur, [a] Theophrastus, & [b] Vitruvius, & proprium Gymnasiarcham [c] Arrianus in Epicteum, & Marmor è Grutero supra allatum, in quo Flavius Statolaus Epheborum Gymnasiarcha dicitur, testantur habuisse.

Κηφεισιέως, i. e. Populo Cephisiensis [d] Κηφεισία enim, seu ut rectius scribi debuerat Κηφισία δῆμος, erat Atticæ tribus Erichtheidis, cujus popularis Κηφισιεὺς dicebatur.

[v] Antiph ἐν ἀπολογίᾳ φόνου ἀκουσίου. [x] Lib. 3. cap. 30. sect. 9. [y] In παιδοτρίβαις. [z] Problem. lib. 1. [a] In Eth. Charact. περὶ ἀρεσκείας. [b] Lib. 5. c. 11. [c] Lib. 3. c. 1. [d] Harpocrat. in Κηφισιεὺς, τοῦ Κηφισίας etiam meminere Diog. Laert. in Platone, Isæus in orat. περὶ Φιλοκτήμονος κλήρου, Lysias κατὰ Νικομάχου, Philostratus de vitis Sophistarum lib. 2. A Gellius lib. 18. cap. 10.

Marmor

XVI.

I.

ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΧΡΥΣΙΠΠΟΥ ΤΟΥ
ΑΝΤΙΦΑΝΟΥ ΤΟΥ,ΦΥΣΕΙ ΑΤΤΑ
ΛΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΣΥΝΤΡΟΦΟΥ
ΚΡΙΤΩΝΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ
ΚΟΝΩΝΟΣ Ρ
ΛΕΟΝΙΚΟΣ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΤΟΥ ΗΦΑΙΣ
ΤΙΩΝΟΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΤΟΥ ΗΦΑΙΣΤΙΩΝΟΣ
ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΗΦΑΙΣ
ΤΙΩΝΟΣ Ρ
ΤΙΜΟΘΕΟΣ ΜΗΝΟΚΡΙΤΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ
ΘΕΙΟΥ ΤΙΜΟΘΕΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΟΔΩ
ΡΟΥ ΤΟΥ ΜΗΤΡΟΒΙΟΥ ΚΑΙ ΑΔΕΛΦΟΥ
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΜΗΝΟΚΡΙΤΟΥ
ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ Ν
ΜΗΤΡΑΣ ΠΑΡΑΜΟΝΟΥ Ο ΝΕΩΤΕ
ΡΟΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΛΥ
ΣΑΝΔΡΑΣ ΤΗΣ ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ
ΤΟΥ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΑΔΕΛΦΟΥ ΜΗ
ΤΡΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΤΗΙΟΥ. Ν
.........ΛΗΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. Ρ
.... ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ. Ρ
...... ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΥΠΕΡ ΤΕ
..... ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΓΛΥΚΙΝ
... ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΚΑΙ ΘΥΓΑΤΡΟΣ
.... ΤΟΥ Σ
.....ΑΓΝΗΤΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
... ΚΑΙ ΥΠΕΡ. ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ
.... ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ
...... ΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΤΟΥ .....ΝΡ
..... ΜΕΝΟΚΡΑΤΟΥ ΤΟΥ ΙΚΕΣΙΟΥ
.... ΑΔΕΛΦΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡ...
...ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙ
ΟΥ ΝΕΩΤΕΡΟΥ ΚΑΙ ΙΚΕΣΙΟΥ ΤΟΥ
...ΑΤΟΥ Ρ

Multa delentur.

II.

....ΟΙ ΔΕ ΕΠΗΓΓΕΙΛΑΝΤΟ
.... ΚΕΡΑΜΙΔΑΣ Ν
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΤΟΥ
ΚΛΕΙΝΙΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΥΙΟΥ Α
.. ΚΛΕΙΝΙΟΥ ΚΕΡΑΜΙΔΑΣ....ΠΙ...
Ι..... ΕΡΜΙ . . . . Σ
ΙΩ... ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ . . . . .
. . . . . ΚΕΡΑΜΙΔΑΣ. . . . . Σ
ΑΠΙΩΝ ΠΟΤΑΜΩΝΙΟΣ ΚΕΡΑΜΙΔΑΣ. Σ

III.

ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΑΣΚΛΕΠΙΩΝΟΣ...
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΑΠΑΜΕΥΣ ΚΑΙ
ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΑΔΕΛΦΗΣ ΜΗΝΟΣ ΕΑΣ
ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΑΠΑΜΕΙΤΙΔΟΣ Ν
ΗΡΑΙΟΣ ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΣ Ν
ΑΠΑΜΩΝΙΔΗΣ ΔΑΜΟΝΟΣ ΑΠΑΜΕΥΣ Ν
ΠΑΡΑΜΟΝΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΑΠΑΜΕΥΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ
ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ ΤΟΥ ΙΠΠΑΡΧΟΥ ΑΠΑΜΕΩΣ Ν
ΜΗΝΑΓΟΡΑΣ ΜΗΝΑΔΟΣ ΝΙΚΟΜΗΔΕΥΣ ΚΑΙ
ΥΠΕΡ ΑΝΘΡΑΚΙΟΥΣΗΣ ΔΗΜΗΤΡΟΣ
ΑΝΤΙΟΧΙΣΣΗΣ ΑΠΟΛΛΙΝΗΣ Ν
ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΑΝΤΙΦΑΝΟΥ ΓΑΖΕΥΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΟΥ ΤΡΟΦΙΜΟΥ ΑΡΙΣΤΟΓΕΝΟΥ
ΤΟΥ ΑΡΙΣΤΟΓΕΝΟΥ Ν
ΒΑΚΧΙΟΣ ΠΕΡΙΓΕΝΟΥ ΗΡΑΚΛΕΙΩΤΗΣ Ν
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣ ΤΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΟΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΣ
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΗΣ ΤΗΣ ΗΡΟΦΙΛΟΥ ΗΡΑΚΛΕΙ
ΟΤΙΔΟΣ ΚΑΙ ΠΑΤΡΩΟΥ ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ
ΤΟΥ ΗΡΟΙΛΟΥ ΤΜΟΛΙΤΟΥ Ν
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ ΦΙΛΟΣΡΑΤΟΥ ΠΕΡΙΝΘΙΟΣ Ν
ΜΕΠΙΡΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΕΡΩΣ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΑΠΑΜΕΙΣ Ν
ΒΑΚΧΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΟΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΣ ΜΗΝΟΦΙΛΑΣ ΤΗΣ ΗΡΑΚΛΕΙ
ΔΟΥ ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΑΣ Ν
ΚΟΣΜΟΣ... ΕΙΜΕΝΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ ΚΑΤΑ ΔΙΑ
ΘΗΚΗΝ ΥΠΟ ΜΗΝΟΔΟΤΟΥ ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΑΙΔΩΝ ΗΡΟΝΙΚΗΣ ΚΑΙ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ. Ν
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΑΦΡΟΔΙΣΙΟΥ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΟΣ Ν
ΑΡΧΙΑΣ ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ ΛΥΣΙΜΑΧΕΥΣ Ν
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΠΟΠΛΙΟΥ ΚΑΤΑΝΑΙΟΣ
ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ (Ν
ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΣ ΤΗΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΚΛΗΡΙΤΙΣΕΟΣ
ΔΙΟΓΕΝΗΣ ΛΥΣΙΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΥΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ
ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΕΥΡΕΝΕΙΑΝΤΗΣ ΙΠΠΟ... ΛΟΝ
...ΤΟΣ ΠΕΡΙΝΘΙΑΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ Ν
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΛΕΟΝΤΙΟΥ ΚΝΩΣΙΟΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΤΗΣ ΑΛΕΞ
ΑΝΔΡΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΤΙΔΟΣ ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΕΙΑΣ ΤΗΣ ΑΠ ΑΙΓΥΠΤΟΥ Ν
....ΙΔΕΟΣ ΑΝΤΡΩΙΝΕ... ΛΥΜΙΡΗΝΟΣ ΑΠΟ
ΛΥΚΙΑΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΥΙΟΥ Ν
. . . . . ΙΠΠΟΣ ΗΡΑΚΛΕΟΝΟΣ ΛΑΟΔΙΚΕΥΣ
ΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΗΙ ΚΑΙ ΠΑΙΔΙΟΥ Ν
ΤΩΝ ΜΕΝΕΚΡ...ΜΑΓΝΗΣ..ΚΑΙ ΓΥΝ..

Cetera delentur.

Exarata hæc sunt in Marmore fere quadratæ formæ, & in tres columnas diviso, in quarum primâ ea habentur, quæ in initio sub numero .I. posuimus multis in fine erasis. In secunda omnia fere evanida sunt præter ea, quæ sub Num. II. posita in fine columnæ leguntur. In tertia vero columnâ pauciora desiderantur, ex ea enim omnia sub Num. III. habes transcripta, nisi pauca sub fine, quæ fracto Marmore videntur deesse. De tempore quando hoc Marmor exaratum fuit non possum conjectare, antiquitate vero valde exesum est, & jam in plerisque locis vix legendum; atque ideo multa eorum, quæ supra habes, etiam desiderata essent, nisi, quæ inde transcripsit, cum literæ minus evanidæ essent, communicasset nobis Dominus Isaacus Vossius, vir in omni literaturâ stupendè doctus, & patre suo major, qui Angliam nostram, cujus jam est inquilina, Ecclesiæ Windelsoriæ ob ingentia merita erga rempublicam literariam & Regiam familiam Præbendarius nuper constitutus, & ævum suum ornat. Marmor continet nomina eorum, qui ad publicum aliquod ædificium opes suas contribuere: in more enim fuisse antiquis Gymnasia, Balnea, Templa, aliaque publica opera junctis symbolis ædificare, & nomina eorum, qui ad ea aliquid contribuere in columnis incisa, in insigniori aliquo novi ædificii loco publicare, & sic ad posteros transmittere, testantur multa ex antiquis Marmoribus, & è nostris Marm. 28. & 80. De qua re etiam vide [a] Diogenem Laertium, qui è tali columna, quæ continebat nomina eorum, qui Balnei conditores fuere, probat Zenonem Philosophum Cittiensem fuisse, in ea enim inscriptus Cittiensis dicebatur. Cum vero hoc Marmor tantum propria nomina contineat, nec versione, nec ulteriori explicatione mihi indigere videtur.

[a] In vita Zenonis.

XVII.

D. M. CAECILIA
AMPELIS CAECI
LIAE TREPTINI FI
LIAE PIENTISSIMAE

XVIII.

ΜΗΝΑΣ ΜΗΝΟΥ ΤΟΥ
ΗΓΗΣΑΡΧΟΥ ΚΑΤΕ
ΣΚΕΥΑΣΕ ΤΟ ΕΝΣΟ.
ΡΙΟΝ.......
ΠΑΤΡΙ ΚΑΙ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ
ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΕΓΓΟΝΟΙΣ.

Μήνας Μήνου τοῦ
Ἡγησάρχου κατε
σκεύασε τὸ ἐνσο
ρίον......
πατρὶ καὶ ἑαυτῷ
καὶ τοῖς ἰδίοις ἐγγόνοις.

Menas filius Menæ filii
Hegesarchi præpa
ravit hunc locu
lum.......
Patri & sibi &
posteris suis.

XIX.

DIS. MANIBVS.
ANCHARIAE. AMPELIDI.
FECERUNT.
M. ANTONIVS. M.
ANTONI. M. F. FLORI
LIBERTI. APRILIS. LIBERTVS.
POTHINVS. CONIVGI.
SVAE. CARISSIMAE. BENE
MERITAE. DE. SE. ET.
M. ANTONIVS ANTONI.
POTHINI. FILIVS. CLAVD.
JVSTVS. MATRI. SVAE
PIISSIMAE. ADQVE
INDVLGENTISSIMAE.

XX.

D. M.
CAVLIAE. EVPOLIDI
CONIVG: BEN. MER.
SIX. CAVLIVS. MARSIC.
FECIT.

XXI.

Q. APPVLEIVS. Q. L. SALVIVS.
VICELIA. M. L. ARESCVSA.
Q. APPVLEIVS. Q. L. NICO.
M. VICELIVS. M. L. SERVIVS. PATRONVS.
ARESCVSAES.

XXII.

D. M.
ATANIAE. NOE
MATRI. ET
IVLIAE. LVPAE. AVIAE.
BENE. MERENTIBVS.
ATANIA. FIRMINA. FECIT.

XXIII.

L. SESTIVS.
SOTERICVS. SIBI.
ET. SESTIAE. PRISCAE.
COLLIBERTAE. ET.
CONIVGI. SVAE. BENE.
MERENTI. CVM. QVA.
VIXIT. ANNIS. XXX.
DE. QVA. NIHIL. DOLVIT.
NISI. MORTE.
ET. T. TITIO. BASSO. AMICO.
SVO. HOMINI. OPTIMO.
ET. SINGVLARIS. EXSEMPLI.
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
SVIS. POSTERISQVE. EORVM.
IN FRONTE. P. XII. IN AGRO. P. XII.

XXIV.

BONAE. DEAE. VENERI. CNIDIAE.
D. IVNIVS. ANNIANVS. HYMENAEVS. ET. INVICTA. SPIRA. ET. HAEDIMIANA.

Inscripta sunt hæc in superiori ostii parte, quod in fronte erat Fani Veneri Cnidiæ consecrati, Venus autem Cnidia à Cnido [a] urbe Doridis in Caria, ubi colebatur, eodem modo quo etiam [b] Paphia & [c] Erycina à Papho Cypri & Eryce Siciliæ urbibus, appellata fuit; in iis enim Templa habuit, & præ aliis numinibus colebatur. Frequentissimũ enim fuit apud antiquos Diis Deabusq; suis attributa dare ab urbibus ubi maxime colebantur sumta; atque ideo Jupiter [d] Olympius, [e] Larissæus, [f] Lycæus, & [g] Capitolinus; Juno [h] Argiva, [i] Samia, & [l] Lacedæmonia; Apollo [m] Pythius, [m] Delphicus, [n] Ismenius, & [o] Grynæus; Venus [p] Cytherea, [q] Erycina, [r] Paphia, [s] Cnidia, & [t] Olympia cognominabantur. Veneris autem notissima attributa erant Paphia, & Cnidia, atque ideo Horatius habet,

[u] O Venus Regina Cnidi Paphique.

Paphii enim [x] antiquissimi Græcorum erant, qui hanc Deam coluere: ejus cultum illi ab Ascalonitis, Ascalonitæ vero ab Assyriis primis hujus Deæ cultori-

[a] Strabo lib. 14. Herodot. lib. 1. [b] Strabo lib. 14. Pausan. lib. 8. [c] Strabo lib. 6. Pausan. in Arcadicis. [d] Pausan. in Atticis. Sueton. lib. 2. Vitruv. Præfat. lib. 7. Strabo lib. 9. Plut. in Solone, &c. [e] Pausan. lib. 2. [f] Pausan. in Arcadicis. [g] Paus. lib. 2. & in Lat. autoribus passim. [h] Paus. lib. 2. [i] Pausan. in Achaicis. [l] Pausan. l. 6. [m] Paus. in Phocicis. Strab. lib. 9. & in aliis passim autoribus. [n] Pausan. in Bœoticis. [o] Pausan. lib. 1. [p] Virgil. Æn. lib. 1. [q] Strabo lib. 6. Paus. lib. 8. [r] Pausan. l. 1. & 8. Strabo l. 14. [s] Paus. lib. 1. [t] Paus. l. 3. [u] Lib. 1. Od. 30. [x] Pausan. lib. 1. vide Seldenum de Diis Syris, Syntag. 2. lib. 4.

bus accepere; à Paphiis autem ad alios Græcos transmissus fuit; & uti in aliis urbibus, sic etiam [y] Cnidi Templum habuit; quando vero ibi Dea primo coli cœperat, non satis constat. Religionem autem illius in eo loco maxime auxit statua ejus à Praxitele ibi consecrata, eaque primo effecit, ut Veneris Cnidiæ nomen per Græciam celebraretur, [z] Perfectissimum enim hoc per totum orbem artis statuariæ opus ab antiquis Græcis existimabatur, atque ideo multos Veneris cultores Cnidum traxit, effecitque ut ibi potissimum Dea coleretur. Statua hæc tota nuda erat, nisi quod alterâ manu pudenda obtegerit, eam [a] Praxiteles ad imaginem Cratinæ Meretricis suæ dicitur effinxisse, tantæque pulchritudinis fecisse, ut eam à nobili quodam adolescente aliquando perdite amatam, ab eoque concubitu pollutam [b] tradunt; eam & Templum in quo posita fuit prolixius describit [c] Lucianus, quem vide. Hæc autem Dea sub titulo Veneris Cnidiæ non tantum Cnidi, sed aliis etiam in urbibus colebatur. Apud antiquos enim Græcos in more fuit, quoties aliquod numen excellentiori modo in aliqua civitate coleretur, illud sub titulo ab ea civitate accepto in aliis etiam civitatibus colere, eique Templa condere. Sic Diana Ephesina [d] Massiliæ, & [e] Mantineæ; sic [f] Apollo Grynæus, & [f] Apollo Pythius Athenis; sic Venus [g] Erycina Romæ Templa habuere; & sic Venus Cnidia in aliis urbibus præter Cnidum colebatur. De Templo, quod ea Athenis habuit, sic scribit [h] Pausanias, πρὸς δὲ τῇ θαλάσσῃ Κόνων ᾠκοδόμησεν Ἀφροδίτης ἱερὸν, τριήρεις Λακεδαιμονίων κατεργασάμενος περὶ Κνίδον τὴν ἐν τῇ Καρικῇ Χερρονήσῳ. Κνίδιοι γὰρ τιμῶσιν Ἀφροδίτην μάλιστα, καί σφισιν ἔστιν ἱερὰ τῆς Θεοῦ, τὸ μὲν γὰρ ἀρχαιότερον Δωρίτιδος, μετὰ δὲ τὸ Ἀκραίας, νεώτατον δὲ, ἣν Κνιδίαν οἱ πολλοὶ, Κνίδιοι δὲ αὐτοὶ καλοῦσι Εὔπλοιαν, i, e. Prope mare vero Conon extruxit Veneris Templum, postquam Triremes Lacedæmoniorum ad Cnidum in Cariæ Chersonneso profligaverat; Cnidii enim maxime colunt Venerem, & apud eos sunt Templa Deæ. Antiquissimum eorum erat Veneris Doritidis, post hoc aliud Veneris Acrææ, novissimum vero Deæ, quam Cnidiam plerique, ipsi vero Cnidii Euplœam Venerem appellant. An vero Templum hoc supra cujus ostium hæc scripta erant, quæ in nostro Marmore habentur, Athenis, seu Romæ, seu in aliqua alia civitate erat à D. Junio, Anniano Hymenæo, Invictâ Spirâ, & Hædimiænâ conditum, cum nescimus, unde Marmor huc allatum fuerat, nobis non omnino constat.

[y] Lucian. de Amoribus. [z] Vide Lucianum de Amoribus. Philostrat. vit. Apollonii, lib. 6. cap. 9. [a] Clemens Alexandrinus in Protreptico, edit. Hens. pag. 26. [b] Lucianus de amoribus. Philostratus in vita Apollonii Tyanei, lib. 6. cap. 17. [c] De Amoribus. [d] Strabo lib. 4. pag. 179. [e] Pausanias in Arcadicis. [f] Pausanias lib. 1. [g] Strabo lib. 6. [h] In Atticis.

XXV.

D. M.
CLAVDIAE VENERI
AE CONIVGI SANC
TISSIMAE. Q. IN
STEIVS PROBATVS
SIBI SVISQVE
POSTERISQVE
EORVM.

XXVI.

D. M.
RESTITVTO.

XXVII.

DIS
MANIBVS
POMPONIO
MODESTO.

XXVIII.

XXVIII.

Donariorum ad gymnasii, ut videtur, Smyrnensis ornatum recensio; sed mutila.

.... ΩΡΙΑΣ
ΔΕΤΟΣ.................... ΑΡΕΣΤΟΣΤΟ ϡ
ΕΦΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΥΠΕΣΧΟΝΤΟ
ΟΙ ΔΕ ΚΑ. ΒΑΣΣΟΣ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ
ΝΕΜΕΣΕΩΝ ΣΤΡΩΣΕΙΝ ΤΗΝ ΒΑΣΙ
ΛΙΚΗΝ ΦΟΥΣΚΟΣ ΕΡΓΟΝ ΠΟΙΗΣΕΙΝ
Ɱ Ζ. ΧΕΡΣΙΦΡΩΝ ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΤΟΥΣ
ΚΗΠΟΥΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΦΟΙΝΕΙΚΩΝΑ
ΛΟΥΚΙΟΣ ΠΟΜΠΗΙΟΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΦΟΙ
ΝΕΙΚΩΝΑ Ɱ Ε. ΛΟΥΚΙΟΣ ΒΕΣΤΕΙΝΟΣ
ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΙΚΗΝ ΣΤΡΩΣΕΙΝ ΤΗΝ
ΠΡΟΣ ΤΩ ΒΟΥΛΕΥΤΗΡΙΩ ΚΑΙ ΧΑΛ
ΚΑΣ ΤΑΣ ΘΥΡΑΣ ΠΟΙΗΣΕΙΝ
ΣΜΑΡΑΓΔΟΣ ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΝΑΟΝ ΤΥΧΗΣ
ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΕΙΝ ΕΝ ΤΩ ΦΟΙΝΕΙΚΩ
ΝΙ ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΣ ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΧΡΥΣΩ
ΣΕΙΝ ΤΟΝ ΟΡΟΦΟΝ ΤΟΥ ΑΛΙΠΤΗΡΙΟΥ
ΤΗΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ. ΚΑΙ ΟΙ ΕΙΣ ΤΟΝ ΧΑ
ΡΙΣΤΗΡΙΟΝ ΝΕΩ ΚΕΙΟΝΑ ΣΥΝ ΣΠΕΙ
ΡΟΚΕΦΑΛΩ. ΝΥΜΦΙΔΙΑ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ
ΚΛ. ΑΡΤΕΜΥΛΛΑ. ΚΛ. ΠΩΛΛΑ
ΚΛΑΥΔΙΑ ΝΕΙΚΗΤΟΥ ΘΕΥΔΙΑΝΟΣ
ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ. Β. ΦΛ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΚΗ
ΕΙΣΙΔΩΡΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΑΝΤΩΝΙΑ
ΜΑΓΝΑ ΚΛ. ΑΡΙΣΤΙΟΝ ΑΛΒΙΔΙΑ
ΜΑΓΝΑ. Ɱ ΚΛ. ΗΔΕΙΑ Ɱ ΚΛ. ΧΑΡΙΣ
Ɱ ΚΛ. ΛΕΟΝΤΙΟΝ Ɱ ΚΛ. ΑΥΡΗΛΙΑ
ΚΕΙΟΝΑΣ ΚΥΜΒΕΛΛΕΙΤΑΣ ΣΥΝ
ΣΠΕΙΡΟΚΕΦΑΛΟΙΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΦΟΙΝΕΙ
ΚΩΝΑ ΝΒ. ΟΙ ΠΟΤΕ ΙΟΥΔΑΙΟΙ Ɱ
ΜΕΤΡΟΔΩΡΟΣ ΝΕΙΚΑΝΟΡΟΣ ΕΙΣ
ΤΟΝ ΦΟΙΝΙΚΩΝΑ ✳ Ζ Φ. ΜΟΥΡΜΟΣ
ΚΑΙ ΚΙΛΙΑΝΟΣ Ɱ ΚΑΙ ΟΣΑ ΕΠΕΤΥ
ΧΟΜΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΔΙ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΠΟΛΕΜΩ
ΝΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΔΟΓΜΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ
ΚΑΘΟ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ ΓΕΓΟΝΑΜΕΝ
ΑΓΩΝΑ ΙΕΡΟΝ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΘΕΟΛΟΓΟΥΣ
ΥΜΝΩΔΟΥΣ ΜΥΡΙΑΔΑΣ ΕΚΑΤΟΝ
ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΚΕΙΟΝΑΣ ΕΙΣ ΤΟ
ΑΛΕΙΠΤΗΡΙΟΝ ΣΥΝΝΑΔΙΟΥΣ ʊ Β
ΝΟΥΜΙΔΙΚΟΥΣ Κ. ΠΟΡΦΥΡΕΙΤΑΣ ϡ
ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΘΗ ΔΕ ΚΑΙ Η ΗΛΙΟΚΑ
ΜΕΙΝΟΣ ΕΝ ΤΩ ΓΥΜΝΑΣΙΩ ΥΠΟ ΣΕΞΤΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ.

ΔΙΚΗΝΟΣ supra τῷ ΝΙΚΑΝΟΡΟΣ infertur in Marmore.

Idem

Idem, cum versione.

. . . . ωρείας
δὲ τοῦ σ . . . . αρεῖος τὸ ἢ
ἐφ' οὗ στρατηγοῦντος ὑπέσχοντο
οἱ ϛ. Κλ. Βάσσος ἀγωνοθέτης
Νεμεσέων στεγάσειν τὴν βασι-
λικήν. Φοῦσκος ἔργον ποιήσειν
Μ Ζ. Χερσίφρων Ἀσιάρχης τοὺς
κήπους εἰς τὸν φοινεικῶνα.
Λούκιος Πομπήιος εἰς τὸν φοι-
νεικῶνα Μ Ε. Λούκιος Βεστεῖνος
τὴν βασιλικὴν στεγάσειν τὴν
πρὸς τῷ βουλευτηρίῳ, καὶ χάλ-
κας τὰς θύρας ποιήσειν.
Σμάραγδος πρύτανις ναὸν τύχης
κατασκευάσειν ἐν τῷ φοινεικῶ-
νι. Κλαυδιανὸς πρύτανις χρυσώ-
σειν τὸν ὄροφον τοῦ ἀλιπτηρίου
τῆς γερουσίας· καὶ οἱ εἰς τὸν χα-
ριστήριον νέω κείονα σὺν σπει-
ροκεφάλῳ· Νυμφιδία ἀρχιέρεια,
Κλ. Ἀρτεμύλλα, Κλ. Πῶλλα,
Κλαυδία Νικήτου, Θευδιανὸς
Στεφανηφόρος Β. Φλ. Ἀσκληπιακή,
Εισιδῶρος σοφιστής, Ἀντωνία
Μάγνα, Κλ. Ἀρίστιον, Ἀλβιδία
Μάγνα Μ Κλ. Ἡδεῖα Μ Κλ. Χάρις
Μ Κλ. Λεόντιον Μ Κλ. Αὐρήλια
κείονας κυμβελλείτας σὺν
σπειροκεφάλοις εἰς τὸν φοινει-
κῶνα ΝΒ. Οἱ ποτὲ Ἰουδαῖοι Μ
Μητρόδωρος Νεικάνορος Δίκωνος εἰς
τὸν φοινεικῶνα ✳ Ζ. Φ. Μοῦρμος
καὶ Κιλίανος Μ Β καὶ ὅσα ἐπετύ-
χομεν παρὰ τοῦ κυρίου Καίσαρος

. . . .
Sub cujus prætura polliciti sunt; Cl. Bassus certaminum præses Nemesium Dearum palatium tegere, Fuscus, opus facere minarum VII. Chersiphron Asiarcha hortos ad palmetum, Lucius Pompeius in palmetum Minas V. Lucius Vestinus eam Palatii partem tegere, quæ curiæ proximat, & ostia ænea facere, Smaragdus Prytanis Fortunæ fanum extruere in palmeto, Claudianus Prytanis inaurare tectum loci ungendis Senatoribus destinati. Et alii in templi pulvinar *seu locum supplicandi* Columnam cum capitulo tortili. Nymphidia sacerdos summa, Cl. Artemilla, Cl. Polla, Claudia Niceta, Theudianus Stephanephorus II. Fl. Asclepia, Isidorus Sophista, Antonia Magna, Cl. Aristion, Albidia Magna Minam I. Cl. Hedia Minam I. Cl. Charis Minam I. Cl. Leontion Minam I. Cl. Aurelia Columnas striatas, cum capitulis tortilibus, in Palmetum, LII. Qui nuper affuere Judæi Minam I. Metrodorus Nicanoris F. Dicenus in Palmetum, Denariorum VII cıↄ. F. Murmus & Cilianus Minas II. & quæ accepimus à Domino Cæsare

Αδει-

Ἀδριανοῦ διʼ Ἀντωνίου Πολέμωνος, δεύτερον δόγμα Συνκλήτου καθʼ ὃ δὶς νεώκοροι γεγόναμεν, ἀγῶνα ἱερὸν, ἀτέλειαν, θεολόγους, ὑμνῳδοὺς, μυριάδας ἑκατὸν πεντήκοντα κίονας εἰς τὸ ἀλειπτήριον Συνναδίους ψβ Νουμιδικοὺς Κ. Πορφυρείτας Ϟ Κατεσκευάσθη δὲ καὶ ἡ ἡλιοκάμινος ἐν τῷ γυμνασίῳ ὑπὸ Σέξτου Ἀρχιερέως.

Adriano per Antonium Polemonem, secundum nempe Senatusconsultum, quo tempore bis æditui etamus, Certamen sacrum, Immunitatem, Theologos, Hymnorum cantores, Myriadas centum quinquaginta, Columnas in ungendi locum Synnadæas DCCCII. Numidicas XX. Porphyritas XC. Sed constructū est etiam Solatium in Gymnasio à Sexto Pontifice summo.

Notæ ad Smyrnensem Donatiorum, in Gymnasii ornatum, Recensionem.

NΕμεσέων. Nemesium Fanum occurrit apud Pausaniam sub Achaicorum initio; idque ut Smyrnæorum præsertim tutelarium Numinum. Et de Smyrnæis ille. Νεμέσεις πλείους νομίζουσιν ἀντὶ μιᾶς, καὶ μητέρα αὐταῖς φασιν εἶναι Νύκτα. *Nemeses plures, pro una, statuunt; & earum matrem esse Noctem.*

Χερσίφρων Ἀσιάρχης. Asiarchæ erant, qui ludis Theatralibus, certaminibus, seu spectaculis aliis, in Deorum honorem haberi solitis, præerant; uti etiam Bithynarchæ, Syriarchæ, Lyciarchæ, Phœnicarchæ, Cappadocarchæ, & id genus ceteri, *quorum nomen votiva Festivitatis solennia dedicavit*, ut aiunt Honorius & Theodosius A A. in constitutione de Expensis Ludorum C. Theodos. lib. 15. tit. 9. L. 2. Horum functio Asiarchia, Bithynarchia, Lyciarchia, Cappadocarchia dicebatur. Etiam *Munerarius*, quod munera seu spectacula edebat, Ἀσιάρχης vertitur Ruffino in S. Polycarpi martyrio apud Eusebium lib. 4. cap. 14. Quod vero spectacula seu munera, quibus præerant, sacra erant, ideo *Sacerdotes* indigitati sunt. Quin à ratione, tum nominis, tum dignitatis, quæ eminentior erat, & honoris eximii; *Præsides* etiam vocabantur, & functio tam *Præsidatus*, ἀρχὴ, ἐπαρχία, seu *Præfectura*, quam *Sacerdotium* denominantis Provinciæ nuncupari solebat. Id videre est apud Papinianum, L. 8. D. tit. de Vacatione & excusatione Munerum, Ulpianum L. 6. sect. 14. D. tit. de Excusationibus & Strabonem lib. 4. ubi de Trallibus agit & paulo post ubi de Lyciis. Ἐν δὲ τῷ Συνεδρίῳ, inquit, Lyciorum πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτʼ ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος, "primo eligitur Lyciarcha; "postmodum etiam qui sunt ceteri reipublicæ magistratus. Nec erat sane cur vir summus, non tam ἐπαρχίαν quam ἱερωσύνην, dici voluerit hanc dignitatem, ad Strabonis locum ubi de Trallibus loquitur. Inde etiam *Principes* dicti. Nam τινὲς τῶν Ἀσιαρχῶν, in Actis Apostolorum cap. 19. commate 31. in vulgata editione *quidam de principibus Asiæ* redditur; idque recte satis, puto, utcunque non sine reprehensione à nonnullis id excipiatur. Eodem ipso sensu Syrus

ibi

ibi habet, רישא דאסיא & Arabs رؤساء اسيا. Utrumque *Principes Asiæ* denotat. Sed Principum vocabulum, uti etiam ejusdem notio in τῆς Ἀσιάρχης, ex singulari usu loquendi, ad Asiam simul & ad sacra spectacula restringebatur; non aliter fere ac *Princeps* in *Principe Dalmatiarum* aliarumque sub inclinante imperio Romano provinciarum, singulari notione, provincias simul & acta tantum judiciorum Præfectorum prætorio, Comitum Provinciarum & hujusmodi aliorum quibus suberat, respexit. De ea re videsis Cassiodorum lib. 7. Formulam 24. & utriusque Imperii Notitiam. Ita οἱ πρωτεύοντες τῶν ἐπαρχιῶν seu ἐθνῶν & *Primates Provinciarum* Christianis dicuntur sacrorum antistites summi; nullâ tamen, in nominis notatione, sacrorum ratione expressâ. Gallica autem versio tuto in Actis retinet *Asiarques*. Sed vero & eadem vocabula tam *Principes* quam *Sacerdotes* sæpius alias significant. Ebræis כהנים utrosque denotat. Et tam Athenis, quam Romæ Βασιλέα seu *Regem* fuisse qui sacris duntaxat præerat, nemo nescit. Indiscriminatim etiam Pontifex Romanus Rex & Papa ab Arabico autore Geographiæ Nubiensis appellatur في مدينة رومة قصر الملك المسمى الباباه "In urbe Romæ sunt ædes Regis qui Papa vocatur. Locus est in parte 2. climatis 5. Alia sunt obvia quæ huc spectant. Certamina autem sive alia spectacula quibus præerant sacri hujusmodi Gentium præsides seu Principes (hac notione) provinciarum, ea, puto, erant quæ à singularum Gentium aut Provinciarum Communibus, statis temporibus, Diis peragebantur. Et qui τοῦ τῆς Ἀσίας κοινοῦ seu Communis Asiæ ita propriæ dictæ, hujusmodi sacris (de quibus supra, ubi de Adrianaliis Atheniensibus) præfectus est, is Asiarcha dicebatur, uti qui τοῦ κοινοῦ τῆς Συρίας sacris, Syriarcha. Ita Lyciarcha, reliqui. Communis autem Asiæ, seu urbium (ex quibus, pro partium studiis conflatum est id quod Communis Asiæ nomen obtinebat; quod idem est) id genus sacra, in Asianarum aliqua civitatum eminentissima haberi solebant: unde Asiarcharum Ephesi mentio in Actis Apostolorum, & Smyrnæ in Policarpi martyrio. Ubi enim sacra celebrata erant, ut ibi officio suo fungerentur necesse erat sacrorum hi præsides; in comitiis scilicet, ut videtur, sive à Communis procuratoribus sive à civitatibus in quibus præerant, sive alias undecunque legitime electi. Et sane auctor sanctus ubi Asiarcharum Ephesi meminit, Demetrii Fabri argentarii verba perinde refert, ac si ipsissimum τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας seu *Commune Asiæ*, pro ritu provinciæ, communibus sacris celebrandis adfuisse expressissime docere voluisset. Locus est Actorum capite 19. Καὶ θεωρεῖτε, inquit Demetrius, καὶ ἀκούετε, ὅτι οὐ μόνον Ἐφέσου ἀλλὰ σχεδὸν πάσης τῆς Ἀσίας ὁ Παῦλος οὗτος πείσας μετέστησεν ἱκανὸν ὄχλον, λέγων ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοὶ διὰ χειρῶν γινόμενοι. "Et videtis & auditis quod non solum Ephesi, sed "pene totius Asiæ Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens non esse "Deos qui manibus fiunt. Monet non modo Ephesiorum, sed & ceterorum ferme omnium totius Asiæ (sic proprie dictæ) incolas, tunc temporis Ephesi à D. Paulo in persuasionem novam tractos. Tot nimirum civitatum singularium cives, pro more, ad Communis sacra peragenda convenerant, ut σχεδὸν πᾶσα ἡ Ἀσία *ferme tota Asia* non injuria dicerentur. Id quod inprimis etiam adstruit Syrus, qui pro ἀλλὰ σχεδὸν πάσης τῆς Ἀσίας, &c. habet אלא אף לסונאא דכלה אסיא אפיס הנא פולוס ואהפך "Sed etiam τῷ κοινῷ seu Communi Asiæ per-"suasit iste Paulus atque illud pervertit. Nec quid rectius ibi sonat סונאא, quod τὸ πλῆθος seu multitudo plerunque vertitur, notione haud discrepante. Neque aliter intelligo Eusebium, ubi πᾶν τὸ πλῆθος, ait, τῶν ἐθνῶν, καὶ Ἰουδαίων τῶν Σμύρναν κατοικούντων, sacram Polycarpo exprobrâsse doctrinam & Philippo Asiarchæ inclamasse ut Leonem, qui discerperet virum sanctum, emitteret. Ruffinus vertit, "Universa multitudo tam Gentilium quam Judæorum Smyr-"nensium civitatis. Rectius forsan; Commune Gentium & Judæorum quod "Smyrnæ tunc agebat. Civitates enim, ex quibus Commune seu τὸ κοινὸν conflatum, illuc, ad Communis sacra spectacula celebranda, commigraverant.

rant. Similiter pronuntiandum est de aliarum Gentium seu provinciarum, sive Asiarchis, sive τοῖς κοινοῖς. Videsis porro Gruterum, pag. 415. n. 1. 410. n. 3. & 1025. n. 4. de κοινῷ Galatiæ & Galatarcha, & de Asiarcha, pag. 512. 1. Ἑλλαδαρχεῖν apud eundem non alio sensu usurpari videtur, quam pro eo quod est τῷ τ' Ἑλλάδος κοινῷ sacris ejusmodi præesse. Præter ea quæ citavimus consulas etiam de Dignitatis genere, C. tit. de Naturalibus liberis L. 1. Tit. de Officio Comitis Orientis L. unica, C. Theodos. lib. 6. tit. 3. de Prædiis Senatorum L. 1. & lib. 12. tit. 1. de Decurionibus L. 103. Adi item Cujacium lib. 2. Observat. 13. Antonium Augustinum ad Modestinum, Petrum Fabrum Agonistici, lib. 1. cap. 18. & lib. 3. Semestrium cap. 1. Gabrielem Albaspinum lib. 1. Observat. 22. In desuetudinem, cum ceteris Gentium sacerdotiis, tandem abiit hæc dignitas. Et postrema ejus, ut scilicet quæ evanuerat, mentio apud veteres, est, ni fallor, in Justiniani Novella 89. S. Laurentium Archilevitam vocat, apud Prudentium, Præfectus (quo jubente passus est is martyrium) Mysteriarchen; *Bene est quod ipse ex omnibus Mysteriarches incidit.* Nonne ad nomina illa, de quibus heic egimus, similiter terminata, allusit? Mysteria illa seu sacra, Christianorum κοινὰ seu communia erant. Ipsi Christiani, seu Ecclesia Commune erat. Et Laurentius,

——Primus è septem viris
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et ceteris præstantior,
Claustris sacrorum præerat.
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus
Votasque dispensans opes.

Non aliter fere se habuere forsan Asiarchæ, Bithynarchæ, & qui id genus alii, ad sacra, quæ diximus, & proventus Gentilitatis sacros, quam S. Laurentius ad Christianorum thesauros.

Πολέμωνος. Nonne hic Antonius Polemo, ipse Polemo Sophista est cujus vitam scripsit Philostratus? Certe Polemonem Sophistam, Adrianum Imperatorem adeo ad Smyrnæorum (quibus charissimus sophista ille erat) favorem pellexisse prodit ille, ut uno die mille Myriadas in eorum Civitatem impenderit. Myriadas habemus in Marmore tantum 150. Ceteras forte columnarum, heic numeratarum, pretium supplet. Nam ex Myriadibus illis, Ταύτῃ τῷ σίτῳ (inquit Philostratus) ἐμπόριον ἐξεποιήθη, καὶ γυμνάσιον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγαλοπρεπέστατον, καὶ νεὼς τηλέφαντος ὁ ἐπὶ τῆς ἄκρας, "Emporia annonæ & gymnasium omnium quæ in Asia sunt præstantissimum constructa sunt; item Templum in promontorio situm.

Δεύτερον δόγμα Συνκλήτου καθ' ὃ δὶς Νεωκόροι γεγόναμεν. "Secundum Senatusconsultum per quod bis æditui facti sumus. Ac si ita innui voluerint ii qui conscripsere aliud etiam præcessisse, idque sub Adriano, procurante Polemone, Senatusconsultum quo primum æditui facti fuerant. Si ita intelligatur, tum Νεωκόροι in Provinciis Senatusconsulto Romano, interdum saltem, creati; quod alibi non lectum est. Quin & de jurisdictione data forte intelligi oportet, qualis permissa est Ephesiis Νεωκόροις, ut mox ex Actis Apostolorum adnotamus. Sed libero fruatur quisque judicio. Ceterum de Νεωκόροις, hac notione accuratius videndum est. Eos *æditus* latine vocamus, & *Neocoros* interdum in Latio dictos scimus ex inscriptione, quæ Romæ in hortis Matthæorum visitur, & apud Gruterum legitur pag. 1102. 2. Ita dictos Templorum æditus nemo nescit, seu ἱεροδούλους uti interpretatur Theophylactus ad Acta Apostolorum, cap. 19. Sed quid nomen illud, cum illiusmodi

modi temporis characterismo conjunctum aut de Civitatum populis dictum, denotet, haud inter doctos convenit. Sæpius ita in Græcis Numismatis occurrit. In libris, puto, nusquam; Si D. Lucam excipias. Neque præter nonnulla, quæ inter hæc Oxoniensia nostra, & in Appendice habes, & unum mutilum apud Gruterum, ullum adhuc invenitur Marmor, quod observavimus vocabulum hoc sensu exhibuisse. In Numismatis autem, & sine temporis characterismo, & cum eo, de Civitatum tamen populis dictum, non raro habetur. In Augusti ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΛΕΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In Caii, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Etiam ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν Νεωκόρων Περινθίων legitur in Appendice Marmor. VII. Alia ejusmodi sunt in Nummis quamplurima usque ad Gallieni ævum. Interdum etiam vocabulo, ita usurpato, Numen adjicitur, ut ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΡΤΕΙΜΙΔΟΣ, quod legimus in Maximini nummis. Sacra quandoque item certamina simul memorantur, ut ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quod videre est in nummis Septimii Severi, Caracallæ, & Antonii Gordiani. Sæpissime autem Temporis etiam nota conjungitur, ut Ἐφεσίων δὶς, aut Β. Νεωκόρων· τρὶς aut Γ. ut Νικομηδέων τρὶς Νεωκόρων· & interdum Τετράκις aut Δ. Νεωκόρων, quod occurrit in Numismatis Crispinæ Augustæ Aurelii Commodi uxoris, Juliæ Mæsæ Heliogabali aviæ, Alexandri Mammeæ & Licinnii Valeriani; ut Ἱεροπολειτῶν Δ. νεωκόρων, Ἐφεσίων Δ. Νεωκόρων. Et, in Thesauro Cottoniano,

Caracallæ nummus hujusmodi visitur. Neque majorum numerorum notas vocabulo Νεωκόρων adjectas observavi. Sed Ἐφεσίων Α. Νεωκόρων habemus, & Ἐφεσίων πρώτων νεωκόρων, & in Aurelii Veri Nummo Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων πρώτων Ἀσίας. Nam & Asia sæpe adjicitur ubi Νεωκόρων mentio fit; ut Λαοδικέων δὶς νεωκόρων Ἀσίας in nummis Antonini philosophi; quomodo & Dianæ nomen, cum temporis nota, aliquando additur, ut in Caracallæ, Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος. Temporis item nota, cum certamine sacro, nonnunquam apponitur; ut in illo Alexandri Mammeæ F. Χρυσάνθινα, Σαρδιανῶν τρὶς νεωκόρων. Vide supra, ubi de Chrysanthinis. In ejusdem item Imperatoris, Ἄκτια Πύθια Περινθίων : . . . . β'. Νεωκόρων. Et in Antonii Gordiani, eadem & ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Atque ut ad Smyrnæos nostros, quorum hanc recensionem Marmoream fuisse merito conjectamus, tandem revertamur, Ipsi sunt etiam τρὶς νεωκόροι in Gallieni numismatis. Vide item Adolphum Occonem, pag. 446. in Philippo. Hæc scilicet ex Huberto Goltzio, Antonio Augustino, Sebastiano Eritzio, & Occone olim collegimus. Atque apud eos sunt alia ejusmodi plura. Quin figuræ sæpius, Numerorum hisce inscriptionibus, Numinum & Sacrarum ædium, interdum Victoriarum, Coronarum, rerum id genus aliarum accedunt. Et in illo Smyrnæorum figura visitur turrita quæ dextera lauream tenet; & Deûm mater est. Per adjectionem autem τῶν Νεωκόρων Colonias, ob quam rem nescio, fuere qui intellexêre. Alii vocabulo idem denotari volunt quod in DEVOTUS NUMINI MAJESTATISQUE EJUS exprimitur; & temporis notas sive Imperatorum Romanorum annos (certe ante Monarchiam Romanam cusa hujusmodi numismata nondum animadverti) sive quoties fuerint numismata in honorem sive Numinis cujuspiam sive Imperatoris recusa. Alii δὶς νεωκόρων de gemino templo Julio scilicet

cet & Augusto sacro capiunt, perinde ac si Civitas (cujus nummi ita inscripti) utriusque se ædituos, pro solenni seculi adulatione, professi fuissent. Nam etiam in Augusti nummis Κροσιδων δὶς νεωκόρων legitur. Sed vero non est omnino cur *Numen Majestatemve* Imperatoris Vocabulum spectare conjectemus. Dissuadent tum aliorum numinum sæpius adjectæ figuræ, interdum & nomina, tum ipsi scriptores rerum Romanarum veteres, qui dum Magnitudinem Romanam & ingentem Imperatorum apud exteros gloriam satis ambitiose prædicant, divini hujusmodi honoris, quo nihil amplius, nihil pluris fuisset æstimandum, ne minimum quidem habent vestigium. Nec magis est cur annos Imperatorum aut numismatis recusi, numerorum notis, quæ rarissime ultra quartum excrescunt & plerunque secundum exprimunt, signari putemus. De gemino autem Julii & Augusti Templo sententiæ accedere nemo poterit, qui Imperatorum insequentium numismata ita inscripta in memoriam revocaverit. Sunt etiam qui ut rem inextricabilem, dum in veteris numismatis explicandis toti sunt, seponunt. Videsis tandem Antonium Augustinum dialogo 5. Sebastianum Eritzium parte secunda de Numismatis veterum, Ludovicum Nonium, Goltzium & Isacium Casaubonum ad Ancyranum monimentum in animadversionibus Suetonianis. Sed mihi persuasum satis est, τοὺς Νεωκόρους heic ad panegyres illas seu certamina Sacra, sive pentaeterica, sive aliis tempestatibus annuis, pro vario ritu, innovata, quæ Provinciarum Communium (de quibus superius aliquoties nonnihil diximus) erant, attinuisse; etiam Numinum, quibus sacra illa dicata, plane ædituos fuisse, curatores, & vindices; ipsasque urbes velut ædes sacras ad Communium nempe sacra illa peragenda. Communium autem hujusmodi Majora erant alia, alia Minora. Majora ut Asiæ, Syriæ; Minora ut Lyciæ, Lydiæ, Phœniciæ, Galatiæ. Nulla, neque in his neque in illis, Civitas proculdubio erat quæ eximios se sortiri honores, & alia commoda quamplurima lucrifacere toties non existimabat, quoties intra mœnia sua Communis illius, cujus pars erat, sacra, redeuntibus periodis, celebrabantur. Id quod aut Communis etiam vota, pro more patrio, aut Imperatoris, aut Senatus autoritas, statis temporibus decernebat. Inde evenit, quod Ephesi, Smyrnæ, Magnesiæ, celebratis Communis Asiæ, puto, hisce sacris, eorum Cives Νεωκόροι in Numismatis dicantur. Ut enim persona singularis, qui æditnus est alicujus fani, illud curat, ita, non adeo dispari analogiâ, universitas Civium qui urbem suam panegyribus & in ea Gymnasium certaminibus (Numini, cui sacra ea erant, devoti) aptabant, æditnorum officium omnino præstabant sive æditnabant. Et Asiarchæ, verbi gratia, in Communis Asiæ sacris, quemadmodum alii ejusmodi terminatione & ratione nominis noti alibi, velut Agonothetæ, publicis eisdem sacris præsidebant. De Asiarchis, supra diximus. Majoris id genus Communis, Æditnorum exempla habemus in iis, quæ supra, ex Numismatis, memoravimus de Ephesiis, Magnesiis, forte aliis. Nam ad Asiæ Commune, cujus sacra hujusmodi Dianæ, ni fallor, erant, ea spectant. Et ad idem non alio modo, ni fallor, Smyrnenses Νεωκόροι in Recensione quæ præ manibus est. Minoris Communis Æditui, forte erant Sardiani. Chrysanthina scilicet pentaeterica, ut videtur, sacra erant Communis Lydiæ. Hæc Sardibus cum tertium (idque continenter, de qua re mox plura) celebrabantur, cives ter Æditui seu Τρὶς Νεωκόροι fuere. Nam si τὸ Νεωκόρων, in illo Alexandri Mammeæ F. nummo, ad Chrysanthina pertinet, ut pertinere verisimillimum est, tunc sequi videtur, non Majus commune aliquod innui. Nam Chrysanthina ultra Lydos nullibi extendebantur; Nec ad Sardianos ita restricta esse videntur, ut alibi in Lydia celebrari nequirent, utcunque apud eos, primarios nempe Lydiæ cives, sæpius quam alia aliqua in urbe agebantur, quod indicari etiam, ad hanc rem, videtur à Martiano Jurisconsulto, loco supra adducto, ubi de Chrysanhinis seorsim. Atque ut Chrysanthina se habuere heic ad Sardianos, ita forte AKTI AΠΥΘΙΑ, ad Perinthios, qui Νεωκόροι dicti in Numismatis

tis ſupra memoratis cum adjectione horum certaminum. Et ad agones illos quorum Numinibus illi Νεωκόροι erant, omnia illa Numiſmata quibus Νεωκόροι cum ea adjectione vocantur Perinthii, attinere, non inique cenſendum. Neque alio ſpectare idem, in inſcriptione illa Auctarioli noſtri, nomen ſine Numine, Tempore, aut Sacris uſurpatum. Neque enim horum ullum perpetuo addebatur; ſed frequenter tamen. Et cum ſine ulla hujuſmodi diſtinctionis nota τὸ Νεωκόρων duntaxat civium nomini ſubjungeretur (ut in exemplis quæ occurrunt non paucis) non dubito quin, à notiſſimo & patriæ & ſeculi ritu, tam ſacra ſingula quam Numina, quibus illa dicata ſunt, in ſingulis ejuſmodi monimentis, Communium maxime Majorum, ſatis liquido tunc temporis intelligerentur; utcunque ita jam plerunque non modo obſcura ſint ſed & inacceſſa, idque eruditiſſimis etiam viris, qui hæc non aliter omnino ſcire poſſunt, quam veterum ſcripta, quorum pars ingens intercidit, ſuggerunt. Temporum autem Notæ ſeu numeri ſæpius adjecti non annos, puto, non agones (continuos inquam) ſignant, ſed tantummodo Muneris τῆς Νεωκόρων vices continuas; unde fiebat, ut intermiſſa prorogatione, aliâ nimirum ad ædituandum urbe ſuffectâ, cives qui hoc munere antea bis, ter, quaterve continenter functi eſſent, vices ſuas ſeu prorogationes denuo minime unquam dinumerarent, ſed à prima vice, ſi quando iterum pluries Νεωκόροι fierent, ſimiliter, ut primo, redauſpicarentur. Ita tamen ut vicem primam, temporis notâ, raro ſatis diſtinguerent. Ne ſcilicet prorogationem forte ambitioſius ſperare viderentur. Id quod etiam, in Conſulatibus, olim obſervatum. Ceteris vero deinceps numeris, opus forſan erat, ad viciniora certaminum tempora, quæ ſuccedebant, ſic breviter diſtinguenda. Ita τὸ Νεωκόρων, ſine Temporis nota, primam, autumo, vicem indicat, aut non continenter iteratam, quod heic idem eſt. Attamen & fuere qui etiam primis vicibus numerum adjiciebant, ut videre eſt, in nummis ſupra allatis, ubi Epheſii Α΄. Νεωκόροι ſunt, ac ſi forte tum prorogationem, ob egregiam urbis dignitatem, ſpe devoràſſent, tum neque ſpem illam neque dignitatem in nummis non obtendi ambitioſiores noluiſſent. Quæ pronius eos feciſſe credendum eſt, quod etiam τοὺς πρώτους τῆς Ἀσίας in Aurelii Veri Nummis (ſi Occoni fides) cum δὶς Νεωκόροι eſſent, ipſi ſe etiam dici voluerint. Sed forſan & Α΄. Νεωκόρων male exſculptum habemus pro Δ Νεωκόρων. Elementorum Α & Δ numiſmatis & inſcriptionibus maxime, maxima eſt ſimilitudo. Ceterum de Numerorum heic notis, viderint porro eruditi. Quod autem de Νεωκόρου ſignificatione diximus mire firmat D. Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 19. Ubi etiam Aſiarchas (de quibus ſupra) memorat. Sacrum tunc temporis agebatur Communis Aſiæ certamen ſeu ſpectaculum Dianæ ſacrum Epheſi. Præſidebant ut agonothetæ publici aut certaminum Sacerdotes, Aſiarchæ. Νεωκόροι ideo ſeu æditui dicti Epheſii; ſeu, quod idem eſt, Epheſiorum civitas Νεωκόρος erat. Expreſſiſſime ſanctus autor, poſtquam de Demetrii Fabri argentarii monitis, ſociorum ejus ira & clamore, Aſiarchis, Theatro, & inſano multitudinis ad aſſerenda Dianæ ſacra & D. Paulum, & comites ejus Ariſtarchum & Caium incuſandos conventu, verba fecerat, καταστείλας δὲ, inquit, ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, φησὶν, ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν Νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ διοπετοῦς; Ἀναντιῤῥήτων οὖν ὄντων τούτων, δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν, καὶ μηδὲν προπετὲς πράσσειν. Ἠγάγετε γὰρ τοὺς ἄνδρας τούτους οὔτε Ἱεροσύλους οὔτε βλασφημοῦντας τὴν Θεὸν ὑμῶν. Εἰ μὲν οὖν Δημήτριος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται πρός τινα λόγον ἔχουσιν, ἀγοραῖοι ἄγονται καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν· ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις. Εἰ δέ τι περὶ ἑτέρων ἐπιζητεῖτε ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἐπιλυθήσεται. Καὶ γὰρ κινδυνεύομεν ἐγκαλεῖσθαι στάσεως περὶ τῆς σήμερον, μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος, περὶ οὗ δυνησόμεθα δοῦναι λόγον τῆς συστροφῆς ταύτης· καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπέλυσε τὴν ἐκκλησίαν. "Et cum ſedaſſet Scriba turbam, dixit, viri Epheſii

quiſnam

" quisnam est hominum qui ignorat Ephesiorum civitatem Νεωκόρον seu Ædi-
" tuam jam esse Magnæ Deæ Dianæ & simulachri ejus è cœlo lapsi? Cum
" hisce igitur contradici nequeat, oportet vos sedatos esse & temere nil agere.
" Adduxistis enim homines istos, qui neque Sacrilegi sunt neque Deam ve-
" stram blasphemia læsere: Quod si Demetrius & qui cum eo sunt artifices
" habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur & Proconsu-
" les sunt. Agant invicem. Si quid de ceteris quæritis, in legitimo conventu
" poterit absolvi. Nam periculum est ne seditionis hodiernæ arguamur, cum
" nulla omnino sit causa, unde tumultus hujusmodi ratio reddi possit. Qui-
" bus dictis, dimisit eos qui convenerant. Qualesnam Νεωκόροι fuerint, ubi ita cives vocantur, hinc perspicuum esse videtur. Scribi, qui velut Syndicus erat urbis, ut sedaret tumultuantem de Dianæ sacris Ephesiorum turbam à Demetrio, ut suo quæstui consuleret, excitatam, & in theatrum ruentem, monet eam ut in memoriam revocaret, Ephesi cives tunc temporis Νεωκόρους Dianæ esse. Scimus enim ex Maximini numismatis Magnesios ejusdem fuisse alias Νεωκόρους; Ut Laodicenses Asiæ Νεωκόρους, quod idem est, ex Antonini philosophi nummis, & Ephesios bis dici Dianæ Νεωκόρους in Caracallæ, & semel in Aurelii Veri. Instat igitur Scriba, causam non omnino subesse cur in Aristarchum, Caium, D. Paulum, omnino inclamitarent; cum neque sacrilegi essent neque in Dianam blasphemi. Neq; enim in Dianam illorum convitium haberi voluit Scriba, quod Deos esse denegasset Paulus qui artificum manibus confecti essent. Nam ne simulachrum ejus, quod colebant, ut manibus artificum confectum esse, sed ut de cœlo lapsum venditabat civitas; unde diserte τοῦ διοπετοῦς quod idem est, & ad rem maxime, mentio fit Scribæ perquam opportuna. Et hisce sane Νεωκόρων horum munus non obscure indicatur. Honorem Numinis, ædes, vasa sacra curabant, & de eis etiam jurisdictionem exercebant, quod Senatusconsulto seu scripto principali forte permitti solitum. Et de eis solum. Nam si quam Demetrius aut socii ejus injuriam tulissent, actio eis competebat in foro propprætoris aut aliorum magistratuum Romanorum, quorum in potestate tunc erant cetera quæcunque judicia. Nam ita etiam scriba innuit. Si quid autem, inquit, de ceteris, de Sacrilegio puta, aut de blasphemia in Dianam, quarum rerum cognitio ad cives jure Νεωκόρων spectat; tempestive de eis agi poterit & judicari in legitimo civium conventu seu Comitiis eorum sacris, sive ut apposite Syrus vertit, ברכנשא דיחיבא מן נמוסא לכנושיא id est, *in loco qui à lege destinatus est Comitiis habendis.* Atqui tunc plebs coalescens tumultuose in theatrum (ubi simul cum primoribus civitatis aderat Scriba qui hæc locutus est) irruerat, quin & idoneum illud Comitiis ad damnandos Christianos, utpote adversarios, habendis, locum imprudenter æstimaverat. Ceterum, monente Scriba seu Syndico, tempestive eis ostensum est, nec ejusmodi de qua civibus, jure nimirum Νεωκόρων, jurisdictio erat, actionem adversus eos ne cœptam quidem esse, nec locum Comitiis habendis idoneum seu legitimum. Nihil puto in vetustiorum Scriptis munus Νεωκόρων ac singularem eorum juris dicendi potestatem æque aperit. Vulgata editio pro Νεωκόρον ibi *cultricem* habet, quod frigide vim verbi explicat. Syro melius vertitur כומרתא quod plane *æditua* est aut *antistes sacra.*

Ibidem, ἱερὸν ἀγῶνα. De eo satis supra; ubi de Smyrnensibus Olympiis, ad Marmor 3.

XXIX.

OSSA HIC SITA
ACHILLIS CEII.

XXX.

NONIA P. L.
PRIMA
HIC SITA EST.

XXXI.

CHRESIENIS PONTIAE OSSA HEIC
REQVIESCVNT AVCTVS
SVAE CONSERVAE ET OECVMENE
SOROR FECIT.

XXXII.

L. POMPEIVS
L.F. COL NIGER.

XXXIII.

OLIA ACVME SIBI
ET SVIS

XXXIV.

M. IVNIVS M. L. ACHILLES
IVNIA M.L. PALLADIO L
M. IVNIO M. L. FAVSTO P
SIBI ET SVIS
LIBERTIS LIBERTAB Q
POSTERIS Q EORVM

XXXV.

L. CRIMILLVS. L. L.
CHRESTVS. SIBI. ET.
C. ORCHIUIO. EROTI.
C. ORCHIVIO. ET.
ALEXANDRO.
ORCHIUIAE. ET.
SATVRNINAE.
POSTERISQVE.
EORVM.
VETTIA. C. L. SABINA.
SIBI ET.
T. VICILLO. FELICI.
POSTERISQ EORVM.

XXXVI.

SEX APPVLL
MEMORIAE
VIXIT ANNOS
XX.

XXXVII.

D . M . S
VICTORIAE ET SALACIO
FILIS DVLCISSIMIS
FELIXS ET NYMEE
PARENTES FECERVNT

XXXVIII.

DIIS MANIBVS
L. CONSI. L. F. FABIA
CORNELIANI
VIX. MEN. III. DIES VII.

XXXIX.

Θ . Κ
Τ ΑΙΛΙΟΣ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ
ΚΑΙ ΑΙΛΙΑ ΦΗΙΛΗΤΗ
ΚΑΙ ΤΟΥΤΩΝ ΟΙ ΥΙΟΙ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ ΚΑΙ
ΚΡΟΝΙΟΣ
ΦΙΛΟΥΜΕΝΩ
ΕΤΩΝ ΙΑ
ΜΗΝΩΝ Γ
ΗΜΕΡ ΚϚ
Μ. Χ.

Θεοῖς

Θεοῖς καταχθονίοις	Diis Manibus
Τ. Αἴλιος	Titus Ælius
Ηρακλείδης	Heraclides,
καὶ Αἴλια Φιλήτη	& Ælia Philete,
καὶ τούτων οἱ υἱοὶ	& horum filii
Ηρακλείδης καὶ	Heraclides &
Κρόνιος	Cronius
Φιλουμένῳ	Philumeno, qui natus erat
ἐτῶν ια'	annos XI.
Μηνῶν γ'	menses III.
ἡμερῶν κγ'	dies XXIII.
Μνήμης χάριν.	Memoriæ gratiâ.

XL.

DIIS MANIBVS
P. VETTIVS EPITYNCHANVS
SIBI ET
VETTIAE SYNTICHE CONIVGI
BENE MERENTI
FECIT

XLI.

D M
PHLECVSE
AVG. LIB.

XLII.

D.M
AVRELIO DIO
CENO QVI VI
XIT ANN. XXI
MENS. VII. DI
EBVS XIIII.
H. II.

XLIII.

D M
PRIMAE
SORORI PIISSIM
VIX. ANN. XXX
FECERVNT
GENETHLIVS
FRATER ET
HERMES CONIVNX.

XLIV.



XLV.

D.M
P. OPSIO
SEVERO
FECIT
ARRIA
MARCELLINA
CONIVGI
OPTIMO.

XLVI.

....
....
......ΣΙΑΝΩ ΥΜΝΩΔ......
ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΥΜΝ......

ΕΚΠΡΟΓΟΝ......
ΥΙΟΣ Γ. ΚΛ......
ΠΟΜΠΗΙΟΥ
ΒΟΥΛΕΥΤΟΥ
ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ
ΕΓΓΟΝΟΥ
Γ. ΚΛ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ
ΛΙΚΙΝΝΙΑΝΟΥ
ΙΕΡΕΩΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΛΥΤΑΡΧΟΥ
ΠΕΙΣΑΙΩΝ
ΤΟΙΣ ΓΝΗΣΙΟΙΣ
ΣΥΝΥΜΝΩΔΟΙΣ
ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ
ΤΟΝ ΒΩΜΟΝ
....ΡΩΝ
....ΑΓΩ.........
....

....
....σιανῷ ὑμνῳδῷ Θεοῦ
Ἀδριανοῦ, καὶ ὑμνῳδῷ....

Ἐκ προγόνων
υἱὸς Γ. Κλ.
Πομπηΐου
Βουλευτοῦ,
Πρυτανέως,
ἐκγόνου
Γ. Κλ. Οὐαλερίου
Λικιννιανοῦ
ἱερέως
Ἀσκληπίου
καὶ Ἀλυτάρχου
Πεισαίων.
Τοῖς γνησίοις
συνυμνῳδοῖς
Θεοῦ Ἀδριανοῦ
τὸν βωμὸν
καθιερῶν
....

....
.... ſiano Cantori Divi
Adriani & Cantori .....

A pro genitoribus
filius C. Claudii
Pompeii
Senatoris,
Prytanis,
Nepotis
C. Cl. Valerii
Licinniani
Sacerdotis
Æſculapii
& Alytarchæ
Piſæorum:
legitimis
Concentoribus
Divi Adriani
hanc aram
dedicans
......

Ὑμνῳδῷ Θεοῦ Ἀδριανοῦ, & συνυμνῳδοῖς Θεοῦ Ἀδριανοῦ. Hymnodos seu Hymnorum cantores Adriani indulto acceptos habemus etiam cum Theologis Marmore 28, & ad Smyrnenses ni fallor tam hoc quam illud spectat. Seld.

Βουλευτοῦ καὶ Πρυτανέως. Quicunque erat Πρύτανις seu Πρυτανεὺς (utroque enim modo vox scribitur) erat etiam Βουλευτὴς, sed non è contra. [a] Βουλευταὶ enim omnes ii dicebantur, qui supremum urbis senatum constituebant; [b] Πρυτάνεις vero ii erant è Senatu electi, quorum curæ ἅπαντα τὰ ὑπὸ τῆς βουλῆς πραττόμενα διοικεῖν, omnibusque reipublicæ rebus propius prospicere pro definito tempore committebatur. Et magistratus, & nomen τῶν Πρυτανέων apud Athenienses originem habuere. Theseus enim, [c] cum omnes Atticæ δήμους Athenis congregasset, Curiam, quam [d] Πρυτανεῖον appellabat, condidit, & Πρυτάνεις, quos in ea congregatos de publicis regni negotiis consuleret, & imperii (mutato jam ab absoluta monarchia urbis Regimine) quasi socios haberet, primo constituit. Postea vero Πρυτάνεις dicebantur, qui è Senatorum numero electi per vices reipublicæ, & Senatui præerant. [e] Senatus autem Solonis instituto è quadringentis Senatoribus constabat, centum scilicet è singulis Tribubus (quæ tunc tantum quatuor erant) quotannis electis. [f] Postea vero, cum Clisthenes post expulsos Pisistratidas Rempublicam de novo ordinasset, populumque Atheniensem in decem tribus distribuisset, Senatorum deinde Numerus ad quingentos augebatur, quinquaginta ex unaquaque tribu constitutis, qui à Tribulibus suis [g] quotannis electi per unum annum summæ rerum præerant, illudque constituebant concilium, quod frequentius apud autores à Senatorum numero ἡ βουλὴ τῶν πεντακοσίων vocatur. [h] Cum autem quingenti plures essent, quam à quibus simul reipublicæ negotia sine confusione administrari poterant, non omnes simul, sed tantum una classis eorum eodem tempore imperabat. Senatorum autem classes decem erant, è tot enim tribubus eligebantur. Secundum harum igitur numerum annus in decem partes dividebatur, earumque unam singulæ classes per vices secundum ordinem, quem in initio anni sortibus obtinuerant, accipiebant regendam. Singulæ autem classes è quinquaginta Senatoribus constabant, tot enim ab unaquaque Tribu in Senatum cooptabantur, qui pro eâ decimâ anni parte, quâ imperium sortiebantur, Senatus Vicarii constituti, totaq; illius induti autoritate, maxima reipublicæ negotia tractabant, ad quæ curanda cum in publica civitatis Curiâ Πρυτανείῳ dictâ per totum imperii tempus plerumque versari tenerentur, atque ideo ibi [i] publicis impensis alerentur, inde illa decima anni pars per quam imperabant, [l] Πρυτανεία, & ipsi Πρυτάνεις dicebantur, è quorum numero Caius Claudius Pompeius, de quo in hoc Marmore, & Smaragdus, & Claudianus de quibus in Marmore 28 agitur, quando ea primo exarata erant, fuere. Horum Πρυτανέων munus erat toti reipublicæ prospicere, & curare, ne ea quid detrimenti acciperet, [m] atque ideo penes eos fuerat, quotiescunque vellent, ob reipublicæ negotia senatum in Curiam, aut populum in concionem convocare. Utriusque etiam concilii [n] hi præsides fuere, maxime vero Senatus: ab his enim omnia, quæ in eo rogata erant, proponebantur, [o] ab his Senatorum suffragia colligebantur; ab iisdemque quicquid à pluribus decretum fuerat pronunciabatur sancitum: atque ideo si aliquid in Senatu agendum

[a] Vide Argumentum ad orationem Demosthenis contra Androtionem. [b] Harpocration in Πρυτάνεις. Suidas & Phavorinus ad eandem vocem. Pollux lib. 8. c. 9. Argumentum orationis Demosthenis contra Androtionem. Ulpian. in Scholiis ad Demosthenis orationem contra Midiam. [c] Plutarchus in vita Thesei. [d] Plutarchus ib. Thucyd. lib. 2. [e] Plutarch. in vita Solonis. [f] Herodot. lib. 5. Pausan. lib. 1. [g] Argumentum orationis Demosthenis contra Androtionem. [h] Argumentum orat. Demosthenis contra Androtionem. Harpocration, & Suidas, & Phavorinus in Πρυτάνεις. [i] Pollux lib. 8. l. 15. Athenæus lib. 5. Harpocration & Suidas in Θόλος. [l] Suidas, Harpocration, & Phavorinus, & Etymolog. in Πρυτανεία. [m] Demosthenis orat. de Corona. Æschinis orat. contra Ctesiphontem. Thucyd. lib. 6 p. 202. Pollux lib. 8. c. 9. [n] Pollux lib. 8. c 9. Ulpian. in Scholiis ad Midianam Demosthenis. [o] Ulpian. in Scholiis ad Midianam Demosthenis.

esset

esset, ad hos primum, per eosque ad Senatum referebatur; [p] qui aliquid à Senatu petituri erant, hos primum adibant, per eosque, si iis visum esset, in Senatum admittebantur; & [q] si quid novi in republica accideret, aut aliquid in ejus politiâ ad commune commodum deesse deprehenderetur, ad Prytanes referebant, ut illi, si res gravior esset, indicto Senatu, aut populi concilio, novis legibus, & decretis contra omne damnum & reipublicæ incommodum providerent. [r] Senatum autem hi quotidie, nisi dies ἀφετὸς esset, Populum [s] vero non nisi quater in Prytania sua ordinariè convocabant, extraordinariè vero quocunque tempore, si graviora reipublicæ negotia requirebant, indictum fuit utrumque concilium. Populi conciones ordinariæ, quæ quater in singulis Prytaniis habita erant, κυρίαι ἐκκλησίαι vocabantur, ad quarum imitationem videntur Romani [t] nono quoque die nundinas suas celebrasse. Ad has omnes cives conveniebant, in iisque, præsidentibus & omnia proponentibus Prytanibus, de summis reipublicæ negotiis agebant. In [u] prima κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ Magistratus à populo approbatos confirmabant, & improbatos ob justam causam deponebant. In illa etiam τὰς εἰσαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημευομένων ἀναγινώσκουσιν οἱ περὶ τὰς δίκας, καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων. In secunda Κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ volentibus datum erat, supplicatione factâ, intrepide loqui de rebus privatis & publicis. In tertia Κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ Præcones & Legati introducebantur, quos ante concionem oportebat Prytanibus scripta sua tradere. In quarta Κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ referebant Prytanes de sacris & sanctis, illi enim in Republica Atheniensi, [x] tam sacrarum rerum, quam civilium supremi curatores fuere. [y] Unaquæque autem Prytania per quam hi Prytanes imperabant, cum decima anni pars esset, è triginta quinque diebus constabat, Annus enim Atheniensis Lunaris erat. Annus autem Lunaris constat diebus 354, qui decies in se continent dies 35, & quatuor supra; Dies enim 35 decies multiplicati fiunt 350, ii igitur soli in Prytanias dividebantur, quatuor quæ supererant in nulla erant. [z] Ne igitur his diebus ἀναρχία esset, per eos quatuor Senatorum classes, quæ quatuor primis anni Prytaniis reipublicæ præerant, singulis eorum unum diem sortientibus, iterum erant in imperio, sub iisque [a] per hos quatuor dies facta erat novorum Senatorum & Magistratuum electio, atque ideo illi ἀρχαιρεσίαι dicebantur. Per has autem Prytanias, Prytanes non omnes simul imperabant, sed ipsi pariter [b] per vices gerebant imperium: quinquaginta enim Prytanibus, qui per unam Prytaniam imperabant, in quinque decurias, & Prytania ad earum numerum in quinque partes, quarum singulæ septem dies inde Hebdomades dictæ continebant, divisis, per singulas Hebdomadas singulæ Decuriæ, & per singulos Hebdomadum dies, unus è Decuria præ ceteris, secundum ordinem, quem in initio Prytaniæ sortibus obtinuerant, imperium habuere. Ii qui Decuriam constituebant, per illam Hebdomadem, quâ imperabant, [c] Πρόεδροι dicebantur: qui ex iis per unum diem ceteris præerat, [d] Ἐπιστάτης vocabatur. Qui pro Imperii tempore [e] Arcis, & quæ in ea erant Ærarii publici, & Tabularii claves, & publicum sigillum custodiebat; atque ideo, ne inde arrepta esset occasio Tyrannidem occupandi, legibus cautum erat, ne aliquis hunc Magistratum ultra diem, aut bis in eodem anno gereret: illud enim, quod dicitur οὐκ ἔξεστι δὶς γενέσθαι τὸν αὐτὸν ἐπιστάτην, de eodem anno, & non de tota vita, ut volunt nonnulli, intelligendum esse satis inde apparet, quod si novus Epistates quotidie

[p] Aristophanes in Equitibus, & Scholiastes ad illam Comœdiam. [q] Aristophanes in Θεσμοφοριαζούσαις. [r] Pollux lib. 8. c. 9. Aristoteles de Atheniensium Politia apud Suidam, & Harpocrationem. [s] Pollux lib. 8. c. 9. Aristoteles ἐν τῇ τῶν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. [t] Dionys. Hal. lib. 2. [u] Pollux ib. [x] Aristot. Polit. lib. 6. [y] Argumentum Demosthenis orat. in Androtionem. Etymol. Suidas, Harpocration, & Phavorinus in Πρυτανεία. [z] Argumentum orationis Androtionæ Demosthenis. Suidas in Πρυτανεῖαι. [a] Argumentum orationis Demosthenis contra Androtionem. Suidas in Πρυτανεία. [b] Argumentum orationis Demosthenis in Androtionem. [c] Argumentum orationis Androtionæ Demosthenis. Græci Lexicographi in πρόεδροι. Pol. l. 8. c. 9. [d] Argumentum ejusdem orat. Lexicographi Græci in ἐπιστάτης. Pollux lib. 8. c. 9. [e] Lexicographi Græci in ἐπιστάτης. Pollux lib. 8. c. 9. sect. 8. Eustath. ad Odyss. Homeri ζ.

eligeretur, idemq; iterum per totam vitam hunc Magiſtratū nunquā reciperet, numerus civium, qui tanto in Republica imperio digni erant, ei non omnino ſufficeret, nec idem civis ultra ſecundam vicem in Senatum poterat cooptari, quod ex Atticis ſcriptoribus, in quibus multos invenies, qui per plures, quam duos annos, βυλόυτα fuerunt, facile deprehendes eſſe falſiſſimum. Præcipuum vero Epiſtatæ munus erat, ſi quod aut populi, aut Senatus conciliū illius majeſtratus die celebratū eſſet, in eo præſidere. Epiſtates enim & βυλδυτῶν, & Πρυτανέων tempore imperii ſui primus erat, atque inde eſt, quod Paternianus Marmore 116. quia hunc Magiſtratum gerebat, Πρύτανις πρῶτος vocatur. Si quod igitur illius imperii die, aut à Senatu, aut à populo decretum factum eſſet, ejus nomine ſignabatur. Sic in initio decreti apud Andocidem legis, Ἔδοξε τῇ βυλῇ, ϗ τῷ δήμῳ· Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε, Βόηθος ἐπεστάτει, &c. i. e. viſum eſt Senatui & populo. Senatores Aiantidis tribus Prytanes erant, Cleogines ſcriba erat, Boethus Epiſtates: & apud [f] Thucydidem, Ἔδοξε τῷ δήμῳ· Ἀκαμαντὶς ἐπρυτάνευε, Φαίνιππος ἐγραμμάτευε. Νικιάδης ἐπεστάτει, &c. i. e. viſum eſt populo, Senatores Acamantidis tribus Prytanes erant, Phænippus ſcriba erat, Niciades Epiſtates. Sic locus vertendus eſt. [g] Ἀκαμαντὶς enim eſt tribus nomen, ab Acamante Theſei filio ſic dictæ, & non viri, ut omnes Thucydidis interpretes ex ignorantia Atticæ antiquitatis exiſtimarunt; in quo errore etiam eſt Hobbius noſter, non enim ille Anglicanum Thucydidem ſuum ex ipſo Græco fonte, ut gloriatur, ſed è Latinâ illius verſione ab Æmilio Porta editâ tranſtulit. Quicunque Hobbii verſionem cum Latina hac, & ipſo Græco fonte comparaverit, facile hoc obſervabit, cum neglectâ Græcâ Phraſiologiâ Latinam hujus interpretis ab ea diverſam in infinitis locis ſequatur: quod hic ideo noto, ut ſciant lectores, iſtum religionis contemptorem, quamcunque habet doctrinæ laudem, aut in impietate, aut in furtis fundaſſe.

Πρυτάνεις, ut ſupra dixi, ἀπὸ τῦ Πρυτανείυ, quod Curia erat, in qua conveniebant de publicis rebus conſulturi, nomen habuit. illa autem Πρυτανεῖον, dicebatur ſecundum nonnullos, quia [h] Πυρὸς ταμεῖον, in ea enim ut in Curiis Romanis [i] perpetuus ignis in honorem Veſtæ aſſervabatur. Secundum alios vero Πρυτανεῖον [l] eſt quaſi πυρῦ ταμεῖον, quia in eo recondebatur publicum frumentum, ibique illud accipiebant ei, qui publicis impenſis alebantur; [m] Athenis enim & in aliis Græcis civitatibus, iis, qui præclarius à republica meruerunt, poſteriſque etiam eorum ſæpius in virtutis præmium datum erat in Prytaneo ali, ſic Athenis Harmodii, Ariſtogitonis, & Cleomantis poſteri ob majorum merita, & in aliis civitatibus alii in Prytaneo alebantur. In multis enim aliis civitatibus præter Athenas, ut indicat [n] Clariſſimus Caſaubonus, & Prytanéa, & Prytanes fuere, ſed ſæpe diverſo ſenſu; [o] Corinthi enim olim, qui ex Bacchiadis per annum urbi præerat, Πρύτανις dicebatur, ſic etiam [p] Rhodi, & [q] Mileti Prytanis erat unus Magiſtratus, qui per annum in iis civitatibus ſummo in imperio erat, cujus tanta erat autoritas, ut [r] Mileti regimen urbis à Prytanibus in Tyrannidem ſæpe verſum fuit, & [s] Rhodii, cum Alexandro urbis ſuæ dominium tradidere, eum Πρύτανιν ſuum crearunt. Cum enim qui Πρυτάνεις Athenis erant totum fere habuere reipublicæ regimen, [t] πρυτανεύειν deinde imperare (quo ſenſu vocem in Demoſthene, aliiſque Atticis Oratoribus, & in Philone Judæo ſæpe invenies) & πρύτανις quicunque in aliquo imperio erat, inceperat ſignificare, atque ideo πρύτανις apud Suidam eſt

[f] Lib. 3. [g] Pauſ. lib. 1. [h] Suidas & Etymolog. in Πρυτανεῖον. [i] Dionyſ. Hal. lib. 1. & 2. Etymol. & Suidas in Πρυτανεῖον, Thucydides lib. 2. & Scholiaſtes illius. Pollux lib. 1. c. 1. Ariſtides in Panathenaica. Plut. in Numa. [l] Etymolog. in Πρυτανεῖον. [m] Lycurgi orat. in Leocratem. Dinarchi oratio in Demoſthenem. Iſæus περὶ Δικαιογένυς κλήρυ. Scholiaſtes Ariſtophanis ad equites. Diog. Laert. in vita Socratis, & Plato in Apologia pro Socrate. Cicero de orat. lib. 1. Schol. Thucyd. lib. 2. [n] In notis ad Athenæum ad lib. 15. cap. 19. [o] Euſebius in Chronicis. Diodor. Sic apud Syncellum. Pauſan. in Corinthiacis. [p] Appianus Bel. Civil. lib. 4. [q] Ariſtot. Polit. lib. 5. cap. 5. [r] Ariſtot. ib. [s] Appianus ib. [t] Vid. Henricum Stephanum in Πρυτανεύειν.

διοικητὴς, προστάτης, φύλαξ, βασιλεὺς, ἄρχων, ταμίας, ἔξαρχος. Et ſic etiam Heſychius & Phavorinus vocem interpretantur, iiſque ſignificationibus apud Autores ſæpe uſurpatur; apud Athenæum enim vinum [u] ἀνθρώπων πρύτανις dicitur; & Sapientiæ cap. 13. legitur πρυτάνεις κόσμου, i. e. mundi rectores, & apud [x] Gregorium Nazianzenum, ὁ τῆς ἀληθείας πρύτανις, & [y] πρυτανεύοντος τοῦ Θεοῦ. Non vero lato hoc, ſed ſtrictiori ſenſu, quem ſupra explicavimus, vox Πρύτανις in hoc loco ſumitur, pro eo ſcilicet, qui unus è quinquaginta erat, qui è numero Senatorum electi per menſem præerant, quod ſatis inde indicatur, quòd qui Πρύτανις hic, βουλευτὴς etiam appelletur. Nec Πρυτάνεις hujus generis tantum Athenis, ſed in aliis etiam Græcis civitatibus fuere; cum enim Athenienſes poſt victum Xerxem Imperium Græciæ obtinuiſſent, in omnes fere civitates, quæ illis ſuberant, politiam ſuam introduxere, quam civitates Ioniæ, cum Athenienſium Coloniæ eſſent, atque ideo eos in omnibus moribus & inſtitutis imitarentur, tenaciſſime diu retinuere; una autem ex Ioniæ civitatibus Smyrna erat, in qua Prytanes fuiſſe, & plures ſimul, eodem modo quo Athenis, indicant Marmor 28, (in quo duo nominantur, Smaragdus ſcilicet & Claudianus, qui eodem tempore urbis Prytanes fuere) & nummus antiquus apud [z] Spanhemium, in cujus reverſâ parte legitur Σμυρναίων πρυτάνεις, è quorum numero C. Claudius Pompeius, de quo in hoc Marmore agitur, cum illud è Smyrna huc allatum fuiſſet, videtur unus fuiſſe.

Ἱερέως Ἀσκληπιοῦ. Æſculapium Medicinæ Deum fuiſſe notiſſimum eſt: quæ de illius parentibus, natalibus, vitâ inter homines, & Apotheoſi ab antiquis Hiſtoricis, & Mythologicis traduntur, collecta legas apud [b] Lilium Gyraldum, & [c] Natalem Comitem. Apud Græcos [d] Epidauri præcipue, quæ urbs in Argolide erat ad mare Ægeum ſita, hic Deus colebatur, ibique Templum habuit inſigniſſimum, in quo, qui aliquo morbo laborabant, poſt ſacrificia Deo oblata ſomnum capientes per illum, quo remedio ſanarentur, à Deo doctos fuiſſe dicunt. Inter alios [e] Archiam Ariſtæchmi filium Pergamenum à Convulſione membrorum, quâ inter venandum apud Pindaſum correptus fuerat, Epidauri ſic ſanatum fuiſſe tradunt, atque ideo ille Pergamum reverſus Æſculapii cultum in illam urbem ſecum tranſtulit, ibique ei Templum condidit, in quo quantâ religione iſte Deus colebatur, in omni fere oratione docet Ariſtides Rhetor, maxime vero in Sermonibus Sacris, & oratione de Concordiâ. [f] A Pergamo Smyrnam traducta fuit Dei religio, ibique etiam Templum ei conditum fuit, in eoque C. Claudius Valerius Licinnianus, de quo in hoc Marmore agitur, cum illud, ut ſupra monui, è Smyrna huc allatum fuiſſet, Æſculapii Sacerdos videtur fuiſſe.

Πεισαίων Ἀλυτάρχου. Vox Alytarches in utroque Codice, Theodoſiano ſcilicet & Juſtiniano, aliquoties occurrit. In Codice Theodoſiano lib. 15. tit. 9. cum Syriarchis, Agonothetis, Aſiarchis, aliiſque quorum nomen votiva feſtivitatis ſolemnitas dedicabat, conjungitur, eodem igitur modo, quo hi, ludis ſacris præſidebat, & ut Aſiarcha in Aſia, Bythinarcha in Bythinia, Lyſiarcha in Lycia, ſic Alytarcha Antiochiæ [g] ſacerdos fuit, cui hoc munus demandabatur; ut enim Aſiarchia Aſiæ, & Lyciarchia Lyciæ, ſic Alytarchia Antiochiæ peculiaris fuit; nec ſi excipias Phavorinum & Etymologici autorem, ullam omnino habebis autoritatem, niſi ex hoc Marmore noſtro (ut obſervavit [h] Doctiſſimus Gothofredus, qui illud in Seldeni Marmorum Arundelianorum editione tranſcriptum legerat) unde conſtet in aliqua alia civitate Alytarcham fuiſſe. Sed revera Alytarchia Piſæorum, cujus mentio fit in hoc Marmore, eadem eſt, quæ poſtea Antiochenſium fuit; qui enim apud

[u] Athenæus lib. 2. [x] In orationibus. [y] Orat. 11. [z] Lib. 5 de uſu, & Præſtantia numiſmatum. [b] De Diis Syris Syntag. 7. [c] Lib. 4. cap. 11. [d] Pauſan. lib. 2. Strabo lib. 8. [e] Pauſan. lib. 2. [f] Pauſan. ib. [g] Vide Cujacium obſervationum. lib. 2. c. 13. & Gothofredum in notis ad Codicem Theodoſianum, lib. 15. tit. 9 [h] In notis ad Codicem Theodoſianum, lib. 15. tit. 9.

Antio-

Antiochenses edebantur Ludi Olympiaci, & Alytarchæ, qui iis præsidebat, sacerdotium [i] à Pisæis ad eos transferebantur, iidemque illi Ludi Olympiaci fuere, qui ab omnibus Græcis tanto conventu quinto quoque anno celebrati erant. Eos à Pisæis primo institutos fuisse sub rege Pelope testatur [l] Pausanias, atque ideo in eorum agro, postquam ab Iphito restaurati erant, semper edebantur, Olympia enim [m] Pisatidis urbs; atque ideo Pindarus in victoriam Hieronis Siciliæ regis, in ludis Olympiacis equo Pherenico dicto partam Oden composituras canit [n] Ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβαν᾽ εἴ τί τοι Πίσας, καὶ Φερενίκου χάρις νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσιν; & in Marmore Farnesiano apud Gruterum M. Aurelius Asclepiades dicitur vicisse, Ὀλύμπια τὰ ἐν Πείσῃ σμ´ Ὀλυμπιάδι; quo etiam sensu Alytarches, qui his ludis præsidebat Πεισαίων Ἀλυτάρχης, in hoc Marmore dicitur, in eorum enim agro ludi Olympiaci, [p] Curatoribus autem plerumque Eleis, edebantur. Sed de Alytarcha in his ludis apud omnes antiquos autores altum est silentium, illius soli inter scriptores [q] Phavorinus, & [q] Etymologici autor meminere, qui de eo iisdem utrique verbis sic dicunt, Ἀλυτάρχης ὁ τῆς ἐν τῷ Ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι εὐκοσμίας ἄρχων. Ἠλεῖοι γὰρ τοὺς ῥαβδοφόρους ἢ μαστιγοφόρους παρὰ τοῖς ἄλλοις καλουμένους ἀλύτας καλοῦσι, καὶ τὸν τούτων ἄρχοντα Ἀλυτάρχην. i.e. *Alytarches est qui in Agone Olympiaco bono ordini præerat. Elei enim, quos alii virgiferos appellant, Ἀλύτας vocabant, & qui his præerat, Alytarcham.* Sed de vocis Etymologia ab his differt [r] Petrus Faber, & cum verbum ἀλύειν lætari, exultare, gestire, ac dissolvi præ gaudio, significare invenerit, inde potius deducit vocis Etymologiam, & Alytarcham dici putat, quia publicæ ludorum lætitiæ præerat, ipsamque pro suo arbitrio moderabatur, hujus autem conjecturæ Grammaticorum, quos supra citavimus, præferenda est autoritas. Sed cum Ludi Olympiaci qui apud Antiochenses celebrati erant, atque ideo etiam omnes ritus in iis edendis observati, & Magistratus, qui eos moderabantur, iidem essent, qui prius Pisæorum fuerunt, inde maxime constabit, qualis erat Pisæorum Alytarches, si cognoscamus, qualis fuerat Antiochensium. De eo apud [s] Johannis Antiocheni Malelæ librum manuscriptum in Bibliotheca nostra Bodliana hæc invenio. Καὶ ἐγένετο ἐν αὐτῇ Ἀντιοχείᾳ Ἀλυτάρχης ἐν τῇ αὐτῇ Θείᾳ κελεύσει ὀνομασθεὶς πρῶτος Ἀφρόνιος, ὁ ἀπὸ ἐπάρχων πολίτης Ἀντιοχεύς, ὅστις φορέσας τὸ σχῆμα τοῦ Ἀλυτάρχου τὰς μὲν ἡμέρας ἐτιμᾶτο, καὶ προσεκυνεῖτο ὡς αὐτὸς ὁ Ζεύς, μὴ ἀνιὼν δὲ εἰς οἶκον τὰς αὐτὰς ἡμέρας, μήτε δὲ εἰς κλίνην ἀναπίπτων, ἀλλ᾽ εἰς ὕπαιθρον καθεύδων, εἰς ἔδαφος ὑπεράνω λίθων, καὶ καθαρῶν στρωμάτων, καὶ θρυΐνης ψιάθου, ἐφόρει δὲ στολὴν διάχρυσον ἄσπρον ὡσεὶ χιών, καὶ στέφανον ἀπὸ λυχνιτῶν, καὶ μαργαριτῶν, καὶ ἄλλων τιμίων, καὶ κατεῖχε ῥάβδον ἐβελλίνην, φορῶν εἰς τοὺς ἰδίους πόδας σανδάλια ἄσπρα· ἐκάθευδε δὲ τὰς αὐτὰς ἡμέρας εἰς τὸ ὕπαιθρον τῆς λεγομένης βασιλικῆς τὸ Καισάρειον, τὸ κτισθὲν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος Ἰουλίου τοῦ Δικτάτορος. i.e. "Eodem ex "edicto Imperatorio (Commodi scilicet) Antiochiæ Alytarcha tunc pri- "mus designatus fuit Aphronius Ex præfectus civis Antiochinus, qui per eos "dies, quibus habitum Alytarchæ gestabat, colebatur & adorabatur, tan- "quam ipse Jupiter; per eos dies etiam nec domum intrabat, neque lecto "se reclinabat, sed humi sub dio dormiens substratis ei stragulis mundis, "& storeâ junceâ, supra lapidibus decumbebat, gestavit etiam stolam inaura- "tam, albam instar nivis, & coronam capite carbunculis margaritis & aliis "lapidibus pretiosis insignitam, manu gerebat sceptrum eburneum, & sandalia "alba pedibus induebatur; diebus autem hisce sub dio dormiebat in Hypæ- "thro Basilicæ Cæsariæ à Julio Cæsare Dictatore exstructæ.

Huic Alytarchæ Antiochiæ multa privilegia data fuisse ex legibus Imperia-

[i] Johannes Antiochenus MS. in Bibliotheca Bodlianâ, lib. 12, in initio libri. [l] Lib. 5. [m] Strabo l. 8. [n] Olymp. Od. 1. [o] pag 314. [p] Pausan. lib. 5. [q] in Ἀλυτάρχης. [r] Agonist. lib. 1. cap. 18. [s] L. b. 12.

libus

libus observant [t] Jurisconsulti, cujusmodi erant. 1° Quod ante alios omnes Agonothetas semper nominatur. 2° Quod cupressi unius è luco Daphnensi excindendi, quod nulli alii datum fuit, jus habuerat, illud autem immutatum postea unâ librâ auri ex re privatâ principis accipiendâ. 3°. Quod ejus ludi majoris judicis curâ, puta Comitis Orientis, aliorum vero Agonothetarum minoris judicis, puta Provinciæ præfecti aut præcinctus præsidis, exhibebantur.

Quuomodo autem Ludi Olympiaci, & cum illis Alytarchæ, qui eos exhibebat, sacerdotium à Pisæis ad Antiochenses transferebantur, historiam sic narrat idem supra citatus Johannes Antiochenus. [u] Sosibius quidam Antiochenus vir ditissimus, Romæ temporibus Augusti non diu post victoriam Actiacam diem obiens, omnes facultates & possessiones suas urbi Antiochiæ ad ludos ibi omnifarios quinto quoque anno per 30 dies edendos testamento suo legavit, à quibus cum annuus reditus 15 Talentorum auri, i. e. nostræ monetæ 8437 *l.* 10 *s.* (auri enim talentum Syriacum, cum contineat pondus 1500 drachmarum Atticarum, valet nostræ monetæ 562 *l.* 10 *s.*) urbi obvenisset, tantæ pecuniæ beneficio ludi omnifarii, scenici scilicet, Athletici, Equestres, aliique in initio satis splendide quinto quoque anno exhibebantur: postea vero Magistratus, quorum curæ his ludi edendi committebantur, sumtus iis destinatos in proprios usus convertentes eos penitus omisere, nec, quamvis [x] Claudii edicto iterum restaurati essent, quinto quoque anno, sed aliquando decimo quinto, & aliquando vicesimo tantum edebantur: [y] donec Imperante Commodo, Populus Antiochenus de hac re ad eum Imperatorem referebant, cujus decreto factâ copiâ Ludos Olympiacos ab Olympia Antiochiam transferendi, illi hos ludos dato Pisæis pretio ex pacto ab iis per 90 deinde Olympiades seu annos 336 acceperunt celebrandos, cum iisque Alytarchiæ etiam sacerdotium aliosque item Magistratus ad ludos edendos necessarios Antiochiam simul transtulerunt, ab eoque tempore quinto quoque anno sine intermissione Antiochiæ ludi exhibebantur, & Alytarchia, quæ prius Pisæorum, deinde Antiochensium fuerat sacerdotium.

Præter autem Alytarcham ludis hisce Olympiacis Antiochiæ celebratis duo etiam alii præsidebant, ob habitum deorum, quem gerebant, æque fere honorati, quorum alter Γραμματεὺς, alter Ἀμφιθαλὴς vocabantur. De utrisque his sic dicit, [z] idem Johannes Antiochenus, ὁ δὲ γραμματεὺς προεχειρίσθη πρῶτος ἀπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου ὀνόματι Πομπηιανὸς Κοιαίστωρ ἐκ γένους συγκλητικῶν Ῥώμης ὑπάρχων, φορέσας καὶ αὐτὸς στολὴν ἀσπρὴν, καὶ στέφανον ὁλόχρυσον τύπῳ φυλλοδάφνων, ὅντινα ἐτίμων καὶ προσεκύνουν, ὥς τινα φησὶν Ἀπόλλωνα. Ἡ αὐτὴ δὲ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος πάλιν προεβάλλοντο Ἀμφιθαλῆν ὀνόματι Κάσιον Ἰλλέστριον φοροῦντα ὡσαύτως στολὴν ἀσπρὴν ὁλοσηρικὴν, καὶ στέφανον πεπλεγμένον ἀπὸ δαφνίνων φύλλων, καὶ ἐν τῷ μέσῳ στηθάριον χρυσοῦν ἔχον τὸν Δία ὅντινα Ἀμφιθαλῆν ἐτίμων, καὶ προσεκύνουν ὡς τὸν Ἑρμῆν, καθὼς ὁ σοφὸς Δομνῖνος ὁ χρονογράφος πάντα ταῦτα συνεγράψατο. i. e. "Scriba vero tum primum à Senatu & Populo electus fuit Pompeianus Quæstor è familia Senatoria Romæ oriundus, qui & ipse stolam quoque candidam gestabat, & coronam ex auro solido in Laureæ formam fabrefactam, hunc vero honorabant & adorabant tanquam Apollinem. Senatus insuper & populus Amphithalem designarunt nomine Cassium Illustrem, qui stolam similiter candidam holosericam gerebat, & coronam ex lauri foliis contextam, cujus in medio sigillum erat Jovis aureum, quem Amphithalem colebant, & adorabant tanquam ipsum Mercurium, sicut hæc omnia sapiens Domninus Chronographus literis prodidit. Hactenus Johannes Antiochenus: apud alios vero scriptores nulla horum, nec γραμματέως scilicet, nec ἀμφιθαλοῦς, occurrit mentio. Si ante hos ludos Olympiacos Antiochiam translatos unquam fuis-

[t] Gothofredus & Cujacius in locis supra citatis. [u] Lib. 9. Chron. Alexand. pag. 459. [x] Johannes Antiochenus lib. 10. [y] Johannes Antiochenus lib. 12. [z] Ib.

sent,

ſent, apud Piſæos ſolos, poſt vero eodem modo quo Ἀλυτάρχης apud Antiochenſes ſolos videntur extitiſſe; in nulla enim alia civitate eos fuiſſe ex aliquo ſcriptore patet. Errat igitur [a] Gregorius noſter, qui Γραμματέα, qui [b] tumultum Epheſi contra Paulum excitatum ſedaverat, eundem cum eo, qui à Johanne Antiocheno deſcribitur, fuiſſe aſſerit; ii enim Ludi, in quibus Epheſi iſte tumultus excitatus fuit, erant, qui κοινὰ τῆς Ἀσίας vocabantur; non in Dianæ ut tradit Gregorius, ſed in Imperatoris Romani honorem ab omnibus Aſiæ Proconſularis incolis celebrati; in iis vero non Ἀλυτάρχης, Γραμματεὺς, & Ἀμφιαλὴς, [c] ſed decem Aſiarchæ præſidebant. Interpretes igitur noſtri vocem Γραμματεὺς in eo Actorum Apoſtolorum loco, nequicquam reclamante Gregorio, rectius videntur reddidiſſe, **The Town Clerk**, honoratiori autem titulo verti poterat, **The Secretary of the City**, hanc enim eſſe vocis ſignificationem apud omnes Græcos autores, ubi ea occurrit, evidentiſſimum eſt; maleque ſupponit Gregorius, illum qui hoc ſenſu urbis Γραμματεὺς fuerat, non tantæ eſſe autoritatis, ut populi tumultum potuiſſet ſedare: cum enim [d] ille omnes leges, Plebiſcita, & Senatuſconſulta in tabulas referebat, eorumque cuſtos & interpres fuerat, & in omnibus plerumque Pſephiſmatibus [e] nomen ſuum, & ante Epiſtatæ nomen, qui Senatus pro Magiſtratus tempore Præſes fuerat, præſcriptum habiſſet, ſatis inde conſtat Γραμματέα in Græcis urbibus ſummis Magiſtratibus, nec dignitate, nec autoritate, fuiſſe inferiorem. Atque ideo qui in Græco fonte Γραμματεὺς, apud interpretes Syrum & Arabem urbis Princeps appellatur, & vocem שוטר, quæ præfectum ſeu judicem ſignificat LXX Interpretes ſæpe, ut obſervat [f] Druſius, per vocem Γραμματέα interpretantur. Præterea obſervandum eſt, qui Epheſi & in aliis Græcis civitatibus Γραμματεὺς erat, eundem eſſe magiſtratum cum eo, qui Marm. 116. Γραμματοφύλαξ vocatur. Γραμματεὺς enim ſecundum Pollucem erat, ὁ κληρωθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐπὶ τῷ γράμματα φυλάττειν, ſeu (ut tradit Harpocration) qui erat γραμμάτων κύριος, καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ γινόμενα φυλάττειν· γραμματεὺς igitur γραμματοφύλαξ. Cum autem idem (Oneſimus ſcilicet Paternianus) qui Marm. 116. urbis Smyrnæ γραμματοφύλαξ dicitur, fuerit etiam Στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὅπλων, καὶ Νεωκόρος τῶν μεγάλων Θεῶν Νεμεσίων, καὶ Ἵππαρχος, καὶ Πρύτανις πρῶτος (ſeu Eπιστάτης) καὶ Ἀγορανόμος, καὶ Ταμίας τῆς πόλεως, καὶ τὰς λοιπὰς ἀρχὰς φιλοτίμως ἐξετέλεσε, ſatis inde conſtat, qui in Græcis urbibus Γραμματεῖς fuerant, non ex infima plebe, ut vult Gregorius, ſed ex prima nobilitate, & honoratiſſimis plerumque viris electos fuiſſe.

Qui Alytarchiæ Sacerdotium gerebant ex honoratiſſimis ſemper totius Syriæ fuere; pro quanto enim honore hoc habebatur, ex iis, quæ de Diocleſiano Imperatore Romano narrat idem ſupra citatus Johannes Antiochenus, ſatis conſtat, dicit enim ille, [g] Ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τῶν Ὀλυμπίων καταφθάσας ἐν Ἀντιοχείᾳ ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Διοκλητιανὸς ἐλθὼν ἐξ Αἰγύπτου καὶ τοῦ Ὀλυμπικοῦ ἀγῶνος μέλλοντος ἐπιτελεῖσθαι, ἐφόρεσε τὸ σχῆμα τὸ τοῦ Ἀλυτάρχου ὁ βασιλεὺς Διοκλητιανός. Τὴν δὲ στολὴν ὁ Ἀλυτάρχης ἀστερὸν ὁλοσηρικὸν ἐφόρει, ὁ δὲ βασιλεὺς ἀντὶ τοῦ ἀσπροῦ ἐφόρεσε πορφυροῦν· τὰ δὲ ἄλλα πάντα, ὡς ἦν ἔθος τῷ Ἀλυτάρχῃ φορεῖν κρατῶν τὴν ἱερὰν ῥάβδον, καὶ προσκυνῶν τὸν δῆμον ἐθεώρησε τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα τὰς νενομισμένας πάσας ἡμέρας, καὶ ἐκ τῶν ἀξιωματικῶν αὐτοῦ κατήρχοντό τινες ἐν τοῖς Ὀλυμπικοῖς ἀγῶσιν ἐπιδεικνύμενοι ἀρετῆς χάριν· καὶ οἱ μὲν ἐπάλαιον, οἱ δὲ ἐπύκτευον, οἱ δὲ ἐπαγκρατίαζον, οἱ δὲ ἔτρεχον, καὶ τοῖς νικῶσι παρεῖχε σάκρας, καὶ πᾶσι πολλὰ ἐφιλοτιμήσατο, καθὼς Δομετιανὸς ὁ σοφώτατος συνεγράψατο. Καὶ Ἀλυτάρχης ἐν Ἀντιοχείᾳ ὁ αὐτὸς Διοκλητιανός, καὶ ἀποθέμενος τὸ βασιλικὸν σχῆμα, μετὰ τὸ πληρῶσαι τὰ Ὀλύμπια οὐκ

[a] In Miſcellaneis cap. 9. [b] Act. Apoſt. cap. 19. [c] Vide Strabonem lib. 14. & Ariſtidem orat. Sac. 4. [d] Caſſiodorus lib. 12. var. 21. Cicero orat. 3. in Verrem. Lexicographi Græci in Γραμματεὺς. Pollux lib. 8. cap. 9 ſect. 11. Scholiaſtes Thucydidis [e] Vide ea decretorum initia quæ ſupra in notis ad hoc Marmor habemus. [f] In notis ad cap. 19. Act. Apoſt. [g] Lib. 12.

εἴλετο

εἴλετο βασιλεῦσαι, λέγων ὅτι ἀπεθέμην τὴν βασιλείαν, καὶ ἐφόρεσα σχῆμα τοῦ ἀθανάτου Διός, καὶ οὐκ ἔτι ποτὲ ἔμεινεν οὕτως, τελευτᾷ δὲ ἰδίῳ θανάτῳ ὢν ἐνιαυτῶν οβʹ. i. e. "Olympiacis autem appropinquantibus Antiochiæ, Imperator Dioclesianus illuc ex Ægypto venit, & cum ludi Olympiaci celebrandi essent, ipse Imperator Alytarchæ habitum suscepit. Moris autem erat, ut Alytarcha Stolam "albam holosericam gestaret, Imperator vero pro alba purpuream gerebat, in "ceteris vero habitum Alytarchæ per omnia referebat, sacramq; manu ferens "virgam, & populum pro more veneratus, per dies constitutos omnes Olympica certamina spectabat. Itaque ex Optimatibus etiam ejus nonnulli in iis "Olympiacis virtutis suæ specimina exhibuere, quorum hi Palæstrâ, illi Pugilatu, alii Pancratio, Cursu vero alii decertabant; victoribus autem sacras dedit, omnibusque munera affatim dispertivit, uti sapientissimus Dometianus hæc scripta reliquit. Dioclesianus autem Alytarcha Antiochiæ factus "Imperatorium habitum deposuit, nec amplius finitis Olympiacis Imperatorio fungi munere voluit, dicens, Imperio memet abdicavi, Jovisque immortalis habitum gestavi. Hunc itaque vitæ statum deinceps amplexus est, "naturæque tandem cessit annos natus LXXII. Hæc eadem etiam à Maximiano Dioclesiani in imperio socio proximâ Olympiade Antiochiæ facta, imperiumque simul post gestum Alytarchæ habitum depositum fuisse idem narrat [p] Johannes Antiochenus. [q] Sed alii plerique consentiunt autores Dioclesianum, & Maximianum eodem anno utrosque imperium deposuisse.

Cum [r] autem Justini Imperatoris temporibus Ludi Olympiaci Antiochiæ ob frequentes tumultus & seditiones à Prasinis & Venetis inter se concertantibus ibi in iis celebrandis excitatas interdicti, & Imperatoris decreto penitus ablati essent, cum iis etiam Alytarchiæ sacerdotium, postquam [s] per 77 Olympiades Antiochiæ durasset, videtur omnino periisse.

[p] Ib. [q] Zozim. lib. 2. Euseb. lib. 8. Hist. Ecclesiast. cap. 13. Oros. lib. 7. c. 25. [r] Johannes Antiochenus Lib. 17. [s] Johannes Antiochenus ib.

XLVII.

M. ANNI. AVCTI. ET.
SEMPRONIAE. SCVRRAE.
IN. FR. CVM. VSTRINO. P. LIIII.
IN. AGRO. P. XXIIII.
M. ANNIVS. M. ANNI. FELICIS. F.
SATVRNINVS. VIX. ANN. XIIX. PIVS. ET
SANCTVS. IS. EREPTVS. MATRI. NEC.
ILLAE. POTVIT. GRATIAM. REFERRE.

XLVIII.

DIS. MANIBVS. N.
OGVLNIVS. FORTVNATVS.
V. A. VIII. M. VI. N. OGVLNIVS.
FORTVNATVS. PATER.
PIISSIMVS. FEC. FILIO.
PIISSIMO.

XLIX.

SILVANO SACRVM SODAL
EIVS ET LARVM DONVM
POSVIT TI. CLAVDIVS AVG.
LIB. FORTVNATVS A
CVRA AMICORVM
IDEMQVE DEDICAVIT
ET EPVLVM DEDIT
DE CVRIS N IIII.
K. AVGVSTIS C. MINV
CIO FVNDANO ET
C. VETTENNIO SE
VERO COS.

Silvano Sacrum. De Silvanis tribus, quibus inscriptiones sacræ fieri solitæ, vide, præter alia quæ magis obvia sunt, Josephum Scaligerum ad Festi *Marspedis.* " Silvano sacrum sodalibus ejus & Larum donum posuit Ti. Claudius, &c. Ita lego. Sodales ejus, puto, erant Hercules plerunque, Liber pater, Mercurius, qui item Larum sodales. Silvanus igitur hic Domesticus erat & possessionibus consecratus, ut custos, quem & Silvanum Larum dictum esse vult Scaliger. Ex ipso hoc Saxo dum Romæ in vinea quadam extra portam Flumentanam inter viam Flaminiam Tiberiumque visebatur, descripsit illud Smetius quod legitur apud Gruterum, pag. 63. 1. quem vide item pag. 65. 2. Quod autem pag. 66. 1. habetur *Silvano sancto sacrum Philemon,* legit Scaliger, loco jam citato, *Silvano Sancto Larum,* &c.

Ibid. *A cura Amicorum.* Inter Officia Domus Augustæ erat *cura Amicorum Augusti.* Et qui hoc fungebantur ministerio *A cura Amicorum* dicti sunt; Et semper aut plerunque Liberti Augustorum erant. De iis vide Gruterianas Inscriptiones, pag. 70. 2. & pag. 598. sæpius. Eâdem notione Aurelia Liviæ Augustæ serva à *cura Catellæ* dicitur in saxo quod visitur Romæ in hortis Carpensibus. Vide Gruterum pag. 578, 51. Amici Augustorum heic ii erant quos in contubernium & interiorem familiaritatem, atque à conciliis sibi adsciscebant Imperatores. Nec unius erant classis. Sed primæ alii; alii secundæ, item tertiæ. Lampridius de Alexandro Severo; " Moderationis tantæ fuit " ut nemo unquam ab ejus latere submoveretur, ut omnibus se blandum affa-" bilemque præberet, ut Amicos non solum primi ac secundi loci sed etiam in-" feriores ægrotantes viseret. Quin sub Tiberio totidem item Amicorum ejusmodi classes; quarum extrema *Grati* dicti; universi vero *Comites Peregrinationum Expeditionumque.* Atque hinc nata illa Comitiva dignitas, quæ ab hac origine etiam triplex est in Eusebio de vita Constantini lib. 4. cap. 1. Et hallucinantur viri docti, qui Constantinum triplicis illius differentiæ autorem faciunt. De qua re nos fusius in Titulis nostris universæ Europæ Honorariis. De Tiberii autem Comitibus, vide Suetonium in ejus vita cap. 46. Et de Augusti Amicis porro Cl. Salmasium ad Spartianum.

Ibid. *Minucio Fundano & C. Vettennio Severo Coss.* Minucius Fundanus & Vetennius Severus Consules erant, anno Claudii Imperatoris 11, non ordinarii, sed suffecti. Neque in veterum Fastorum quæ extant fragmentis occurrunt. Sed annum eorum scimus ex Onufrii Fastis, ubi vetus legitur hæc inscriptio, *Ti. Claudius Drusi F. Cæsar Augustus Germanicus Pont. Max. Trib. Pot. 11. Imp. 24. Cos. 5. P. P. Restituit C. Minucio Fundano & C. Vetennio Severo Cos.* Habetur item in Gruterianis, pag. 188. 6. Quæ in hoc Marmor annotantur omnia sunt Seldeni.

L.

MANLIA. DORCHAS.
T. MANLIVS. PHVRAMVS.
V. A. III.

LI.

D. M.
STABERIAE. GEMELLAE.
CONIVGI. OPTIMAE.
ET. BENE. MERENTI.
FECIT
T. STABERIVS
EVCHRV.....
MEMORIAE. CAVSA.

LII.

LII.

ALFENA | AIAX
PHILEMA | FRATER

LIII.

VLPIAE. HEGEMO
NIDI. MATRI. CARISSI
MAE. ET. VLPIO. DOMES
TICO. FRATRI. CARIS
SIMO. VLPIVS. FELICISSI
MVS. B. M. F.

LIV.

D. M.
VIBIAE. PRIMAE. COIGI. SANCT.
BENE MERENTI. CVM. Q. VIX. ANN.
XXX. M. VI. P. HILARVS MAR. ET. LIBER
TI FECERVNT.

LV.

D M
C. GRESIO APO
LAVSTO. GRESI
VS. MERCATOR
PATER. ET FLAVIA
BASSA. MATER
FILIO. PIENTISSI
MO. FECERVNT
VIXIT. ANNIS. X.
MENS. XI. DIES. XVIII.

LVI.

D M
L. SEIO
SEVERO
L. CONETANIVS
PROCVLVS
AMICO
B. M.

LVII.

TREBELLIA IL TERTIA
SIBI ET
SILIAE :.... FELICIAE DELICIO
LIBERTABVSQVE..... QVI VBI
EGO CONQVIESCO CVM VRNA ATAVI CINERES
SVAS PONAT QVAE ADVERSVS FECERIT .....
DAMNAS SISIO D. HS. H. M. H. N. S.

LVII.

Fœdus inter Heraputnenſes & Prianſios Cratæ Populos initum magnæ antiquitatis Monumentum, & dialecto vix alibi uſitata ſcriptum.

ΑΓΑΘΑΙΤΥΧΑΙΚΑΙΕΠΙΣΩΤΗΡΙΑΙΕΠΙΚΟΣΜ.......
ΙΕΡΑΠΥΤΝΑΙΤΩΝΣΥΝΕΝΙΠΑΝΤΙΤΩΕΡΜΑΙΩ........
ΙΜΑΛΙΩΕΝΔΕΠΡΙΑΝΣΙΟΙΕΠΙΚΟΣΜΟΝΤΩΝΣΥ......
ΧΙΜΑΡΩΚΑΙΜΗΝΟΣΔΡΟΜΗΙΩΤΑΔΕΣΥΝΕΘΕ..........
ΔΟΚΗΣΑΝΑΛΛΑΛΟΙΣΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΚΑΙΠΡΙΑΝΣΙΟΙ.............
ΤΕΣΕΝΤΑΙΣΠΡΟΥΠΑΡΧΩΣΑΙΣΣΤΑΛΑΙΣΙΔΙΑΙΤΕ..............
ΓΟΡΤΥΝΙΟΙΣΚΑΙΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΣΚΑΙΤΑΙΚΑΤΑΚΟΙΝΟ...........
ΚΑΙΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΣΚΑΙΠΡΙΑΝΣΙΟΙΣΚΑΙΕΝΤΑΙΦΙΛΙΑΙ.............
ΧΙΑΙΚΑΙΟΡΚΟΙΣΤΟΙΣΠΡΟΓΕΓΟΝΟΣΙΕΝΤΑΥΤΑΙΣ...............
ΚΑΙΕΠΙΤΑΙΧΩΡΑΙΑΙΕΚΑΤΕΡΟΙΕΧΟΝΤΕΣΚΑΙΚΡΑΤΟΝ........
ΘΗΚΑΝΕΘΕΝΤΟΕΙΣΤΟΝΠΑΝΤΑΧΡΟΝΟΝΙΕΡΑΠΥ...........
ΚΑΙΠΡΙΑΝΣΙΟΥΣΗΜΕΝΠΑΡΑΛΛΑΛΟΙΣΙΣΟΠΟΛΙΤΕΙΑΝΚΑΙΕΠΙΓΑ
ΜΙΑΣΚΑΙΕΝΚΤΗΣΙΝΚΑΙΜΕΤΟΧΑΝΚΑΙΘΕΙΩΝΚΑΙΑΝΘΡΩΠΙΝΩΝ
ΠΑΝΤΩΝΟΣΟΙΚΑΕΩΝΤΙΕΜΦΥΛΟΙΠΑΡΕΚΑΤΕΡΟΙΣΚΑΙΠΩΛΟΝ
ΤΑΣΚΑΙΩΝΩΜΕΝΟΣΚΑΙΔΑΝΕΙΖΟΝΤΑΣΚΑΙΔΑΝΕΙΖΟΜΕΝΟΣ
ΚΑΙΤΑΛΛΑΠΑΝΤΑΣΥΝΑΛΛΑΣΣΟΝΤΑΣΚΥΡΙΟΣΗΜΕΝΚΑΤΑ
ΤΟΣΥΠΑΡΧΟΝΤΑΣΠΑΡΕΚΑΤΕΡΟΙΣΝΟΜΟΣΕΞΕΣΤΩΔΕΤΩΙ
ΤΕΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΣΠΕΙΡΕΝΕΝΤΑΙΠΡΙΑΝΣΙΑΙΚΑΙΤΩΙΠΡΙΑΝ
ΣΙΕΙΕΝΤΑΙΙΕΡΑΠΥΤΝΙΑΙΔΙΩΣΙΤΑΤΕΛΕΑΚΑΘΑΠΕΡΟΙΑΛΛΟΙ
ΠΟΛΙΤΑΙΚΑΤΑΤΟΣΝΟΜΟΣΤΟΣΕΚΑΤΕΡΗΚΕΙΜΕΝΟΣΕΙΔΕΤΙ
ΚΑΟΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΣΥΠΕΧΘΗΤΑΙΕΣΠΡΙΑΝΣΙΟΝΗΟΠΡΙΑΝΣΙΕΥΣ
ΕΣΙΕΡΑΠΥΤΝΑΝΟΤΙΟΥΝΑΤΕΛΕΑΕΣΤΩΚΑΙΕΣΑΓΟΜΕΝΟΙΚΑΙ
ΕΞΑΓΟΜΕΝΩΙΑΥΤΑΚΑΙΤΟΥΤΩΝΤΟΣΚΑΡΠΟΣΚΑΙΚΑΤΑΓΑΝ
ΚΑΙΚΑΤΑΘΑΛΑΣΣΑΝΩΝΔΕΚΑΙΑΠΟΔΟΤΑΙΚΑΤΑΘΑΛΑΣΣΑΝΕΩ
ΣΑΣΕΞΑΓΩΓΑΣΤΩΝΥΠΕΧΘΗΣΙΜΩΝΑΠΟΔΟΤΩΤΑΤΕΛΕΑ
ΚΑΤΑΤΟΣΝΟΜΟΣΤΟΣΕΚΑΤΕΡΗΚΕΙΜΕΝΟΣΚΑΤΑΤΑΥΤΑΔΕ
ΚΑΙΕΙΤΙΣΚΑΝΕ..Μ...ΕΛΗΣΕΣΤΩΑΙΔΕΚΑΣΙΝΗΤΑΙΑΠΟΤΕΙΣ.
ΤΩΤΑΕΠΙΤΙΜΙΑ.ΣΕ..ΜΕΝΟΣΚΑΤΑΤΟΣΝΟΜΟΣΤΟΣΕΚΑΤΕΡΗΚΕΙ.
ΜΕΝΟΣΠΡΕΙΓΗΙΑΔΕΩ..ΑΧΡΕΙΑΝΕΧΗΙΠΟΡΗΙΩΠΑΡΕΧΟΝΤΩΝ
ΟΙΜΕΝΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΚΟΣΜΟΙΤΟΙΣΠΡΙΑΝΣΙΕΥΣΙΟΙΔΕΠΡΙΑΝΣΙΕΣ
ΚΟΣΜΟΙΤΟΙΣΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΣΑΙΔΕΜΗΠΑΡΙΣΧΑΙΕΝΑΠΟΤΕΙΣΑΝ
ΤΩΝΟΙΕΠΙΔΑΜΟΙΤΩΝΚΟΣΜΩΝΤΑΠΡΕΙΓΕΙΑΙΣΤΑΤΗΡΑΣΔΕΚΑ
ΟΔΕΚΟΣΜΟΣΤΩΝΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝΕΡΠΕΤΩΕΝΠΡΙΑΝΣΙΟΙΕΣ
ΤΟΑΡΧΕΙΟΝΚΑΙΕΝΕΚΚΛΗΣΙΑΙΚΑΘΗΣΘΩΜΕΤΑΤΩΝΚΟΣΜΩΝ
ΩΣΑΥΤΩΣΔΕΚΑΙΟΤΩΝΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝΚΟΣΜΟΣΕΡΠΕΤΩΕΝΙΕ
ΡΑΠΥΤΝΑΙΕΣΤΟΑΡΧΕΙΟΝΚΑΙΕΝΕΚΚΛΗΣΙΑΙΚΑΘΗΣΘΩΜΕΤΑ
ΤΩΝΚΟΣΜΩΝΕΝΔΕΤΟΙΣΗΡΟΙΚ..ΣΚΑΙΕΝΤΑΙΣΑΛΛΑΙΣΕΟΡΤΑΙΣ
ΟΙΠΑΡΑΤΥΓΧΑΝΟΝΤΕΣΕΡΠΟΝΤΩΝΠΑΡΑΛΛΑΛΟΣΕΣΑΝΔΡΗΙ
ΟΝΚΑΘΩΣΚΑΙΟΙΑΛΛΟΙΠΟΛΙΤΑΙΑΝΑΓΙΝΩΣΚΟΝΤΩΝΔΕΤΑΝ
ΣΤΑΛΑΝΚΑΤΕΝΙΑΥΤΟΝΟΙΤΟΚΑΕΙΚΟΣΜΟΝΤΕΣΠΑΡΕΚΑΤΕ
ΡΟΙΣΕΝΤΟΙΣΥΠΕΡΒΩΙΟΙΣΚΑΙΠΡΟΠΑΡΑΓΓΕΛΛΟΝΤΩΝΑΛΛΑ
ΛΟΙΣΠΡΟΑΜΕΡΑΝΔΕΚΑΗΚΑΜΕΛΛΟΝΤΙΑΝΑΓΙΝΩΣΚΕΝ
ΟΠΟΙΟΙΔΕΚΑΜΗΑΝΑΓΝΩΝΤΙΗΜΗΠΑΡΑΓΓΗΛΩΝΤΙΑΠΟ
ΤΕΙΣΑΝΤΩΝΟΙΑΙΤΙΟΙΤΟΥΤΩΝΣΤΑΤΗΡΑΣΕΚΑΤΟΝΟΙΜΕΝ
ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΚΟΣΜΟΙΤΩΝΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝΤΑΙΠΟΛΕΙΟΙΔΕ
Π.ΡΙΑΝΣΙΕΕΣΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝΤΑΙΠΟΛΕΙΕΙΔΕΤΙΣΑΔΙΚΟΙΗ
ΤΑΣΥΓΚΕΙΜΕΝΑΙΔΙΑΛΥΩΝΗΚΟΣΜΟΣΗΙΔΙΩΤΑΣΕ
ΞΕΣΤΩΤΩΙΒΟΥΛΟΜΕΝΩΙΔΙΚΑΞΑΣΘΑΙΕΠΙΤΩΚΟΙΝΩΔΙ
ΚΑΣΤΗΡΙΩΤΙΜΑΜΑΕΠΙΓΡΑΨΑΜΕΝΟΣΤΑΣΔΙΚΑΣΚΑΤΑΤΟ
ΑΔΙΚΗΜΑΟΚΑΤΙΣΑΔΙΚΗΣΗΙΚΑΙΕΙΚΑΝΙΚΑΣΩΗΙΛΑΒΕΤΩΤΟ
ΤΡΙΤΟΝ

ΤΡΙΤΟΝΜΕΡΟΣΤΑΣΔΙΚΑΣΟΔΙΚΑΞΑΜΕΝΟΣΤΟΔΕΛΟΙΠΟΝΕΣ
ΤΩΤΑΝΠΟΛΕΩΝΑΙΔΕΤΙΘΕΩΝΒΩΛΟΜΕΝΟΝΕΛΟΙΜΕΝΑΓΑ
ΘΟΝΑΠΟΤΩΝΠΟΛΕΜΙΩΝΗΚΟΙΝΑΙΕΞΟΔΟΥΣΑΝΤΕΣΗΙΔΙΑΙΤΙ
ΝΕΣΠΑΡΕΚΑΤΕΡΩΝΗΚΑΤΑΓΑΝΗΚΑΤΑΘΑΛΑΣΣΑΝΛΑΝ
ΧΑΝΟΝΤΩΝΕΚΑΤΕΡΟΙΚΑΤΑΤΟΣΑΝΔΡΑΣΤΟΣΕΡΠΟΝΤΑΣ
ΚΑΙΤΑΣΔΕΚΑΤΑΣΛΑΜΒΑΝΟΝΤΩΝΕΚΑΤΕΡΟΙΕΣΤΑΝΙΔΙ
ΑΝΠΟΛΙΝΥΠΕΡΔΕΤΩΝΠΡΟΓΕΓΟΝΟΤΩΝΠΑΡΕΚΑΤΕΡΟΙΣ
ΑΔΙΚΗΜΑΤΩΝΑΦΩΤΟΚΟΙΝΟΔΙΚΙΟΝΑΠΕΛΙΠΕΧΡΟΝΩΠΟΙΗ
ΣΑΣΘΩΝΤΑΝΔΙΕΞΑΓΩΓΑΝΟΙΣΥΝΕΝΠΑΝΤΙΚΑΙΝΕΩΝΙΚΟΣ
ΜΟΙΕΝΩΙΚΑΚΟΙΝΑΙΔΟΞΗΙΔΙΚΑΣΤΗΡΙΩΑΜΦΟΤΕΡΑΙΣΤΑΙΣΠΟ
ΛΕΣΙΕΠΑΥΤΩΝΚΟΣΜΟΝΤΩΝΚΑΙΤΟΣΕΓΓΥΟΣΚΑΤΑΣΤΑΣΑΝ
ΤΩΝΥΠΕΡΤΟΥΤΩΝΑΦΑΣΚΑΑΜΕΡΑΣΑΣΤ...ΑΤΕΘΗΙΕΜΜΗ
ΝΙΥΠΕΡΔΕΤΩΝΥΣΤΕΡΟΝΕΓΓΙΝΟΜΕΝΩΝΑΔΙΚΗΜΑΤΩΝΠΡΟ
ΔΙΚΩΙΜΕΝΧΡΗΣΘΩΝΚΑΘΩΣΤΟΔΙΑΓΡΑΜΜΑΕΧΕΙΠΕΡΙΔΕΤΩ
ΔΙΚΑΣΤΗΡΙΩΟΙΕΠΙΣΤΑΜΕΝΟΙΚΑΤΕΝΙΑΥΤΟΝΠΑΡΕΚΑΤΕΡΟΙΣ
ΚΟΣΜΟΙΠΟΛΙΝΣΤΑΝΥΕΣΘΩΝΑΓΚΑΑΜΦΟΤΕΡΑΙΣΤΑΙΣΠΟΛΕΣ
...ΞΗΙΕΞΑΣ ΤΟΕΠΙΚΡΙΤΗΡΙΟΝΤΕΛΕΤΑΙΚΑΙΕΓΓΥΟΣΚΑΘΙΣΤΑΝ
ΤΩΝΑΦΑΣΚΑΑΜΕΡΑΣΕΠΙΣΤΑΝΤΙΕΠΙΤΟΑΡΧΕΙΟΝΕΝΔΥΜΗΝΩ.
.ΑΙΔΙΕΞΑΓΟΝΤΩΝΤΑΥΤΑΕΠΑΥΤΩΝΚΟΣΜΟΝΤΩΝΚΑΤΑΤΟ
ΔΟΧΘΕΝΚΟΙΝΑΙΣΥΜΒΟΛΟΝΑΙΔΕΚΑΜΗΠΟΙΗΣΩΝΤΙΟΙΚΟΣΜΟΙΚΑ
ΘΩΣΓΕΓΡΑΠΤΑΙΑΠΟΤΕΙΣΑΤΩΕΚΑΣΤΟΣΑΥΤΩΝΣΤΑΤΗΡΑΣ
ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑΟΙΜΕΝΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙΚΟΣΜΟΙΠΡΙΑΝΣΙΩΝΤΑΙΠΟΛΕΙ
ΟΙΔΕΠΡΙΑΝΣΙΟΙΚΟΣΜΟΙΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝΤΑΙΠΟΛΕΙΑΙΔΕΤΙΚΑ
ΔΟΞΗΙΑΜΦΟΤΕΡΑΙΣΤΑΙΣΠΟΛΕΣΙΒΩΛΟΥΟΜΕΝΑΙΣΕΠΙΤΩΙ
ΚΟΙΝΑΙΣΥΜΦΕΡΟΝΤΙΔΙΟΡΘΩΣΑΣΘΑΙΚΥΡΙΟΝΕΣΤΩΤΟΔΙΟΡ
ΘΩΘΕΝΣΤΑΣΑΝΤΩΝΔΕΤΑΣΣΤΑΛΑΣΟΙΕΝΕΣΤΑΚΟΤΕΣΕ
ΚΑΤΕΡΗΙΚΟΣΜΟΙΕΠΑΥΤΩΝΚΟΣΜΟΝΤΩΝΟΙΜΕΝΙΕΡΑΠΥ
ΤΝΙΟΙΕΝΤΩΙΙΕΡΩΙΤΑΣΑΘΑΝΑΙΑΣΤΑΣΠΟΛΙΑΔΟΣΚΑΙΟΙ
ΠΡΙΑΝΣΙΟΙΕΝΤΩΙΙΕΡΩΙΤΑΣΑΘΑΝΑΙΑΣΤΑΣΠΟΛΙΑΔΟΣ
ΟΠΟΤΕΡΟΙΔΕΚΑΜΗΣΤΑΣΩΝΤΙΚΑΘΩΣΓΕΓΡΑΠΤΑΙΑΠΟ
ΤΕΙΣΑΝΤΩΝΤΑΑΥΤΑΠΡΟΣΤΙΜΑΚΑΘΩΣΚΑΙΠΕΡΙΤΩΝ
ΔΙΚΑΙΩΝΓΕΓΡΑΠΤΑΙ.

Idem Charactere communi cum versione Pricæi.

Θεὸς ἀγαθ[ός.]

Αγαθαῖ τύχαι καὶ σωτηρείαι. ἐπὶ
κοσμ[όντων ἐν] Ιεραπύτναι τῶν συ-
νενιπαντὶ τῷ Ερμαιω..............
ιμαλίω, ἐν δὲ Πριανσίοι ἐπὶ κοσ-
μόντων Συ..............χιμάρω, καὶ
μηνὸς Δρομηίω, τὰ δὲ συνέθε[ντο
καὶ συνε]δόκησαν ἀλλάλοις Ιερα-
πύτνιοι καὶ Πριάνσιοι, [ἐγγραφέν]
τες ἐν ταῖς προϋπαρχώσαις στά-
λαις, ἰδίαι τε[θνιεμμέναις] Γορ-
τυνίοις, καὶ Ιεραπυτνίοις, καὶ ταῖ κα-
τακοινω[νίαι τοῖς] καὶ Ιεραπυτνίοις καὶ

Bonus Genius.

Cum bona Fortuna & Salute.
Cosmi Magistratum cum Po-
pulo in Hierapytna gerentibus
Hermeo...............imalii: in
Priansio Sy..............chime-
ro: mense Dromæo, con-
sensu mutuo hæc pacti sunt
Hierapytnii & Pryansii, in-
scripti olim quidem columnis
proprie Gortyniis & Hiera-
pytniis, jure consortii etiam
Priansiis erectis, proq; amici-
tia, bellandi societate, jura-
men-

mentisq; in iisdem stelis contractis, qui ex utraque parte & urbem incolunt, & in territorio dominantur, hujusmodi fœdus conventumque in perpetuum inierunt. Hierapytniis nempe & Priansiis civitatum, connubiorum, & possessionum jura mutua fore, divinorum item ac humanorum omnium communionem, iis qui alterutrius populi indigenæ erunt; vendentes etiam & ementes, fœneratò dantes & sumentes; aut quodcunque commercii genus exercentes, habituros jus civium utrinque, prout antea sancitum est. Hierapytnio seminare apud Priansios licitum esto; Priansio apud Hierapytnios idem juris esto, dummodo ut reliqui cives tributum penderit, secundum leges utrinque constitutas. Uter in alterius urbem intulerit quid, ejus importandi, atque adeo exportandi nomine nil quidquam solvat, nec illorum quæ ab eo terra aut mari provenire poterunt. Pro iis autem pro quibus mari exportandis pendi vectigal solet, pro iisdem invehendis solvatur etiam, prout ab utrisque conventum est. Hæc qui servassit, immunis esto; qui violassit, solvat is pœnæ nomine, quantum utrinque leges constitutæ ju-

καὶ Πριανσίοις, καὶ ἐν ταῖ φιλίαι, [καὶ συμμα]χίαι, καὶ ὅρκοις τοῖς προγεγονόσι ἐν ταύταις, [ἐπὶ ταῖ πόλει] καὶ ἐπὶ ταῖ χωρίαι ἑκάτεροι ἔχοντες καὶ κρατῦν[τες, συν]θῆκαν ἔθεντο εἰς τὸν πάντα χρόνον. Ἱεραπυ[τνίος] καὶ Πριανσίους ἦμεν παρ' ἀλλάλοις ἰσοπολιτείαν, καὶ ἐπιγαμίας, καὶ ἔγκτησιν, καὶ μετοχὰν, καὶ θείων, καὶ ἀνθρωπίνων πάντων, ὅσοι κα ἔωντι ἔμφυλοι παρ' ἑκατέροις, καὶ πωλέντας καὶ ὠνωμένος, καὶ δανείζοντας, καὶ δανειζομένος, καὶ τ' ἄλλα πάντα συναλλάσσοντας, κυρίος ἦμεν κατὰ τὸς ὑπάρχοντας παρ' ἑκατέροις νόμος. Ἐξέστω δὲ τῷ τε Ἱεραπυτνίοι σπείρεν ἐν ταῖ Πριανσίαι, καὶ τῷ Πριανσίει ἐν ταῖ Ἱεραπυτνίαι, διδῶσι τὰ τέλεα καθάπερ οἱ ἄλλοι πολῖται, κατὰ τὸς νόμος τὸς ἑκατέρη κειμένος. Εἰ δ' ἔτι κα ὁ Ἱεραπύτνιος ὑπεχθῆται ἐς Πριάνσιον, ἢ ὁ Πριανσιεὺς ἐς Ἱεραπύτναν ὁποιῶν, ἀτέλεα ἔσω καὶ ἐσαγομένων, καὶ ἐξαγομένων αὐτὰ, καὶ τούτων τὸς καρπὸς, καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν. ὧν δὲ καὶ ἀποδόται κατὰ θάλασσαν ἐώσας ἐξαγωγᾶς, τῶν ὑπεχθησίμων ἀποδότω τὰ τέλεα, κατὰ τὸς νόμος τὸς ἑκατέρη κειμένος. Κατὰ ταῦτα δὲ καὶ εἴ τις κα νε..μ.....ελης ἔσω, αἰ δὲ κα συνῆται ἀποτεισ[ά]τω τὰ ἐπιτίμια. σε. μένος κατὰ τὸς νόμος τὸς ἑκατέρη κειμένος. Πρει-

γνία

γηία δὲ ὧ[ν κ]α χρείαν ἔχη ποεῆν, παρεχόντων· οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι Κόσμοι τοῖς Πριανσιεῦσι, οἱ δὲ Πριανσιεῖς Κόσμοι τοῖς Ἱεραπυτνίοις. αἰ δὲ μὴ παρέσχαιεν, ἀποτεισάντων οἱ ἐπίδαμοι τῶν Κόσμων ταῖ Πρειγείαι στατῆρας δέκα. Ὁ δὲ Κόσμος τῶν Ἱεραπυτνίων ἑρπέτω ἐν Πριανσίοις ἐς τὸ ἀρχεῖον, καὶ ἐν ἐκκλησίαι καθήσθω μετὰ τῶν Κόσμων, ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ τῶν Πριανσιέων Κόσμος ἑρπέτω ἐν Ἱεραπύτναι ἐς τὸ ἀρχεῖον, καὶ ἐν ἐκκλησίαι καθήσθω μετὰ τῶν Κόσμων. Ἐν δὲ τοῖς Ἡρωικ[οῖ]ς, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἑορταῖς, οἱ παρατυγχάνοντες ἑρπόντων παρ' ἀλλάλος ἐς ἀνδρήιον, καθὼς καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται. Ἀναγινωσκόντων δὲ τὰν στάλαν κατ' ἐνιαυτὸν οἱ τόκα ἀεὶ Κοσμόντες παρ' ἑκατέροις ἐν τοῖς Ὑπερβωίοις, καὶ προπαραγγελλόντων ἀλλάλοις πρὸ ἁμερᾶν δέκα ἢ κα μέλλοντι ἀναγινώσκεν. ὁποῖοι δέ κα μὴ ἀνάγνωντι ἢ μὴ παραγγήλωντι, ἀποτεισάντων οἱ αἴτιοι τούτων στατῆρας ἑκατόν. οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι Κόσμοι τῶν Πριανσιέων ταῖ πόλει, οἱ δὲ Πριανσιέες Ἱεραπυτνίων ταῖ πόλει. Αἰ δέ τις ἀδικοίη τὰ συγκείμενα διαλύων, ἢ Κόσμος, ἢ ἰδιώτας, ἐξέστω τῶι βουλομένωι δικάξασθαι ἐπὶ τῶ κοινῶ δικαστηρίω, τίμαμα ἐπιγραψάμενος τᾶς δίκας κατὰ τὸ ἀδίκημα ὅ κά τις ἀδικήσηι, καὶ εἰ κα νικάσηι, λαβέτω τὸ τρίτον μέρος τᾶς δίκας ὁ δικαξάμενος, τὸ δὲ λοιπὸν ἔστω τᾶν

bent. Ærarium quidquid opus ad Legationes habessit, præbento Cosmi Hierapytniorum Priansiis; vicissim Cosmi Priansiorum Hierapytniis: qui nec fecerint, cives eorum Ærario stateres decē solvunto. Cosmus Hierapytniorum in Priansiorum curiam intrandi jus habeto, sedendique cum eorum Cosmis in concilio, nec minus Cosmo Priansiorum apud Hierapytnios jus esto intrandi in eorum Curiam, atque inter Cosmos sedendi. In Heroicis & aliis festis, qui alterutrinque supervenerint, ad Sacras epulas æque ac loci cives intranto. Columnam pro tempore utrinque Cosmi existentes in Hyperboiorum festo quotannis legunto, decemque antequam legant dies mutuo nuncianto. Qui non legerint, vel nec indicassint, alteris stateres centum solvunto. Si quis hæc pacta imminuerit, sive is Cosmus, sive privatus fuat, ei ad commune forum qui voluerit diem dicito: litis autem secundum noxam commissam æstimationem facito. Si vicerit, multæ trientem capito, reliquum civitatum esto.

Porro

Porro si qui publicis privatisve auspiciis ex utravis parte expeditiones terra aut mari fecerint, virtute Deûm boni quid ab hostibus retulerint, sortiuntor utrique pro numero exeuntium, decimasque in civitatem suam vicissim ferunto.

Quod spectat damna atque injurias hinc inde factas, ex quo promiscua jura nostra exoleta sunt, compensanto ea cum Populo Communitatum, Cosmi antequam magistratu abeant, foro quo videbitur cunque ambabus civitatibus; nec non & vades eo nomine exhibento, abusque die ipsa qua hæc pacti sumus. Si posthac damni quid illatum fuerit, Patroni ad sciscuntor, prout in decreto publico statutum est. Forum autem qui quotannis utrinque Cosmi erunt, eo loco stabiliunto, quem ex hinc utraque Civitas in examen delegerit; insuper sponsores danto ex quo primum Curiæ præfuerint . . . .
. . . .
hæc componentes omnia, dum in Magistratu sunt, prout uterque Populus auctores fuerint. Cosmi secundum scripta heic si non fecerint, solvunto singuli eorum stateras quinquaginta. Hierapytnii

πόλεων. Αἱ δ' ἔτι Θεῶν βωλομένων ἕλοιμεν ἀγαθὸν ἀπὸ τῶν πολεμίων, ἢ κοινᾷ ἐξοδεύσαντες ἢ ἰδίᾳ τινὲς παρ' ἑκατέρων, ἢ κατὰ γᾶν ἢ κατὰ θάλασσαν, λαγχανόντων ἑκάτεροι κατὰ τὸς ἄνδρας τὸς ἕρποντας, καὶ τὰς δεκάτας λαμβανόντων ἑκάτεροι ἐς τὰν ἰδίαν πόλιν. Ὑπὲρ δὲ τῶν προγεγονότων παρ' ἑκατέροις ἀδικημάτων, ἀφ' ὧ τὸ κοινοδίκιον ἀπέλιπε χρόνῳ, ποιησάσθων τὰν διεξαγωγὰν οἱ συνενιαυτὶ καθεστῶνι Κόσμοι, ἐν ᾧ κα καὶ κοινᾷ δόξῃ δικαστηρίῳ ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσι, ἐπ' αὐτῶν Κοσμόντων, καὶ τὸς ἐγγύος καταστασάτων ὑπὲρ τούτων, ἀφ' ἇς κα ἁμέρας ἃς τ[αῦτ]α τεθείμεμεν. Ὑπὲρ δὲ τῶν ὕστερον ἐγγινομένων ἀδικημάτων προδίκια μὲν χρήσθων, καθὼς τὸ διάγραμμα ἔχει. Περὶ δὲ τῶ δικαστηρίω, οἱ ἐπισταμένοι κατ' ἐνιαυτὸν παρ' ἑκατέροις Κόσμοι, πόλιν στανυέσθων ἅγ κα ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσ[ι δό]ξῃ ἐξ ἇς τὸ ἐπικριτήριον τελέ[εσθαι]. καὶ ἐγγύος καθιστάντων ἀφ' ἇς κα ἁμέρας ἐπιστᾶντι ἐπὶ τὸ ἀρχεῖον ὀνδυμίωσι. Καὶ διεξαγόντων ταῦτα ἐπ' αὐτῶν Κοσμόντων κατὰ τὸ δοχθὲν κοινᾷ σύμβολον. Αἱ δὲ κα μὴ ποιήσωντι οἱ Κόσμοι καθὼς γέγραπται, ἀποτεισάτω ἕκαστος αὐτῶν στατῆρας πεντήκοντα· οἱ μὲν Ἱεραπύτνιοι Κόσμοι Πριανσίων τᾷ πόλει,

πόλει. Αἰ δ᾽ ἔτι κα δόξῃ ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσι βωλευομέναις ἐπὶ τῷ κοινᾷ συμφέροντι διορθώσασθαι, Κύριον ἔσω τὸ διορθωθέν. Σταζάντων δὲ τὰς ςάλας οἱ ἐνεςακότες ἑκατέρῃ Κόσμοι ἐπ᾽ αὐτῶν Κοσμόντων, οἱ μὲν Ιεραπύτνιοι ἐν τῶι ἱερῶι τᾶς Αθαναίας, τᾶς Πολιάδος, καὶ οἱ Πριάνσιοι ἐν τῶι ἱερῶι τᾶς Αθαναίας τᾶς Πολιάδος· ὁπότεροι δὲ κα μὴ ςάσωντι καθὼς γέγραπται, ἀποτεισάντων τὰ αὐτὰ πρόστιμα, καθὼς καὶ περὶ τῶν δικαίων γέγραπται.

Prianſiorum civitati, Pſianſii Hierapytniorum. Porro ſi pro bono communi utrique quid mutandum cenſuerint, quicquid ſtatuerint denuo, jus ratumque eſto. Pilas autem qui ex utraque parte impræſentiarum Coſmi ſunt, in Minervæ Poliadis fano, antequam Magiſtratum exuant, collocanto. Utri non erexerint, tantum iis damni eſto, quantum ſtatutum ſupra eſt, ubi de Controverſiis.

Hoc Marmor olim tranſcripſit Johannes Pricæus, & in notis ſuis ad Apuleium in publicum edidit cum verſione Latinâ, quam, ob famam & doctrinam viri, qui olim fuerat noſter, totam retinuimus, notaſque etiam illius ſubjecimus, quæ ut à noſtris diſtinguantur, ejus nomine notantur.

Aliud hujus fœderis fragmentum paulo antiquius, extat apud Gruterum etiam pag. 505. Ejus etſi anterior pars non compareat, ſupereſt in altera tamen haud pœnitendum quid. Sub noſtri Marmoris initium juramenta occurrunt mutuo concepta: horum in fragmento eo ſpecimen abſolutum viſitur; videturque à Prianſiis præſtitum Hierapytniis. Supereſt ut aliquid moneam de verſione noſtra, quæ ſi non aliquà conſtaret, otioſa foret. Habe ergo, at quam poteſt breviſſime, vel enim tribus (ut aiunt) lineis: nam hercle diu eſt quod extra orbitam ſumus. Pricæus.

Θεὸς ἀγαθός. Αγαθᾷ τύχᾳ. Potui ſpecioſius vertere, *Diis bonis faventibus*. Et continuo, *Quod fauſtum, felix ſit, ac ſalutare*. Volui ſimplicius autem, idque ob ἀγαθοῦ Δαίμονος (heic ſub Θεοῦ nomine expreſſi) & ἀγαθῆς τύχης contubernium; quod me docuit Cl. Seldenus, pag. 130. ad Marmora Arundell. Pricæus.

Επὶ κοσμόντων, i. e. ſub Coſmis. Κόσμοι enim (quæ vox infra in hoc Marmore ſæpe occurrit) [a] in Creta Magiſtratus erant numero decem, penes quos fuit ſummum reipublicæ imperium. Quamdiu in ea inſula reges imperabant, iidem erant Coſmi in Creta qui Ephori Spartæ: Regis [b] ſcilicet poteſtatem moderabantur, & ei limites ponebant; poſtea vero ablatâ ibi Regiâ autoritate, totum Regimen penes Coſmos erat, quorum primus πρωτοκόσμος dicebatur. Qui hunc Magiſtratum gerebant, apud [c] Gruterum multos invenies.

Ιεραπύτνα. [d] Hierapytna eſt urbs Cretæ maritima in auſtrali inſulæ parte ſita, poſtea Hierapetra vocabatur: indeque mihi probabile videtur, apud antiquos Cretenſes, Πύτναν appellari, quod apud Græcos πέτρα, atque ideo unus è collibus Idæ montis, [e] Πύτνα dicebatur, quod forſan totus ſaxeus eſſet.

[a] Ariſtot. polit. lib. 2. cap. 7. [b] Vide Plutarchum in Agide & Cleomene, quæque de Ephoris habent Cragius, & Johannes Meurſius Miſcel. Lacon. lib. 2. [c] Pag. 1084. & 1094. [d] Strabo lib. 10. [e] Strabo lib. 10.

Συωενιπαντι. Compoſitum alibi nuſquam lectitatum: occurrit infra etiam lin. 59. verti utrobique *cum populo:* & ut arbitror, toleranter: ſtatus Democraticos innui non eſt ut dubitemus. Pricæus.

Πεϱάνσιοι. Prianſum urbem Cretæ etiam fuiſſe ex hoc Marmore conſtat; alibi autem illius mentionem non invenio. In Stephano Byzantino legitur, Πϱιαισὸς πόλις Κϱήτης, καὶ οἱ πολῖται Πϱαίσιοι, καὶ Πϱαισιεῖς, non dubito quin falſe, veramque lectionem ex hoc Marmore reſtituendam eſſe, Πϱίανσος πόλις Κϱήτης, καὶ οἱ πολῖται Πϱιάνσιοι, καὶ Πϱιανσιεῖς, tam Πϱιανσιεῖς enim quam Πϱιάνσιος in hoc Marmore occurrunt.

Μηνὸς Δϱομαίω. Ita disjunctim lego, ex ſolemni forma poſt Magiſtratuum nomina menſem appingendi. Menſis *Dromæus* haud an alibi occurrat, ſcio: nec eo minus tamen inter Cretenſes locum occupaſſe putem, quam *Boedromionem* menſem inter Atticos. *Menoſdromeus* autem pro appellativo ſumtum, inconditum quid, vel etiam barbarum ſonaret, remotumque quantum ego judico, ab omni conſuetudine. Pricæus.

Τεθημεμμέναις. Ita eam lacunam implendam cenſui, cum ob ſententiam quam ſubeſſe ſuſpicor, tum ob id quod infra, lin. 62. lego. Pricæus.

Γοϱτυνίοις. Gortynii à Gortyne Cretæ urbe, quam incolebant, dicebantur. [f] Grotys autem inter tres maximas & potentiſſimas Cretæ urbes numerabatur, ceteræ duæ erant Cnoſtus & Cydonia. Aliquando illa ambitum 50 ſtadiorum habuiſſe memoratur. Semper habuit cum Cnoſſo bellum, & quotieſcunque illius partibus Cydonia accedebat, totius inſulæ habuit imperium.

Κυϱίους ἦμεν. Non video qui hoc trahi ad quæ ſequuntur poteſt, eſt igitur æquum ut ad præcedentia feramus. Si vertiſſem *Dominos, Patronos,* aut quid ejuſmodi, neque mihi, neque ulli ſenſui ſatisfactum eſſem. verti, *jus civium habituros,* non inconvenienter: ſi tamen hoc minus placuerit, potes ita, *pro indigenis habendos:* nempe ac ſi κύϱιοι opponantur ἀλλοδαποῖς· nec moreris ut hæc notio inſolentior ſit: bene habet ſi præſenti loco non inconcinna ſit. Sciunt doctiores uſquequo heic progredi licet: ſcripta hoc genus non intra Lexicorum ſepta coercenda: ſatiſque de Interpretis fide ac judicio conſtare, qui ſciat ubi legem ſequi, ubi dare oporteat. Pricæus.

Ὧν δὲ καὶ ἀποδόται. Mihi quæ præcedunt proxime, hunc locum impeditiorem reddunt: ſatis non facit mihi verſio mea, quia non ſatis ſententiam video; & hoc ſponte fateri malui quam ab aliis revinci. Pricæus.

Εἰ τίς κά τε ... μ ... ελης ἐσῶ. Verti ac ſi legerem ἀπλῆς, at nil egi idcirco: cardo ſententiæ enim vertitur in præcedenti voce, cujus etſi initium ſupereſt in τῶ τε particulâ, ejus jacturam tamen non potui ad libidinem ſarcire: ſenſum quem potui interim loco commodiorem finxi. Pricæus.

Τὰ ἐπιτίμια σι...μὸς. Verti quaſi ſcalptum fuiſſet, ὁ σινόμωϱος· quum tamen Marmor exſcriberem videbatur σι legendum. Pricæus.

Πϱειγηΐα δὲ ὧν κὰ χϱείαν ἔχη. Πϱειγηΐαν *Ærarium* verti, ſola ſerie ſequentium nixus, alibi præſidium enim non invenire potui. Videtur ſimile fuiſſe Atticorum *Prytaneo,* ex quo Legatis dabantur commeatus, quos heic πορηίω nomine deſignari puto: quod nihilominus verti, *ad Legationes:* ſalvus & ſenſus erit ſi ſic vertas, *Legatis ultro citro meantibus ex Ærario Coſmi commeatum præbento:* ego Syntaxi Græcæ me aſtrinxi. Pricæus.

Αποτεισάντων, &c. τᾷ Πϱειγηΐᾳ ϛατῆϱας δέκα. Plane hæc ſcrupulum injiciunt de prioribus, modo ſit eorum ſenſus is quem poſuimus. Mulctæ enim cum delicto fuiſſet nulla proportio, ſi quod Factum tanti conſtaret, infectum tam parvo lucretur (hactenus Pricæus:) decem enim Stateres noſtræ monetæ valent tantum quinque coronas, nam ϛατὴϱ apud Græcos idem valet quod dimidium coronæ apud noſtrates, ϛατὴϱ enim ȣ ex quatuor drachmis conſtat; drachma

[f] Strabo lib. 10. Apud Heſychium enim legendum eſt, ϛατὴϱ τετϱάδϱαχμος & non τετϱάχϱαμμος.

autem

autem octava pars unciæ, & uncia argenti est pondus coronæ Anglicanæ: dimidium igitur coronæ Anglicanæ valore idem est cum Statere Græco: & ejusdem etiam valoris erat Siclus argenti Hebræorum, quod ex [k] autoritate Josephi, qui dicit Siclum Judaicum quatuor drachmas continere, et etiam ex 17 cap. Mathæi satis manifeste constat, ibi enim Petrus dicitur pro Christo, & seipso [l] unum Staterem Templo Hierosolymitano solvisse: [l] singuli autem dimidium sicli tenebantur dare. Stater igitur, qui pro duobus solvebatur, Siclus erat, cujus dimidium [m] erat διδραχμον, i. e. duas drachmas continebat.

Εἰς Ανδρήιον. i. e. Ad sacras epulas seu festa solennia. [n] Ανδρεῖα enim festa erant apud Cretenses certis anni temporibus, eodem modo quo Φιδίτια Spartæ celebrata, cum hac solâ differentia, [o] quod in Creta victus è publico paratus erat, Spartæ vero ad illum omnes, qui ad epulas admitti voluerant, contribuere. [p] Utraque festa olim Ανδρεῖα dicebantur, postea vero cum Lacedæmonii post latas Lycurgi leges valde parci in his Epulis esse inceperint, [q] ea deinde Φιδίτια à Φείδω parco appellabant, ab eoque tempore vox Ανδρεῖα erat apud solos Cretenses nota. De his festis apud eos celebratis hoc tantum traditur à scriptoribus, quod Phiditiis Lacedæmoniorum similia erant; qualia autem erant Phiditia Lacedæmoniorum doctissime tibi ostendit Meursius in Misc. Lacon. lib. 1. c. 9. & 10.

Οἱ τόκα κοσμόντες. Dorismus, ut ego puto, pro τότε: itaque *pro tempore* verti: τόκα certe sæpius occurrit, at cum α in fine, plane quid velit nescio, nisi si incognitus quis Dorismus sit, legebam ideo aliquando τὸ κ' ἀεὶ: *pro tempore, & in posterum semper*: singulis annis nempe, τὸ apud Dores pro τότε frequens etiam. Pricæus.

Συνεπιπαντὶ κοινεῶνι. Verti *cum Populo Communitatum*. κοινέων duplici Dorismo puto κοινῶν esse. Pricæus.

Ας ταῦτα πεδηνίμμεν. Ita supplevi, favens potius conjecturæ meæ, quam quod vestigia Marmoris plene assequutus sum: nam profecto exscribere videbat mihi ἃς τ..ατεδηνίμμεν. Pricæus.

Περδίκαι. Potui *arbitrum*, placuit *Patronum* vertere; neque tam privatum quam publicum, sive *Civitatis defensorem* subintelligi velim. Pricæus.

Δίξη ἦξας τὸ δῆι, &c. Ita hæc supplenda censui & distinguenda: ἦξας Dorismum puto pro ἦξης esse. Pricæus.

Τελίσαι. Alius Dorismus pro τελέσαι, h. e. δοῦναι. itaque fidenter verti *deligere*. Pricæus.

Ενδυμηνιο. Videor mihi difficiliores locos quosdam intelligisse, & tamen heic non potui expedire me: deest in fine apex quispiam, at hoc minime negotium facessit. Plane nil habeo quo hanc vocem explicare possim, sensum interdum somniavi istiusmodi esse. *Insuper sponsores danto ex quo primum Curiæ præfuerint, nullibi quam eo foro cogniturum se.* Excutiant doctiores, nos hæc pauca non citra tædium attulimus. Pricæus.

Περὶ τῶν δικαίων. h. e. τῶν δικῶν. verti *de controversiis*: nimirum iis de quibus supra lin. 57. & deincipitibus mentio, è quibus multæ etiam heic non signatæ modus constat, stateres 50. nempe. Pricæus.

Αθηναίας τᾶς Πολιάδος. i. e. Minervæ Poliadis seu urbanæ, sic enim Minerva dicebatur in iis urbibus, in quibus maxime colebatur, & Tutelaris civitatis Dea putabatur; maxime vero Athenis Minerva Πολιὰς dicebatur, de qua re legas Meursii Cecropiam, cap. 20.

[k] Lib. 3. c. 9. [l] Com. 27. [l] Josephus Bell. Jud. lib. 7. cap. 27. Exod. c. 30. com. 13. & 2 Cron. cap. 24 com. 6. & 9. Dion. Cassius lib. 66. Maimonides in Shekelim. [m] Matth. 17. com. 24. [n] Strabo lib 10. Plut. Sympos. lib. 7. Quæst. 9. [o] Aristot. Polit. lib. 2. c. 7. [p] Strabo lib. 10. Aristot. Pol. lib. 2. cap. 8. [q] Plut. in Lycurgo.

LIX.

D. M.
CALPVR
NIAE NEREI
DI CONIVGI
SANCTAE CA
RAE OPTIMAE
CASTAE PIEN
TISSIMAE
BENE MEREN
TI. C. CALPVR
NIVS EROS FECIT
ET SIBI POSTERISQ. SVIS

LX.

D.M.S
OBELLIAE. SECV
LARI. VIX. AN. LXXV.

LXI.

D. M.
VAL. PATERNI.
SPECVL. EXERCIT.
BRITTAN.
CVRA. AGENTIBVS
SEMP. PVDENTE
MIL. FRVM.
ET. CVTIO. EVPLV.
MINISTRO. SPEC.
B. M. FECERVNT
IN. FR. P. VII. IN. AG. P. V.

LXII.

I . . . HEORO.

LXIII.

ΑΘΗΝΙΩΝ ΑΞΙΜΝΗ ΣΕ
ΣΤΟΥ ΚΑΛΛΙΟΠΗ ΕΡ
ΜΟΧΟΣ ΤΗ ΙΔΙΑ ΓΥ
ΝΑΙΚΙ ΧΡΗΣΤΗ ΚΑΙ Α
ΛΥΠΕ ΧΑΙΡΕ.

Ἀθηνίων Ἀξίμνῃ Σέ
στου. Καλλιόπῃ Ἕρ-
μοχος τῇ ἰδίᾳ γυ
ναικὶ. Χρηστὴ καὶ ἄ
λυπε Χαῖρε.

Athenion Aximnæ
Sesti. Calliopæ Her
mochus uxori suæ.
Bona & omnis
doloris jam expers vale.

LXIV.

C. IVLIVS. IASON. ET.
COCCEIA. TRYPHAENA.
FECERVNT. SIBI. ET.
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
SVORVM. DVMTAXAT. QVI.
EX. FAMILIA EORVM. FVISSENT.
IN. FR. P. VI. S. IN. AGR. P. VIIII.

LXV.

D. VOLVMNIAE. GLYCERAE. M.

LXVI.

D. M.
RVBELLIAE
SPEI
VIX. AN. XVI.
M. VIII. D. XVIIII.

LXVII.

LXVIII.

LXVIII.

LXIX.

LXIX.

D.M.S.
PONTIAE TITI SPHORIDI
QVAE VIXIT ANN. XXXII.
MENS. II. DIEB. XVI.
CONIVGI B .M.
H. Ṣ.

LXX.

. . . NVS VARI F
. . . . ARISTO

LXXI.

DIS. MAN. CORNELIAE. EXOCHE.
CORNELIA. FELICIA. LIBERTA.
ET. CLODIVS. HELIVS. PATRONAE.
BENEMERENTI. FECERVNT.
ET. COLLIBERTIS. COLLIBERTABVS.
POSTERISQVE. SVORVM.

LXXII.

D. M.
PVDENTIS. VIX. AN. VI.
MENSIBVS. III.
IVLIA. ACORINTIAS.
VERNAE. DVLCISSIMAE.
FECIT.

LXXIII.

LXXIV.

ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΣ ΑΠΑΛ
ΟΥ ΤΟΥ ΠΕΡΙΓΕΝΟΥ ΚΑΤ
ΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΤΗ ΣΥΜΒΙΩ
ΣΕΙ ΤΩΝ ΣΥΠΠΙΝΑΛΩΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ ΠΡΟΣΕΡΧΟΜΕΝ
ΩΝ ΔΕ ΣΙΑΧΕΡΙΤΩ ΗΡΩΩ ΕΙ
ΤΙΣ ΠΟΤΕ ΔΟΚΙΜΑΣΘΕΙΣ
ΕΝΕΠΕΘΗΣΕ ΤΑ ΥΠΟ
ΤΗΣ ΣΥΝΕΡΓΑΣΙΑΣ.

Marmor, unde hæc tranſcripta ſunt, ita jam antiquitate exeſum eſt, ut totum legi non poſſit; quæ igitur tibi exhibuimus, accepta debemus viro Clariſſimo Domino Iſaaco Voſſio, qui ea è Marmore, cum literæ minus evanidæ eſſent, tranſcripta nobis communicavit. Inſcriptionem igitur habes, ut in Charta viri Clariſſimi legitur. Sed cum in ea nonnullæ literæ ſint, quas in nullas Græcas voces poſſum formare, peritioribus relinquo interpretandam.

LXXV.



LXXVI.

Google

LXXVI.



LXXVII.

D. M.
L. AVRELIVS SABINVS
FABIAE SABINAE MATRI.

LXXVIII.

....
....
.... ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΩΝ ΣΕ
ΒΑΣΤΩΝ ΚΑΙ ΚΟΣ
ΜΟΣ ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΚΑ
ΤΑ ΤΑ ΔΟΓΜΑΤΑ ΤΗΣ
ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ ΣΥΝΚΛΗ
ΤΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΣ
ΠΟΜΠΩΝΙΟΝ ΚΟΡΝΗΛΙΟΝ
ΛΟΛΛΙΑΝΟΝ ΗΔΙΑΝΟΝ
ΤΟΝ ΑΣΙΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΡΗ
ΤΟΡΑ ΥΠΑΤΙΚΩΝ ΣΥΝ
...ΕΝΗ ΤΗΣ ΠΕΡΙ ΑΥΤΗΝ

[Ἡ πρώτη τῆς Ἀσίας
Κάλλει καὶ μεγέθει, καὶ
λαμπροτάτη, καὶ Μητρό-
πολις τῆς Ἀσίας, καὶ
τρὶς] Νεωκόρος τῶν Σε-
βαστῶν, καὶ Κόσ-
μος τῆς Ἰωνίας κα-
τὰ τὰ δόγματα τῆς
ἱερωτάτης συγκλή-
του Σμυρναίων πόλις,
Κορνήλιον Πομπώνιον
Λολλιανὸν Ἡδιανὸν,
Τὸν Ἀσιάρχην, καὶ Ῥή-
τορα ὑπατικῶν συν
.. ενητης περὶ αὐτήν.

Prima per Aſiam
pulchritudine & magnitudine,
& ſplendidiſſima, &
Metropolis Aſiæ, &
ter Æditua Augu-
ſtalium, & orna-
mentum Ioniæ ſe-
cundum decretum
ſanctiſſimi Senatus,
Smyrnæorum urbs
Pomponio Cornelio
Lolliano Hediano,
Aſiarchæ & Rhetori
Conſularium ....
.... circa eam ....
....

Quæ in priori Marmoris parte deſiderata erant ex Marmoribus 2 & 143. reſtituimus; quæ enim relinquuntur integra ſatis manifeſte oſtendunt, hoc idem cum illo initium habuiſſe.

LXXIX.

ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΟ ΘΩΡΑΚΕΙΟΝ ΚΑΙ
ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΩ ΣΟΡΟΥΣ ΤΡΕΙΣ ΚΑΙ
ΠΡΟΣΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ ΤΗΝ ΚΑΤ ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΜΑΡΑΝ ΝΕΙΛΩ ΟΙΚΟΝΟΜΩ
ΑΣΙΑΣ ΤΩ ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΙ ΚΑΙ ΕΑΥ
ΤΩ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΙ ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ
ΕΓΓΟΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙΝ ΤΑΥ
ΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ
ΕΞΣΦΡΑΓΙΣΜΑ ΕΙΣ ΤΟ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ
....

Ἀγοράσας τὸ Θωράκειον, καὶ
τὰς ἐπ' αὐτῷ σοροὺς τρεῖς, καὶ
προσκατασκευάσας τὴν κατ' αὐ-
τοῦ Καμάραν Νείλῳ Οἰκονόμῳ
Ἀσίας τῷ ἑαυτοῦ πατρὶ, καὶ ἑαυ-
τῷ, καὶ γυναικὶ, καὶ τέκνοις, καὶ
ἐγγόνοις, καὶ Θρέμμασιν ταύ-
της τῆς ἐπιγραφῆς ἀπόκειται
Ἐξσφράγισμα εἰς τὸ ἐν Σμύρνῃ
[Ἀρχεῖον.]

Emens hoc Thoraceum &
tria in eo ſepulchra, &
inſuper extruens in eâ
Camaram Nilo Oeconomo
Aſiæ patri ſuo, & ſibi,
& uxori, & filiis, &
nepotibus, & alumnis.
Hujus inſcriptionis reponitur
Tabula ſignata in Smyrnæ
Archivis.

Οἰκονόμῳ

Οἰκονόμῳ τῆς Ἀσίας. De hoc Oecönomo nullibi nisi in hoc Marmore legitur. Marm. 129. vox Οἰκονόμος occurrit, ibi vero intelligenda est de eo solo, qui urbis Smyrnæ Οἰκονόμος erat, sed alius Asiæ Οἰκονόμος, quem ex vocis significatione apparet, eum fuisse, qui in publicis ludis, qui à tota Asia celebrati erant, dispensatoris munere fungebatur.

LXXX.

ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ ΕΡΜΟΓΟΡΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΑΔΕΛΦΟΥ
ΠΥΘΕΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΟΜΟΜΗΤΡΙΟΥ ΑΔΕΛΦΟΥ ΜΟΣΧΟΥ
ΤΟΥ ΜΟΣΧΟΥ ΤΟΥ ΑΛΥΜΕΙΟΥ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΡΝ
ΧΡΥΣΩΝ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ
ΕΙΡΗΝΗΣ ΤΗΣ ΜΕΝΕΛΑΟΥ ΑΝΤΙΟΧΙΣΣΗΣ
ΑΠΟΔΑΜΕΥΣ Ρ
ΣΩΤΑΛΟΣ ΣΩΤΑΛΟΥ ΤΟΥ ΝΑΥΚΡΑΤΟΥ Ρ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΝΑΥΚΡΑΤΟΥ ΚΑΙ
ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ Ρ
ΤΙΜΟΘΕΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ Ο ΦΥΣΕΙ ΗΡΟΓΕΙΤΟΝΟΣ
ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΛΙΜΟΚΡΙΤΗΣ ΤΗΣ ΤΙΜΟΚΛΕΟΥ Ρ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ Ρ
ΜΗΡΝΟΔΟΤΟΣ ΠΕΙΣΙΔΩΝΙΟΥ Ο ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΚΑΙ
ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΥ Ρ
......ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ Ο ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ
ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΒΙΟΤΗΣ ΤΗΣ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΥ ΚΑΙ
ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ Ρ
ΑΣΚΕΝΙΟΣ ΔΗΜΕΤΡΙΟΥ Ο ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΣ ΤΡΑΣΙΑΣ
ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΑΡΤΕΜΟΥΣΙΑΣ
ΤΗΣ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΥΙΩΝ ΔΗΜΕΤΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΥΙΩΝ
ΦΑΝΕΙΟΥΣ ΚΑΙ ΑΡΧΙΠΠΟΥ Ρ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΦΑΝΕΙΟΥΣ...Ο ΝΕΩΤΕΡΟΣ ΥΠΕΡ
ΤΩΝ ΥΙΩΝ ΦΑΝΕΙΟΥΣ ΚΑΙ ΕΡΜΙΠΠΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΗΣ Ρ
ΔΗΜΟΚΡΙΤΟΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ Ο ΝΕΩΤΟΡΟΣ ΔΙΕ
ΠΙΤΡΟΠΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΦΑΝΕΙΟΥΣ ΤΟΥ ΜΕΩΤΕΡΟΥ Ρ
....ΧΤΟΥ...ΝΗΣ ΝΙΚΑΙΚΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΥΙΩΝ
...............ΚΑΙ ΓΛΑΥΚΙΟΥ
..............ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΤΗΣ..
....

Cetera delentur.

Hoc Marmor ejusdem formæ est cum Marmore 16. eodemque modo in tres columellas dividitur. Quæ in prima earum habentur hic exhibeo, quæ in ceteris sunt, legi non possunt. Hæc nec minore charactere transcripsimus, nec Latinitate donavimus: cum enim sint tantum nomina propria eorum, qui ad publicum aliquod ædificium symbola sua contribuere, nec hac, nec ulteriori explicatione videntur indigere.

LXXXI.

ΑΤΤΑΛΟΣ ΓΑΙΟΥ Ο ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΣ
ΓΑΙΟΣ ΕΛΕΜΠΟΡΟΣ ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ ΚΑΘΑΡΑΝ ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ
ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΜΗΔΕΝΟΣ Ε
ΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΚΛΗΡΟΝΟΜΩΝ
ΜΟΥ ΠΩΛΗΣΑΙ ΤΗΝ ΠΡΟΔΗΛΟΥΜΕΝΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ
ΔΙΑ ΤΟ ΕΙΝΑΙ ΑΥΤΟ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΚΑΙ
ΒΟΥΛΕΥΤΟΥ.

Ἄτταλος Γαίου ὁ καλούμενος
Γαίος Ελέμπορος ἀγοράσας τὴν
Καμάραν καθαρὰν ἐπεσκεύασεν
ἑαυτῷ καὶ τοῖς ἰδίοις, μηδενὸς ἔ-
χοντος ἐξουσίαν Κληρονόμων
μου πωλῆσαι τὴν προδηλουμένην
Καμάραν
Διὰ τὸ εἶναι αὐτὸ Πρυτανέως, καὶ
βουλευτοῦ.

Attalus Caii filius, qui vocatur
Caius Elemporus emens
hanc Camaram purā instauravit
sibi & suis, nullo potes-
tatem habente ex hæredibus
meis vendere supradictam
Camaram,
Quia est Prytanis, &
Senatoris.

LXXXII.

P. BESIO. P. F. QVIR. BETVINIANO
C. MARIO. MEMMIO. SABINO.
PRAEF. COH. I. RHAETORVM. TRIB. LEG. X. G. P. F.
PRAEF. ALAE. DARDANORVM. PROCVRATORI
IMP. CAESARIS. NERVAE. TRAIANI. AVG. GERM. DACICI.
MONETAE. PROC. PROVINC. BAETICAE. PROC. XX. HER. FD. PROC. PRO
FIG. PROVINC. MAVRETANIAE. TINGITANIAE. DONIS. DONATO. AB
IMP. TRAIANO. AVG. BELLO. DACICO. CORONA. MVRALI. VALLARI. HASTIS.
EXACTI. EXERCITVS. [PVR. VEXILLO. ARGENT.

P. BESIO. P. F. QVIR. BETVINIANO. i. e. Publio Besio, Publii filio Quirino, Betuiniano. Inter nomen enim & cognomen Patris nomen interponere apud Romanos in more erat. Betuinianus est nomen appellativum à loco seu urbe, è qua P. Besius fuerat, desumtum.

PRAEF. COH. I. RHAETORVM. i. e. Præfecto Cohortis primæ Rhætorum. [a] Cohors militum manus erat in exercitibus Romanis, eaque duplicis generis, Legionaria scilicet, & quæ nullâ Legione inclusa erat. Cohors Legionaria decima erat Legionis pars. Exercitus enim Romani ex civibus Romanis, & auxiliaribus constabant. Auxiliares immediate in Cohortes, Romani vero primo in Legiones, & deinde in Cohortes, dividebantur; atque ideo has Cohortes Legionarias voco, quales in singulis Legionibus decem erant, sed inæqualiter divisæ; Prima enim ceteris multo major erat; Numerus autem militum, tum qui in hac, tum qui in ceteris continebatur, incertus erat. [b] Legio enim cujus decimæ partes Cohortes fuere in initio minor erat,

[a] Modestus de vocabulis rei militaris Romanorum. Vegetius de Re Militari Romanorum, lib. 2. [b] Dionys. Hal. lib. 2. Plut. in vita Romuli.

&

& tantum ex 3000 peditibus, & 300 equitibus constabat, postea ad [c] 4000, & deinde [d] ad 6000 augebatur. Numerus autem militum nunquam in ea certus erat, sed nunc major nunc minor, prout ducibus placuisset, secundumque illius incrementum & decrementum, Cohortes simul auctæ diminutæque fuere. [e] Modesti Temporibus, qui Tacito, & Vegetii, qui Valentiniano Imperantibus de re militari Romanorum scripsere, legio ex 6190 peditibus, & 730 equitibus constabat; in prima igitur Cohorte tunc 1105 pedites, & 136 equites; & 555 pedites, & 66 equites in singulis aliis fuere, exceptis quartâ & septimâ, quæ 600 pedites continebant: & hæc proportio, cum Legiones minores essent, in divisione earum videtur semper fuisse observata. [f] Cohortes autem sic dicebantur, quod Cohortibus, quæ in villis erant, similes fuere; eæ autem loca erant, ubi Gallinæ servabantur, vox enim in exercitibus Romanis primario, non ipsos milites, qui decimam Legionis partem constituebant, sed Tabernacula eorum, ut sejunctim à ceteris sibi invicim copulata erant, significabat; cum vero ea sic in Castris disposita è pluribus Contuberniis simul conjunctis, eodem modo quo Cohors in villis ex pluribus tectis sibi copulatis constaret, inde Cohortis nomen in exercitibus Romanis habet originem; primoque Tabernacula, in quibus una militum manus sejunctim à ceteris, simul, dum in castris erant, degebant, & deinde ipsos milites significabat. [g] In singulis autem contuberniis decem milites fuere, qui cum in prælio semper [h] conjunctis manibus pariter dimicarent, manipulus dicebantur, qui decima Centuriæ pars erat; singulæ enim Cohortes in tot Centurias, quot militum centurias continebant, & Centuriæ in tot Manipulos, quot decurias, dividebantur. [i] Manipuli à Decurionibus, Centuriæ à Centurionibus, [l] Cohortes, prout Duci exercitus aut principi placuisset, aut à Tribunis, quales [m] sex in singulis legionibus erant, aut à præpositis regebantur. Prima autem Cohors [n] cum primaria Legionis esset, & non tantum ex pluribus, sed etiam ex fortioribus, & nobilioribus constaret, eique ideo Aquila, quæ totius Legionis signum erat, & Imperatorum imagines committerentur, eum semper pro duce habuit, qui inter Tribunos primus erat, qui ideo dictus erat Tribunus Cohortis, Præfectus vero nunquam. Prima igitur Cohors hæc, cujus præfectus erat C. Marius Memmius, non Legionaria fuit, sed auxiliarium. Rhæti enim, è quibus constabant, non Romani erant, sed Transalpini [o] Germaniæ incolæ, qui nunc **The Grisons** vocantur: inter auxiliares igitur numerandi. Illi autem nunquam in Legiones, ut Romani, sed [p] acceptis à Consulibus aut exercitus duce præfectis, sub iis immediate, si equites essent, in Alas, si pedites, in Cohortes dividebantur; atque ideo [q] Tacitus Alas & Cohortes auxiliarium à legionibus distinguit. Dicit enim ille de Tito. "Tres eum in Judæa Legiones, quinta, & decima, & quintadecima, vetus Vespasiani miles, excepere. Tradidit & Syria duodecimam, & adductos "Alexandriâ duo & vicesimanos Tertianosque. Comitabantur viginti sociæ "Cohortes, & octo equitum Alæ. Cohortes igitur peditum, & Alæ equitum auxiliarium extra legiones erant, quot vero milites in sociâ Cohorte peditum, aut alâ equitum continebantur incertum erat, ad numerum enim præfectorum, quos consul aut exercitus imperator dabat, Copiæ auxiliares dividebantur in Alas & Cohortes. Si plures unius gentis Cohortes essent, eodem modo, quo Cohortes legionariæ primæ, secundæ, aut tertiæ Legionis, sic illæ primæ, secundæ, aut tertiæ illius gentis secundum ordinem, quem in acie tenebant, dicebantur, & sic deinceps; atque ideo in notitia Imperii est

[c] Dionys. Hal. l. 6. ibi enim dicit, *δέκα τάγματα ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον.* i. e. decem Legiones, è quatuor mille viris singulis Liv. lib. 6. Bello Volsco, quatuor Legiones quaternum millium scribi dicit, & bello Punico secundo Sempronio datæ Legiones duæ, eæ quaterna millia pedites erant, & trecenti equites, Liv. lib. 21. [d] Polyb. lib. 6. Liv. lib. 30. [e] Ib. ubi supra. [f] Varro lib. 4. de lingua Latina. [g] Dionys. Hal. lib. 2. [h] Varro lib. 4. de lin. Lat. Vegetius lib. 2. cap. 13. Plutarchus autem aliam vocis tradit Etymologiam, quem vide in vita Romuli. [i] Dionys. Hal. lib. 2. [l] Vegetius lib. 2. [m] Polyb lib. 6. [n] Modestus, & Vegetius lib. 2. [o] Strabo lib. 4. Plinius lib. 3. c. 20. &c. [p] Polyb. lib. 6. [q] Hist. lib. 5. c. 1.

Co-

Cohors tertia Galatarum, Cohors secunda Asturum, Cohors quarta Numidarum, Chamavorum undecima, & aliæ hujus generis multæ; eodemque modo Cohors cujus præfectus erat C. Marius Memmius Sabinus, prima Rhætorum dicitur, quia ea inter Auxiliares Rhætos primum in acie locum tenebat.

TRIB. LEG. X. G. P. F. i. e. Tribunæ Legionis Decimæ, Geminæ, Piæ, Fidelis. Tribuni autem Legionis erant, qui illius duces fuere. Quum enim exercitus scribendus esset, primo designati erant Legionum Tribuni, qui militum delectum faciebant, iisdemque in exercitu imperabant. In initio tres tantum in singulis Legionibus fuere. Cum enim Romulus primam Legionem scripsisset, [r] 1000 pedites, & 100 equites deligebat ex singulis tribubus, quæ tunc tantum tres erant, pro earumque numero Tres Legionis duces constituit, quorum singuli tribui suæ imperarent, indeque [s] Tribunorum & nomen & ternarius eorum numerus habuit originem. Postea autem cum Legiones ad numerum 4000 militum, quatuor, & cum ad numerum 6000 augerentur, sex Tribuni, qui eorum singulis imperarent, constituti fuere: & tot [t] Polybius, qui historiam suam circa tempus tertii belli Punici scripserat, suo tempore fuisse tradit: nec deinde unquam aucti fuere, sed sex semper in singulis Legionibus erant, quorum in Decima Legione, Imperante Trajano, C. Marius Memmius unus fuisse hic in Marmore memoratur. Plura de his Tribunis legas apud [u] Polybium, Modestum, & [x] Vegetium, & Commentatores Polybii & Vegetii [a] Lipsium, & [b] Steweccium.

Legio Decima dicebatur secundum ordinem delectus, quia hæc scilicet decimo loco delecta erat: sed cum pro variis imperii partibus diversi delectus habebantur, inde evenit, ut sicut [c] tres tertiæ, & duæ sextæ, sic [d] duæ etiam decimæ Legiones in exercitibus Romanis essent, quarum una Fretensis, altera Gemina vocabatur; eaque est, cujus in Marmore est mentio. Gemina vero dicebatur, [e] quod ex duabus aliis, quæ clade forsan, aut aliquo alio casu diminutæ erant, simul mixtis conflata fuerat, ob quam eandem rationem [f] septima, decima tertia, & decima quarta Geminæ etiam appellatæ fuere. Legiones enim urbanæ quæ prius 25 numerabantur, postea in 22, & deinde, Dionis Cassii scilicet Temporibus, in [g] 19 contractæ fuere, quæque earum ex duabus simul mixtis compositæ erant, Geminæ dicebantur.

Præf. Alæ Dardanorum. Ut Auxiliarium pedites in Cohortes, sic equites in Alas immediate dividebantur, atque ideo equites auxiliares apud Livium Alarii dicuntur, per illudque nomen à Legionariis seu Romanis distinguuntur. Sic lib. 35. dicit, *C. Livium Salinatorem, qui praerat Alariis equitibus, quam citatissimos equos emittere jubet, & Legionarios equites in subsidiis esse.* Et rursus lib. 40. *Alarii equites, postquam tam memorabile facinus Romanorum equitum viderunt, & ipsi virtute eorum accensi.* Alæ autem in Exercitibus Romanis primario & propriè erant equitatus ex utroque peditum latere in acie collocatus, quæ ideo sic dicebantur, [h] quod ad similitudinem alarum peditum aciem, quæ in medio erat, ex utraque parte protegebant; ob quam rationem etiam Cornua exercitus vocabantur. Cum igitur antiquitus diu Romani exercitus [i] ex duabus tantum Legionibus constarent, equitatu sic ad utrumque latus disposito, Equites unius Legionis unam alam constituebant; indeque obtinuit tandem, cum Romani exercitus auctiores essent, ut vox non tantum Cornua aciei, sed talem equitum manum, qualis ad unam Legionem pertinebat, significaret, & partes, in quas Equestres auxiliarium copiæ immediate dividebantur, cum singulæ earum plerumque unius Legionis equitatui responderent, alæ dicerentur. Tot

[r] Dionys. Hal. lib. 2. [s] Varro de Ling. Lat. lib. 4. [t] Polyb. lib. 6. [u] Lib. 6. [x] Lib. 2. [a] De Re militari Romanorum lib. 2. [b] In notis ad secundum librum Vegetii. [c] Vide Dionem Cassium, lib. 55. [d] Antiqua columna in qua Legionum nomina scribebantur: ea transcripta habes apud Rosinum de Antiquitatibus Romanis lib. 10. c. 4. & Pancirolum in Commentario ad notitiam Imperii Orientalis, cap. 35. [e] Cæs. Com. lib. 3. bel. civil. [f] Dion. Caf. lib. 55. [g] Dion. Caf. ib. [h] Vegetius lib 2 cap. 1. & Cincius apud A. Gellium. [i] Polyb. lib 6.

autem in alâ sociâ, quot in unâ Legione Romanâ equites fuisse ex Livio patet; dicit enim ille, [l] *Ala Campanorum quingenti equites*, & [m] rursus *Ala Numidarum quingenti equites*: & tot unius Legionis fuisse, cum ea tunc temporis ad numerum 4000, aut 5000 militum augeretur, proportio, quam equites in Legionibus Romanis ad pedites semper habuere, requirit. Hæ autem equitum auxiliarium Alæ, [o] cum vexillis uterentur, vexillationes etiam appellatæ fuere; vexillatio igitur & Ala apud Notitiam Imperii idem significat. Si harum plures ejusdem gentis essent, eodem modo quo Cohortes, primæ, secundæ, aut tertiæ illius gentis secundum ordinem, quem in acie habuere, dicebantur: atq; inde est, quod in Notitiâ imperii habetur Ala secunda Armeniorum, Ala tertia Arabum, Ala octava Vandalorum; si vero una tantum alicujus gentis Ala in exercitu esset, Ala istius Gentis simpliciter dicebatur, cujus generis erant Ala Arcadiana in Notitia Imperii, ab Arcadia Ægypti urbe sic dicta, & Ala Dardanorum, cujus præfectus Marius Memmius hic in Marmore fuisse dicitur; [p] Dardani autem gens Illyrica erat à Trojanis orta è parte australi Macedonibus, è parte occidentali Dalmatis contermina.

PROCVRATORI IMP. CAESARIS, &c. i. e. *Procuratori Imperatoris Cæsaris Nervæ Trajani, Augusti, Germanici, Dacici, Monetæ Procuratori, Provinciæ Bæticæ Procuratori, Vicesimæ hæreditatum Procuratori. Procuratori Fisci Provinciæ Mauritaniæ Tingitanæ.* HER. FD. enim pro HERED. & FIG. pro FIS. Quadratarii errore scripta fuisse manifestum est.

Omnia hæc Procuratoria munera sub Imperatore Trajano gessit Memmius noster. Procurator autem is erat apud Romanos, qui alterius negotia suscipiebat, pro eoq; curabat, indeq; Procuratoris nomen, quod jurisconsultis eâ significatione satis notum est. Procuratores vero aut publici aut privati fuere. Privati erant, qui alicujus privati negotiæ eo delegante procurabant; Publici vero, qui publicos imperii reditus colligebant, aliaque iis ab Imperatoribus demandata per provincias exequebantur: ideoque hi Procuratores Cæsaris & Procuratores Augustales vocabantur, qualis sub Trajano Memmius fuisse hic memoratur. Hi Procuratores ab Augusto primo constituti sunt, postquam devicto Antonio Senatus decreto Principatum acceperat, hic enim cum ordinatis imperii Provinciis alias Senatui populoq; reliquisset, alias sibi accepisset, regendas. [q] Τοὺς ἐπιτρόπους (οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας, καὶ προστεταγμένα σφίσιν ἀναλίσκοντας ὀνομάζομεν) εἰς ὁμοίως τὰ ἔθνη τά τε ἑαυτοῦ δὴ, καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει, πλὴν καθόσον τοὺς φόρους οἱ ἀνθύπατοι παρ' ὧν ἄρχουσιν ἐσπράττουσιν. i. e. Procuratores (sic enim vocamus eos, qui publicos reditus colligunt, & impensas sibi mandatas faciunt) quorum alios ex equitibus, alios è libertis elegerat, in omnes pariter, & suas, & populi Provincias emittit, nisi ubi Proconsules ab iis, quibus imperant, tributa exigunt. Procuratorum igitur officium erat, in Provinciis, in quas mittebantur, Fisco, seu Ærario publico præesse, idemque per illas præstare, quod Quæstores, seu Præfecti Ærarii Romæ. Publici enim reditus eorum curæ committebantur, ex iisque qualcunque Provinciæ res requirebant, aut Imperatores mandabant, ipsi omnes faciebant impensas; quæque deinde supererat, pecuniam in Romanum Ærarium deferebant; ut ideo officia sua melius præstarent, [r] Judices etiam erant in causis Fiscalibus, sed sine omni jurisdictione. Cum igitur Lucius Capito [s] Procurator Asiæ constitutus vim Prætoris usurpaverit, & manibus militum ad spoliandos Provinciales usus fuisset, in exilium à Tiberio mittebatur; [t] οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσιν πλέον οὐδὲν ποιεῖν, τὰς νενομισμένους προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔντε τῇ ἀγορᾷ, καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου ἰδιώταις δικάζεσθαι. i. e. " non enim tunc licitum erat Imperato-

[l] Lib. 10. [m] Ibid. [o] Vegetius lib. 2 cap. 1. [p] Strabo lib. 7. pag. 313. Plin. lib. 4. cap. 1. Solinus cap. 8. [q] Dio Cassius lib. 53. [r] L. 2. C. Si advers. Fisc. l. cum hi sect. transactionis. D. de transact. l. Si hæredum, Eod. Ulp. l. nequicquam, sect. D. de offic. Procon. [s] Dio lib. 57. Tacitus annal. [t] Dio lib. 57.

" rium

„ rium pecuniam Procurantibus aliquid amplius facere, quam statutos reditus „ colligere, & de litibus in foro, & secundum leges ex æquo privatis dicere. [w] Pœnas igitur non infligebant, sed si aliquis eorum sententiis non submitteret, aut debita Fiscalia non solveret, aut crimen aliquod in iis, quorum interrogatio ad illos pertinebat, commisisse deprehenderetur, [x] in eo puniendo, Prætoris aut Provinciæ Præfecti, non suâ utebantur autoritate; nisi simul & Procuratores & Præsides fuissent, in Provincias enim Præsidiales frequenter mittebantur, qui utrumque magistratum habuere, ut ab Ulpiano discimus, *l.* 8. *de Officio Proconsulis.* Atque ideo Tacitus dicit, *Hist. l.* 1. *Duæ Mauritaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia, & quædam aliæ à Procuratoribus cohibentur.* i. e. Procuratores habuere Præsidum autoritate indutos, aliter ab iis cohiberi non poterant. Et in antiquis inscriptionibus multos invenimus, qui simul Præsides & Procuratores fuere, & tales in Judæa Pilatus, aliique, qui eam Provinciam usque ad Hierosolymæ destructionem administrarunt, fuere; aliter jus gladii, quod illi tam crudeliter sæpe exercuerunt, non poterant habuisse. Illorum enim, qui tantum Procuratores erant, legitima autoritas tota ea est, quam supra descripsimus, intraque eos terminos in singulis Provinciis ad earum Præfectis diu continebantur, iis enim usque ad Claudii tempora suberant, sed postquam ille [y] à Senatu exegisset, ut rata essent, quæ Procuratores in judicando statuissent, ac si statuisset ipse, ab iis deinde nulla erat nisi [z] ad ipsum Cæsarem provocatio; ab eo igitur tempore ab omni alio imperio liberati latius evagari cœperant, omnimodamque in Provinciales autoritatem, summamque eorum facultates rapiendi libertatem arrogare; quoscunque enim vellent, sub prætextu debiti Fiscalis pecuniâ, prædiis, ceterisque bonis privabant; atque ideo Procurationes sub Galba, qui post Neronem Claudio successerat, amplissimas vocat [a] Suetonius, brevissimumque deinde iter, [b] inquit Tacitus, credebatur acquirendæ pecuniæ per procurationes negotia Principum administrare. Merito igitur, [c] *querebantur Britanni in formam Provinciæ redacti, singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus Legatus in sanguinem, Procurator in bona sæviret. Quid enim,* inquit [d] idem Tacitus, *non auderent illi, qui interiorem potestatem adepti sunt, & quorum acta gestaque sic comprobantur, quasi à Principe gesta essent.* Atque hinc factum, quod in imperio Romano rapacissimum hominum genus, summumque ideo Provincialium gravamen diu Procuratores fuere, donec à melioribus principibus, Nerva scilicet & Trajano, reprimerentur: à quorum ultimo sic intra officii limites coercebantur, ut eo imperante, inquit [e] Plinius, cives non alios judices mallent. Major igitur nostri Memmii gloria, quod sub tali Principe hoc officium gessit, qui nullos habuit Procuratores, nisi qui fuerant justissimi. Trajani exemplum [f] Adrianus, [g] Antoninus Pius, aliique item imperatores secuti sunt, donec tandem eorum legibus Procuratorum autoritati limites ponebantur, extra quos in Provincialium damnum non poterant evagari. Postquam Constantinus Imperii statum de novo ordinasset, [h] dispositioni præfecti sacri Ærarii, qui tunc Comes sacrarum Largitionum dicebatur, subjecti fuere. Qui igitur prius Procuratores Cæsaris, Comitis sacrarum Largitionum deputati facti Procuratores summæ rei, seu Procuratores summarum (i. e. pecuniæ, quæ Tributi nomine in eorum Provinciis solvebatur, summa enim pro pecuniæ summâ accipitur) deinde vocabantur, eoque nomine ab aliis Procuratoribus apud autores distinguuntur; tandem enim multi Procuratores, præsertim post Constantini regnum, præter eos Fisci Curatores, de quibus egimus, in omnes Imperii Provincias emittebantur, [i] quorum alii Baphiorum, alii Linificiorum, alii Gynæceorum, alii metallorum, alii vicesimæ hæreditatum,

[w] Lib. 4. C. ad legem Fab. de Plag. l. 2. C. de Pœn. [x] Lib. 3. De de Offic. Procurat. Cæs. [y] Suitonius in Claudio c. 12. Tacitus lib. 12. Annal. [z] Lib. 2. C. ubi Caus. Fisc. [a] In Galba. [b] Annal. l. 16. [c] In vit. Agricolæ. [d] Tacitus lib. 1. Hist. [e] In Panæg. [f] Spartianus in Adriano. [g] Capitolinus in Antonino Pio. [h] Vide Notitiam Imperii. [i] Vide Notitiam Imperii, & Codicem Theodosianum.

alii

alii rerum privatarum Procuratores dicebantur. [l] Duplex enim ærarium Imperatores habuere, Publicum, & Privatum, quorum hoc privati Principis Patrimonii, illud publicos imperii reditus continebat: ex priori Imperatoriæ domus, ex posteriori publicæ totius Imperii impensæ solvebantur. Qui huic præerat Præfectus ærarii majoris, & tandem [m] Comes Sacrarum Largitionum, qui alteri præfectus ærarii privati, seu minoris, & tandem [n] Comes rerum privatarum domus divinæ dicebantur. Hi in urbe Imperatoria semper manebant; atque ideo in Provinciis deputatos habuere, qui redituum, qui ad utrumque ærarium pertinebant, curatores fuere; ei autem vel in totâ Diœcesi, vel in una tantum Provincia illius hoc munus gerebant. Qui per totam Diœcesim Fisci curatores erant, honoratiori titulo Comites Sacrarum Largitionum per illam Diœcesim, qui per unam Provinciam tantum, Procuratores vocabantur; quorum Procuratores summarum, Baphiorum, Gynæceorum, Linificiorum, Metallorum, vicesimæ hæreditarum, & monetarum, Comiti Sacrarum Largitionum, Procuratores rerum Privatarum Comiti rerum Privatarum Domus Divinæ suberant. [n] Procuratores Baphiorum Baphiis, i. e. Officinis, in quibus purpuræ tingebantur, Procuratores Gynæceorum Textrinis, Procuratores metallorum tributo è metallis, Procuratores vicesimæ hæreditatum tributo ex hæreditatibus defunctorum Principi debitis, Procuratores Monetarum monetæ cudendæ, Procuratores Linificiorum curæ lini ad Principis usum comparandi præerant. Sed hæc de statu Imperii post Constantini tempora intelligenda sunt. Primo tantum publici Fisci & privati Imperatoris patrimonii Procuratores erant, quorum hi è libertis Cæsarum, illi ex equitibus Romanis eligebantur. Priores in omnes Provincias sive erant Imperatoris, sive Populi, si modo in iis Imperator aliquod privatum patrimonium habuisset, posteriores vero in solas Imperatoris Provincias mittebantur, in iis enim solis Fiscus penes Imperatorem, in ceteris vero penes populum fuerat, qui earum dominium & regimen habuit. Et sic intelligenda sunt Dionis verba supra citata, ubi de Augusto dicit, [o] τοὺς ἐπιτρόπους εἰς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη τά τε ἑαυτοῦ δὴ, καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει. i. e. Procuratores publicorum redituum ex equitibus Romanis eligebat, & in solas suas, Procuratores vero rerum Privatarum è libertis, & in omnes Provincias tam suas quam Populi, si in illis res privatas habuisset curandas, emittebat. Posteriores hi obscuri erant, nec ullam jurisdictionem, aut autoritatem habuere. De prioribus igitur intelligenda sunt, quæcunque apud Suetonium, Tacitum, aut Dionem de Procuratoribus occurrunt. Equites Romani ii fere semper erant, Procuratorum enim munus equestrem nobilitatem vocat [p] Tacitus, & tandem non nisi ex iis, qui apud Imperatores magno in honore erant, eligebantur, [q] iisque sæpe Senatorii honores, & insignia consularia decreta fuere, atque ideo non tantum rapacissimi ii, de quibus supra egimus, sed præstantissimi sæpe viri, & honoratissimi inter Romanos hunc magistratum gessere, quales erant [r] uterque Agricolæ avus, [s] Tacitus Historicus, [t] Plinius, aliique; quibus Memmium nostrum idem Procuratorium munus sub principe optimo gestum, imperia, quæ in exercitu habuit, & præmia, quæ in bello à fortissimo Imperatore acceperat, probant nec nobilitate, nec virtutibus, nec favore apud Principem inferiorem fuisse. Hactenus de Procuratoribus in Genere, jam de iis quorum in Marmore est mentio paucis agendum est.

Monetæ Procuratori. Monetæ Procurator erat, qui Monetæ cudendæ præerat, apud nostrates vocatur, **The Master of the Mint**, quales in impe-

[l] Vide Jurisconsultos, Gutherium scilicet lib. 3. de officiis domus Augustæ, Pancirolum in Commentario ad Notitiam imperii, Gothofredum in notis ad Cod. Theod. aliosque, & etiam Salmasium in notis ad Spartiani Severum, & Lampridii Antoninum Diadumenum. [m] Vide Notitiam Imperii & Cod. Theod. [n] Vide Pancirolum in Commentario ad Notitiam Imperii, Gutherium lib. 3. c. ult. aliosque item Jurisconsultos. [o] Lib. 53. [p] In vita Agricolæ. [q] Tacit. l. 12. Annal. Suet. in Claudio. [s] Tacitus in Agricola. [s] Plin. l. 7. Hist. cap. 16. [t] Plin. lib. 3. Epist. 5

rio occidentali sex fuisse in Notitia Imperii memorantur, quorum primus Romæ, secundus Sisciæ in Pannonia, tertius Aquileiæ in Gallia Cisalpina, quartus Arelatæ ad ostium Rhodani, quintus Lugduni in Gallia Trãnsalpina, sextus Treviris in Germania monetam cudendam procurabant; tot enim in Occidentali Imperio officinæ monetariæ fuere. Quot vero in Orientali erant Notitia Imperii non tradit: in aliis vero autoribus [w] Constantinopoli, [x] Cyzici, [y] Alexandriæ, & [z] Antiochiæ monetam cusam fuisse invenimus. Qui Romæ olim officinis monetariis præerant Triumviri monetales dicebantur. Eorum meminere Cicero Epist. famil. l. 7. Epist. 13. & Dio lib. 54. & Marmor [a] Gruterianum, in quo Imperante Caracalla cujusdam est mentio, qui III.VIR.MONET.A.A.A.F.F, i. e. Trium vir Monetæ auro, argento, ære flando, feriundo, dicebatur. Triumvirorum igitur monetalium nomen & autoritas usque ad Caracallæ Imperium duravit. Memmius ideo noster, qui sub Trajano vixerat, non Romæ, sed in aliqua alia Imperii urbe Monetæ Procurator erat; nisi forte, qui Romæ Triumviri, Procuratores etiam promiscuo nomine appellabantur.

Provinciæ Bæticæ Procuratori. Procuratoris Patrimonii per Bæticam meminit [b] Codex Theodosianus, & Procuratoris Augusti Provinciæ Bæticæ Marmor, quod citat Salmasius in notis ad Pertinacem Capitolini. Per Procuratorem ideo Provinciæ Bæticæ hic etiam Patrimonii sacri, seu Fisci curator ille, quem supra descripsimus, videtur intelligendus.

Vicesimæ Hæreditatum Procuratori. Procurator vicesimæ hæreditatum is erat, qui vicesimam partem hæreditatum defunctorum Imperatoribus ex Augusti lege solvendam colligebat. Augusti legem his verbis apud [c] Dionem habemus, τὴν δὲ εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων, καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι (πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων) καταλείπωσιν, κατεστήσατο, ὡς καὶ ἐν τοῖς τοῦ Καίσαρος ὑπομνήμασι τὸ πλῆθος τοῦτο γεγραμμένον εὑρών, ab eo igitur tempore vicesima pars hæreditatum, & legatorum, exceptis iis, quæ proxime genere junctis ac pauperrimis morte aliorum relinquebantur, in ærarium inferebatur, quique huic Tributo præerat, Procurator vicesimæ Hæreditatum dicebatur. [d] Grave hoc tributum fuit, atque ideo [e] Nerva ex clementia sua multos necessitate vicesimæ absolvit, [f] Trajanus & [g] Antoninus eam temperarunt, [h] Gratianus tandem omnino sustulit, sublatamque tempore suo [i] Justinianus in Codice testatur.

Procuratori Fisci Provinciæ Mauritaniæ Tingitanæ. Idem igitur Memmius in Mauritania Tingitana, quod prius in Bætica Procuratorium munus gessit, Publicos scilicet reditus Imperii procurabat, ærarioque istius Provinciæ præerat, atque ideo hic Fisci Procurator dicitur, Fiscus enim & Ærarium [l] λόγῳ non ἔργῳ differebant. [m] Fiscus autem dicebatur à Fiscis, Fiscinis, seu Fiscellis, quæ Spartea sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas, unde quia major est summa pecuniæ publicæ, quam privatæ, ut pro censu privato loculos & arcam dicimus, sic pro publico Thesauro ærarii dicitur Fiscus, Fiscus enim pecunia publica est, ex quo confiscari dici solet.

Mauritania Tingitana Provincia [n] Præsidialis fuit, & post Constantini Tempora inter Hispaniarum Provincias numerata. Sic dicta fuit à Metropoli illius Tingi, eoque nomine à duabus aliis Mauritaniis Cæsariensi scilicet & Setifensi distinguitur. Tingis autem ad ostium Freti Gaditani sita est, & antiquissimæ originis urbs fuisse dicitur. [p] Eam à Seddedo filio Hadi, quem Regem antiquissimum, & totius orbis Monarcham volunt, ut ei regia esset, conditam, ab

[w] Vetus urbis Constantinopolitanæ descriptio, cum Notitia Imperii edita. [x] Sozom. lib. 5. cap. 14. [y] Ammianus Marcellinus lib. 22. [z] Lampridius in Severo. [a] Pag. 179. Num. 7. [b] Lib. 9. Tit. 42. l. 3. [c] Lib. 55. [d] Vide Dionem. lib. 56 [e] Plin. Paneg. [f] Plin. ib. [g] Capitolinus in Antonino. [h] Vide Ausonii orationem gratulatoriam Imperatori Gratiano pro Consulatu dictam & Notas Eliæ Veneti in illam orationem. [i] L. ult. in prin. C. Divi. Adr. tol. [l] Dio Cass. lib. 53. Gutherius de officiis domus. Aug. lib. 3. [n] Vide Notitiam Imperii. [p] Leo African. lib. 3.

eoque

eoque muris aheneis cinctum, & ædificiis ubique auro tectis ornatam tradunt Africani; unde cognosci potest, quanto in precio hanc urbem habuere, cum de ea tam magnifica fabulentur. [q] Plinius, & [r] Solinus illam Antæi opus dicunt, ab illiusque uxore Tingi [s] secundum Plutarchum nomen habuit, qui etiam narrat, Antæum ideo in eâ urbe magna religione diu cultum, illiusque sepulchrum ingentis magnitudinis molem ibi ostensum, illudque à Sertorio erutum cadavere 60 cubitos longo repleri inventum fuisse; In hac certe Regione Antæum, de quo Poetarum Fabulæ, olim regnasse omnes consentiunt; & Lixum Regiam illius, à Tingi non longe dissitam ponunt Geographi, ibique secundum Mythologos Herculis cum eo lucta & Hesperidum horti fuere. [t] Lixum & Tingin [u] Eratosthenes confundebat, eandemque civitatem putavit, quem errorem etiam secutus est Silius Italicus, atque ideo habet ille, lib. 3.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

Lixus enim condita erat ad ostium fluvii, [x] qui etiam Lixus dicebatur, & urbi forte nomen dedit; iste fluvius nunc *Lecuz*, & urbs *Larache* vocantur. Prope Tingin vero nullus fluvius est, atque ideo incolæ, ut infra ostendam, aquas è longinquo per canales sibi allatas habent. Procopius Cananitas, quos Josua è Palestina expulerat [y] Tingis conditores dicit. Ejus verba hæc sunt, Ἐπεὶ δὲ ἡμᾶς ὁ τῆς ἱστορίας λόγος ἐνταῦθα ἤγαγεν, ἐπάναγκες εἰπεῖν ἄνωθεν ὅθεν τε τὰ Μαυρουσίων ἔθνη εἰς Λιβύην ἦλθε, καὶ ὅπως ἐνταῦθα ᾠκήσαντο. Ἐπειδὴ Ἑβραῖοι ἐξ Αἰγύπτου ἀνεχώρησαν, καὶ ἀγχοῦ τῶν Παλαιστίνης ὁρίων ἐγένοντο, Μωσῆς μὲν σοφὸς ἀνήρ, ὃς αὐτοῖς τῆς ὁδοῦ ἡγήσατο, θνήσκει, διαδέχεται δὲ τὴν ἡγεμονίαν Ἰησοῦς, ὁ τοῦ Ναυῆ παῖς, ὃς ἔς τε τὴν Παλαιστίνην τὸν λεὼν τοῦτον εἰσήγαγε, καὶ ἀρετὴν ἐν τῷ πολέμῳ κρείσσω ἢ κατὰ ἀνθρώπου φύσιν ἐπιδειξάμενος τὴν χώραν ἔσχε, καὶ τὰ ἔθνη ἅπαντα καταστρεψάμενος τὰς πόλεις εὐπετῶς παρεστήσατο, ἀνίκητός τε παντάπασιν ἔδοξεν εἶναι, τότε δὲ ἡ ἐπιθαλασσία χώρα ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγύπτου ὁρίων Φοινίκη σύμπασα ὀνομάζεται, Βασιλεὺς δὲ εἷς τὸ παλαιὸν ἐφεστήκει, ὥσπερ ἅπασιν ὡμολόγηται, οἱ Φοινίκων τὰ ἀρχαιότατα ἀνεγράψαντο, ἐνταῦθα ᾤκητο ἔθνη πολυανθρωπότατα Γεργεσαῖοί τε καὶ Ἰεβουσαῖοι, καὶ ἄλλα ἄττα ὀνόματα ἔχοντα, οἷς δὴ αὐτὰ ἡ τῶν Ἑβραίων ἱστορία καλεῖ. Οὗτος ὁ λαὸς ἐπεὶ ἄμαχόν τι χρῆμα τὸν ἐπηλύτην στρατηγὸν εἶδον, ἐξ ἠθῶν τῶν πατρίων ἐξαναστάντες ἐπ' Αἰγύπτου ὁμόρου οὔσης ἐχώρησαν, ἔνθα χῶρον οὐδένα σφίσιν ἱκανὸν ἐνοικήσασθαι εὑρόντες (ἐπεὶ ἐν Αἰγύπτῳ πολυανθρωπία ἐκ παλαιοῦ ἦν) ἐς Λιβύην ἐστάλησαν, πόλεις τε οἰκίσαντες πολλὰς ξύμπασαν Λιβύην μέχρι στηλῶν τῶν Ἡρακλέους ἔσχον, ἐνταῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ τῇ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται· ἐδείμαντο δὲ καὶ φρούριον ἐν Νουμιδίᾳ πόλει, οὗ νῦν πόλις Τίγισις (seu Τίγγις) ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. Ἔνθα στῆλαι δύο ἐκ λίθων λευκῶν πεποιημέναι ἀγχοῦ κρήνης εἰσὶ τῆς μεγάλης, γράμματα Φοινικικὰ ἐγκεκολαμμένα ἔχουσαι, τῇ Φοινίκων γλώσσῃ λέγοντα ὧδε. Ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. Ἦσαν δὲ καὶ ἄλλα ἔθνη ἐν Λιβύῃ πρότερον ᾠκημένα, οἳ διὰ τὸ ἐκ παλαιοῦ ἐνταῦθα ἱδρῦσθαι Αὐτόχθονες εἶναι ἐλέγοντο, καὶ ἀπ' αὐτοῦ Ἀνταῖον τὸν αὐτῶν Βασιλέα ὃς ἐν Κλιπέᾳ Ἡρακλεῖ ἐπάλαισε τῆς γῆς υἱὸν ἔφασαν εἶναι. i. e. Secundum interpretationem doctissimi [z] Grotii. "Quando ad 'Mauros nos Historia deducit, congruens erit exponere, unde orta gens in 'Africa sedes fixerit. Quo tempore egressi Ægyptum Hebræi jam prope Pa-'lestinæ fines venerant, mortuus ibi Moses vir sapiens dux itineris, successor 'imperii factus Jesus Navæ filius intra Palestinam duxit popularium agmen, & 'virtute usus supra humanum modum terram occupavit, gentibusque excisis, 'urbes ditionis suæ fecit, & invicti famam tulit. Maritima ora quæ à Sidone 'ad Ægypti limitem extenditur, nomen habebat Phœniciæ. Rex unus im-

[q] Lib. 5. cap. 1. [r] Lib. 2 cap. 27. [s] In vita Sertorii. [t] Plin. lib. 5. c 1. Solinus c. 27. [u] Strabo lib. 17. [x] Plin. ib. [y] Lib. Vandalicorum secundo. pag. 135. Edit. Hoeschelii. [z] Historiæ Vandalorum, lib. 2. p. 88.

‘perabat, ut omnes, qui res Phœnicias ſcripſere, conſentiunt. In eo tractu numeroſæ gentes erant, Gergeſæi, Jebuſæi, quoſque aliis nominibus Hebræorum annales memorant. Hi homines, ut impares ſe advenæ Imperatori videre, derelicto patriæ ſolo ad finitimam primum venere Ægyptum, ſed ibi capacem tantæ multitudinis locum non reperientes, erat enim Ægyptus jam ab antiquo fæcunda populis, in Africam profecti multis conditis urbibus omnem eam Herculis Columnas uſque obtinuerunt, ubi ad meam ætatem ſermone Phœnicio utentes habitant, etiam in Numidia Caſtellum poſuere, quo loco urbs eſt nunc dicta Tingis. Hic duæ ſtant è lapide candido columnæ propter magnum fontem, inſcriptæ Phœnicias literas, quarum ex ſermone Phœnicio hæc eſt interpretatio. Nos illi ſumus, qui Prædonem effugimus Jeſum filium Navæ. Ante aliæ colebant Africam gentes, quæ ob vetuſtatem habitationis terrigenæ nuncupantur. Inde eſt, quod Antæus, qui Afrorum Rex cum Hercule Clupeæ luctatus eſt, Terræ filius dicitur. Hæc Procopius: Ad ea omnes, qui de diſperſione Gentium agunt, invenies reſpexiſſe. Ut igitur Autoris verba habeas, ea omnia tibi hic exhibemus. Phœnices equidem circa Fretum Gaditanum omnes Africæ & oppoſitas etiam Hiſpaniæ oras ab antiquo tenuiſſe ex hiſtoria certiſſimũ eſt. Primum enim hi in mari Mercaturam exercuere, cujus ſtudio ad has regiones ulteriuſq; navigaſſe, in iiſque colonias ab antiquiſſimis temporibus poſuiſſe, [b] Diodorus Siculus, [c] Strabo, [d] Mela, aliique teſtantur: & ad Alfraganum notat [e] Doctiſſimus Golius Mauritaniam ſecundum Arabicos antiquitatum ſcriptores Barbariam ideo appellari, quia ab extraneis, Philiſtæis ſcilicet & Amalechitis, qui è patrio ſolo fugati illuc venere, habitata fuerat; Arabibus enim uti & Syris برّ eſt *extra, foris*, & برابر inde derivatum *extranei, Peregrini*, & inde etiam vocem Βάρβαροι, quâ Græci omnes extraneos vocabant, deductam putat; ſed hujus vocis ex ipſis Græcis, qui de ea optime ſtatuere potuerant, [f] infra aliam damus Etymologiam.

Sed quamcunque Tingis originem habuerat, eam antiquiſſimam fuiſſe, & totius Mauritaniæ Tingitanæ (quæ omnem eam regionem, quæ jam in regna Fezzi, Morocci, & Suzi dividitur) Metropolin certiſſimum eſt. Primo ſub Phœnicibus, deinde ſub Carthaginenſibus, & tandem victis Carthaginienſibus ſub Romanis fuit. Primo ab iis Tributariis Principibus data erat, deinde vero, Mauritaniâ poſt occiſum à Caio [g] Ptolemæum Regem in formam Provinciæ redactâ, Præſidi illius paruit, in eâque ille utpote Provinciæ Metropoli ſedem habuit. Eam Romanorum primus [h] Sertorius vi cepit, deinde Julius Cæſar occupavit, & incolarum partem [i] in novam Coloniam in oppoſitis Bæticæ oris traduxit, quæ inde à Romanis Julia Traducta dicebatur, ab incolis vero Julia Joza; גוזה enim in lingua Phœnicia, quâ tunc utebantur [l] Tingitani, idem eſt quod in Latina Traducta, nam Arabibus جاوز *gawaza*, & Syris ܓܙ *guz*, eſt *Trajicere, tranſvehere*, uti obſervavit Doctiſſimus [m] Bochartus. Hanc patriam ſuam fuiſſe dicit [n] Mela Geographus, à quo etiam ſecundum emendationem [o] Salmaſii Tingis altera, ſecundum emendationem vero Doctiſſimi [p] Voſſii Tingis Cetraria vocatur; qui etiam duplicem [q] Plinii errorem de hac urbe bene obſervat, primo quod ille [q] hanc Juliam Traductam cum Tingi Africanâ contra [r] aliorum Geographorum autoritatem confundit, & deinde [q] quod Coloniam ibi à Claudio Cæſare primo locatam dicit. Si enim à Claudio Cæſare ea Colonia ibi primo locata eſſet, quomodo [s] Strabo, [t] qui Imperante Tiberio occubuit, illius mentionem facere, quomodo Mela, qui [u] Claudii temporibus floruit, in ea [x] naſci poterant? Sequimur igitur [y] viri

[b] Lib. 5. [c] Lib. 1. pag. 2. & 48. & lib. 3. p. 150. & pag. 175. [d] Lib. 2. c. 6. [e] Pag. 91. [f] Part. 2. pag. 133. [g] Vide Suetonium in vita Caii, & Dionem Caſſium lib. 58. [h] Plut. in Sertorio. [i] Vide Strabonem lib. 3. pag. 140. & Melam lib. 2. cap. 6. [l] Vide Procopii verba modo citata, & Melum lib. 2. cap. 6. [m] Geog. Sacr. part. 2. lib. 1. cap. 24. [n] Lib. 2. cap. 6. [o] In notis ad Solinum pag. 4. [p] In obſervationibus ad Melæ lib. 2. cap. 6. [q] Vide lib. 5. cap. 1. in initio capitis. [r] Vide Strabonem lib. 3. pag. 140. & Melam lib. 2. cap. 6. [s] Lib. 3. pag. 140. [t] Vid Caſauboni præfationem ad notas ſuas in Strabonem. [u] Vide quæ habet Ælias Venetus de Mela. [x] Vide Melæ lib. 2. cap. 6. circa finem. [y] Voſ. in notis ad Melæ, lib. 2. c. 6.

clariſſimi

clarissimi sententiam, Julium Cæsarem hujus Coloniæ, ut nomen satis manifeste indicat, & non Claudium autorem fuisse, primoque verisimilius esse in Plinii codicibus *à C. I. Cæsare* (pro Caio Julio Cæsare) *Juliam Traductam primo appellatam*, deinde Scribarum errore *à Cl. Cæsare*, & tandem *à Claudio Cæsare* scribi, & his gradibus in approbatum autorem fœdissimam mendam irrepsisse.

Post Romanos Tingis dominos habuit [z] Gothos, post Gothos Saracenos, [a] qui Imperante Moawiâ filio Abu Sophiani Califarum septimo, Ducibus Moawia filio Amiri, & Bashero filio Artahi, anno Christi 669. Hegiræ 49. totam Africam & Mauritaniam occuparunt. Primo sub his, Califorum Præfectis,[b] deinde Ommiadis Hispaniæ Regibus, & tum Xeriffis Fessensibus paruit; [c] donec ab Alphonso Portugalliæ Rege, ejus nominis quinto in tertia illius in Africam expeditione, A. D. 1463. susceptâ capta fuisset. Ab eo tempore penes Lusitanos fuit, qui eam frustra sæpe oppugnantibus Fessensium Regibus usque ad annum 1662 tenuere; eo vero anno Lusitani bello Hispanico oppressi, urbique igitur diutius tuendæ impares facti, illam in manus Caroli secundi Potentissimi optimique Regis nostri, qui tunc Donnam Catharinam Johannis Portugalliæ Regis filiam in Reginam acceperat, pro parte dotis tradidere.

In quali statu sub Saracenis hæc urbs fuerat, è Saracenicis discendum est autoribus, è quibus Abul Feda Rex Hamæ in præstantissimâ Geographiâ suâ Climate quarto hæc habet "Tangia urbs antiquissima; incolæ ejus novam sibi 'urbem à veteri circa spatium milliari distitam condidere supra montem, ut ibi 'se melius munirent. Aqua Tangiæ canalibus è longinquo adducitur; fructibus 'abundat, præcipue uvis & piris. Incolæ ejus stolidi esse, & imbecillis inge- 'nii observantur. A Tangia ad Septam (seu Ceutam) octodecem milliaria. Hactenus Abul Feda, de qua etiam urbe hæc Autor [d] Geographiæ Nubiensis, "Tangia urbs antiquissima. Regio ejus ab illa denominatur; sita est supra 'montem Mari imminentem: domus incolarum in acclivi illius sunt ad littus 'Marinum. Urbs est pulchra, in qua sunt Fora, & opifices, & artifices, in 'ea etiam est naupegium, & velorum & Sarcinarum depositorium; sita est in 'Terra protensa in continentem; incolæ ejus sunt Barbari, genus deducunt 'à [e] Sanhajah. Hæc à duobus peritissimis Geographiæ scriptoribus de Tingi nostrâ traduntur. Quæcunque ceteri Arabes (quorum plures in Bibliotheca Pocockiana consului) de hac urbe habent, eadem sunt. His adjungas [f] Leonem Africanum, qui de Mauritania, utpote Mauritanus ipse, longe optimam descriptionem dedit. De Tingi ejus verba hæc sunt. "Tingis 'urbs semper nobilis, beneque exculta fuit, structurisque sumptuosissimis 'varii generis admiranda. Ager non admodum felix, nec frugibus ferendis 'valde accommodus, ceterum valles habet, qui fontibus assiduis irrigatæ o- 'mnium generum fructibus fæcundissimam reddunt: reperias quoque extra 'urbem vites aliquot, verum in solo arenoso: Incolis frequentissima perman- 'sit ad ea usque tempora, quibus à Lusitanis expugnata fuit Arzilla; tum 'enim cives rumore bellico perterriti collectis rebus omnibus Fessam profuge- 'runt. Cetera, quæ de hac urbe habet idem Leo Africanus, in ipso autore, cum liber sit in omnium fere manibus, possis perlegere. Tingis igitur, quam nostrates tenent, non est eadem cum ea Tingi, quæ olim Mauritaniæ Tingi-

[z] Vide Leonem Africanum lib. 3. Procopium atque rerum Gothicarum scriptores. [a] Elmacinus & Abul Pharagius. & Abul Feda in vita Moawiæ. [b] Vide Elmacinum lib. 2. c. 3. [c] Leo Af. lib. 3. Duardus Nonus de vera regum Portugalliæ origine aliique rerum Lusitanarum scriptores. [d] Non intelligo Epitomen, quæ Arabice Romæ & Latine Parisiis prodiit, sed ipsum librum, è quo epitome facta fuit, ejus autor erat Sharif ol Edrisi, de quo videas Clarissimi Pocockii Nomenclaturam Autorum Arabicorum specimini Historiæ Arabicæ adjectam. Notandum autem hic est omnia hæc quæ citavimus ab Epitomatore omissa fuisse. [e] Sanhajah est nomen Tribus apud Barbaros, corum enim quinque Tribus Primariæ numerantur. viz. زناتة Zenatæ, غمارة Gomoræ, هوارة Hewaræ, مصمودة Musmoudæ, & صنهاجة Sanhajæ. Ultima est de qua hic agitur, & ab Arabibus originem habuisse censetur. [f] Lib. 3.

tanæ Metropolis fuit, sed nova urbs à Saracenis Condita: Urbs vetus circa spatium milliarii ab ea distat, quæ jam Tingis vetus vocatur, illius nunc solæ remanent ruinæ, è quibus hoc Marmor erutum in novam Tingin translatum fuit, indeque à viro Honoratissimo Domino Hugone Cholmley Baronetto, cujus consilio & curâ Portus Tingitanus tam mira arte in ipso Oceano, invitis ventis & fluctibus, condebatur, in Angliam allatum ab eo hic in Academia nostra, ut Venerabile Antiquitatis Monumentum reponebatur.

Ep. 46. A quo Harmodius & Aristogiton interfecerunt Hipparchum Pisistrati filium Athenarum Tyrannum, & Athenienses pacti sunt cum Pisistratidis, eos muro Pelasgico excedere, anni CCXLVIII, archonte Athenis Clisthene.

L. 59. Ἀφ᾽ οὗ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων ἀπέκτειναν Ἵππαρχον Πεισιστράτου Ἀθηνῶν Τύραννον, καὶ Ἀθηναῖοι συμπαρέστησαν τοὺς Πεισιστρατίδας ἐκχωρεῖν τοῦ Πελασγικοῦ τείχους, ἔτη ΗΗΔΔΔΔΠΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κλισθένους.

Ep. 47. A quo Chori primum certarunt virorum cujusmodi primũ docuit Hippodicus Chalcidensis, & vicit anni CCXXXXIV, archonte Athenis Isagorâ.

L. 61. Ἀφ᾽ οὗ χοροὶ πρῶτον ἠγωνίσαντο ἀνδρῶν, ὃν διδάξας Ὑποδικὸς Χαλκιδεὺς ἐνίκησεν, ἔτη ΗΗΔΔΔΔΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἰσαγόρου.

Ep. 48. A quo .... Hippias ...... Athenis, anni CCXXXI archonte Athenis Pythocrite.

L. 61. Ἀφ᾽ οὗ νε.......... Ἱππια....... ἐν Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΗΔΔΔΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθοκρίτου.

Ep. 49. A quo in Marathone pugna commissa est ab Atheniensibus contra Persas, & Artaphernem Satrapam, unum è Darii Nepotibus, Ducem superarunt Athenienses, anni CCXXVII, archonte Athenis Phænippo secundo, & in prælio

L. 62. Ἀφ᾽ οὗ ἡ ἐμ Μαραθῶνι μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς τοὺς Πέρσας, καὶ Ἀρταφέρνεα Σατράπην τὸν Δαρείου ἀδελφιδοῦν τὸν στρατηγὸν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, ἔτη ΗΗΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι τοῦ δευτέρου Φαινίππου καὶ ἐμ μάχῃ συνηγωνίσατο Αἰσχύλος

χύλος ὁ Ποιητὴς ἐτῶν ὢν ΔΔΔΠ.

L. 63. Ἀφ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Σιμωνίδου, πάππος τοῦ ποιητοῦ, ποιητὴς ὢν καὶ αὐτὸς ἐφάνη Ἀθήνησι, καὶ Δαρεῖος τελευτᾷ, Ξέρξης δὲ ὁ υἱὸς βασιλεύει, ἔτη ΗΗΔΔΠ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστείδου.

L. 65. Ἀφ' οὗ Αἰσχύλος ὁ Ποιητὴς τραγωδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε, καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐγένετο, καὶ Στησίχορος ποιητὴς εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀφίκετο, ἔτη ΗΗΔΔΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλοκράτους.

L. 66. Ἀφ' οὗ Ξέρξης τὴν σχεδίαν ἔζευξεν ἐν Ἑλλησπόντῳ, καὶ Ἑλλήνων ἐν Θερμοπύλαις μάχη ἐγένετο, καὶ Ναυμαχία Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα πρὸς τοὺς Πέρσας, ἣν ἐνίκων οἱ Ἕλληνες, ἔτη ΗΗΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιάδου.

L. 68. Ἀφ' οὗ ἡ ἐν Πλαταίαις μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς Μαρδόνιον τὸν Ξέρξου στρατηγὸν, ἣν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, καὶ Μαρδόνιος ἐτελεύτησεν ἐν τῇ μάχῃ, καὶ τὸ πῦρ ἐῤῥύηκεν ἐν Σικελίᾳ περὶ τὴν Αἴτνην, ἔτη ΗΗΔΠΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι Ξανθίππου.

una certavit Æſchylus Poeta, quando erat annorum XXXV.

Ep. 50. A quo Simonides avus Simonidis Poetæ, qui etiam & ipſe Poeta fuit, Athenis claruit, & Darius mortuus eſt, Xerxes vero filius illius regnat, anni CCXXV, Archonte Athenis Ariſtide.

Ep. 51. A quo Æſchylus Poeta Tragœdiâ primo vicit, & Euripides Poeta naſcitur, & Steſichorus Poeta in Græciam venit, anni CCXXII, Archonte Athenis Philocrate.

Ep. 52. A quo Xerxes navigiorum pontem junxit in Helleſponto, & à Græcis in Thermopylis commiſſa eſt pugna, & etiam pugna navalis ad Salaminem à Græcis contra Perſas, in qua vicerunt Græci, anni CCXVII, Archonte Athenis Calliade.

Ep. 53. A quo ad Platæas commiſſa eſt pugna ab Athenienſibus contra Mardonium Xerxis ducem, in qua vicerunt Athenienſes, & Mardonius occubuit in pugna, & ignis diffluebat in Sicilia circa Ætnam, anni CCXVI, Archonte Athenis Xantippo.

Ep. 54. A quo Gelon Dinomenis filius Syracusis Tyrannidem occupavit, an. CCXV, archonte Athenis Timosthene.

L. 69. Ἀφ' οὗ Γέλων ὁ Δεινομένους Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΗΔΠ, Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Τιμοσθένους.

Ep. 55. A quo Simonides Leoprepis filius Ceius, qui memorandi artem invenit, eam docens Athenis vicit, & positæ sunt imagines Harmodii & Aristogitonis, anni CCXIV, Archonte Athenis Adimanto.

L. 70. Ἀφ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους ὁ Κεῖος, ὁ τὸ μνημονικὸν εὑρὼν, ἐνίκησεν Ἀθήνησι διδάσκων, καὶ αἱ εἰκόνες ἐστάθησαν Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, ἔτη ΗΗΔΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀδειμάντου.

Ep. 56. A quo Hiero Syracusis Tyrannidem occupavit, anni CCVIII, Archonte Athenis Charete; claruit autem Epicharmus poeta hujus tempore.

L. 71. Ἀφ' οὗ Ἱέρων Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΗΠΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Χάρητος. Ἦν δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ὁ Ποιητὴς κατὰ τοῦτον.

Ep. 57. A quo Sophocles Sophilli filius, qui è Colono fuit, Tragœdiâ vicit, quum esset annorum XXVIII, anni CCVI, Archonte Athenis Apsephione.

L. 72. Ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλου ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ, ἐτῶν ὢν ΔΔΠΙΙΙ, ἔτη ΗΗΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀψηφίονος.

Ep. 58. A quo in Ægospotamis lapis cecidit, & Simonides Poeta obiit XC annos natus, anni CCV, Archonte Athenis Theagenidâ.

L. 72. Ἀφ' οὗ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσε, καὶ Σιμωνίδης ὁ Ποιητὴς ἐτελεύτησε, βιοὺς ἔτη 𐅄ΔΔΔΔ, ἔτη ΗΗΠ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεαγενίδου.

Ep. 59. A quo Alexander mortuus est, filius autem illius Perdiccas apud Macedonas regnavit, anni CXCIX, Archonte Athenis Euthippo.

L. 73. Ἀφ' οὗ Ἀλέξανδρος ἐτελεύτησεν, ὁ δὲ υἱὸς Περδίκκας Μακεδόνων βασιλεύει, ἔτη Η𐅄ΔΔΔΠΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐθίππου.

L. 74.

L. 74. Ἀφ' οὗ Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη 𐅄ΔΠIIII ἐτελεύτησεν ἐν Γέλᾳ τῆς Σικελίας, ἔτη Η𐅄ΔΔΔΔIII, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ προτέρου.

Ep. 60. A quo Æschylus Poeta, cum vixisset an. LXIX, diem obiit in Gela Siciliæ, anni CXCIII, Archonte Athenis Callia primo.

L. 75. Ἀφ' οὗ Εὐριπίδης ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔIII Τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησεν, ἔτη Η𐅄ΔΔΠIIII, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλου, ἐβίωσαν δὲ κατὰ Εὐριπίδην Σωκράτης, καὶ Ἀναξαγόρας.

Ep. 61. A quo Euripides, cum annos natus esset 43, Tragœdiâ primum vicit, anni CLXXIX, Archonte Athenis Diphilo; vixerunt autem tempore Euripidis Socrates, & Anaxagoras.

L. 76. Ἀφ' οὗ Ἀρχέλαος Μακεδόνων ἐβασίλευσε Περδίκκου τελευτήσαντος, ἔτη Η𐅄ΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀστυφίλου.

Ep. 62. A quo Archelaus apud Macedones regnavit Perdicca defuncto, anni CLVI, Archonte Athenis Astyphilo.

L. 77. Ἀφ' οὗ Διονύσιος Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΔΔΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Εὐκτήμονος.

Ep. 63. A quo Dionysius Syracusis Tyrannidem occupavit, anni CXLVII, Archonte Athenis Euctemone.

L. 77. Ἀφ' οὗ Εὐριπίδης βιώσας ἔτη 𐅄ΔΔΠΙΙ ἐτελεύτησεν, ἔτη ΗΔΔΔΔΠ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιγένους

Ep. 64. A quo Euripides mortuus est, cum vixisset annos LXXVII, anni CXLV, Archonte Athenis Antigene.

L. 78. Ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ Ποιητὴς βιώσας ἔτη 𐅄ΔΔΔΙ ἐτελεύτησε, καὶ Κῦρος ἀνέβη εἰς Περσίαν, ἔτη ΗΔΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ δευτέρου.

Ep. 65. A quo Sophocles Poeta, cum vixisset annos 91, mortuus est, & Cyrus in Persiam ascendebat, anni CXLIII, Archonte Athenis Calliâ secundo.

L. 79. Ἀφ' οὗ Τελέστης Σελινούντιος ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Μύκωνος

Ep. 66. A quo Telestes Selinuntius vicit Athenis, anni CXXXIX, Archonte Athenis Mycone.

Ep. 67. A quo rediere, qui cum Cyro aſcenderunt, & Socrates Philoſophus occubuit, cum vixiſſet annos LXX, anni CXXXVII, Archonte Athenis Lachete.

L. 80. Ἀφ' οὗ ἐπάνελθον οἱ μετὰ Κύρου ἀναβάντες, καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος ἐτελεύτησε βιοὺς ἔτη ΠΔΔ, ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λάχητος.

Ep. 68. A quo .... Athenis, anni CXXXV, Archonte Athenis Ariſtocrate.

L. 81. Ἀφ' οὗ .... Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΔΔΠ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοκράτους

Ep. 69. A quo ....rianus Dithyrambo vicit Athenis, anni ...., Archonte Athenis .....

L. 81. Ἀφ' οὗ ......ος Με.....ριανος διθυράμβῳ ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη Η..... Ἄρχοντος Ἀθήνησι........

Ep. 70. A quo Philoxenus Dithyramborum ſcriptor occubuit, cum vixiſſet annos LX, anni CXVI, Archonte Athenis Pytheâ.

L. 82. Ἀφ' οὗ Φιλόξενος ὁ Διθυραμβοποιὸς τελευτᾷ βιοὺς ἔτη ΠΔ, ἔτη ΗΔΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθέου.

Ep. 71. A quo Anaxandrides Comicus vicit Athenis, anni CXIII, Archonte Athenis Calliâ.

L. 82. Ἀφ' οὗ Ἀναξανδρίδης ὁ κωμῳδοποιὸς ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου.

Ep. 72. A quo Aſtydamas Athenis vicit, anni CIX, Archonte Athenis Aréo. Arſit vero tunc in cœlo magnus cometa.

L. 83. Ἀφ' οὗ Ἀστυδάμας Ἀθήνησιν ἐνίκησεν, ἔτη ΗΠΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρείου. Κατεκάη δὲ τότε καὶ ἐν οὐρανῷ μέγας κομήτης

Ep. 73. A quo in Leuctris pugna commiſſa fuit inter Thebanos & Lacedæmonios, in quâ vicere Thebani, anni CVII, Archonte Athenis Phraſiclide, & occubuit Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex.

L. 84. Ἀφ' οὗ ἐν Λευκτροῖς μάχη ἐγένετο Θεβαίων καὶ Λακεδαιμονίων, ἣν ἐνίκων Θηβαῖοι, ἔτη ΗΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρασικλείδου, καὶ ἐτελεύτησε Κλεόμβροτος Λακεδαιμονίων βασιλεύς.

Ep. 74. A quo Steſichorus ſecundus Himeræus vicit Athe-

L. 85. Ἀφ' οὗ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος, ὁ δεύτερος ἐνίκησεν Ἀθή-

Ἀθήνησιν, καὶ ᾠκίσθη Μεγάλη πόλις ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἔτη ΗΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δυσκινήτου.

L. 86. Ἀφ' οὗ Διονύσιος ὁ Σικελιώτης ἐτελεύτησεν, ὁ δὲ υἱὸς Διονύσιος ἐτυράννευσεν, καὶ Ἀλέξανδρος ἐν Φεραῖς βασιλεύει, ἔτη ΗΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ναυσιγένους

L. 87. Ἀφ' οὗ Φωκεῖς τὸ ἐν Δέλφοις ἱερὸν ἐσύλησαν, ἔτη 𐅄ΔΔΔΔΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κηφισοδώρου.

L. 88. Ἀφ' οὗ Τιμόθεος βιώσας ἔτη 𐅄ΔΔΔΔ ἐτελεύτησεν ἐν Ἀθήνησι, καὶ Φιλίππους τὴν πόλιν ἔκτισεν ὁ Φίλιππος Μακεδόνων βασιλεύς, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Φεραῖος ἐτελεύτησεν, καὶ τοὺς Διονυσίου στρατηγοὺς ὁ Δίων ἐνίκησεν, ἔτη 𐅄ΔΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀγαθοκλέους

L. 91. Ἀφ' οὗ Ἀλέξανδρος Μακεδόνων βασιλεὺς ἐγένετο, ἔτη 𐅄ΔΔΔΔΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιστράτου, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Φιλόσοφος κατὰ τοῦτον.

L. 92. Ἀφ' οὗ Κάλιππος Δίονα ἀποκτείνας Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη 𐅄ΔΔΔΔ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διοτίμου.

thenis,& condita fuit Megalopolis in Arcadia,anni CVI,Archonte Athenis Dyſcineto.

Ep 75. A quo Dionyſius Siculus obiit, filius autem ejus Dionyſius Tyrannidem occupavit, & Alexander Pheris regnat,anni CIV, Archonte Athenis Nauſigene.

Ep. 76. A quo Phocenſes Templum Delphicum expilarunt, an. LXXXXIIII, Archonte Athenis Cephiſodoto.

Ep. 77. A quo Timotheus annos natus LXXXX diem obiit Athenis, & Philippos urbem condidit Philippus Macedonum rex, & Alexander Pheræus occubuit,& Dionyſii præfectos Dion ſuperavit, anni LXXXXIII, Archonte Athenis Agathocle.

Ep. 78. A quo Alexander Macedonum Rex naſcebatur, anni LXXXXI, Archonte Athenis Calliſtrato, quo tempore floruit Ariſtoteles Philoſophus.

Ep. 79. A quo Calippus, cum Dionem interfeciſſet Tyrannidem Syracuſis occupavit, anni LXXXX, Archonte Athenis Diotimo.

Cetera deſiderantur.

Thomæ Lydiati
OXONIENSIS
ANNOTATIONES
AD
Chronicon Marmoreum.

Lectori Præfatio.

QUanquam Lydiati nomen apud Eruditos jure merito in honore ſit, non videtur ſupervacuum eorumquæ, ſcripſerat, Catalogum apponere; quia cum diſperſa jaceant, ad publicam notitiam vix pervenere.

Præter Annotationes haſce ſcripſit.

Tractatum de variis Annorum formis.
Prælectionem Aſtronomicam de Cœlo & Elementis.
Diſquiſitionem Phyſiologicam de origine Fontium.
Defenſionem tractatus de variis Annorum formis.
Additamenta quædam ad prædictum opus.
Solis & Lunæ periodum, ſive Annum magnum.
De Anni Solaris menſurâ.
Emendationem Temporum.
Numerum Aureum.
De Sabbato.
Tractatum de Altaribus in Eccleſiis cum defenſionibus variis.
Meſolabum Geometricum.
Canones Chronicos.
Seriem Summorum Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum.

Annotationes primæ ad Chronicon Marmoreum, de Morte Darii Hystaspis, &c.

VELIM ſanè ad magis aſſerendam Marmorei hujus Chronici dignitatem & Autoritatem, quam equidem maximopere aſſertam cupio, ut, perinde ac de Conſularibus Romanorum Faſtis Marmoreis, ante annos plus minus octoginta Romæ in Comitio effoſsis, memoriæ mandetur, ubi, quando, & quomodo, inventum ſive repertum fuerit; quod etiam forte nonnihil ad melius intelligenda ejus nonnulla conduxerit. Quum vero citimus ejus terminus ſive finis fixus ſit principio Olympiadis centeſimæ viceſimæ nonæ;primũ animadverti idem ipſum eſſe tempus ſuſcepti à Romanis, ſcilicet Appio Claudio Caudice & Marco Fulvio Flacco Conſulibus, belli Punici primi, adeoque primi transmarini, nimirum in Siciliâ geri cœpti (ſcilicet ubi Polybius ſuam Hiſtoriam inchoavit, quem terminum etiam Hiſtoriæ ſuæ poſuit Dionyſius Halicarnaſſeus, qui & ipſe quoque breve Chronicon per Athenienſium tempora digeſtum edidit.) Unde ſubinde ſubit animum meum ſuſpicio, quam tamen adjunctum Smyrnæorum & Magneſiorum fœderis monimentum nonnihil retundit, an non ad Pharum Inſulam Adriatici maris aliquo modo ſpectet, & ipſam quidem Pariorum Coloniam, ſecundum Oraculum quoddam conditam, Dionyſio Seniore Siciliæ tyranno auxilia ſuppeditante, anno quarto Olympiadis nonageſimæ octavæ, Archonte Athenis Dexitheo, juxta Diodorum Siculum, libro 15. Hoc tantum auſim dicere me haud temere credere poſſe, Epocham Chronici Marmorei caſu fortuito incidiſſe in initium primi Romanorum belli Punici, primi inquam tranſmarini, ejuſque in Siciliâ ſuſcepti.

Porrò quod anno 1252. mancum extat ---νίκης ἰβασίλδυσαν, forſitan non tam Phœnices reges Cadmum & Phœnicem, quam Laconices Eurotam & Lacedæmonem ſpectat: quandoquidem auctor ferme intrà Græciæ fines ſe contineat, niſi in Perſicis Imperatoribus, ſed & iis finium Græciæ invaſoribus.

Ad annum 292. nempe primum Olympiadis quinquageſimæ ſextæ, nomen Archontis Athenienſis mutilum --δήμυ, quod Latine redditur Populo, mea ſeries ſummorum Magiſtratuum Romanorum & Archontum Athenienſium manuſcripta ante annos ſedecim,unáque cum aliis manuſcriptis noſtris apud me ſuppreſſa, & in tenebris deliteſcens, exhibet Euthydemum: autore, ſi bene memini, libris jam ferme biennium viduatus, Diogene Laertio in vita Chilonis.

Anno 253. quarto Olympiadis ſexageſimæ quintæ, initium regni Darii Hyſtaſpidæ, Mago defuncto, poſitum quadriennio ſerius quam Ptolemæo Aſtronomo, & aliis, videtur commodiſsime referri poſſe ad Babylonem ab eo captam Zopyri dolo, quam antiquiſsimam Imperii Metropolim Magi factio, & forſan aliquis ex eadem Conſanguinitate eo uſque rebellem contra ipſum tenuerat: quâ occaſione poſtea idem Darius appellatus ſit Aſſyriæ Rex, Ezræ 6. quemadmodum annotavi noſtra Emendatione Temporum ad annum Mundi 3489.

Anno 227. ac ſecundo Olympiadis ſeptuageſimæ ſecundæ nomen Archontis Athenienſis obliteratum, relicto ſolum, ſecundo, δευτέρυ, quo Datis Darii Hyſtaſpidæ Dux prælio Marathonio à Miltiade & Athenienſibus profligatus eſt, reſtituatur è Plutarcho in Ariſtide, Phanippo ſive Phænippo ſecundo. Fuit autem prior Phænippus Archon, initio Olympiadis quadrageſimæ octavæ, juxta Clementem Alexandrinum, primo ſtromate, ſi recte memini: cum apud Euſebium in Chronico, idem Phænippus Archon Athenis, tanquam ex eodem Clemente referatur ad Olympiadem 47. Inſequente Anno, nempe 226. (ita enim legendum apparet, licet Seldenus ambigat utrum ita, an 225. uno

 anno

anno minus) ac tertio Olympiadis ſeptuageſimæ ſecundæ Darii Hyſtaſpidæ mors aſſignata, Archonte Athenis Ariſtide, quem idem Plutarchus in ipſius Ariſtidis vitâ diſerte aſſeverat, Archontem Eponymum fuiſſe proxime poſt Phænippum, quo Archonte prælium Marathonium commiſſum fuerat: liquido confirmat noſtram ex Cteſia Chronologiam, referentem ejuſdem Darii mortem, ejuſque filii Xerxis regni initium, quinquennio citius quam auctore Herodoto vulgus autumat: quæ ex conſequenti viam ſternit ſtatuendo Artaxerxis Longimani filii Xerxis etiam regni initio, citius eodem quinquennio, pariterque noſtræ reſtitutioni initii ſeptuaginta hebdomadum Danielis, anno regni hujus viceſimo, tantopere controverſi, & tanti momenti. Quam quidem Chronicam Annotationem antiquiſſimi & nobiliſſimi Monimenti, eodem nomine, utcunque alii æſtimaverint, ipſe ſane magni æſtimo: neque enim paucorum millium animarum ſalutis æternæ intereſt, demonſtratum habere Articulum temporis quo Meſſias ille manifeſtandus fuerat.

Anno 193. quum mentio fiat Archontis Calliæ prioris, iterumque anno 143. forte hic pro προτέρυ, legendű videatur, vel δευτέρυ, vel ὑςέρυ, niſi potius ἱππονίκυ, aut πλυσίυ, nempe divite illo Hipponici filio, qui Conviviű Xenophonteum præbuit. Verum hæc aliaque hujuſmodi minutiora ſunt, quam ut animadverſione digna videri queant, adeoque magis mirum videatur, doctiſſimos & diligentiſſimos vetuſtiſſimorum & obliteratorum marmorum Interpretes tot obſcuriſſima tam acute vidiſſe, quam haud uſquequaq; omnia perſpexiſſe; Me vero quod attinet, veniam à literatis omnibus peto, quod hæc hactenus abſque promtâ librorum ſupellectili attingere auſus ſim, quæ ſine abundanti eorum copia protractari nequeant. Ut autem eodem deſinam unde exorſus ſum, hortor ipſos Interpretes, ut ſciſcant porro de modo, loco, tempore, aliiſque circumſtantiis reperti talis monimenti, confirmandæ ejus dignitati & authoritati, quo honoratiſſimus Comes noſtrâ quidem ſententiâ præclare de poſteritate meritus eſt.

Diſquiſitio de tempore Dynaſtiæ, & Mortis Gelonis Syracuſani, in quo Marmoreum Chronicon Arundelianum ſeptennio differt à Diodoro Siculo, & communi opinione. Eâque occaſione de aliis quibuſdam differentiis ejuſdem Chronici à receptis opinionibus.

STATUIT Auctor Chronici Marmorei Gelonem Dinomenis filium tyrannidem obtinuiſſe (ſc. Syracuſis, antea enim Gelis aliquandiu dominatus erat juxta Herodotum, Lib. 8.) annis 215. ante Epocham ſuam ſive Chronici finem, nempe Olympiadem 129. id eſt, Olympiadis 75. anno ſecundo, Archonte Athenis Timoſthene: Hieronem autem Gelonis fratrem ſeptennio poſtea, annis 208. ante Epocham, id eſt, Olympiadis 73. anno primo, Archonte Athenis Charete; tanquam Gelone tunc demum mortuo. Atqui Diodorus Siculus, in rebus ſuæ gentis, inquam Siciliæ, pro ratione inſtituti operis prope dixerim nimius, libro undecimo, ſcribit, Hieronem Geloni fratri tanquam mortuo, poſtquam regnaverat annos 7. ſucceſſiſſe in Principatu, anno tertio Olympiadis 75. Archonte Athenis eodem Timoſthene: & inde regnaviſſe Syracuſis annos undecim & menſes octo; ac proinde etiam hunc Olympiadis 78. anno ſecundo reliquiſſe Regnum Thraſibulo fratri Archonte Lyſiſtrato: atque hunc poſt unum tyrannidis annum ejectum eſſe à populo Syracuſano, anno tertio ejuſdem Olympiadis Archonte Lyſaniâ; indeque Syracuſanos popularem ſtatum ſervaſſe propemodum 60 annos, uſque ad tyranni-

dem.

dem Dionysii. Libro autem 13 scribit, Dionysium ex scribâ & promiscuæ multitudinis idiotâ maximæ Civitatum Græcarum tyrannum evasisse, Olympiadisque anno tertio, Archonte Athenis Calliâ, utique integro annorum 60 intervallo postea, qui contra in marmoreo Chronico legitur tyrannus Syracusis extitisse quinquennio citius, utpote annis 147 ante Epocham, i. e. anno secundo Olympiadis 92 Archonte Athenis Euctemone. Eusebius autem in Chronico, refert Gelonem obtinuisse Syracusas anno secundo Olympiadis 73, ac Hieronem Syracusis regnasse anno tertio Olympiadis 75, i. e. novennio postea. Ad quæ loca annotat Arnoldus Pontacus Episcopus Vazatensis, in suâ Chronici Eusebiani editione nuncupatâ Henrico IV. Galliarum Regi, A. D. 1604. etiam Dionysium Halicarnasseum, Libro 7. referre initium imperii Gelonis ad annum secundum Olympiadis 72, ejusque exitum Fabio & Æmilio Mamerco Romæ Consulibus, qui inciderunt in annum primum Olympiadis 74: Pausaniam quoque scribere, Libro 6. Gelonem rerum potitum Syracusis anno secundo Olympiadis 72: sed & Aristotelem Politicorum Libro 5. cap. 12. scribere Gelonem regnasse annos 7, ac mortuum esse anno octavo.

Veruntamen etiam in iisdem ipsis Auctoribus nihilominus videor mihi videre expressa vestigia veritatis à redivivo Chronico Marmoreo stantis. Nam & in Chronico Eusebiano, quum ad annum tertium Olympiadis 75, crassius & imperfectius ponatur, *Hieron Syracusis regnat*: triennio postea distinctius & significantius exprimitur, *Hieron post Gelonem Syracusis tyrannidem exercet.* Annotat autem Pontacus nonnulla vetustissima Chronici Eusebiani Exemplaria, nominatim verò Fuxense, sc. è Bibliotheca Collegii Fuxensis Tholosæ depromtum, Gelonis regnum Syracusis in Sicilia statuere demum anno secundo Olympiadis 75, nempe eodem ipso quo Marmoreum: nec ullam habere mentionem Hieronis ante Olympiadem 76: Græca autem Eusebiani Chronici apud Georgium Syncellum, & Cedrenum testantur Gelonem Syracusis rerum potitum annis 17: qui deducti ab anno secundo Olympiadis 73, differunt ejus mortem & Hieronis initium ad annum tertium Olympiadis 77, etiam serius biennio quam Chronicon Marmoreum: verum iidem cœpti integrâ Olympiade citius juxta Dionysium Halicarnasseum & Pausaniam, decennium ejus terminant ad Xerxis transitum in Græciam: & reliquum septennium uno anno infra posteriorem regni Hieronis situm in eodem Chronico, nempe ad annum tertium Olympiadis 76, tantummodo biennio citius quam Marmoreum; ita ut hoc inter illa duo extrema medium feriat.

Porro autem Chronicon Eusebianum suppeditat aliud etiam validius argumentum & tecmerion veritatis Chronici Marmorei. Nam ad annum tertium Olympiadis 79. in Eusebiano legitur, *Sicilia à populo regebatur*, adjecto in Exemplari Fuxensi, *seditione factâ*: ubi quin de Syracusis à Thrasibuli tyrannide liberatis agatur, nullum dubium videtur, ne Scaligero quidem in Eusebii Chronico à se edito, biennio post Pontaci editionem, nihilominus imputanti istic errorem & metachronismum triennii Eusebio. Verum quum non modo Diodorus Siculus, sed etiam longe antiquior eo Aristoteles, Lib. 5. Politicorum cap. 12. Geloni, Hieroni, & Thrasibulo ascribat omnino annos 18. tyrannidis Syracusanæ (ubi Aristotelis verba sunt, Ἡ περὶ Ἱέρωνα καὶ Γέλωνα [τυραννὶς] περὶ Συρακούσας ἔτη οὐδ' αὐτὴ πολλὰ διέμεινεν, ἀλλὰ τὰ σύμπαντα δυοῖν δέοντα εἴκοσι. Γέλων μὲν γὰρ ἑπτὰ τυραννεύσας τῷ ὀγδόῳ τὸν βίον ἐτελεύτησε· δέκα δὲ Ἱέρων. Θρασίβουλος δὲ τῷ ἑνδεκάτῳ μηνὶ ἐξέπεσεν) illi anni 18. retro putati à tertio Olympiadis 79 desinente, referunt nos ad desinentem annum primum Olympiadis 75; id est, ad ipsum initium regni Gelonis in Chronico Marmoreo anno insequente prælium ad Platæas.

Si quis vero rationem quærat, cur hinc demum fiat initium regni Gelonis Syracusis, nempe post illud biennale bellum Medicum dictum apud Diodorum, satis idoneam suppeditat ipse Diodorus, scilicet, quod post clarissimam victoriam ab illo partam contra Pœnos & eorum finitimos, Xerxi confœderatos,

eodem die quo Leonidas rex Lacedæmonius cum Persis conflixit ad Thermopylas; ex nuncio accepto victoriæ Græcorum navalis contra Xerxem ad Salaminem, omisso apparatu quem studiosissime fecerat ferendi suppetias Græcis, renovans fœdera, & stabiliens pacem tum inter ipsos Siculos, tum etiam cum Pœnis, deinceps voluntate & consensu populi una voce proclamantis eum benefactorem & servatorem, & Regem, Βασιλέα, regnavit Syracusis, quas antea vi armatâ obtinuerat; ac tunc demum ausus est publicis cœtibus sine stipatoribus aut satellitio, adeoque nullis indutus armis, absque militari tunicâ, se committere, quod nunquam antea fuerat.

Cujusmodi initium regni Gelonis demum dono Populi, etiam Ælianus significat, variæ historiæ lib. 13. cap. 37. scribens in hanc sententiam, "Gelon Syracusanorum tyrannus mansuetissime se in regno gessit. Seditiosi vero quidam ei tendebant insidias. Quod cum rescivisset Gelon, convocatâ Syracusiorum Concione, armatus in Concionem ascendit, & commemorans quantorum bonorum illis causa fuerat (ὅσα ἀγαθὰ αὐτοῖς εἰργάσατο) simulque detegens insidias, mox arma deposuit, dixitque ad universos: Ecce igitur tuniculâ solum amictus absque armis asto, & dedo me vobis, ut pro voluntate libituque mecum agatis. Quare Syracusani mirati ejus sententiam, tum insidiatores puniendos ipsi tradiderunt, tum etiam regnum ei dederunt, (καὶ τὴν ἀρχὴν ἔδωκαν) Hic contra populo puniendos istos reliquit.„ Quamobrem Syracusani statuam quoque ei posuerunt in discincta tunica. Atque hoc fuit ejus ad populum Concionis monimentum, & postea in secula regnaturis documentum. Quinetiam antea, nempe lib. 8. cap. 11. idem Ælianus diserte significat hoc factum esse post pugnam ad Himeram Siciliæ urbem, ubi Gelon Pœnos, occiso Amilcare eorum duce, devicit: & quidem ejusdem victoriæ potissimâ occasione, ita scribens, "Gelon postquam ad Himeram devicerat Carthaginenses, universam Siciliam in potestatem suam adegit. Inde prodiens in forum nudatus armis, aiebat se redditurum civibus potestatem. Hi vero nolebant accipere, experti ejus humanitatem, & quod popularius potestate uteretur, quam Monarchæ solerent. Quapropter etiam (nimirum reddito & confirmato ei regno) posita est ipsi in Junonis Siculæ templo statua nudatum armis ostendens, opposita quoque scriptura quæ id Gelonis factum declararet.„ Hactenus Ælianus.

Denique antiquus Scholiastes Pindari Lyrici Poetæ, in ejus Pythionicis, Odâ 3. diserte refert initium regni Hieronis Syracusis ad desinentem Olympiadem 76, utpote Pythiadem 28. cujus annus primus cœpit ultimo aut penultimo mense anni tertii ejusdem Olympiadis, quum primus Agon Pythicus Stephanites institutus fit eodem anno tertio Olympiadis 49. æque juxta Chronicon Eusebianum ac Marmoreum. Quare initium septennis absolutæ tyrannidis sive dynastiæ Gelonis non potuit prævertere initium Olympiadis 75. Itaque nullo modo verum esse potest, quod Pontacus Dionysio Halicarnasseo autore refert, Gelonis Mortem Fabio & Æmilio Mamercino Consulibus Romæ, qui juxta ipsum Dionysium inciderint in annum primum vel secundum Olympiadis 74: hoc pacto enim mortuus fuisset triennio aut minimum biennio ante conflictum Græcorum & Persarum ad Thermopylas, quo tempore ipse Amilconem sive Amilcarem, & Pœnos celeberrimo prælio vicit in Siciliâ: quum ipse Dionysius, initio libri noni, Xerxis expeditionem in Græciam ascribat Consulatui ejusdem Cæsonis Fabii secundo, & Spurii Furii Fusi, tanquam incidenti juxta ipsum quidem in primum, verum juxta Fabium Pictorem & nos in quartum annum Olympiadis 75. ideoque Gelonis mors multo propius conveniat in Æmilii Mamercini à Pontaco memorati Consulatum secundum, incerto Collega, sive is fuerit Servilius Structus juxta communem opinionem, sive Cornelius Lentulus juxta Diodorum Siculum, sive idem, sive alius cognomento Esquilinus juxta Fastos Marmoreos, sive ipse Cæso Fabius, anno proxime præcedente tertium, hoc autem quartum Consul; aliis habitus

eodem

eodem anno omnium Romanorum primus Proconsul, creatus gerendo bello Veienti, quod anno præcedente genti suæ Fabiæ deposcerat; & quo bello, anno insequente, cum tota sua gente ferme usque ad internecionem occisus est. Hi autem Consules, juxta nostram seriem summorum Magistratuum Romanorum, inciderunt in annum tertium Olympiadis 76, perinde ac in decimum septimum à primo initio tyrannidis Gelonis Syracusis, juxta ipsum Dionysium. Quocirca ad eandem Olympiadem quasi desinentem haud dubie spectat tempus mortis ipsius juxta eundem.

Hic est noster στοχασμὸς, quum ipse Auctor non sit ad manus impræsentiarum, nec ullo modo mihi parabilis. Ubi etiam ambobus quod aiunt ulnis amplexamur insperatum ἐπίσαγμα, sive Accessorium ultro se nobis offerens ad confirmationem Calculi Annorum Romæ Conditæ, quem in nostra Emendatione Temporum innuimus, amplius autem in illa serie nostrâ demonstrandum; & confirmandum suscepimus, nempe Fabiani omnium antiquissimi, statuentis Romam Conditam initio octavæ Olympiadis saltem triennio serius quam Catoniani & Dionysiani.

At vero, quid si dicamus Pontacum hallucinatum esse in nomine Auctoris, referentem Dionysium addere Gelonem vitâ functum Coss. Fabio & Aemilio Mamerco: quum neutiquam ita scripsit Dionysius, verum Diodorus; ii autem Consules juxta Dionysium quidem inciderint in annum Olymp. 74. at juxta Diodorum in annum tertium Olymp. 75. Archonte Athenis Timosthene, quo ipse Gelonem vitâ functum refert. Ita demum videtur manifesta hallucinatio Pontaci in nomine Auctoris, levicula illa quidem, & quæ meritissime doctissimo ac diligentissimo, summæque ingenuitatis viro condonetur. Ceterum quod ad initium tyrannidis Dionysii senioris Syracusis attinet, agnoscit Pontacus illud in Eusebiani Chronici exemplaribus manuscriptis plerisque pariter ac editis respondere, anno 16, aut 17 Imperii Persici Darii Nothi, i. e. anno primo Olympiadis 93. quo etiam editio Scaligeri idem refert; quanquam nec Pontaco, nec sibi satis probatum; Pontaco propter auctoritatem non modo Diodori Siculi, lib. 13. sed etiam Dionysii Halicarnassei, lib. 7. scribentium, Dionysium invasisse tyrannidem anno tertio Olympiadis 93. incurrente in annum 19 Darii; Scaligero propter concurrentia eodem anno initia Dionysii senioris tyranni Siciliæ, & Archelai posterioris, regis Macedoniæ, mortesque duorum celeberrimorum Poetarum Tragicorum, Euripidis & Sophoclis, utrique vero pariter improbatum propter ipsius Dionysii mortem post annos 38 tyrannidis suæ completos demum anno primo Olympiadis 103.

Verum enimvero redivivum Chronicon Marmoreum etiam ipsum conjuncta exhibet initium tyrannidis Dionysii mortesque amborum Tragicorum Poetarum; viz. tribus annuis Atheniensium Archontibus Euctemone Antigone & Calliâ continuo succedentibus: quorum primi exitus tertiique initium poterat, nimirum, in eundem cum medio annum Lunarem Macedonicum è Cyclo vitioso Cleostrateo, aut Harpalio, aut etiam Oenopideo Embolimæum, sive intercalarium incidere. Unde ecce quam audaculus στοχαστὴς sim: (quum editio Seldeniana præsto non sit, nec alia mihi ex ea annotata præter paucula ista huic disquisitioni præmissa, in qua forsan, vel idem, vel simile quippiam jam ante fuerit annotatum:) Quandoquidem constet tres illos Archontas Atticos convenire juxta Diodorum quidem, & communem sententiam in annos primum, secundum, & tertium Olympiadis 93. juxta ipsum autem Marmoreum Chronicon, è congrua serie ceterorum Archontum eodem exaratorum, vel in eosdem annos, vel in proxime præcedentes; subit animum meum Conjectura, pro annis HΔΔΔΔΠΙΙ ferme obliteratis, ideoque lectu difficilibus, & ambiguis ascriptis Archonti Euctemoni, facillimâ emendatione legendos esse HΔΔΔΔΙΙΙΙ, ac proinde pro HΔΔΔΔΙΙ, ascriptis Antigeni, HΔΔΔΔΙΙΙ: quo pacto Dionysii Senioris tyrannidis initium omnino contigerit circa finem anni primi Olympiadis 93. consentaneè Chronico Marmoreo cum Eusebiano, & exigui

exigui momenti differentia à Diodoro Siculo & Dionysio Halicarnasseo: quum Auctores utriusque Chronici tempus quo Dionysius novas res agere, publicisque actionibus se immiscere, & adversus duces exercitus Syracusani insurgere, potentiamque affectare cœpit: illi vero tempus quo rerum potitus tyrannidem obtinuit, respexerint.

Sed & ea occasione videtur dilatum initium tyrannidis Dionysii apud alios, quod intra biennium ejus usurpatæ, nec dum confirmatæ, ab eadem exactus & exul factus sit: unde Trogus Justini, Lib. 5. notat eundem annum insignem fuisse expugnatione Athenarum à Lacedæmoniis, & morte Darii Nothi Regis Persarum, & exilio Dionysii Siciliæ Tyranni: atque Xenophon libro secundo Historiarum Hellenicarum, statuit initium tyrannidis ejusdem (nimirum ab exilio redintegratæ & confirmatæ) medio illo anno, quo expugnatæ sunt Athenæ, præcedente autem Olympiadem 94.

Porro autem, quatenus incidimus in mentionem Archelai Regis Macedoniæ, apud quem Euripides Poeta mortuus sit; mira quædã de eo comminisci videtur Josephus Scaliger in sua Olympiadum Anagraphâ, & Animadversionibus in Chronicon Eusebii ad initiũ regni Archelai filii Perdiccæ & Orestis filii ejus, ac Dionysii Senioris Syracusani, alteriusq; Archelai Macedonici juxta ipsum eodẽ anno, de quo, inquit, præcipue advertendum; nam oportet initio ejus regni Euripidem extinctum apud eum fuisse; necnon sub finem libri tertii Canonum Chronologiæ Isagogicorum, in successione Regum Macedoniæ, asserens Archelaum, undecimum in ordine Regum, mortuo Perdiccæ in regnum successisse anno tertii Belli Peloponesiaci, assignatis nimirum suo more duobus certis Characteribus, Epaminonis Archontis Attici, & Mortis Periclis eodem anno: præter tertium omnium certissimum, scilicet annum suæ Periodi Julianæ; unde astruit initium regni ejusdem Archelai, annis 26. citius quam ipse proposuerat, è Diodori Siculi reliquiis sive fragmentis, nec illius solum, sed Theopompi, & Dexippi, atque aliorum, parum belle compactis, tanquam ab Africano in suo Commentitio libro priore Chronographiæ Eusebii. Atqui Thucydides Auctor idoneus sine satisdatione, qui iisdem temporibus claruit & scripsit, libro secundo, & anno tertio ejusdem belli (nisi me fallunt adversaria mea) de Perdiccâ rege Macedoniæ scribit in hæc verba, ---ἔπεμψε δὲ Περδίκκας κρυφὰ τῶν Ἀθηναίων χιλίους τῶν Μακεδόνων, nempe suppetias eorum adversariis. Posteaque, Σιτάλκης [Thracum Rex] ἐστράτευσεν ἐπὶ Περδίκκαν— τὸν τοῦ Φιλίππου [fratris ejus] υἱὸν Ἀμύνταν, ὡς ἐπὶ βασιλέα Μακεδόνων ἦγε. Rursumque postea Ὁ δὲ στρατὸς τῶν Θρακῶν ἐκ τῆς Δοβήρου ἐσέβαλε, πρῶτον μὲν εἰς τὴν Φιλίππου πρότερον οὖσαν ἀρχήν. ---τοῦ Φιλίππου υἱέως παρόντος. Posteaque rursum, Sitalces ---ἀναπειθόμενος ὑπὸ Σεύθου τοῦ Σπαραδόκου ἀδελφιδοῦ ὄντος---ὃν κρυφᾶ Περδίκκας προσποιεῖται ---ἀνεχώρησεν ἐπ᾽ οἴκου. Περδίκκας δὲ ὕστερον Στρατονίκην τὴν ἑαυτοῦ ἀδελφὴν δίδωσι Σεύθῃ, qui nimirum etiam post Sitalcem regno Thraciæ potitus est. Ergo adhuc vivebat Perdiccas, atque etiam aliquot annis postea; Nam libro quarto, & octavo anno belli, ita porro de eodem scribit Thucydides, Περδίκκας Βρασίδαν [nempe celeberrimum illum ducem Lacedæmoniorũ] λαβὼν --στρατεύει ἐπὶ Ἀρριβαῖον τὸν Βρομεροῦ Λυγκηστῶν Μακεδόνων βασιλέα. Quinetiam ipse Diodorus Siculus, Diodorus inquam ipse, non ejus umbra vel larva Scaligerana, libro 12. de morte quidem Periclis anno quarto Olymp. 87. Archonte Epaminondâ juxta ipsum, qui Athenæo dicitur Epaminon, scribit in hæc verba, Ἐν δὲ Ἀθήναις Περικλῆς ὁ στρατηγὸς ἐτελεύτησεν. ---ὁ δὲ δῆμος φιλοτιμούμενος κατὰ κράτος ἑλεῖν τὴν Ποτίδαιαν, ἐξαπέστειλεν Ἅγνωνα στρατηγὸν ἔχοντα τὴν δύναμιν ἣν πρότερον εἶχε Περικλῆς. Verum de Perdicca Macedoniæ rege adhuc vivo, anno insequente Olymp 88. primo, Archonte Diotimo, scribit ita, Σιτάλκης ὁ Θρακῶν βασιλεὺς--- πρὸς Περδίκκαν τὸν βασιλέα τῶν Μακεδόνων ἀλλοτρίως διακείμενος ἔκρινε κατάγειν ἐπὶ τὴν Μακεδονικὴν βασιλείαν Ἀμύνταν τὸν Φιλίππου. Quapropter omissa Scaligeri Regum Macedoniæ Chronologiâ (quamlibet accommodatâ suæ decantatæ Perio-

do

do Julianæ) pariter ac ſpuriis Diodori reliquiis ab ipſo oſtentatis; quod Auctor Chronici Marmorei notat Perdiccam Alexandro patre mortuo, apud Macedonas regnare cœpiſſe, anno 199. ante Epocham ſuam, i. e. anno ſecundo Olympiadis 79. Archonte Athenis Euthippo. Archon quidem hic videtur idem qui apud Diodorum legitur Euippus, & qui apud eundem accommodatur anno quarto ejuſdem Olympiadis, ſicut annus poſtremus regni Alexandri patris & deceſſoris Perdiccæ, in Chronico Euſebii. Unde equidem ſuſpicor ſaltem unam virgulam, unum inquam iota redundare numero annorum in Chronico Marmoreo, legendumque H𐅄ΔΔΔΔΠIII, 198, cum Archonte Euthippo accommodandum anno minimum tertio Olympiadis 79. Archilaus autem, Perdiccâ mortuo, apud Macedonas cœpiſſe regnare, numero annorũ obliterato in Chronico Marmoreo, legitur Archonte Athenis Aſtyphilo: qui nimirum fuerit Diodori Ariſtophilus, aſcriptus anno primo Olympiadis 90. ſed iſtic forſitan imputatus anno 157. ante Epocham ſuam, quarto autem Olympiadis 89, completis 41 annis regni Perdiccæ: quod confirmat conjecturam noſtram de Euthippo Archonte referendo ſummum haud ultra annum unum ante calculum Diodori, ſicut neque ullo alio Archonte per totum illud Chronicon: quippe quum ubicunque numerus annorum ab Archonte diſcrepet, tutius fidatur Archonti quam annorum numero; & apud Diodorum poſt Euippum aſcriptum, anno 4. Olymp. 79. Ariſtophilus aſcriptus anno primo Olymp. 90, eſt Archon 41, quibus proinde utriſq; annis Olympiadicis aſcribendi videantur Archontes Euthippus & Aſtyphilus Chronici Marmorei. Namque Perdiccæ omnino totidem, viz. 41 annos regni aſcripſiſſe Nicomedem Acanthium hiſtoricum (ſcilicet ex Acantho urbe ad pedem Montis Athô, & Xerxis foſſam in confinibus Thraciæ & Macedoniæ) refert Athenæus, lib. 5. atque totidem intra unum, nempe 40, Anaximenem, (quem Diodorus, lib. 15. notat fuiſſe Lampſacenum, ſuamq; hiſtoriam primam rerum Hellenicarum, terminaſſe pugnâ Mantineenſi, quâ etiam Xenophon hiſtoriam ſuam) quorum utriuſque numeri annorum finis, ac majoris initium exacte repræſentatur Chronico Marmoreo, minoris vero initium eidem fini congruum Euſebiano. Atque Archelaum Macedoniæ regem tantummodo hunc unum agnoſcere videtur Diodorus; quem lib. 13. ac anno tertio Olymp. 92. Archonte Athenis Glaucippo, refert Pydnæas rebelles domuiſſe: libro autem 14. decennio poſtea, utpote anno primo Olym. 95. Archonte Lachete, (quo etiam Socratem Cicutâ potatum, morteque mulctatum unà cum Marmoreo Chronico refert) idem ſcribit illum interfectum eſſe à Cratero amaſio ſuo, poſtquam regnaverat annos ſeptem, manifeſto mendo in numero annorum regni ejus; huic autem ſucceſſiſſe filium Oreſtem puerum: quo ſublato ab Æropo tutore, hunc regnaſſe annos ſex, ac deinde ejus filium Pauſaniam annum unum: tum vero Amyntam annos 24. (circa initium regno pulſum ab Illyriis per biennium, Argeo illud vel uſurpante, vel adminiſtrante) patrem Alexandri ſecundi, atque etiam Ptolemæi Aloritæ, & Perdiccæ, & Philippi Patris Alexandri Magni, qui omnes poſt illum regnaverunt: nullo loco relicto alteri Archelao, cujus regni initio Euripidem extinctum eſſe apud ipſum ſciſcit Scaliger. Sed & locus Ariſtidæ Sophiſtæ de Archelao, quantum conjicere licet non habenti librum, videtur male allegatus à Scaligero, Τί ὧν εἰ Ἀρχέλαος τὸν αὑτοῦ δεσπότην καὶ θεῖον ἀποκτείνας κατέσχε τὴν ἀρχὴν, ἢ τὸν ἑπταετῆ ἐκείνου παῖδα εἰς τὸ φρέαρ ἐμβαλών; videtur enim legendum Ἀρχέλαον, accuſat. caſu, ſubaudito nominat. Æropus, agiq; de cæde Archelai ac ejus filii Oreſtis ab ipſo Æropo, aliiſq; conjuratis Cratero ſive Craterâ & Decamnico. De Cratero præter Diodorum, etiam Ælianus meminit, lib. 8. cap. 9. nomine Cateræ, his verbis, Ἀπέκτεινε τὸν ἐραστὴν ὁ Κρατέρας Ἀρχέλαον, ὡς τύραννός τε καὶ εὐδαίμων αὐτὸς ἐσόμενος· τρεῖς δὲ ἢ τέσσαρας ἡμέρας τὴν τυραννίδα κατασχὸν τὸ μειράκιον, πάλιν αὐτὸς ἐπιβουλευθεὶς ἐφ' ἑτέρων ἐτελεύτησεν. De Decamnico autem Ariſtoteles, lib. 5. Politicorum,

rum, cap. 10. ita, Καὶ τῆς Ἀρχελάου δ' ἐπιθέσεως Δεκάμνιχος ἡγεμὼν ἐγένετο, παροξύνων τοὺς ἐπιθεμένους πρῶτος, αἴτιον δὲ τῆς ὀργῆς, ὅτι αὐτὸν ἐξέδωκε μαστιγῶσαι Εὐριπίδῃ τῷ ποιητῇ. Nisi igitur Æropus, caput ut videtur hujus Conjurationis, demum regnum adeptus, nomen Archelai sibi imposuerit, alius certe Archelaus Macedoniæ Rex, præter illum Perdiccæ filium, non fuit. Atque illi, Perdiccæ inquam filio, Euripidem Poetam convixisse, etiam hoc Aristotelis testimonio constat, secus quam Scaligero visum. Hujus autem regni completi sunt viginti anni, à Perdiccæ morte, juxta Marmoreum Chronicon ad Archontem Lachetem, quo Diodorus ipsum mortuum refert: apud quem proinde pro ἑπτά, legendum videatur εἰκοσι, haud insolenti Scripturæ differentiâ. Alexander vero ille, cujus regni mentio fit in Chronico Marmoreo, ad annum 104, Archonte Nausigene, quo Dionysius junior, mortuo seniore, Syracusis tyrannidem obtinuit, dubium est an intelligatur secundus Macedonicus Amyntæ filius, an potius Alexander Pheræus à quo Pelopidas Thebanorum Dux prælio occisus est, quem Diodorus, libro 15. sublato fratre Polydoro, sub hoc ipsum tempus Thessaliæ regno potitum esse scribit.

Antequam vero huic disquisitioni finem imponam, illud etiam observetur, complures Archontas Atheniensium in Chronico Marmoreo à Calliade, quo Xerxes invasit Græciam, usque ad Lachetem, quo Cyrus minor expeditionem fecit contra fratrem Artaxerxem Memorem, uno anno Olympiadum antevertere calculum Diodori: Chronici autem calculum referentem Calliadæ Magistratum, pariter ac Xerxis transitum in annum quartum Olympiadis 74. (in quem annum nostra Emendatio temporum viginti abhinc annis edita hunc retulit) quos Diodorus cum vulgo refert in primum Olympiadis 75, liquido confirmari memorabili illâ solis eclipsi, quam Xerxe Sardibus movente contigisse diserte narrat Herodotus, libro 7. his verbis, Ἐνταῦθα χειμερίσας ἅμα τῷ ἔαρι παρεσκευασμένος ὁ στρατὸς ἐκ τῶν Σαρδίων ὡρμᾶτο ἐλῶν εἰς Ἄβυδον· ὁρμημένῳ δέ οἱ ὁ ἥλιος ἐκλιπὼν τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἕδρην, ἀφανὴς ἦν, οὔτε ἐπινεφέλων ἐόντων αἰθρίης τε τὰ μάλιστα ἀντὶ ἡμέρης τε νὺξ ἐγένετο. Hanc solis eclipsim octodesexcentenaria Periodus nostra monstrat contigisse anno à Mundi conditu, 3524. sextæ indidem Periodi, anno 564, ac 288. posterioris partis ejus, die vicesimo tertio ab apparente Æquinoctio Verno, sole obtinente ferme vicesimum tertium gradum Dodecatemorii Arietis, secundo ejusdem anni Novilunio, die septimanæ quarto, circum meridiem Sardibus, Lunâ appropinquante nodo devehenti à septentrionali latitudine ad Austrinam. Fuit autem haud dubie totalis, si non ipsis Sardibus, ubi forte parallaxi Lunæ majori quam latitudine, supremus solis limbus relictus est, at in locis aliquanto magis Austrinis. Fieri vero potuit ut Herodotus eam historiæ mandaverit, quemadmodum prædicabatur, ubi maxima conspecta est; quæ eadem Sardibus, totique adeo Xerxis exercitui inde moventi valde notabilis fuerat. Eadem autem æstate quâ Xerxis transitum, non modo pugnam ad Thermopylas, sed etiam navalem victoriam Græcorum ad Salaminem statuit Chronicon Marmoreum, & quidem recte juxta Herodotum æque ac Diodorum, atque etiam Plutarchum in Camillo, referentem hanc circa Boëdromionis tertii mensis Attici ab æstivo Solstitio diem vicesimum. Quanquam ego in illa nostra Emendatione Temporum, atque etiam in Defensione nostrâ, cap. 5. antequam Herodotum denuo perlegerem ac perpenderem, quasi fascinatus Scaligeri Authoritate, libro I. suæ Emendationis, cap. de transitu Xerxis, & libro tertio Canonum in caput octavum primi, victoriam ad Salaminem retulerim, integro anno revoluto post transitum, in ver sequens ex mala Interpretatione loci Plutarchi in libro, *Utrum Athenienses clariores fuerint ob bellum quam ob sapientiam*, ubi scribit in hæc verba, Τὴν δὲ ἕκτην ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνυχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος. Enimvero hæc victoria diligentius rem consideranti demum videtur nullo modo potuisse esse illa totius Classis Græcorum

rum prope Salaminem insulam oppositam oræ Atticæ, in qua summus Præfectus, sive Prætor navalis fuit, non Themistocles Atheniensis, quanquam ejus potissimum industriâ parta fuit, sed Eurybiades Lacedæmonius: neque primas tulerunt Athenienses, quanquam eorum maxime interfuit, sed Æginates (si recte memini) ipsorum æmuli: quin potius illa Atheniensium jam adeptorum principatum Græciæ, ceterorumque Græcorum illis modo vel subditorum, vel saltem obnoxiorum, ad Salaminem Cypri urbem primariam, alterius Salaminis coloniam à Teucro conditam, tempore mortis Cimonis filii Miltiadis, De qua Thucydides libro primo scribit ita, ---Ἐς δὲ Κύπρον ἐστράτευοντο [Athenienses] Κίμωνος στρατηγοῦντος ---Κίμωνος δὲ ἀποθανόντος--- ἀπεχώρησαν ἀπὸ Κιτίου, καὶ πλεύσαντες ὑπὲρ Σαλαμῖνος τῆς Κύπρου, Φοίνιξι καὶ Κυπρίοις καὶ Κίλιξιν ἐναυμάχησαν καὶ ἐπεζομάχησαν ἅμα· καὶ νικήσαντες ἀμφότερα ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου. Atque etiam Diodorus Siculus, libro duodecimo, ita anno tertio Olympiadis 82. Archonte Euthydemo. Ὁ δὲ Κίμων καταπλεύσας εἰς τὴν Κύπρον, καὶ θαλαττοκρατῶν, Κίτιον μὲν καὶ Μαλὸν ἐξεπολιόρκησε ---μετὰ δὲ ταῦτα ἐκ Κιλικίας καὶ Φοινίκης προσφερομένων τριήρων [περσικῶν] τῇ νήσῳ [intelligendum utique Κύπρῳ περὶ τὴν Σαλαμῖνα] Κίμων ἐπαναχθεὶς καὶ πόλεμον συγκρούσας πολλὰς μὲν τῶν νεῶν κατέδυσεν, ἑκατὸν δὲ σὺν αὐτοῖς τοῖς ἀνδράσιν εἷλε· τὰς δὲ λοιπὰς μέχρι τῆς Φοινίκης κατεδίωξεν. Οἱ μὲν οὖν Πέρσαι ταῖς ὑπολειφθείσαις ναυσὶ κατέφυγον εἰς τὴν γῆν καθ' ὃν τόπον ἦν Μεγάβυζος. --οἱ δὲ Ἀθηναῖοι-- κρατήσαντες τῇ μάχῃ, καὶ πολλοὺς ἀνελόντες ἐπανῆλθον εἰς τὰς ναῦς. Μετὰ δὲ ταῦτα Ἀθηναῖοι πάλιν ἔπλευσαν εἰς τὴν Κύπρον. Porro insequente anno, quarto Olympiadis 82, Archonte Pedieo, Ἀθηναῖοι συστησάμενοι πολιορκίαν περὶ τῇ Σαλαμῖνι--- συντελεσθεισῶν τῶν σπονδῶν--- τὰς δυνάμεις ἀπήγαγον ἐκ τῆς Κύπρου λαμπρὰν μὲν νίκην νενικηκότες, ἐπιφανεστάτας δὲ συνθήκας πεποιημένοι. συνέβη δὲ καὶ τὸν Κίμωνα περὶ τὴν Κύπρον διατρίβοντα νόσῳ τελευτῆσαι. Hanc igitur victoriam equidem tandem existimo esse illam Atheniensium & ceterorum Græcorum partam contra Persas mense Munichione: illam vero priorem contra Xerxem invadentem Græciam desinente æstate, eâdem sc. quâ transitus factus est, mense Boëdromione: neque ullam fuisse Plutarchi hallucinationem in assignatione temporis utriusque, ut arbitratus est Scaliger, sed suam ipsius. Ceterum quod Plutarchus scribit Athenienses & Græcos vicisse Persas, prædicti mensis Boëdromionis, die sexto in Marathone, tertio autem ad Platæas pariter, ac circa Mycalem: ab eo discrepare videtur Ælianus, l. 2. c. 25. referens Athenienses ob Persas devictos sexto die mensis Thargelionis, sacrificâsse Agroteræ trecentas capras, juxta votum Miltiadæ, (eccujus Miltiadæ præterquam illius qui Persas devicit in Marathone?) ejusdemque mensis incipientis die sexto pugnam factam esse ad Platæas, ac vicisse Græcos: Paucisque interjectis, etiam victoriam Græcorum ad Mycalen prædicari donum haud aliûs diei: siquidem eodem die victoriâ potiti sunt ad Platæas & ad Mycalen. Ad quæ breviter respondeo, caput illud Æliani videri haud uno loco aut modo corruptum & mutilum: cui si ego in totum mederi coner, absque præparatâ materiâ medicâ, i, e. libris, demens videar. Tantummodo quod ad præsens negotium attinet, quum Ælianus illis de pugna ad Platæas continuo subjiciat, priorem cladem ipsorum cujus antea meminerat, fuisse illam ad Artemisium: inde confestim inferens mentionem victoriæ ad Mycalem: plusquam probabili argumento est proxime superius, pro *ad Platæas* legendum esse *ad Pylas*, ubi Leonidem conflixisse cum Persis idem Author scribit, lib. 3. c. 25. ita, “Leonides Lacedæmonius unaque cum ipso trecenti illi viri, mortem vaticinio prædictam ultro oppetierunt ad Pylas fortiter dimicantes pro libertate Græciæ.„ Pugnam autem ad Pylas sive Thermopylas, & navalem ad Artemisium contra Persas eodem tempore factas esse, clare testatur Herodotus: quo tempore etiam Gelonis pugnam ad Himeram refert Diodorus. Quare neque pugna ad Platæas, nec pugna ad Mycalem,

 multo

multoq; minus illa Miltiadæ ad Marathonem facta est sexto die mensis Thargelionis: verum tres aliæ celeberrimæ, utique navalis ad Artemisium, Gelonis ad Himeram, & Leonidæ illa fatalis ad Pylas, eodem die, quasi altero mense post solis eclipsin Herodoto memoratam sub Xerxis transitum in Græciam: omnes inquam Attico mense Thargelione (qui debebat esse secundus Vernus) prolapso, Octoeteridis vitio ad initium æstatis: cujus ipsius mensis plenilunio, quasi octiduo post illas pugnas, celebrata sunt in Græcia non quidem Olympia, ut opinatus est Herodotus, & secundum eum Diodorus Siculus, cum vulgo Historicorum, verum Pythia, sub initium anni quarti Olympiadis 74, juxta Marmoreum Chronicon, atque nostram Emendationem temporum.

Quocirca nihil adhuc occurrit in redivivo illo Chronico Marmoreo adeo paradoxum, quod non aliorum Historicorum suffragiis & autoritate comprobetur. Quapropter etiam Darii Histaspidæ Imperii Persici, initium pariter ac finem par est existimare idoneis rationibus, recteque in eodem esse constitutum. Atque huic disquisitioni, quâ aliquanto longius provectus sum quam initio proposueram, hic finis esto.

Redintegratæ Annotationes ad Chronicon Marmoreum. Pars prima à Cecrope ad Trojam Captam.

POTERAM pro confirmando tempore mortis Darii Hystaspidæ (quo dudum restituto, & nuper comprobato redivivâ antiquissimâ Chronologiâ Marmoribus incisâ, vix aut ne vix quidem me à gloriatione aliquâ, saltem in levamen & solamen ægritudinis meæ quâ teneor cohibere valui) ad asserendam veritatem ejusmodi Chronologiæ contentus esse iis quæ de Gelonis Siculi Dynastæ celeberrimi, aliorumque temporibus circa illud seculum, per eandem correctis & corrigendis, haud ita pridem disputavi. Sed ecce animus inquies à studio inquirendi veri, nec (ut verum fateor) ullam aliam humanam huic similem, aut secundam ægritudinis medelam inveniens, quanquam mediis (inquam libris) fere omnino destitutus, nec alia propemodum subsidia habens præter aliqua adversaria nostra, eaque interlineationibus & lituris adeo plena, ut ne mihi quidem ipsi absque autoribus è quibus olim ea collegi, usquequaq; sint legibilia, nihilominus subinde eodem relabitur, ut etiam in antiquiora ejusdem Chronologicæ Inscriptionis inquiram, in quorum plerisque major temporum à communiter receptis differentia cernitur: tentemque an non etiam nobiliorum ex illis eventorum & gestorum tempora, tametsi non ad exploratam veritatem & liquidam certitudinem (quod de adeo antiquis eisque Ethnicis vix sperandum videatur) attamen ad probabilitatem & verisimilitudinem saltem acquiri & perduci queant. In hunc itaque finem ante aliquot dies Seldenianam editionem illius Inscriptionis mutuatus sum, in quâ eorum pleraque diligenter notata esse, quum Oxonii eam utendam haberem, lapsante licet cespitanteque memoriâ, aliquatenus recordabar.

Antiquissima redivivi Chronici Marmorei Epocha est initium Regni Cecropis primi Athenis, nempe mille trecentis & octodecim annis ante citimum terminum sive Epocham ejusdem, ad quam præcedentes omnes referuntur, & per quam determinantur, quam ipse conferens ad Manuscriptam nostram seriem summorum Magistratuum & Triumphorum Romanorum, cum annis Nabonazari Babylonii & Olympiadum Græcanicarum, & Archontum

chontum Atheniensium, inserto breviario Romanæ Historiæ, conscriptam annis abhinc ferme octodecim, mox deprehendi esse initium primi Romanorum belli transmarini in Siciliâ contra Pœnos suscepti, quem Dionysius Halicarnasseus suæ viginti librorum Historiæ Romanæ utiq; terminum fixit. Claruit autem eodem tempore Timæus Siculus, historicus longe & eruditissimus vel Ciceronis judicio, & celeberrimus: qui præter Chronicum Breviarium Olympionicis distinctum, Suidâ è veterribus authoribus referente, scripsit Sicula duplicia, altera Hellenica, sc. cum Græcis communia, altera vero Italica, tanquam cum Romanis cohærentia; separato autem volumine Bellum Tarentinum Pyrrhi Epirotarum Regis cum Romanis, autore eodem Dionysio in proœmio suæ historiæ, & Cicerone Epistolâ ad Luceium libro quinto ad familiares. Fuisse autem Timæum exactissimum trutinatorem Scrupulorum Chronologicorum, tum agnoscit Diodorus Siculus, lib. 5. tum colligere licet è Censorino, cap. 18. libelli de die Natali, ubi ipse etiam diligens temporum notator citat ejus calculum intervalli temporis inter Ilium captum, & Epocham Olympicam decennio excedentem vulgarem Eratostheneam. Verum autor Chronici Marmorei, præterquam quod videtur destinatâ operâ vitasse supputationem temporum per Olympionicas, sive Olympiades, de quibus nulla omnino extat in eo mentio; deprehenditur etiam statuere intervallum inter Ilii excidium & Olympiadum Epocham plusquam altero decennio majus quam Timæus. Alioqui sane haud omnino improbabiliter referri posset tum occasio termini Chronici Marmorei, fixi bello à Romanis primum trans Mare in Siciliâ geri cœpto, ad hujus historiam Italico-Siculam: tum editio ejusdem ad vicinam Pharum Insulam Adriaticam sive Liburnicam, quippe quæ etiam ipsa Paros quoque appellata fuerit teste Scymno Chio Historico apud Stephanum de urbibus scribentem in hæc verba, Ἐςὶ καὶ ἄλλη Πάρος νῆσος Λιβυρνῶν, ὥς φησι Σκύμνος ὁ Χῖος ἐν πρώτῃ ἀφηγήσεως. Est autem altera Paros, Insula Liburnorum, ut ait Scymnus Chius, libro primo descriptionis Orbis terrarum.

Quum vero Epochæ Chroniei Marmorei consignentur omnino omnes per Atheniensium Regum, & Archontum sive Principum annos, non est dubium quin hæ ex ipsorum Historicis potissimum desumtæ, & determinatæ sint. Atticarum autem rerum Historici propter insignem Atheniensium & virtutem bellicam, & doctrinam fuere multi; nobiliores vero qui ad notitiam nostram pervenerunt, hi.

Antiquissimus eorum, qui de Atheniensium Antiquitatibus ex professo scripserit, videtur fuisse Pherecydes Historicus, dictus & Lerius, quod ex Insula Lero ortus vel oriundus esset, & Atheniensis, quod Athenis vitam degeret, & Genealogus, quod Atheniensium Archæologias & Geneologias perquam amplè & fusè decem aut duodecim libris pertractaverit: Pherecyde illo è Syro Insulâ Philosopho & Ethnico Theologo aliquanto junior, Hecatæo Milesio Historico ferme æqualis: quem Dionysius Halicarnasseus, libro primo Archæologiæ Romanæ citans ornat hujusmodi elogio, Pherecydem Atheniensem, virum ex antiquis scriptoribus, sive historicis Atheniensium Genealogorum nulli secundum: quem etiam apparet ex Marcellino in vita Thucydidis deduxisse historiam saltem ad Miltiadem, nempe illum Victoriâ Marathoniâ contra Darii Histaspidæ duces partâ celeberrimum, utpote de cujus genere fragmentum ex eo citat.

Hellanici Lesbii sive Mitylenæi, alias per errorem ut videtur, dicti Milesii, secundus liber Historiæ Atticæ citatur ab Harpocratione in Lexico, dictione *Alope*. Ejus autem Historiæ Conclusio videtur fuisse brevis Congeries gestorum ab Atheniensibus post victoriam Marathoniam, usque ad sua tempora, cujus meminit Thucydides libro primo. Eodem autem spectant ejusdem Gentium & Urbium Origines, atque Historia Deucalionea pluribus libris conscripta, citata ab Athenæo, lib. 10.

Marſyas Pellæus, natus eadem ætate, eademque civitate, unaque educatus cum magnanimo illo Pellæo Juvene, cui unus non ſufficiebat Orbis, præter librum de educatione ὁμήλικος ſui, inquam Alexandri Magni, & decem rerum Macedonicarum à Carano primo Argivo, Macedoniæ Rege, edidit etiam 12 libros, de rebus Atticis, teſte Suidâ.

Demetrius Phalareus, eruditiſſimus etiam Ciceronis judicio, ſi non prorſus, certe propemodum attigit citimum terminum Marmorei Chronici, utpote regnum Ptolemæi Philadelphi in Ægypto, cujus Bibliothecæ eum præfuiſſe multi ſunt autores: quum Diogenes Laertius ſcribat eum à Philadelpho poſt mortem Ptolemæi Lagidæ ſive Soteris patris ſui, quod huic ſuaderet ut filio ex altera matre regnum relinqueret, aſſervatum eſſe tanquam in libera cuſtodia (forte circa ipſam Bibliothecam) ubi mæſtior vixit, donec veluti dormitans, ab aſpide manum morſus è vita migraret. Hic Demetrius, quum antea Athenis magnâ gloriâ decennio prætuiſſet, ſtatuiſque trecentum ſexaginta, ferme tot quot luces habet annus abſolutus, honoratus eſſet, libro edidit Ἀναγραφὴν deſcriptionem, ſive recenſionem Archontum Athenienſium: quam idem Diogenes ſæpe citat in vitis Philoſophorum, ut primi omnium Thaletis, quem ex eodem refert primum ſapientem appellatum Archonte Athenis Damaſiâ, poſteaque Autore Apollodoro in Chronicis, natum anno primo Olympiadis 35, quod videtur ita intelligendum, quaſi hoc anno, eodem Archonte natus fuerit Thales, qui poſtea demum primus ſapiens appellatus eſt.

Iſtrus ſive Iſter, Callimachi Cyrenæi diſcipulus, inde cognominatus Callimachius, cum ad ipſum finem Marmorei Chronici clareſceret, Timæo Siculo ætate fere æqualis, cujus etiam hiſtoriis contrarias edidit, indito ipſi cognomine Epi-Timæi, ob ejus crebras & acerbas reprehenſiones: ſcripſit Atticarum Antiquitatum Collectanea, multis libris: quippe cum eorum decimum tertium citet Athenæus libro 14, idemque opus Plutarchus in Theſeo.

Sed omnium fuſiſſime & ampliſſime Antiquitates, & res Atticas, univerſam inquam Atticam hiſtoriam explicuit Philochorus Athenienſis, Cycni filius, annis ferme viginti poſt Chronici Marmorei terminum, libris 17. teſte Suidâ, uſque ad tempora Antiochi Θεοῦ, qui regnare incepit omnino quatuor annis poſt finem ejuſdem Chronici inſtituto opere adverſus Leonidæ Damonis hiſtoriam Atticam (cujus librum quintum etiam Athenæus citat, Plutarcho in Theſeo vocatur Demon:) tum aliis bonis autoribus ſæpenumero, tum etiam Euſebio in Chronico memoratus. Eorum librorum pars fuiſſe videtur opus de Archontibus Athenienſibus, niſi potius fuerit eorundem, ſaltem ex quo tempore Athenis Archontes annui creati ſunt, Epitome: quam haud ſatis certò ex Suidâ colligitur, an ipſe Philochorus, an vero aliquot ſæculis poſteà, Pompeio Magno Romæ potente, & poſt eum Julio Cæſare Dictatore, Aſinius Pollio Trallianus, Romæ Scholam habens, fecerit.

Apollodorus Athenienſis circa Olympiadem 165, ſcripſit Chronica tum aliis multis ſcriptoribus memorata, tum ſæpenumero Diogeni Laertio, utpote in Carneadis vitâ, quem ex eo refert mortem oppetiiſſe anno quarto Olympiadis 162, quo tempore Luna eclipſin paſſa eſt: Eundem autorem ſecutus Diodorus Siculus procemio hiſtoricæ Bibliothecæ ſuæ ſtatuit à Troja capta ad Heraclidarum reditum in Peloponeſum annos octaginta, inde vero ad primam Olympiadem dinumerans tempora per Lacedæmoniorum reges annos trecentos & duodetriginta: quo pacto ſtatuit intervallum inter Trojæ excidium, & Epocham Olympiadicam annorum 408, uno tantummodo anno majus quem Eratoſthenes.

Porro Archontum Athenienſium pariter ac Olympionicarum recenſionem edidit etiã Steſiclides Athenienſis, teſte Diogene Laertio in vita Xenophontis, ubi eo auctore ſcribit Xenophontem obiiſſe anno primo Olympiadis 105, Ar-

chonte

chonte Callidemide: quo Archonte etiam Philippus Amyntæ filius in Macedonia regnare incepit. Sed hujus seculum ignoratur; ut & seculum Asclepiadæ Alexandrini, quem Atheniensium utique populi sigillatim sive per Democratiam, id est, ut videtur, singularum tribuum Atticarum Archontes scripto consignâsse, autor habetur Scholiastes in Nubes Aristophanis; & Andronis, quem Atticam historiam scripsisse refert Strabo, libro 6, & Androtionis, forte ejusdem ac Andronis, quem idem fecisse refert Pausanias, libro sexto sive posteriore Eliacorum & Phocicis, ubi agit de origine Amphyctionum; & Clitodemi, quem vetustissimum Auctorem Atticorum ἐπιχωρίων laudat Pausanias item in Phocicis: forte ejusdem quem Athenæus lib. 6. Clidemum vocat, Atthidis scriptorem, Plutarchus etiam citat in Theseo, &c. & Posidonii Olbiopolitæ, quem Atticas historias scripsisse libris 4, testis est Suidas. Et Phonodemi, quem literis tradidisse Atticam Archæologiam asserit Dionysius Halicarnasseus libro primo Archæologiæ Romanæ: horum inquam ignorantur sæcula, nisi quod his ipsis qui eorum meminerint antiquiores esse constet. Thucydides vero Xenophon & Democrates, Demosthenis sororis filius non veniunt in hunc numerum, quia non Archæologiam Atticam, sed sui tantummodo sæculi historias scripserunt.

Hi sunt qui nobis impræsentiarum occurrunt Historici & Chronographi Antiquitatum Atticarum, usque ad Dionysium Halicarnasseum, & postremorum aliqui forsitan aliquanto post ipsum: in quorum recensione me quatuor libris Joannis Vossii, Leidæ editis, A. D. 1623. de Græcis Historicis, adjutum esse ingenue agnosco. Ecquem vero horum sibi in omnibus sequendum proposuerit Auctor Chronici Marmorei, an ipse ex omnium collatione hoc suum peculiare Chronicon fecerit, haud facile dictu est. Etiamsi vero non magis affirmare possumus ipsum esse æque antiquum ac Chronici sui finem sive citimum terminum, quam Dionysium Halicarnasseum ac suæ Romanæ historiæ finem: tamen satis est verisimile, illum haud ita multo fuisse juniorem. Atqui vigente adhuc Ethnicismo Marmora hæc ita insculpta erectaque, ac propterea Chronicam hujusmodi Inscriptionem perantiquam esse, id vero plane constat. Jam ad primam & antiquissimam ejus Epocham, scilicet initium antiquissimi & primi Atheniensium Regis Cecropis, venimus.

Epoch. 1. A.M.C. 2423. Ante Evan. 1610. Periodis 55.

A quo Cecrops Athenis regnavit, & Regio Cecropia dicta est, quæ prius dicebatur Actica ab Actæo Indigenâ, [*fuerunt*] *anni* MCCCXVIII.

Recte observavit industrius & eruditus amicus noster Seldenus initium regni Cecropis primi Athenis, antiquius statui in hoc Marmoreo Chronico, quam in Eusebiano, viginti sex annis. Sed & aliorum deinceps Regum & Archontum Atheniensium initia, ferme usque ad annuos Archontas relata sunt antiquius illic quam istic propemodùm annis totidem. Id vero primum de ipso Cecrope ita demonstratur. A decimo quinto Anno Imperii Tiberii Cæsaris, & Exordio, sive Initio prædicationis Evangelii Domini nostri Jesu Christi, Consulatu Romano Caii Rubellii, & Caii Fusii, utriusque cognomento Gemini, fere completâ Olympiade ducentesimâ primâ, quæ vera est & genuina Epocha Chronici Eusebiani, ab ipsis Evangelistis suppeditata; sicut vera & genuina ab Eusebio in Præfatione Chronici sui, pro stabiliendo ejus fundamento, adhibita ratio supputationis inde retrorsum, sc. versus antiquiora, quâ supputandi ratione convenit illi cum Chronico Marmoreo; à Principio inquam Evangelii,

gelii, & fine Olympiadis 201, ad secundum annum regni Darii Hystaspis, initio Olympiadis 65 retro supputat Eusebius Olympiades integras 137, annos vero quater totidem, sc. 548. Inde ad primam Olympiadem, Olympiades 64, annos autem 256: qui cum 548 componunt annos 804: inde item retrorsum ad Trojam captam supputat 406, una cum 804, omnino 1210: atque hinc itidem retro ad initium regni Cecropis Diphyis primi Atheniensium regis, annos 374; simul cum 1210 compositos, 1584. At Chronici Marmorei citimam Epocham, convenientem initio Olympiadis 129, deprehendimus antiquiorem Epochâ Evangelii, Olympiadibus 73, id est, annis octodetrecentis sive 292, cui addita hæc antiquissima initii regni Cecropis Diphyis, scilicet 1318, constituit temporis intervallum inter initium ejusdem regni, & Principium Evangelii 1610 annos: omnino 26 plures quam fert Eusebiana supputatio.

Veruntamen haud propterea falsi temere arguendus fuerit Marmoreus calculus. Siquidem antiquissimi Chronologi etiam Christianorum, Tatianus Assyrius, Clemens Alexandrinus, & Julius Africanus, quos alias laudat, & à quibus Chronologicorum præcipua mutuatus est ipse Eusebius, initium regni Cecropis primi Athenis, statuunt aliquot annis antiquius quam ille: ita ut Marmoreus cadat inter Eusebianum & illorum calculum, propius autem accedens ad hunc. Hujusmodi autem calculum nobis exhibent Barbaro-latina Excerpta ex Africano, quæ Claudius Puteanus Scaligero communicavit; hic autem una cum Eusebii Chronico edidit: de quibus vere dicere liceat multas auri micas in sterquilinio projectas esse. Hæc Excerpta statuunt ab initio regni Cecropis Proceri (ita interpretantur Diphyem) ad finem Codri annos 492, quinque plures quam Chronicon Eusebianum exhibens 487: verum ab initio regni Cecropis ad primam Olympiadem anno secundo Æschyli Archontis ad terminum vitæ annos 814, quum Eusebii Chronicon habeat tantum 780, nimirum 34 pauciores. Itaque juxta Excerpta ex Africano, initium regni Cecropis primi Athenis fuerit annis 1618. ante principium Evangelii, octo annis antiquius calculo Marmoreo, ac triginta quatuor Eusebiano calculo. Atque hoc etiam alio in iisdem subjecto calculo confirmatur; ubi ad finem Erygiæ principatûs annorum 10, dicitur cessasse regnum sive Principatum Atheniensium in Olympiade vicesimâ quartâ, anno sc. ejus primo: factosque esse totius Dominatûs Atheniensium, à Cecrope usque ad Oxurium (utrobique legendum Eryxiam) annos nongentos & septem. Additis enim Olympiadum 23 annis 92 ac primo 24 Olympiadis (quo consentaneè Chronico Eusebiano ad Eryxiæ Archontis Decennalis finem statuitur terminus Decennalium Archontum Athenis) summæ annorum 814 ante primam Olympiadem, conflatur annorum 907 summa in Excerptis consignata. Sed & particulares numeri annorum singulis Regibus & Archontibus Atheniensium, ab initio Cecropis primi ad Eryxiæ Exitum, in excerptis assignati, licet alias eadem innumeris numerorum mendis scateant, majores summas conflant. Namque ab initio primi Cecropis sub finem Menesthei & initium Demophontis, ubi ab aliis statuitur Troja capta, etsi istic nulla fiat ejus mentio, colliguntur anni 384, decem plures quam putat Eusebius. At à fine Menesthei ad mortem Codri anni 117 Eusebio putante 112 quinque pauciora. Porro à morte Codri Regis, ad completum secundum annum Æschyli, & primam Olympiadem, anni 324, Eusebio putante summùm 293, viz. triginta & uno pauciores. Demum vero à prima Olympiade, & tertio anno Æschyli ad finem Eryxiæ, primumque annuum Archontem Athenis, colliguntur in Excerptis anni 93 totidem quot Eusebio, sed aliter quam huic. Itaque è particularibus Excerptorum numeris, ab initio Cecropis primi ad mortem Codri postremi Regis Atheniensium, colliguntur anni 501, quorum compositorum cum 324, inde ad primam Olympiadem summa est annorum 825, additisque postremis 93, 918, utraque undecim annis major. Ceterum ab exitu Menesthei Regis, & initio Demophontis, sub quod tempus alii statuunt captam Trojam, ad primam Olympiadem,

in

in iisdem Excerptis colliguntur anni 441: atque neglecto hoc undecennio è particularium numerorum mendis emergente, saltem 430, viginti quatuor plures quam putat Eusebius, ac tantummodo tres pauciores, quam exhibet Calculus Marmoreus signans 433. Interim vero, quoad Intervallum ab initio regni Atheniensium usque ad finem Diogneti, sive Diogeneti, septimi Archontis Medontidæ, ad terminum vitæ, atque etiamnum aliquanto postea, videtur convenire Eusebiano calculo cum Marmoreo. Ac proinde eousque singulorum Regum & Archontum Atticorum initia & fines, adeoq; singulos regni & Magistratûs annos apparet pari intervallo annorum 26, serius statui in Eusebiano Chronico, quam in Marmoreo.

Præterea vero Paulus Orosius Presbyter Christianus, tempore antiqui Patris Augustini Episcopi Hipponis libro primo, capite 9, ponens Amphictyonem Athenarum tertium à Cecrope Regem annis 810 ante Romam Conditam, eo pacto initium regni Cecropis facit etiam antiquius quam Excerpta. Posito enim Romæ Conditu juxta Fabium Pictorem circa initium octavæ Olympiadis sexcennio serius quam vulgo statuitur, id est, ante Evangelium 776, additisque 810, regnum Amphyctionis, vel iniens convenit anno 1585 ante idem, ac proinde Cecropis undesexaginta annis antea, anno ante Evangelium 1643, nempe annis 60 antiquius quam statuit Chronicon Eusebianum, 94 quam Marmoreum, ac 26 quam Excerpta. Præterea ipse quoque Eusebius in Chronico ad annum 1555 ante Evangelium, Diluvio quod Deucalionis tempore contigit, adjungens Incendium, sive æstum & squallorem tempore Phaetontis evenientem, tanquam saltem eodem seculo, veluti intra summum triginta annos postea, quasi circa annum 1525, eo pacto arguit regnum Cecropis serius quam par erat, à se poni. Siquidem Apollodoro teste, libro tertio, Phaeton fuit quintus à Cecrope, utpote Tithoni filius saltem suppostititius, vel eo patre dubio, alicujus Adulteri sub solis aut Phœbi larvâ nothus, Cephali Nepos, Herses pronepos, Cecropis Abnepos, cujus propterea regni initium, quanquam admodum juvene ac pene puero tunc Phaetonte, juxta illud Patris monitum, *Parce puer stimulis*, &c. plus minus centum annis antecesserit.

Porro autem ab hoc (ad viginti sex annorum Intervallum) diverso situ Regum Atticorum apud diversos Autores, est, quod in Chronico Eusebiano, subinde idem eventus eodem Intervallo ac distantia temporis repetitur. Verbi gratiâ, in Editione Scaligeranâ, Pontaco quoque in notis suffragante, Apollinis Delii templum ab Erysichthone filio Cecropis fabricatum est, ad annum Regni Cecropis 37, 13 ante ejus finem, ac 1548. ante Evangelium; iterumque post 26 annos Templum Deli constructum ab Erysichthone filio Cecropis, ad annum regni Amphyctionis 4, ac 1522. ante Evangelium. Cujus rationem cum nesciret Scaliger, ita ad hunc annum inquit. "Vide quæ supra notavimus. Nam eadem est perioche, & cur hic repetatur, aut cur ibi locum habeat, si hic ponenda erat, non video.„ Nimirum juxta Chronicon Marmoreum, applicatâ alterâ remotiore Epochâ Evangelica ad alterius citerioris regis annum, convenit in annum quidem 4 Amphyctionis, verum in 1548. ante Evangelium.

Itaque hinc consequens est regnum Amphictyonis, ideoque & Cranai, & Cecropis Regum præcedentium constitutum esse viginti sex annis antiquius ab aliis etiam ipsius Eusebii Autoribus, quam ab aliis. Actæum vero illum, à quo terra prius dicta est Actæa, sive Actica, quæ postea à Cecrope Cecropia, agnoscit etiam Eusebius, referens eum ad tempus Phorbantis regis Argivorum libro 10. de Præparatione Evangelicâ, cap. 3. ubi ita scribit, Κατὰ δὲ Φόρβαντα [ἐγένετο] Ἀκταῖος, ἀφ' οὗ Ἀκταία ἡ Ἀττική. Verum Strabo, lib. 9. eundem vocat Actæonem, scribens ita, Ἀκτικὴν μὲν γὰρ ἀπὸ Ἀκταίωνός φασιν· Ἀκτίδα δὲ καὶ Ἀττικὴν ἀπὸ Ἀτθίδος τῆς Κραναοῦ, ἀφ' οὗ καὶ Κραναοὶ οἱ ἔνοικοι. Pausanias vero in Atticis eundem perinde ut Autor noster & Eusebius Actæum nominat,

nominat, inquiens Ἀκταῖον λέγουσιν τῇ νῦν Ἀττικῇ βασιλεῦσαι πρῶτον. Addit autem Cecropem Actæi filiam habuisse uxorem cujus jure ei in regno successerit.

Epoch. 2. A. M. C. 2431. ante Evang. 1602. Period. 5. 63.

In quo Deucalion apud Parnaßum in Lycoreâ regnavit, regnante Athenis Cecrope, anni MCCCX.

Initium regni Deucalionis circa Parnassum in Lycoreâ, quod Marmorea Inscriptio statuit anno nono regni Cecropis; in Eusebiano Chronico parum certo statuitur juxta Pontaci Editionem, anno 20, juxta Scaligeranam anno 16 ejusdem. Quanquam vero octennii aut duodecennii differentia parvi est momenti, præsertim in re tam antiquâ, atque in novorum regnorum initiis, quibus paulatim acquiritur potentia, & per Intervalla, quasi gradibus quibusdam scanditur ad illud absolutæ potestatis fastigium: tamen ipse Eusebius suppeditat probabile Argumentum propinquioris accessûs initii regni Deucalionis ad initium regni Cecropis: quatenus triginta annis ante hujus initium, refert quosdam scribere Prometheum & Epimetheum (sc. Deucalionis ejusque uxoris Pyrrhæ parentes) & Atlantem fratrem Promethei fuisse illis temporibus: nonnullos autem ante Cecropem annis 60 aut 90, quemadmodum ipse duobus locis antea posuerat. Enimvero siquidem Prometheus & Epimetheus claruerint vel triginta annis ante Cecropem, par est Deucalionem & Pyrrham eorum liberos cœpisse clarescere intra quadragesimum annum postea, i. e. intra primum decennium regni Cecropis. Itaque quod eodem hoc tertio loco adjicit Eusebius, alios scribere Prometheum ceterosque ejus Coævos fuisse ætate Cecropis, hi nimirum fuisse videantur iidem quos Orosius Autores secutus est, statuentes initium regni Cecropis annis 60 antiquius quam Eusebius; 34, quam marmora, ac 26, quam Excerpta-Barbarolatina, & ipsa eosdem regno Cecropis referentia. Quod autem Eusebium istic vellicat Scaliger, quasi male referentem ipsos ante regnum Cecropis, è Tatiano & Clemente, scribentibus eosdem fuisse tempore Triopæ regis Argivi, cujus in Eusebiano Chronico initium statuitur anno quinto Cecropis, id haberet nihil ponderis, si iidem Autores non magis augerent & longius extenderent ultra Eusebianas rationes Argivi regni antiquitatem (quemadmodum à nobis dudum observatum est nostrâ Emendatione temporum ad annum Mundi, 2049.) quam Autor Chronici Marmorei, antiquitatem regni Attici. Lycoreæ autem regionis circa Parnassum, ubi Autor Chronici Marmorei Deucalionem regnasse statuit, meminit Strabo, Lib. 9. Dictio vero significat montanum tractum lupis abundantem. Pausanias in Phocicis scribit ita dictam, quia luporum in montana refugientium à Diluvio, servandi sui causâ, ululatum homines secuti sunt, vel à Lycoro Apollinis & Coryciæ filio.

Epoch. 3. A.M.C. 2473. ante Evang. 1560. Period. 5. 105.

A quo lis Athenis intercessit Marti & Neptuno super Halirrothio Neptuni filio, & locus dictus est Arius Pagus, anni MCCLXVIII. *regnante Athenis Cranao.*

A quo tempore Mars in judicium capitis arcessitus est à Neptuno patruo super occiso Halirrothio hujus filio, eoque criminis absoluto, locus judicii dictus est Arius pagus, sive Martia rupes, ponuntur Marmoreo Chronico anni 1268

ante ipsius finem, (id est, 1580. ante Evangelium) regnante Athenis Cranao; nimirum anno regni ejus primo, post Cecropis annos 50. At in Eusebii Chronico, ex Arnoldi Pontaci editione, collatâ præcipue ad Henrici-Petrinam Basileensem, vulgari anno Dom. 1529. factam, tanquam aliis castigatiorem, ad annum ante Evangelium 1536, regni autem Cecropis 49, sive penultimum, legitur, "Areopagus apud Athenas nomen judicii constitutus, id est, tribunal Judicii Athenis constitutum loco, qui ex eo tempore nomen obtinuit ut diceretur Areopagus; nimirum à Martis in judicium ibi vocati absolutione à crimine cædis Halirrothii patruelis sui, filii Neptuni." De hac autem cæde duplex fertur Narratio, altera fabulæ propior; altera historica verisimilior. Utraque vero satis apte quadrat tempori assignato Marmoreâ Inscriptione. Fabulam narrat Servius Honoratus Virgilii Scholiastes in illud Georgicorum, *Oleæque Minerva Inventrix---*, his verbis. "Eo tempore (scilicet Minerva invenit oleam) quo adversum Neptunum de nomine Civitatis Athenarum (ipsa dicta Græce Ἀθήνη) contendit: Quod (inquit) jam supra dictum est. Cui fabulæ hoc additur, quod postquam Minerva Neptunum inventâ oleâ vicerit, indigne ferens Halirrothius Neptuni filius, oleas cœpit excidere; cui dum hoc facit, ferrum de manu decidit, & ei caput amputavit. Neptunus vero dolens filii sui obitum, Martem homicidii cœpit arguere. Inde effectum est ut Mars & Neptunus de hac re judicium apud Athenas experirentur, unde locus ubi Judices sederunt Areopagus (nimirum quod Mars ibi causâ vicerit) Judices autem Atheniensium (sc. in causis capitalibus, sive quibus capitis rei aguntur) Areopagitæ appellati." Hactenus Servius. Igitur hoc acciderit quoad annos Regum Atticorum, tantummodo biennio serius; & quoad Epocham Evangelii annis 24, (intra idem biennium sc. illis supradictis, 26 sitûs regni illorum) citius Chronico Marmoreo quam Eusebiano. Judicium vero de contentione Neptuni & Minervæ super nomine regionis & urbis Athenarum notatur Eusebiano, regni Cecropis anno 23, ac ante Evangelium 1562, quod Marmoreo juxta eundem viginti sex annorum superiorem & antiquiorem situm regni Cecropis, commodissime convenit regni ejus anno 49, biennio ante litem Neptuni & Martis. Verum historiam de illa cæde & lite Apollodorus libro 3. narrat in hanc sententiam, quod Mars Halirrothium Neptuni ex Euryta Nympha, filium deprehensum in violanda pudicitia Alcippæ filiæ suæ, neptis autem Cecropis ex ejus filiâ Aglauro, interfecerit. Apollodori testimonium de causa cædis Halirrothii confirmat Pausanias in Atticis, ita scribens, Ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ [Ἀσκληπιοῦ ἱερῷ] κρήνη παρ' ᾗ λέγουσι Ποσειδῶνος παῖδα Ἁλιρρόθιον θυγατέρα Ἄρεως Ἀλκίππην αἰσχύναντα ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἄρεως, καὶ δίκην ἐπὶ τούτῳ τῷ φόνῳ γενέσθαι πρώτην. Est in Æsculapii æde fons, apud quem aiunt Neptuni filium Halirrothium, quum filiæ Martis Alcippæ pudorem violasset, morte mulctatum esse à Marte, primumque capitis judicium de hac cæde fuisse factum. Posteaque Καθὸ [τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Πανὸς ἱερὸν] ὁ Ἄρεως πάγος. Ἔστι δὲ Ἄρεως πάγος καλούμενος, ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐνταῦθα ἐκρίθη· καί μοι καὶ ταῦτα δεδήλωκεν ὁ λόγος, ὡς Ἁλιρρόθιον ἀνέλοι, καὶ ἐφ' ὅτῳ κτείνειε. Κριθῆναι καὶ ὕστερον Ὀρέστην λέγουσιν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρός. Juxta Apollinis & Panis ædem est Arius pagus. Dictus autem est Arius pagus, quia primus Ares nempe Mars ibi judicium capitis subiit. Dictum vero mihi superius, ut Halirrothium interfecerit, & quam ob causam. Atque ibidem postea Orestem aiunt subiisse capitis judicium de cæde matris. Porro celebrem fuisse historiam cædis Halirrothii inde liquet, quia Libanius Sophista pro subjecto contrariarum Declamationum, Neptuni sc. accusantis, Martis autem defendentis eam sumsit, Declam. 22, & 23. Itaque æque convenit initio regni Cranai, quod Alcippe Cecropis ex Aglauro filiâ neptis, tunc fere nubilis fuerit, atque antiquiori viginti sex annis situi regni Cecropis, quod Mars tunc ex Aglauro ejusdem filiâ Alcippem jam fere maturam viro susceperit.

Epoch. 4. A. M. C. 2476. ante Evang. 1557. Period. 5. 108.

A quo diluvium tempore Deucalionis evenit, & Deucalion imbres fugit è Lycorea Athenas [veniens & Jovi Phyxio] pro vitâ servatâ, gratulatoria Sacra obtulit, anni MCCLXV, *regnante Athenis Cranao.*

Diluvium tempore Deucalionis, quando is imbres fugiens, Athenas venit, ibique Jovi Phyxio, id est, fugientium servatori Eucharistica Sacra fecit; quod Chronologica Marmorum Inscriptio refert annis 1265. ante citimam Epocham suam, i.e. 1557. ante Epocham Evangelii, quoad tempus convenit Eusebii Chronico intra biennium aut triennium, exhibenti idem anno 1555. aut 1554. ante Evangelium. Verum in rege Attico sub quo evenerit, est differentia, Eusebio referente ad annum 30 vel 31 regni Cecropis, Marmore autem ad Cranaum regem, regni nimirum ejus annum 4. viz. propemodum eodem discrimine annorum 26 inter utrumque in situ regum Atticorum. Hac autem in re Marmor non modo medium ferire, quod ipsum per se admodum probabile est veritatis Argumentum, sed etiam verum proxime attigisse locupletissimo suffragio, apparet. Medium inquam ferit inter Eusebii Autores referentes illud ad Cecropis regnum, & Autores Pauli Orosii referentes idem ad regnum Amphyctionis loco paulo superius allegato, ubi scribit in hæc verba, Anno 810 ante Romam Conditam, Amphictyon Athenis tertius à Cecrope regnavit, cujus temporibus aquarum illuvies majorem partem populorũ Thessaliæ absumsit, paucis per refugia montium liberatis, maxime in monte Parnasso, in cujus circuitu Deucalion tunc regno potiebatur. Verum autem proxime attigit Marmoreum Chronicon locupletissimo suffragio & testimonio Marci Terentii Varronis, nempe illius qui seculo Romanorum doctissimo, Doctissimus Romanorum habitus est: adeoque cujus præter ceteram doctrinam, diligentiam & sagacitatem etiam in Chronologicis laudat Censorinus, erudito libello suo de die natali. Hujus vero testimonium profert gravissimus Pater Augustinus Hipponensis Episcopus, in eximio illo suo opere de Civitate Dei, Lib. 18. cap. 10. scribens ita; His temporibus, ut Varro scribit, regnante Atheniensibus Cranao successore Cecropis, ut autem nostri, Eusebius & Hieronymus, adhuc eodem Cecrope permanente Diluvium fuit, quod appellatum est Deucalionis, eo quod ipse regnabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum est. Varronis autem sententiam non fuisse eam, ut existimaret diluvium Deucalioneum tanto serius contigisse, sed plane eandem ac Chronici Marmorei, Cranaum tantò citiùs regnare cœpisse, docebimus duplici ipsius Varronis calculo, quorum utrumque attigimus libello nostro de Emendatione Temporum ad annos Mundi 1852. & 1878. Alter est ab initio regni antiquissimi Ogygis, primumque ab eo conditis Thebis Bœotiis: de quibus in procemio tertii sui libri de re Rustica (nisi me fallit fragilis memoria, quum liber sit domi meæ, ego autem sexaginta fere millibus passuum inde distans) scribit in hæc ferme verba: nempe eo tempore, quando ipse scripsit, vere dici posse, quod Ennius Poeta falso cecinerat de suo

Septingenti sunt paullo plus aut minus anni,
Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Atque ad hoc tempus ab eo quo Ogyges ille rex antiquissimus, primum in Græcia Oppidum condidit Bœotias Thebas, fuisse annorum duo millia & centum. Statuit autem Varro Romam conditam circiter medium Olympiadis sextæ, post duos & viginti annos (ut loquitur Vellcius) quam prima constituta erat, i.e. annis septingentis octoginta duobus ante Epocham Evangelii. Itaque Thebas Bœotias statuit antiquiores Româ bis septingentis, i.e. mille

mille & quadringentis annis, tanquam conditas annis 2182. ante Evangelii principium, Ogyge tunc iis locis regnante: cujus regni anno 27 circiter annum 2155. ante Evangelium, contigerit Diluvium Græciæ prius, ab ipso dictum Ogygium. Ab eo autem ad posterius dictum Deucalioneum, Caio Julio Solino etiam teste, Polyhistoris cap. 17. statuit idem Varro intercessisse annos sexcentos. Quapropter Varronis sententiâ Deucalioneum diluvium contigit circa annum ante Evangelium 1555, vel tanto tempore citius, quanto Ogyges regnare inceperit, antequam Thebas condere cœpisset, veluti plus minus biennio; quod Marmoreæ Chronologiæ prorsus congruit. Alter Varronis calculus habetur apud Censorinum, cap. 21, quo à priore cataclysmo dicto Ogygio ad Olympiadem 1. colliguntur anni mille & circiter CD: ita enim legendū esse constat, non DC juxta vulgata Exemplaria, inquam mille & quadringenti. Unde iterum deductis sexcentis inter Ogygium & Deucalioneum, relinquitur Deucalioneum contigisse annis ferme octingentis, haud dubie vero propius octingentis, quam septingentis ante Olympicam Epocham. Quocirca deducto Intervallo annorum 804 inter Epochas Evangelii & Olympicam, ab intervallo annorum 1557 inter diluvium Deucalioneum & Evangelii principium juxta Chronicon Marmoreum, relinquitur intervallum annorum omnino 753, inter idem diluvium & primam Olympiadem; quo minus hic Varronis calculus profecto non admittit. Porro Deucalionem Athenis ædificasse Templum Jovi Olympio, ibique mortuum & sepultum esse tradit Pausanias in Atticis.

Epoch. 5. A.M.C. 2483. ante Evang. 1550. Periodi 5. 115.

A quo Amphictyon Deucalionis filius regnavit Thermopylis, & [primates] in vicinia habitantes convocavit, & appellavit Amphictyones, & [Pylaicos conventus instituit, quibus] etiam nunc adhuc sacrificant Amphictyones, anni MCCLVIII. *regnante Athenis Amphictyone.*

Amphictyonem Deucalionis filium regnasse Thermopylis, & convocatis finitimis, eorum primores appellasse Amphictyones, & Pylaicum Concilium instituisse, quo ad suum usque seculum sacrificarent Amphictyones, refert Autor Chronici Marmorei annis 1258. ante citimam Epocham, nempe 1550. ante Evangelium, regnante tunc Athenis etiam Amphictyone, nempe anno secundo. Ac sane initia regnorum filiorum Deucalionis maturâ senectute, magnâque autoritate defuncti, confirmant initium regni ipsius Deucalionis, ante annos 52, ejusque diuturnitatem & durationem per tot annos Marmoreo Chronico consignatam. Regni autem Amphictyonis, natu majoris, ut apparet ex Amphictyonum Senatu autoritate ejus instituto, initium confirmatur ex initio regni Hellenis fratris junioris, quo de, insequente Epochâ. Senatus vero Amphictyonum summæ autoritatis in Græcia, eorumque Concilii Pylis sive Thermopylis instituti antiquitatem si non testaretur Dionysius Halicarnasseus, libro 4, in Servio Tullio Rege Romanorum, Strabo lib. 8 & 9, Pausanias in Phocicis, Demosthenes oratione περὶ σεφάνυ, Diodorus Siculus libro 16. anno Archontis Athenis Elpini, præcipue vero Archontis Archiæ (ubi Philippum Macedonum Regem conscriptum esse in ipsum, eique concessum duplicem calculum, sive duplex suffragium narrat, qnod prius habuerant Phocenses, ejus jure propter Philomeli sacrilegium exuti & depulsi) aliique; ipsum certe nomen ejus originem satis arguit.

Epoch. 6. A.M.C. 2484. ante Evang. 1549. Periodi 5. 116.

A quo Hellen Deucalionis filius [in Phthiotide] regnavit, & Hellenes appellati sunt, qui prius Græci dicebantur; & Agonem Panathenaicum [instituendum suasit] MCCLVII. *regnante Athenis Amphictyone.*

Hellenem Deucalionis filium regnavisse in Phthiotide, & ab eo Hellenes appellatos, qui antea dicebantur Græci, eundemque suasisse instituendum Agonem Panathenaicum, quod significatur Chronico Marmoreo, annis 1257. ante citimam Epocham (qui sunt 1549. ante Evangelium) regnante Athenis Amphictyone, sc. anno tertio; utique in Chronico Eusebiano, ab Hellene Deucalionis & Pyrrhæ filio, hi qui prius Græci Hellenes nuncupati sunt, juxta Arnoldi Pontaci Editionem annis 1547. ante Evangelium, tantummodo biennio serius: quantulo & quam exigui immo nullius momenti discrimine, in tanta rei antiquitate. At juxta Scaligeranam annis 1548. unico duntaxat anno serius, in notis vero annis 1549. nec unico quidem: verum ad Cecropis annum 35, 15 ante finem, utpote siti annis 26 inferius in hoc quam in illo. De hoc Hellene Deucalionis filio, & Hellenibus ab eo appellatis in Phthiotide regione Thucydides in historiæ suæ prooemio ita scribit, Δοκεῖ δέ μοι--- πρὸ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος καὶ πάνυ οὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις αὕτη [τῆς Ἑλλάδος] κατὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν ἐπὶ πλεῖστον, ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι. Item, Ὅμηρος-- πολλῷ ὕστερος ἔτι καὶ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενος, οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν [Ἕλληνας] οὐδ' ἄλλους ἢ τοὺς μετ' Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος. Latine ita, Videtur vero mihi, ante Hellenem Deucalionis filium, nondum fuisse appellatio hæc [Helladis] sed secundum gentes tum alias, tum præcipue Pelasgicam à se denominationem habuisse, sc. qui postea uno nomine dicti sunt Hellenes. Quinetiam Homerus, qui vel Trojano bello multo posterior extiterit, nusquam universos nominavit Hellenes, sed solummodo eos qui cum Achille duce è Phthiotide ad bellum Trojanum profecti sunt. Aristoteles autem sub finem libri primi Meteorologicorum, loquens de diluvio Deucalioneo, Περὶ τὸν Ἑλληνικὸν, inquit, ἐγένετο μάλιστα τόπον, καὶ τούτου περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. Αὕτη δ' ἐστὶν ἡ περὶ Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῷον· ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοὶ, νῦν δὲ Ἕλληνες; Latine, Factum est præcipue circa regionem Hellenicam, & hujus regionis, circa Helladem antiquam. Ea autem est circa Dodonem & Acheloum Fluvium: ibi enim habitabant Selli, & qui appellati sunt tunc Græci nunc autem Hellenes. Etenimvero in Dicæarchi fragmentis ad Theophrastum, editis cum aliis Græcorum Geographorum fragmentis, Augustæ, anno vulgari 1600. in quo legitur ita, Ἑλλὰς τὸ παλαιὸν οὖσα ποτὲ πόλις ἀφ' Ἕλληνος τοῦ Αἰόλου ἐκλήθη τε καὶ ἐκτίσθη, τῆς νῦν Θετταλῶν οὖσα χώρας, ἀνὰ μέσον Φαρσάλου τε κειμένη, καὶ τῆς τῶν Μελιταίων πόλεως. Pauloque post citatur versus Homericus, Μυρμιδόνες δὲ καλοῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί. adjectâ hâc Interpretatione, Μυρμιδόνας μὲν λέγων εἶναι τοὺς περὶ τὴν Θετταλίαν Φθίαν κατοικοῦντας, Ἕλληνας δὲ τοὺς μικρῷ πρότερον ῥηθέντας. Itemque post, Ἐστὶν οὖν ἡ Ἑλλὰς ὑφ' Ἕλληνος ὀνομασθεῖσα πόλις τε καὶ χώρα. Latine; Hellas antiquitus cum esset Civitas, ab Æolo filio Hellenis nominata conditaque fuit, in Thessaliæ regione sita, inter Pharsalum & Meliteorum civitatem-- Quocirca Poeta ait. Myrmidones dicti sunt Hellenesque & Achæi, Myrmidones appellans eos qui circa Thessaliam Phthiam incoluerunt, Hellenes vero paulo antea dictos. --Hellas igitur ab Hellene habitata est & Civitas & Regio. Fortasse vero post μικρῷ πρότερον ῥηθέντας, deest Γραικοὺς,

paulo

paulo antea dictos Græcos. Siquidem secundum Aristotelem etiam Plinius significat prius dictos Græcos qui postea Hellenes, Lib. 4. cap. 7. ita scribens, "Illam partem Thessaliæ cognominatam Græciam à Græco Rege ibi genito, & Hellada, atque Hellenes ab Hellene item Rege, hos eosdem, viz. qui prius Græci.„ Atque eidem sententiæ accedit Apollodorus, qui Hellenis filios tres recensens, Dorum, Xuthum, & Æolum, subjungit, Αὐτὸς μὲν ἀφ' αὐτοῦ τοὺς καλουμένους Γραικοὺς προσηγόρευσεν Ἕλληνας. Ipse quidem Hellen à se, qui dicti fuerant Græci agnominavit Hellenes. Ubi animadversione dignum, omnium trium Hellenis filiorum, atque etiam nepotis è Xutho filio Ionis, nomina videri Hebraicæ originis. Dorus enim Hebraice fuerit דור. Xuthus שות. Æolus אלישה, & Ion manifeste יון. Atque iidem fuerunt Autores trium præcipuarum Dialectorum linguæ Græcæ, nempe Doricæ, Æolicæ & Ionicæ, præter communem omnibus Hellenismum, à quo quarta Dialectus Attica, ab Atthide Cranai filiâ, Hellenis etiam tempore orta, quam minimum differebat. Pausanias vero scribit, Amphictyonem Atheniensem, quum ductâ Cranai filiâ Atthide in uxorem, à qua regio dicta Attica, eum nihilominus regno expulisset, ipsum postea regno privatum esse ab Erichthonio: quem Apollodorus Lib. 3. è Cranae Atthidis filiâ, natum esse refert. Græci vero filius Thessalus, Thessaliæ rex in Chronico Eusebiano statuitur annis 270 ante Hellenem circiter annum 1820. ante Evangelium. Ceterum duos fratres Deucalionidas, Hellenem cum fratre Amphictyone, suasisse Erichthonio regi Atheniensium hospiti suo, ut Panathenaicum certamen institueret, colligimus paulo post in regno Erichthonii.

Epoch. 7. A.M.C.2486. ante Evang. 1547. Period. 5. 118.

A quo Cadmus Agenoris filius Thebas advenit [& condidit Cadmeam, anni MCCLV, *regnante Athenis Amphictyone.*

Cadmum Agenoris filium advenisse Thebas, ibique condidisse Cadmeam arcem in Marmore notatur annis 1255. ante Epocham, i. e. anno ante Evangelium 1547. regnante Athenis Amphictyone, anno sc. 5. Eusebius vero in Chronico Cadmi adventum Thebas statuit, annis ferme nonaginta postea plerisque aliis astipulantibus. Haud tamen propterea error temere imputandus fuerit Marmoreo Chronico. Siquidem Cadmus post adventum Thebas, uxorem accepit Harmoniam Martis & Veneris filiam, ex qua numerosam prolem suscepit, magnaque felicitate diu floruit, antequam in calamitatem recideret, quemadmodum canit Poeta Ovidius.

Jam stabant Thebæ; poteras jam Cadme videri
Exilio felix; soceri tibi Marsque Venusque
Contigerant: huc adde genus de Conjuge tanta,
Tot natos natasque, & pignora chara Nepotes:
Hos quoque jam Juvenes.

Quandoquidem igitur Alcippe ab Halirrhothio violata, & Harmonia Cadmo in uxorem tradita, eodem patre Marte (adhuc sc. terrestri Heroe, nondum cœlicola in divorum numerum relato, aut per vicarium adulterum rem gerente in terra) prognatæ fuerint: certe Cadmus videtur advenisse Thebas, circiter hoc idem tempus. Quod ex ætate Dionysii Nepotis Cadmi è filia Semela paulo post confirmabitur.

Epoch.

Epoch. 8. A.M.C. 2489. ante Evang. 1544. Period. 5. 121.

A quo Eurotas & Lacedæmon in Laco]nicâ regnarunt, anni MCCLII. *regnante Athenis Amphictyone.*

Epochâ proxime sequente in Chronico Marmoreo, quidam, quorum nomina obliterata sunt, dicuntur regnasse in regione, cujus etiam terminatio sola --νικης--nicâ superstes est, ante citimam annis 1252. id est, anno ante Evangelium 1544. regnante Athenis Amphictyone, nimirum anno 8. Eos autem (quemadmodum dudum ratus sum) fuisse Eurotam & Lacedæmonem Eurotæ fratrem uterinum juxta nonnullos, generum vero juxta alios, utpote Apollodorum lib. 3. ac Pausaniam initio Laconicorum, qui secundum Lelegem & Myletem obsoletæ antiquitatis, veluti secundum Actæum Cecrops in Attica memorantur primi regnasse in Laconicâ, à quorum altero fluvius, altero urbs nomen accepit; satis probabili argumento fuerit, quod in Chronico Eusebiano legitur Lacedæmon condita à Lacedæmone Semeles filio, anno primo Regis Atheniensium Ericthonii; id est, tantummodo triennio post octavum annum Amphictyonis, verum anno ante Evangelium 1515. utique eodem duntaxat triennio superante solenne illud discrimen annorum 26 inter utrumque in situ regum Atticorum.

Epoch. 9. A.M.C. 2494. ante Evang. 1539. Periodi 5. 126.

A quo Navis--- ex Ægypto in Helladem appulit, quæ appellata est pentecontoros, & Danai filiæ--- & Helice, & Archedice, sorte lectæ ab aliis--- & sacrificabant super littus--- in Lindo Rhodiâ urbe, anni MCCXLVII. *regnante---.*

Danai cum quinquaginta filiabus, navi quæ dicta est Pentecontoros, nempe quinquaginta-remis, ex Ægypto appulsum in Helladem, refert Chronicon Marmoreum, annis 1247. ante citimam Epocham, anno 1539. ante Evangelium; regnante eo Athenis, cujus nomen quoque obliteratum est, verum ut apparet, post decennium regni Amphictyonis Erichthonio, & quidem anno tertio. Eusebianum vero ponit annum quintum & postremum regni Armei sive Danai in Ægypto, quem Josephus, è Manethone, & Apione Ægyptiacis Historicis refert regnasse ibi præcise annos 4 & mensem 1) anno quarto regni Erichthonii, ac 1512. ante principium Evangelii. Quocirca convenit Danaum circa finem ejusdem anni quinti ab initio regni sui in Ægypto, appulisse in Helladem, annis omnino 27 citius quam statuit Eusebius: quorum unus tantummodo imputandus fuerit annis regum Atticorum, reliqui autem 26, inferiori eorum situi in Chronico Eusebiano, quam in Marmoreo. Orosius hoc refert annis 12 citius, utpote 775 ante Romam conditam, id est, 1551. ante Evangelium.

Epoch.

Epoch. 10. A.M.C. 2499. ante Evang. 1534. Period. 5. 131.

A quo Eri]chthonius Panathenæis primo celebrandis currum junxit, & Agonem edidit, & Athenienses---: Sacra d]eorum matris in Cybelis instituta sunt: & Hyagnis Phryx tibias primus invenit; &---[harmoniam d]ictam, juxta Phrygium modum primus tibiis cecinit, & alios nomos sive Harmonices *leges aut modos Matris [deûm] Bacchi, Panis, &---; anni* MCCXLII. *regnante Athenis Erichthonio, qui currum junxit.*

Erichthonium Atheniensium regem Panathenæis primo celebrandis, junxisse equos currui & Agonem edidisse, & Sacra Matris Deorum in Cybelis Instituta, atque Hyagnem Phrygem tibiarum primum Inventorem, & Harmoniæ dictæ juxta Phrygium modum, peculiares nomos sive Harmonices leges & modos peragendis Sacris Matris Deûm Dionysii & Panis, accommodâsse statuit Chronicon Marmoreum ante citimam Epocham annis 1242. anno ante Evangelium, 1534. eodem Erichthonio regnante, sc. anno 8. Nolo ego hic me immiscere disputationi de prima quadrigarum Inventione, ludorumve Panathenaicorum aut aliorum celebratione, vel de distinctis Harmonices nomis sive legibus & modis: de quibus fuse & erudite Seldenus noster ad hunc locum: neque animus est immittere falcem in alienam messem,. sed propositum solummodo urgere, quod erat ostendere veritatem sive probabilitatem Chronologicam Chronici Marmorei; idque ad confirmandum & illustrandum tempus Mortis Darii Hystaspidæ, à me dudum libello de Emendatione temporum restitutum, ac nuper redivivi hujus Chronici calculo, haud mediocri nostro solatio, inter tantum à lividis Momis contemtum, & vituperationem studiorum ac laborum nostrorum per Dei gratiam comprobatum. Erichthonium primum quadrigam junxisse in Græcia, quum antea esset apud alias nationes, quod annotatur in Chronico Eusebiano, è suo loco plura non capiente luxatum significat Arnoldus Pontacus: atque in aliis exemplaribus positum ad Erichthonii annum 17, in aliis vero ad 13, quæ Scaliger in sua Editione secutus est. Itaque haud injuriâ utriusque generis exemplaria corrigantur Marmoreâ Inscriptione, quæ licet annum regni Erichthonii non assignet, tamen per annum Epochæ suæ assignatum satis aperte significat Scaligerano situi adhuc deesse quinquennium ad annum regis Attici, & ex consequenti viginti sex annos plures, omnino autem 31, ad verum situm ante Epocham Evangelii. Ad alteram vero partem ejusdem Periochæ quod attinet, quâ Hyagnis Phryx dicitur invenisse Musicos modos aptatos Sacris solennibus Cybeles Deorum matris tum primum institutis, item Dionysii sive Bacchi, Panis, &c, tametsi non est rationi consentaneum intelligere ita quasi Phrygius ille Harmostes omnes hos modos Harmonicos simul invenerit, aut primis illis Cybeles Sacris singulos tibiis cecinerit; tamen oportet haud aliter accipere quam eum, quum primos inventos ejusdem Cybeles Sacris, sive Festo cecinisset, (enimvero ita accipio quasi non modo eodem tempore, sed etiam eodem loco primum Artis suæ specimen ediderit) deinceps invenisse, ac eorundem aut aliorum similium Sacrorum & Festorum solennium celebritate cecinisse, tum alios nomos, tum etiam Dionysii, quando nimirum hujus Sacra dicta Dionysiaca sive Orgia primum instituta & celebrata sunt, eodem Erichthonio adhuc regnante. Atqui in Chronico Eusebiano, Dionysius, qui Latine Liber Pater, natus ex Semele fertur annis ferme 120 postea. Hinc itaq; Dionysii Semeles filii, & ex antecedente avi ejus materni Cadmi patris Semeles, seculum, quod supra recepimus, diligentius investigandum, & confirmandum

mandum nobis est. Enimvero in Eusebii Chronico supra ad postremum annum Cecropis ex editione Arnoldi Pontaci, ac 1535. ante Evangelium, legitur, Vitis inventa à Dionysio, sed non Semeles filio: quæ postrema verba videntur addita sub eorum personâ qui opinati Dionysium Semeles filium multis annis, adeoq; aliquot seculis juniorem, negare tamen non possent, Vitem sive Vitis culturam apud Græcos hoc seculo inventam esse, idque à Dionysio quodam, quicunque ille fuerit. Atqui Græca Eusebii ad eundem locum spectantia sunt, Ἀμπελουργία ὑπὸ Διονύσου ἐγνωρίσθη τοῦ ἐκ Σεμέλης, Vitis cultura nota facta est à Dionysio illo Semeles filio, nimirum Cadmi è Semele filià Nepote. Ecquem enim alium quam Bacchum, illum inquam ipsum Semeles filium, vini inventorem agnovit Græca Antiquitas? Ut merito annotet Scaliger, Augustinum Lib. 8. cap. 12. (Operis de Civitate Dei) hunc Eusebii locum habuisse in animo, quum scriberet, His temporibus Dionysium, qui etiam Liber Pater dictus est, & post mortem ejus Deus habitus, Vitem ferunt ostendisse in Attica terra hospiti suo. Quid? quod ferme quadraginta annis postea etiam in Eusebii Chronico legitur, Dionysius Nysam in India condidit, & à suo nomine eam sic appellavit. Quæ verba etiamsi amovenda censeat Arnoldus Pontacus in Notis, sicut proxime præcedentia, quod iterum occurrant plus minus centum annis postea, quo minus tamen expungeret, prohibuerunt eum nonnulli manuscripti libri, ac præterea editi omnes: ideoque inquit, quum eorum lectio recepta sit, nefas nos ea rejicere. Atqui Scaligero postea nulla religio fuit, in sua editione silentio prætermittere, ne uno quidem verbo ratione omissionis redditâ. Unde quâ integritate ac quam sincero ac sano judicio in ea se gesserit, apparet. Incidit hic Nysæ Conditus in annum ante Evangelium 1494. Erichthonii vero Regis Athenarum annum 22, juxta Eusebium. Verum retentis utrobique iisdem annis Epochæ Eusebianæ ante Evangelium, propter antiquiorem annis 26 situm regum Atticorum in Chronico Marmoreo, Culturæ vitis inventio contigerit septimo anno Erichthonii anno proxime præcedente prima ejus Panathenaica, Nysæ autem Conditus ejusdem anno 48. Quod si hoc pacto Vitis Inventio juxta situm ejus in Chronico Eusebii videatur propius accedere ad Cadmi adventum Thebas, longiusque antecedere Nysæ conditum quam par est: possit haud improbabiliter differri decennio ad primum annum Amphictyonis juxta Eusebium, juxta Marmora vero Erichthonii annum 17, at ante Evangelium 1525. Ad quem annum in Eusebii Chronico annotatur, Dionysium quanquam non Semeles filium sed Deucalionis (opinione sc. eorum qui Semeles filium Cadmi nepotem multo juniorem autumarunt) quum in Atticam pervenisset, hospitio acceptum à Semacho, filiæ ejus caprinam pellem largitum esse. Sed nimirum hic diligenter attendendum ista Latina longe alium præ se ferre sensum, quam habent Eusebii Græca, viz. hæc, Κατὰ Ἀμφικτύονα τὸν Δευκαλίωνος υἱόν τινές φασι Διόνυσον εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐλθόντα ἐπιξενωθῆναι Σημάχῳ. Latine, Tempore Amphictyonis filii Deucalionis quidam aiunt Dionysium advenientem in terram Atticam, hospitio acceptum esse à Semacho, καὶ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ νεβρίδα δωρήσασθαι; ejusque filiam caprinâ pelle donasse. ἕτερος δ' ἦν τοῦ ἐκ Σεμέλης οὗτος, Hic vero Dionysius alius erat à Semelæ filio. Quocirca cujuscunque filius hic Dionysius fuerit, neutiquam istic dicitur fuisse filius Deucalionis, sed tantum temporibus Amphictyonis filii Deucalionis in Atticam advenisse. Neq; vero hic Amphictyon Deucalionis filius fuit tunc rex Atticæ, ut colligit Scaliger ex Apollodoro in notis ad hunc locum: neq; enim hoc affirmat Apollodorus verbis ab eo citatis, nempe his, Κραναὸν δὲ ἐκβαλὼν Ἀμφικτύων ἐβασίλευσε, τοῦτον μὲν ἔνιοι Δευκαλίωνος, ἔνιοι δὲ Αὐτόχθονος λέγουσι. Cranaum vero ejiciens Amphictyon, regno potitus est. Hunc quidam dicunt fuisse filium Deucalionis, alii vero Autochthonis sive Indigenæ cujuspiam. Quinimo hoc præstantissimum Chronicon Marmoreum docet nos Amphictyonem Deucalionis filium regnâsse Thermopylis, magnaque autoritate

tate Amphictyonum Senatum & Pylaicum Concilium instituisse, & Sacra ordinâsse, eodem tempore quo Hellen ejus frater regnabat in Phthiotide Thessaliæ, atque Amphictyon alius, qui ejecerat Cranaum Athenis. Ad ipsum vero Dionysium quod attinet, si paulo diligentius attendisset Scaliger, quæ è Pausania & Stephano de eo, eodem loco ipse citat, haud puto expunxisset è Chronico Eusebii periocham de Nysa ab eo condita, haud ita multo post. Pausaniæ in Atticis verba sunt, Μετὰ δὲ τὸ τοῦ Διονύσου τέμενός ἐστιν οἴκημα ἀγάλματα ἔχον ἐκ πηλοῦ, βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτύων ἄλλους τε θεοὺς ἑστιῶν καὶ Διόνυσον. Post lucum est ædes, in qua statua quædam lutea, Amphictyon Atheniensium rex epulo excipiens tum alios deos, tum Dionysium. Stephani vero de Semacho & Semachidis verba habentur hujusmodi: Σημαχίδαι δῆμος Ἀττικὸς ἀπὸ Σημάχου, οὗ καὶ ταῖς θυγατράσιν ἐπεξενώθη Διόνυσος, ἀφ' ὧν αἱ ἱέρειαι αὐτοῦ. ἔστι δὲ τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. Semachidæ sunt gens Attica, à Semacho, à cujus nimirum filiabus hospitio exceptus est Dionysius: è quibus proinde Sacerdotes ei institutæ sunt. Est autem ea gens sive natio è tribu Antiochide. Donatione autem sive traditione νεβρίδος caprinæ pellis, ait Scaliger Dionysium docuisse illas Semachidas mysteria & τελετάς, scilicet initiationes sive Sacra, nimirum Orgya sua. Idcirco, inquit, filiæ Semachi fuerunt ab eo tempore Sacerdotes Bacchi, ut apud Stephanum, καὶ ἐνεβρίζοντο τῷ Διονύσῳ Sacra ministrabant Dionysio. Ecquis jam alius, vel ipso Scaligero judice, hic fuerit Dionysius, quam Bacchus ille Semeles filius, cujus famosissima Orgya festaq; solennia Dionysiaca dicta, celebrabantur Athenis, Thebis, & alibi? Quanquam quod de Amphictyone rege Atheniensium epulato Dionysium legitur apud Pausaniam, videtur rectius convenire vel Erichthonio, qui Amphictyonem regno ejecerit, perinde ut Amphictyon Cranaum, vel certe Amphictyoni Deucalionis filio regi Pylarum, Erichthonii Confœderato, Athenas ad eum veniente, quemadmodum venerat Pater ejus Deucalion ad Cranaum: tum ad redintegrandum fœdera cum ipso, tum ad renovandum patris sui Sacra gratulatoria sive Eucharistica, quibus nimirum sacrificiis haud inepte dictus fuerit epulatus esse tum alios Deos, tum ipsum Dionysium: idque forte uno aut altero decennio postea, viz. circitur annum 27, aut 37 regni Erichthonii: siquidem ab Amphictyone Atheniensi Epulum sive Sacrificium diis oblatum Athenis, videatur vix notatu dignum, utpote quotidie solitum. Nec alia probabilior occurrit ratio, cur expresse notetur Dionysium temporibus Amphictyonis filii Deucalionis venisse Athenas, quam quod idem Amphictyon aliquando eodem veniens, illum cum ceteris diis Atheniensium ibidem epulatus fuerit. Atq; hoc fit eo verisimilius, quia etiam Erichthonius ante regnū dum proficisceretur in Scythiam, ut Hyginus refert capite 274, ubi quadrigam jungere didicerit, indeq; domum reverteretur, videtur hospitio exceptus esse ab Amphictyone & Hellene Deucalionis filiis: quando Hellen Agonem Panathenaicum instituendum ei suaserit, quemadmodū superius significatur Chronico Marmoreo: & quorum utriusq; tum consiliis tum auxiliis, ad ejiciendū regno Atticum Amphictyonem usus sit. Quinetiam Marmoream Chronologiam seculi Cadmi, ejusque ex Semele filiâ Nepotis Dionysii sive Bacchi, quantumlibet refragante Chronico Eusebiano, & differente ad centum fere annos, liquido confirmat Herodotus Historiæ Græcæ pater: itemq; Diodorus Siculus. Apud Herodotum enim Euterpe sive libro secundo, de Dionysii filii Semeles, & Herculis filii Alcmenes, & Panis filii Penelopes, seculis legitur ita, Διονύσῳ μὲν νῦν τῷ ἐκ Σεμέλης τῆς Κάδμου λεγομένῳ γενέσθαι κατὰ ἑξακόσια ἔτεα καὶ χίλια μάλιστα ἐστὶ ἐς ἐμέ. Ἡρακλέϊ δὲ τῷ ἐξ Ἀλκμήνης κατὰ εἰνακόσια. Πανὶ δὲ τῷ ἐκ Πηνελόπης, κατὰ ὀκτακόσια μάλιστα ἐς ἐμέ. "A Dionysio quidem certe, qui ex Semele filiâ Cad-"mi genitus fertur, ad meam ætatem sunt anni fere mille & sexcenti. Ab Hercule vero Alcmenæ filio ferme nongenti. A Pane autem filio Penelopes---octingenti fere ad me anni. Ubi nullum est dubium quin pro ἑξακόσια, legendum sit ἑξήκοντα, pro sexcenti, inquam, sexaginta. Siquidem

Herodotum cenſuiſſe Bacchum annis paulo plus centum & ſexaginta antiquiorem Hercule filio Alcmenæ, colligere licet ex eo quod ſuperius eodem libro refert Thaſum conditam, inque ea Templum Herculi Thaſio ſive Tyrio, à Phœnicibus, qui ad inveſtigandum Europam navigarunt, (viz. Thaſo, cujus iterum meminit libro ſexto, aliiſque Cadmi comitibus) quinque ætatibus virorum prius quam Hercules Amphitryonis filius in Græcia exiſteret; & libro quarto, refert Theram, quartum à Polynice, obtinuiſſe inſulam à ſe ita nominatam, hominum ætatibus octo poſtquam Cadmus Europam quæritans, eoque appellens ipſam Membliari cognato & comiti ſuo incolendam conceſſerat. Ac ſane in confeſſo eſt, Polynicem patrem Therſandri, avum Tiſameni, proavum Auteſionis, abavum Theræ, fuiſſe filium Oedipi, Nepotem Laii, pronepotem Labdaci, abnepotem Polydori, Cadmi filii ſero geniti: quo adhuc minorenne Pentheus rector Thebarum à Cadmo avo ſurrogatus (uti refert Apollodorus libro 3.) à matre Agave, utique Cadmi filia Echioni ſparto nupta, aliiſque Mœnadibus ejus Comitibus Bacchi furore percitis diſcerptus eſt. Fuiſſe vero Polydorum Cadmi ſero genitum apparet ex eo, quod Nycteidem filiam Nyctei, filii Cthonii alterius è Spartis Cadmi aulicis uxorem duxerit, uti refert Apollodorus eodem libro. Itaque conſtat Herodotum cenſuiſſe ætates ferme quinque inter Bacchum ſive Dionyſium Semeles & Herculem Alcmenes filios: qui ſunt juxta ejuſdem calculum ſub initium Sermonis, de Dionyſio Hercule & Pane, aſcribentis ternas ætates centenis annis, centum & ſexaginta propemodum anni. Scripſit autem Herodotus Hiſtoriam ſuam circa initium Belli Peloponneſiaci, factum Platæarum occupatione à Thebanis duce Eurymacho, cujus meminit libro 7: atque Atticæ populatione à Lacedæmoniis, exceptâ tamen Deceleâ, uti refert libro 9: quum libro 7. etiam mentionem faciat legatorum Lacedæmoniorum, Nicolai filii Bulis, & Aneriſti filii Sperthiei, unaque Corinthii Ariſteæ filii Adimanti proficiſcentium ad Imperatorem Perſicum, proditorum à Sitalce Thraciæ rege, & necatorum ab Athenienſibus: quod Thucydides libro 2. ſcribit factum ſecundâ æſtate Belli, id eſt, fine anni ſecundi Olympiadis 87: annus vero ſecundus Olympiadis 87 erat 167 ante citimam Epocham Chronici Marmorei, & 459 ante Evangeliū. Quibus ſi addantur 900 referent nos ad annum 1067 ante Marmoream Epocham, ac 1359 ante Evangelium, atque annum 3 regni Pandionis ſecundi Athenis, quo Hercules natus ſit; ita ut annus regni Ægei 34, quo in Chronico Euſebiano legitur conſummaſſe Certamina, fuerit annus 57 ætatis ejus. Eidem autem tempori Herodoti ætatis additi 1060 anni, referunt ad 1227 annum ante citimam Epocham Marmorum, ac 1519 ante Evangelium, atque 23 annum regni Erichthonii, quo natus fuerit Bacchus Semeles filius, anno 28 ante regni ejus finem, 38 poſt Cadmi adventum Thebas, ac 91 ab initio regni Cecropis primi Athenis, juxta Chronicon Marmoreum, calculo Herodoteo ita à nobis juxta manifeſtam ipſius mentem correcto, adeo quaſi ad amuſſim congruum. Forſitan vero rotundo numero annorum 900, quo exponitur natale Herculis, minuendi fuerint 20, aut præter-propter, ut conſummatio Certaminum ejus, vel ſaltem ipſius Agon Olympicus evenerit decimo anno regni Theſei, quemadmodum dubiâ illâ Epochâ ejuſdem anni, mutilis Marmoribus innuitur.

Porro Diodorus Siculus lib. 9. recenſens varios Thebarum caſus à Cadmi Inſtauratione ad poſtremam earum reſtaurationem à Caſſandro, clare ſignificat Cadmum eo adveniſſe paulo poſt diluvium Deucalioneum; unde conſequitur congrua Antiquitas Dionyſii ſive Bacchi Nepotis ejus. Ita enim ſcribit, Μετὰ γὰρ τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν, Κάδμου κτίσαντος τὴν ἀπ' αὐτοῦ προσαγορευθεῖσαν Καδμείαν, συνῆλθεν ἐπ' αὐτὴν λαὸς, ὅντινες μὲν Σπαρτὸν προσαγορεύουσιν, διὰ τὸ πανταχόθεν συναχθῆναι. τινὲς δὲ Θηβαγενῆ, διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν ἐκ τῆς προειρημένης πόλεως ὄντα, διὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκπεσεῖν καὶ διασπαρῆναι. “Poſt Deucalionis diluvium Cadmo condente denominatam à ſe Cadmeam, confluxit eo populus, quem alii nominarunt Spartum, quod undique congregatus eſſet: alii Thebigenam, quod prius Thebis genitus per diluvium exactus & diſperſus eſſet.”

esset.,, Itaque Diodorus eosdem Thebanos, qui diluvio Deucalioneo dispersi erant, Cadmi adventu Thebas reversos significat: quod intra decennium contigisse verisimillimum est. Quod autem paulo post refert, Thebanos dum fortissimi suorum aberant ad obsidionem Trojæ, ejectos à Pelasgis, ac deinde variis casibus conflictatos, vix demum post quartam ætatem, juxta proditum de Corvis Oraculum, reversos Thebas incoluisse ad annos ferme octingentos, donec ab Alexandro Magno exciderentur; quas, libro 17 refert excisas ab Alexandro, anno regni ejus primo, Olympiadis III. secundo, Archonte Athenis Euæneto. Erat hic annus Olympiadicus III. ante citimam Epocham Marmorum Chronologicorum, ac 403 ante Evangelium, quibus additi octingenti referunt ad 911 ante illam, ac 1203 ante hoc, atq; 33, eumque postremum Demophoontis regis Athenarum: vel numero rotundo diminuto annis 40, ad annum 871 Marmoreum, 1163 Evangelicum, ac 19 annum Melanthi regis Athenis. Inde vero quatuor generationibus imputatus annorum tantummodo centenarius, refert ad annum Marmoreum 971, ac Evangelicum 1263: quo pacto hic Diodori calculus statuerit Trojæ obsidionem annis 17 etiam antiquiorem quam Chronicon Marmoreum: quod obiter observatu dignum censui.

Porro autem Bacchum fuisse ætate supparem Cybelæ sive Rheæ, ejusque exiguo admodum temporis intervallo post hujus Sacra instituta esse, ita ut idem Hyagnis utrisque solennes Harmonicæ modos adaptare potuerit, intelligere licet ex eo, quod Apollodorus libro memorato Dionysium Semeles filium, post vitem inventam, ad Cybelam Phrygiæ urbem profectum, atque ibi expiatum à Rhea, & Cybeliis Ceremoniis initiatum, stolâque ab eâdem donatum, ad Indos contendisse; & postquam Indiâ peragratâ Thebas repedasset, Pentheum ab Agave matre aliisque Mimallonidis, Bacchico tanquam divino furore percitis, membratim dilaniatum fuisse scribit. Bacchum vero ex India reducem absoluto triennio, ideoque ejus Sacra instituta fuisse trieterica refert Diodorus Siculus, initio libri quarti.

Ceterum quod ad Panem attinet, cujus item perinde a Cybeles & Dionysii Sacris Hyagnidem adaptasse modos Musicos significat Chronicon Marmoreum, satis manifeste innuit Herodotus loco memorato, alios ejus quoq; nominis fuisse ante illum Penelopes filium. Pausanias autem libro 8. inscripto Arcadicis, passim celebrat Panem Deum Arcadiæ Indigenam, ibique habitum inter potentissimos Deorum: qui etiam antiquitus oracula edere diceretur; adeoque habuisse Oraculorum suorum Prophetam sive Interpretem Erato Nympham, nuptam Arcadi Nepoti Lycaonis ex unica filia Callisto, & successori, post Nyctimum natu maximum sex & viginti filiorum Lycaonis, in regno Arcadiæ, Lycaonis inquam, cui eandem ætatem ac Cecropi, nimirum ejus nominis primo regi Atheniensium, initio libri, ascribit. Unde apparet, Pani perinde ac Dionysio sive Baccho, regnante Athenis Erichthonio, Sacra tanquam Diis fieri cœpta, perquam congrue Chronologicæ Marmorum Inscriptioni.

Epoch. 11. A.M.C. 2549. ante Evang. 1484. Period. 5. 181.

A quo Minos primus regnavit, ---L[yct]iam instauravit: & ferrum inventum est in Idâ, inventoribus Idæis Dactylis, Celmi, & ---; regnante Athenis Pandione.

Minoem priorem ejus nominis Regem Cretæ, urbem Minoam Lyctiam (ita equidem legendum existimaverim) habitavisse, & ferrum inventum esse in Ida monte, inventoribus Idæis Dactylis Kelmi & sociis, innuitur mutilis

Marmoribus, obliterato anno, relictoque solum seculi Indice, videlicet regnante Athenis Pandione. Primum istic laudem mereretur Autor Chronici Marmorei, quatenus duos Minoes Reges Cretæ clare distinguit: hunc inquam antiquiorem, & alterum juniorem, hujus & uxoris Itônis filiæ Lyctii è Lycasto filio nepotem, ut intelligere licet è Diodoro Siculo libro 4: quorum gesta vulgo confunduntur. Hic quidem prior in Chronico Eusebiano, Asterio Cretæ Rege & Europâ Phœnicis filiâ natus ante annos ferme 40, regnat in Creta, anno 30 Pandionis eo nomine prioris Atheniensium regis, qui fuit juxta Chronicon Marmoreum annus 1170 ante Citimam ejus Epocham, ac 1462 ante Evangelium. Urbem autem quam à Minoe illo ædificatam & habitatam innunt Marmorum fragmina, probabile est intelligendam Minoam Lyctiam, sive Minoam Lyctyorum, à se & uxoris patre Lyctio pariter denominatam: utpote quam fuisse præcipuam trium urbium in tribus Insulæ æqualiter divisæ partibus ædificatarum, quarum aliæ duæ fuerint Knossus & Phæstus; significat Strabo libro 10, si modo recte ego rem in adversaria mea retuli.

Recte vero constitutum esse tempus regni hujus Minois, confirmat altera Epochæ periocha de ferro invento ab Idæis Dactylis. Namque antiquus Chronographus apud Clementem Alexandrinum primo Strom. statuit ab Idæ montis incendio & ferro invento ab Idæis Dactylis ejus Incendii occasione, ad primam Iphiti Olympiadem annos 664, atqui Eusebius in Chronico 642, noster vero calculus 658, utrumque illorum intercedens, sed multo propius ad antiquiorem & verisimiliorem accedens. Horum autem Idæorum Dactylorum cum alii multi meminerunt, tum etiam Strabo eodem libro 10, agens de Curetibus, tum Cretensibus, tum Ætolis, tum Phrygiis, inter alia his verbis utens, Δακτύλους δ' Ἰδαίους φασί τινες κεκλῆσθαι τοὺς πρώτους οἰκήτορας τῆς κατὰ τὴν Ἴδην ὑπωρείας —διαφόροις δὲ καὶ τοῖς ὀνόμασι καὶ τοῖς ἀριθμοῖς χρῶνται· ὧν Σαλαμῖνον ὀνομάζουσί τινα, καὶ Δαρμναμενέα, καὶ Ἡρακλέα, καὶ Ἄκμωνα. tum etiam Diodorus Siculus libro 13, ubi de Creta, tum denique Autor Phoronidis apud Apollonii Argonauticorum Poetæ Scholiastem, ita canens--Ἔνθα γόητες

Ἰδαῖοι Φρύγες ἄνδρες ὀρέστεροι οἰκ᾽ ἔναιον,
Κέλμις, Δαρμναμενεύς τε ἰμεγάς, καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων, &c.

Herculis autem tanquam unius ex Idæis Dactylis diversi ab Hercule Alcmenes filio, utpote antiquioris illo, meminerat Strabo antea quoque libro 8, agnoscens nonnullos illum primum Olympiorum Autorem dicere, quo de ipse quidem dubitat, Pausanias vero Eliacis id confidenter asserit his verbis, Ἡρακλεῖ οὖν προσέστι τῷ Ἰδαίῳ δόξα, τόντε ἀγῶνα διαθεῖναι πρώτῳ καὶ ὀλύμπια ὄνομα θέσθαι. Herculi igitur Idæo debetur gloria, quod & Agonem primus instituerit, & Olympia nominaverit. Idem quinque fratres Idæos nominat Herculem, Pæoneum, Epimedem, Jasium, & Idam: & ob eam rem Olympia ab Hercule Idæo constituta fuisse quinquennalia.

Epoch, 12. A.M.C. 2596. ante Evang. 1437. Period. 5. 228.

A quo Ceres adveniens Athenas fruges seminavit, & --Triptolemo Celei & Neæræ filio, anni MCXLV. *regnante Athenis Erichtheo.*

Cereris Adventum Athenas, frugum sationem, ejusque cognitionem communicatam Triptolemo Celei & Neæræ filio, statuit Chronologica Marmorum Inscriptio annis XHΔΔΔΔΠ, 1145 ante citimam Epocham, id est, 1437, ante Evangelium, regnante Athenis Erichtheo, scilicet anno 15. Deinde autem sequitur.

Epoch.

Epoch. 13. A.M.C. 2599. ante Evang. 1434. Period. 5. 231.

A quo Triptolemus fruges sevit in Raria dicta Eleusine anni XHΔΔΔΔΠ [*item* 1145] *regnante Athenis* [*eodem, sc. Erichtheo, quanquam istic obliterato nomine.*]

Ego vero hic in postrema litera numerali erratum suspicor, tum quia nusquam alias in tota hac Inscriptione Marmoreâ idem numerus, sive eadem Epocha repetitur, tum etiam quia admodum probabile est alterum aut tertium annum intercessisse inter primum communicatam hujusmodi cognitionem, & ejus experientiam in tam celebri loco factam. Legendum itaque posteriori loco XHΔΔΔΔII 1142, id est, ante Evangelium 1434 regnante eodem Erichtheo, & quidem anno 18. Atque ita in Chronico Eusebiano circa eundum annum Evangelii, verum octennium ante regnum Erichthei, juxta inferiorem annis 26 in hoc situm regum Atticorum, legitur, Eleusine Celeum regnasse, quo ævo Triptolemus erat, quem Philochorus ait longâ navi ad urbes accedentem distribuisse frumenta, navem vero ejus existimatam pinnatum serpentem, utpote habentem fere similem figuram. Hic enim est Græcorum Eusebii eo loco sensus. Rarium vero dictum Eleusinis agrum quo Triptolemus primam frumenti sementem fecerit, agnoscit Pausanias: quod quidem videatur fuisse Rari illius, quem nonnullos patrem Triptolemi existimâsse antea retulerat. Fortasse socer ejus fuit.

Epoch. 14. A.M.C. 2606. ante Evang. 1427. Period. 5. 238.

--Puellæ raptum & Cereris Investigationem, & -- eorum qui susceperant fruges, anni MCXXXV : *regnante Athenis Erichtheo.*

Raptum Puellæ sc. Proserpinæ Cererisque Investigationem ejus refert Chronicon Marmoreum ante citimam Epocham annis 1135, anno 1427 ante Evangelium, regnante Erichtheo, sc. anno 25. Eusebianum autem anno 1425 ante Evangelium, ac primo Erichthei, biennio intra solitum discrimen. Quanquam Scaligero videtur magnus Anachronismus, utpote tanto antevertens seculum Thesei: qui tamen diffiteri nequit Eusebium hic secutum esse Tatianum, referentem τὴν κόρης ἁρπαγὴν in tempora Lyncei Argivorum Regis, cujus regni anno 39, ac 13 ante finem, in Chronico Eusebii, convenit idem ipse annus 1427 ante principium Evangelii.

Epoch. 15. A.M.C. 2607. ante Evang. 1426. Period. 5. 239.

--Mysteria instituit in Eleusine, & illas --[*Mu*]*sæi poëses edidit--* [*Erichthe*]*o Pandionis filio.*

Erichtheum, ut verisimile, instituisse Mysteria in Eleusine, quando primus Musæus Poësi clarucrit, innuunt mutila marmora, anno utique obliterato, residuo duntaxat seculum monstrante, ipso tunc regnante Athenis Erichtheo, sc. filio Pandionis prioris. Quum vero Eumolpus Thrax, habitus ejusmodi Mysteriorum Autor, Eleusiniis Rebellibus contra Erichtheum suppetias tulerit, atque id Bellum sub Eumolpo, in Chronico Eusebiano referatur anno 26 regni Erichthei; hic nimirum annus juxta Chronicon Marmoreum fuerit 1134, ante citimam Epocham, ac 1426 ante Evangelium; Proxime autem in-

sequente

ſequente, tanquam primo regni Erichthei in Euſebiano notatur, ſub hoc myſteria cœperunt. Pauſanias vero in Atticis Erichtheum prælio contra Eumolpum pariter ac Immarradum Eumolpi filium, interfectos refert.

Epoch. 16. A.M.C. 2679. ante Evang. 1354. Periodi 5. 311.

A quo Luſtratio primum inſtituta eſt--... XII: *regnante Athenis Pandione Cecropis filio.*

Luſtrationem urbis Athenarum primum factam arguunt mutila Marmora anno ante citimam Epocham terminato; ....ΔII, 12, regnante Athenis Pandione Cecropis filio, viz. Pandione ſecundo. Incepit vero Pandion ille regnare juxta Chronicon Marmoreum anno ante citimam ſuam Epocham, 1069, ac 1361 ante Evangelium, regnavitque annos 25. Itaque annus aſſignatus fuiſſe videtur XΙΔΔII, 1062, quandoquidem nullus alius annus toto ejus regno præterea in eaſdem numerales notas deſinat. Erat igitur annus 1354 ante Evangelium, & octavus regni Pandionis poſterioris. Neque occurrit quicquam ex alia hiſtoria in contrarium. Luſtrationem vero ſive expiationem illam fieri ſolitam ſexto die menſis Thargelionis, mactatis victimis, & quidem humani generis duabus, mari & femina, pro utroque ſexu (quemadmodum etiam apud Ethnicos Romanos Februa, menſe Februario) ex Helladio apud Photium numero 279, aliiſque annotat Seldenus noſter.

Epoch. 17. A.M.C. 2681. ante Evang. 1352. Periodi 5. 313.

--A quo in Eleuſine gymnicus [*Agon*]———

Gymnicum Agonem in Eleuſine inſtitutum innuunt mutila adhuc Marmora, item obliterato anno, regnante Athenis eodem Pandione. Templum in Eleuſine ædificatum in Euſebiano Chronico legitur anno regni Pandionis tertio, juxta Pontaci Editionem, quinto juxta Scaligeranam. Tametſi vero aliud erant Myſteria Eleuſinia, aliud certamina ſive Ludicra Eleuſinia, videntur tamen fuiſſe affinia & loco & tempore: quemadmodum Olympica Sacrificia & certamina, atque id genus alia. De Olympicis vero locum inſignem exhibent Adverſaria noſtra è Thucydidis libro 5, & anno Belli Peloponneſiaci duodecimo, his verbis, Ὀλύμπια δὲ ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα· καὶ Λακεδαιμόνιοι τοῦ ἱεροῦ ὑπὸ Ἠλείων εἴρχθησαν, ὥστε μὴ θύειν μηδὲ ἀγωνίζεσθαι. Et paulo poſt, Καὶ εἰργμένοι τοῦ ἱεροῦ θυσίας καὶ ἀγώνων οἴκοι ἔθυον. " Illa æſtate celebrata ſunt Olympia quibus Androſthenes Arcas Pancratiam vicit primo. Lacedæmonii autem ab Elêis Templo Olympico arcebantur, ne ſacrificarent, neve certarent.,, Qui proinde, quandoquidem arcerentur Templi Olympici ſacrificio pariter ac certaminibus, domi ſacrificabant, nimirum Jovi Olympio. Atqui, ut dictum, aliud ſane erant ſacrificia, aliud ludicra ſive certamina: adeoque aliud erant Myſteria proprie dicta, aliud autem communiter dicta ſacrificia: hæc fere illis poſterius addita, majoris pompæ & celebritatis gratiâ. Quum itaque Templum Eleuſine ædificatum ſit tertio vel quinto anno regni Pandionis junioris, quo tempore ex Aceſidoro & Androtione antiquis Autoribus apud Scholiaſten Sophoclis in Oedipum Coloneum, intelligitur Myſteria Eleuſinia in abſolutam formam redacta ab Eumolpo tertio Muſæi Poetæ filio, Temploque & ſacrificiis ſolennibus ornata eſſe, quæ à primo Eumolpo Thrace, ejus atavo primum inſtituta fuerant rudiore quodam ritu; veriſi-

ſimile

simile est intra quadriennium, vel quinquennium postea ludicris certaminibus etiam eadem fuisse illustrata, circiter decimum annum Pandionis, ac 1352 ante Evangelium. Hæc autem Eleusinia, & antiquitate, & celebritate proxime accedebant ad Panathenaica: quanquam ab iis distincta, ut ex Aristide Oratore, Helladio in Chrestomathia, Pindari Scholiaste in septimam Oden Olympionicarum, aliisque colligitur.

Epoch. 18. A.M.C. 2696. ante Evang. 1337. Period. 5. 328.

A quo --Lycæa, sive Lupercalia in Arcadia instituta, & --Lycaonis dabantur Græcis --regnante Athenis Pandione filio Cecropis.

Lycæa sive Lupercalia Sacra in Arcadia primum à Lycaone instituta, nunc restaurata & aucta, innuunt utique mutila Marmora, etiamnum obliterato anno, regnante adhuc Pandione Cecropis secundi filio: nimirum sub annum 1337 ante Evangelium; quo anno Pandion hic regno fugit, à Metionidibus passus insidias, ut legitur apud Eusebium in Chronico, & Pausaniam libro primo. Itaque quod præcedente Epochâ innuimus in hac apparet verum: nempe Ethnicorum superstitiones habuisse suos quosdam incrementi gradus, à rudibus primo initiis, quoad summum attigissent. Sic enim etiam Lycæis istis, primum institutis, ut à Pausania in Arcadicis colligitur, à Lycaone, sub quo fuerit diluvium Deucalioneum, hoc autem tempore restauratis & auctis: demum circiter decimum annum Oxyntæ Atheniensium regis, ut in Chronico Eusebiano annotatur, ac 1193 ante Evangelium, Agon quoque additus est. Sed & his quoque Sacris solitum litari humano sanguine, Theophrasto autore asserit Porphyrius libro secundo, de Abstinentia ab Animalibus.

Epoch. 19. A.M.C. 2706. ante Evang. 1327. Periodi 5. 338.

A quo --esiæ Hercules ----regnante Athenis Ægeo.

De Hercule incertum quippiam innuitur mutilis etiamnum Marmoribus, anno itidem obliterato, regnante Athenis Ægeo. In Chronico Eusebiano prima Herculis (sc. filii Alcmenes) occurrit mentio inter Argonautas: quorum secundam & mediam mentionem exhibet Pontaci Editio ad annum 13 Ægei. Nescio an illa Navigatio hic innuatur, an de Hercule aliquid aliud, quod intra præcedens duodecennium, nempe ab anno primo Ægei, & 1336 ante Evangelium contigerit. Argonautarum quidem Navigationi tertia & postrema sedes in Eusebiano allocatur anno 18 Ægei in Editione Pontaci, hanc præ ceteris approbantis, in notis autem agnoscentis aliquot manuscripta & transcripta referre circiter annum 22 Ægei, nempe 1315 ante Evangelium, juxta Marmoreum, quæ in sua editione sequitur Scaliger, priorem mentionem referens ad annum 10 Ægei, videlicet 1035 ante citimam Marmorei Epocham, ac 1327 ante Evangelium, ac eas duas solas agnoscens.

Epoch. 20. A.M.C. 2710. ante Evang. 1323. Period. 5. 342.

A quo Athenis --frugum evenit, & oraculum consulens-- sustinuit-- Minos postulaverit, anni MXXXI *regnante Athenis Ægeo.*

Ob frugum sterilitatem consulto Oraculo ab Atheniensibus, ad Minois (eo nomine secundi Regis Cretæ) imperatum, impuberum adolescentum Virginumque tributum persolutum innuit mutilum Chronicon Marmoreum, ante citimam Epocham annis 1031, anno 1323 ante Evangelium, regnante Athenis

nis Ægeo, nempe anno 14. Prima hujus secundi Minôis mentio in Chronico Eusebiano occurrit ad annum 1319 ante Evangelium, Pandionis vero regis Atheniensium patris Ægei annum 17, ac 9 ante finem, his verbis, "Eæ quæ de Dædalo Fabulæ feruntur, &c. nec non quomodo cum filio Icaro Minoem navi fugerit, & propter investigabilem fugam avolâsse pennis existimatus sit. Verum juxta situm Regum Atticorum annis 26 antiquiorem, Dædali fuga convenerit anno 18 Regis Ægei, quam juxta adversaria nostra è Plutarchi Theseo, illud Impuberum tributum, Atheniensibus à Minoe imperatum, ob Androgei filii sui cædem Athenis perpetratam, antecesserit. Cui propterea tempus Inscriptione Marmoreâ assignatum recte quadrat. Quinetiam in Græcis Eusebii per satyram congestis Androgei cædes ante Dædali fugam ponitur.

Epoch. 21. A.M.C. 2746. ante Evang. 1287. Period. 5. 378.

A quo Theseus-- Atheniensium duodecim civitates in unam coegit, & rempublicam & popularem statum-- Athenis, Isthmiorum Agonem instituit, postquam Sinin occiderat, anni DCCCCXCV.)

Theseum duodecim Civitates Atheniensium in unam conciliavisse, & Democratiæ fundamenta Athenis jecisse, atque Isthmiorum Agonem instituisse, postquam Sinin occiderat, statuit Marmoreum Chronicon annis 995 ante citimam Epocham suam, viz. 12 .7 ante Evangelium. In Chronico Eusebiano hoc statuitur juxta Pontaci Editionem, anno primo regni Thesei, tanquam 1262 ante Evangelium: at juxta Scaligeranam, anno 7 Thesei, quasi 1256: verum juxta antiquiorem Regum Atticorum situm, annis 26 in redivivo nostro Chronico omnium maxime probabiliter, anno regni ejusdem secundo.

Epoch. 22. A.M.C. 2749. ante Evang. 1284. Periodi 5. 381.

Ab —— XCII. *regnante Athenis Theseo.*

Aliquid prorsus obliteratum innuitur utique mutilis Marmoribus, anno ....ΔΔΔΔII, nempe integro 992 ante citimam Epocham, regnante Athenis Theseo, viz. anno regni ejus quinto, ac 1284 ante Evangelium.

Epoch. 23. A.M.C. 2754. ante Evang. 1279. Periodi 5. 386.

A quo Argivi --regnarunt, & Agonem --: anni DCCCCLXXXVII. *regnante Athenis Theseo.*

Argivorum aliquot regnantium & Agonis incertū cujus mentio fit in Chronico Marmoreo, istic quoq; mutilo, ante citimā Epocham annis 987, annis 1279 ante Evang. regnante Athenis Theseo, nempe anno 10. at in Eusebiano juxta Pontaci editionem 1280 ante Evang. nimirum proxime præcedente, juxta Scaligeranam vero anno 1277, altero anno postea, legitur, "Hercules consummat certamina, Antæum interficit, &c. sed illic anno 31, hic 34 regni Ægei, nempe annis 18, vel 15 ante finem regni ejus, ac initium Thesei, utique solito discrimine annorum 26 sitûs regum Atticorum inter Chronicon utrumque. Erat vero annus ille 1279 ante Evangelium, juxta Eusebium annus undecimus regni Atrei & Thyestis, ac juxta vulgatas Editiones, quanquam improbatus & Pontaco & Scaligero, quartus Euristhei (an alius à decessore Atrei & Thyestis, an ejusdem aliter siti, juxta alios Eusebii Autores) Argivorum, Mycenis, qui

quidem

quidem etiam istic videntur innui, quo sensu considerent alii; mihi enim absque librorum suppellectile, disquirendo aut divinando cerebrum fatigare, fuerit dementia, vel prona ad dementiam via. Contigit hoc, quodcunque fuit, annis 475 ante primam Olympiadem Iphiti. Eusebii autem Græca testantur Herculem instituisse Agonem Olympicum annis 470 ante Iphiteam Olympiadum Epocham: quod proxime attingit hoc tempus. A primis vero gestis Herculis hoc Chronico significatis regnante Ægeo, hucusque sunt plusquam 44 anni, ita ut haud diu post hoc tempus vitam produxisse videatur, quippe quem etiam, saltem annis 40 ante captam Trojam mortuum esse constet, utpote annis 120 ante Heraclidarum reditum in Peloponnesum octoginta post Ilii excidium, juxta Velleium. Itaque probabile sane est, de instaurato Agone Olympico, regnante Athenis Theseo, Mycenis autem sive Argis Atreo Pelopis filio, quo præcipuus Agonista Hercules, & si quidem Velleio credimus, omnis generis certaminum Victor extitit, vel saltem luctâ & Pancratio, Pausaniâ etiam suffragante, hic agi. Sunt autem anni 475 quibus hic Agon Olympicus, Olympiadum Iphitearum Epocham antecesserit, cycli Enneadecaeterici 25 absoluti.

Porro annus 1279 ante Evangelium quo Herculeus ille Agon Olympicus institutus mutilis Marmoribus innuitur, quum fuerit 2754 à Mundi conditu juxta Chronologiam nostram, erat 386 annus Periodi octodesexcentenariæ quintæ, quo juxta Tabulas nostras novæ editioni Tractatûs de variis Annorum formis inserendas, Æquinoctium Vernum contigit sexto die septimanæ, quarto autem Aprilis mensis Juliani, primum autem Novilunium decimo die post Æquinoctium, septimanæ primo, Aprilis decimo tertio: ac proinde quartum Novilunium Civile post secundum mensem Lunarem Græcanico ritu cavum sive undetricenarium, contigit undecimo die Julii Juliani, septimanæ sexto, septimo post Æstivum Cardinem Solstitialem contingentem eo seculo sub sextum diem Julii. Annus autem Iphiteæ Epochæ Olympicæ, quum fuerit 804 ante Evangelium, Mundi autem conditi 3229, erat 269 annus nostræ magnæ Periodi sextæ, cujus vernum Æquinoctium contigit primo die septimanæ, tricesimo primo Martii Juliani: primum vero Novilunium septimanæ die 5, die 11 Aprilis, utpote 12 post Æquinoctium: itaque quartum Novilunium Civile ritûs Græcanici, contigit nono die Julii, septimanæ tertio, die utique nono post Solstitialem Cardinem æstivum contingentem hoc ævo, primo & secundo diebus Julii. Rursum autem annus Olympici Agonis Herculei, erat 68 annus Prolepticæ Periodi Calippi, undecimus quartæ Enneadecaeteridis ejus: qui mense Hecatombæone Attico, sive Loo Macedonico incepit die 8 Julii Juliani utique proleptici. Verum annus primæ Olympiadis Iphiti, erat 11 annus Periodi Calippi, utique undecimus primæ Enneadecaeteridis ejus, qui incepit item die 8 Julii Juliani. Quocirca inane videtur commentum Josephi Scaligeri ad Eusebiani Chronici numerum 810 ab Abrahamo, id est, 1235 ante Evangelium, quo legitur, Hercules Agonem Olympicum constituit: à quo usque ad primam Olympiadem supputantur anni 430: ubi agnoscit Pontacus impressa Exemplaria cum aliis quibusdam manuscriptis referre eum quinquennio citius, nempe ad annum 1240 ante Evangelium: sed contra Scaliger causatur, quod non relatus sit quinquennio serius, viz. ad annum 1230 ante Evangelium: necnon erroris annorum 15 redarguit vetus Chronicon apud Clementem Alexandrinum primo Stromateo, statuens eum annis haud amplius 34 ante Trojam captam, tanquam citius vero, quod quidem eundem statuere videtur saltem 8 annis serius justo. Præterea vero ibidem, & Canonum lib. 3. Annotatione, Ad ludicrum Olympicum cui præfuit Pelops, imaginatur illud Pelopis, anno Eusebiano ab Abrahamo 701, id est, ante Evangelium 1344 nescio an uno Eusebiani Chronici exemplari forte ita referente, quum ne sua quidem ejus Editio, vel in contextu, vel in notis,

quicquam ejus habeat ad hunc annum, sed quinquennio antea, Pontaci vero Editio sexennio ad annum 1350: Pelops Peloponnesi regnans Olympiis quoq; præfuit, ipso annotante hunc esse infimum Perioches ejus situm; aliis exemplaribus referentibus ad quinquennium, vel sexennium superius. Inde vero post quinque Enneadecaeterides comprehendentes 95 annos, anno 1249 ante Evangelium, ponit Ludicrum Atrei, ita relatum à Velleio: at enim integrâ Enneadecaeteride, nempe sextâ annis 114 revolutâ ab illo Pelopis, ante Herculis Agonem, tanquam diversum ab Atrei Ludicro, adeoque una integra Enneadecaeteride posterius, contra Vellei sententiam; id est, anno 1230 ante Evangelium, ac 426 ante primam Iphiteam, qui sunt Enneadecaeterides 22, & anni 8. Illa autem Ludrica omnia opinatur celebrata esse die 23 Julii Juliani, Novilunio contingente nono die Julii, postride æstivi Cardinis sive Solstitii constituti octavo die Julii; atque hinc constare quo tempore Heroes illi, Pelops, Atreus, & Hercules claruerint, scilicet. Consimiliter vero primum Iphiti Ludicrum Olympicum autumat celebratum eodem die 23 Julii, à Novilunio die 9 Julii, itidem postridie Cardinis æstivi, utpote semper constituti octavo die Julii. Atqui præter alia (quæ relinquimus redarguenda aliis quibus libitum aut otium fuerit) hoc nimirum præcipuum commento Scaligerano deerat, quod prima Iphiti Olympias, ab Olympico Agone Herculis, aliisque præcedentibus ita suppositis, haud quaquam simili absolutarum Enneadecaeteridum numero distaret, quod quidem ad tale commentum stabiliendum maxime & potissimum requirebatur.

Epoch. 24. A. M. C. 2787. ante Evang. 1246. Period. 5. 419.

A quo Græci in Trojam Expeditionem susceperunt, anni DCCCCLIV. *regnante Athenis [Men]estheo, anno decimo tertio.*

Græcos suscepisse famigeratam illam expeditionem in Trojam Marmorea Inscriptio statuit annis 954 ante citimam Epocham suam, id est, 1246 ante Evangelium, regnante Athenis Menestheo anno decimo tertio, hic primum expresso Regis Atheniensis anno, quo omnes superius à nobis assignati comprobantur. Trojani Belli decennalis initium in Chronico Eusebiano editionis Scaligeranæ statuitur anno ante Evangelium 1219. Menesthei autem filii Petei regis Atheniensium, anno 14: quoad annum Regis Atheniensis, uno, at quoad situm Regum Atticorum, solenni illo discrimine aliorum annorum 26 serius quam in Marmoreo.

Epoch. 25. A. M. C. 2769. ante Evang. 1237. Period. 5. 428.

A quo Troja capta est, anni DCCCCXLV, *regnante Athenis [Menesth]eo, * secundo anno: mensis [Thargelio]nis septimo ante finem.*

Troja capta eodem Chronico redivivo refertur, annis ante citimam ipsius Epocham 945, id est, ante Evangelium 1237: regnante Athenis Menestheo, secundo anno (nimirum supra vicesimum, quem vel Autoris confidentia tanquam satis notum, vel quadratarii incuria videtur omisisse) mensis Thargelionis die septimo ante finem. Atque in Eusebiano Chronico ponitur Troja capta anno Menesthei 23 utique quasi ineunte, ut & ante Evangelium 1210, nempe adhuc durante discrimine illo solenni annorum 26, quibus singulorum Regum

Regum Atticorum ab initio Cecropis primi hucusque, atque etiamnum posthac statuuntur serius & inferius in Eusebiano Chronico quam in Marmoreo.

Hujus autem discriminis ratio hic jam explicanda venit, utpote quæ dependeat ab Intervallo Temporis inter Trojam captam, & Epocham Olympicam: quod quum plerique statuerint annorum 407 secundum Eratosthenem & Dionysium Halicarnasseum, vel uno aut altero anno minus, ut secundum Ephorum Eusebius, vel uno majus, ut secundum Apollodorum Diodorus Siculus: alii idem retulerint annis 24, 25, aut 26 majus, id est, annorum 430, 431, 2, 3, aut summum 434: quorum minimum, nempe 430, habet Autor Excerptorum ex Africano in regum Atheniensium Catalogo, pene maximum, sc. 433 Autor Chronici Marmorei, maximum autem Aretes Dyrrachinus apud Censorinum cap. 21. libelli de Die Natali, siquidem ego eum recte lego & intelligo.

Quoniam autem locus ille misere depravatus est quoad numeros, ut alii apud eundem Autorem, adeoque plerique apud alios Autores antiquos: recte vero intellectus comprehendit summam totius Ethnicæ Chronologiæ; hic exprimam primum ut vulgo legitur, deinde ut legendus videtur. Nostro exemplari impresso Lutetiæ anno CIↃ IↃ LXXXIII in octavo, ita legitur. Varro tria discrimina temporum esse tradit: primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur adelon. Secundum à Cataclysmo priore ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabulosa referuntur, mythicon nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur historicon, quia res in eo gestæ veris historiis continenrur. Primum tempus sive habuit initium, sive semper fuit, certe quot annorum sit non potest sciri. Secundum non plane quidem scitur, sed tamen ad mille circiter, & DC annos esse creditur: à priore sc. Cataclysmo quem Ogygium dicunt, ad Inachi regnum anni circiter CCCC: hinc ad Olympiadem primam paulo plus CCCC, quos solos quamvis mythici temporis postremos, tamen quia memoriâ scriptorum proximos quidam certius definire voluerunt: Et quidem Sosibius scripsit esse CCCXCV: Eratosthenes autem septem & CCCC: Timæus CCCCXVII Aretes IↃXIV: & præterea multi diverse; quorum etiam ipsa dissensio incertum esse declarat. Ita inquam hic locus vulgo legitur. Verum enimvero ita legendus videtur: Secundum non plane scitur, sed tamen ad mille circiter & CD annos esse creditur: à priore sc. Cataclysmo, quem Ogygium dicunt, ad posteriorem dictum Deucalioneum anni DC: inde ad Ilii Excidium minus CCCC; hinc ad Olympiadem primam paulo plus CCCC: quos solos ---quidam certius definire voluerunt: & quidem Sosibius scripsit esse CCCC & V--- Aretes CDXXXIV, &c. Varronem enim à primo Ogyge, tanquam ab ultima cognita antiquitate Ethnicâ putâsse annos non mille DC, sed transpositis literis numeralibus, mille CD tantum, ad primam Olympiadem, constat ex initio ejus tertii libri de Re Rusticâ à nobis superius allegato, ubi totidem, id est, bis septingentos haud amplius putat indidem ad Romam conditam, suâ opinione annis 22 post primam Olympiadem. Cum autem postea bis quadringentorum (CCCC) solum occurrat mentio, universæ summæ deesse sexcentos (DC) liquet. Eos autem consummatos esse non ab Ogyge ad Inachum, sed ad Deucalionem, utique ipsius Varronis testimonio apud Solinum & alios convenit.

Porro autem Eratosthenem putasse annos septem & CCCC, aliosque præterpropter, non quidem ab Inachi regno, sed ab Ilii excidio sive Ilio capto, ad primam Olympiadem, certissimum est. Reliquum igitur est Varronem putâsse residuos minus quam CCCC annos neutiquam ab Ogyge ad Inachum, sed à Deucalione ad Ilium captum. Jam vero quoad Intervallum à capto Ilio ad primam Olympiadem, quum secundum Varronem collatis omnibus de eo opinionibus Censorinus pronunciet esse paulo plus CCCC: inde colligere licet neminem visum ei dignum cujus haberetur ratio, arbitratum illud vel non

attingere CD, vel attingere annos CDL, imo ne quidem CDXL: neque enim paulo excedit CCCC quod dimidium alterius Centenarii propemodum attingit. Quare multo verisimilius videtur Sosibium putasse annos, CCCC & V, atque Aretem Dyrrachinum (servatis totidem literis numeralibus) statuisse tantummodo CDXXXIV, non DXCIIII annos inter captum Ilium & primam Olympiadem. Hæc est nostra Correctio ejus depravati loci, comprehendentis præcipuos articulos Archæologiæ Ethnicæ, de quâ judicet quisque ut volet, sciat tamen profectam esse ab eodem Ingenio, quo Correctiones depravatorum numerorum in recensione Annorum Magnorum & Periodorum Lunarium capitibus 18 & 19 ejusdem libelli Censorini, enucleatæ capitibus 13, 14, & 15 Tractatûs Lidyatei de variis annorum formis.

Ceterum de anno regni Menesthei, quo capta fuerit Troja, nonnihil controvertitur. Autores quos sequitur Clemens Alexandrinus primo Stromateo, referunt captam anno ejus postremo, ac Demophontis primo. Eusebius in Chronico, anno Menesthei vicesimo tertio, tanquam ultimo, addens regredientem à capta Troja (quo præfectus Classis Atheniensium cum cetera classe Græcorum profectus fuerat, juxta Homerum in Navium Catalogo ita canentem τῶν δ' αὖ ἡγεμόνευ' υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεύς) mortuum esse in Melo Insulâ. Apud Lycophronis Scholiastem legitur, eum quum Melum advenisset regno Insulæ potitum esse, Polyanacte ejus rege defuncto. Quod ridiculum Scaligero visum. Quomodo enim inquit spreto regno suo Atticæ, alienum & nihil ad se pertinens prætulisset? Mirum vero hominem tanto ingenii acumine præditum, non conjecisse causam moræ Menesthei in Melo: quam apparet fuisse, quod Demophon legitimus regni Attici hæres jam vir factus, & occasione absentiæ Menesthei ad Trojam desidentis usus, vel siquidem ipse quoque eodem profectus fuerat, ante hunc domum reversus, confirmatâ suâ factione possessionem ejus occupasset, è quo Menestheus (ut post Plutarchum in vita Thesei, scribit Ælianus libro 4 variæ historiæ, cap. 5,) Tyndaridarum ope, patrem illius Theseum ejecerat. Ita calamitosa fuit Menestheo Trojæ obsidio, perinde ac ipsi Regi Regum Agamemnoni, & plerisque omnibus Græcorum Ducibus eodem profectis: utpote quos inde reduces eæ exceperint calamitates, quæ ipsos vel Trojanorum reliquiis miserandos reddere potuerint: adeo quidem ut ingens illa mille ducentarum Navium Classis non tam ad Trojæ Excidium, quam ad Græciæ exitium comparata fuisse videretur, certe ad exitium Græcorum Ducum in Trojæ excidium Aulide conjuratorum: ubi Agamemnon, nescio an furiosus, ut Stoico Horatiano visus, haud dubie male sanus filiæ suæ Iphigeniæ immolatione, id est, suo sanguine Deos, sc. pacaverat, aut verius irritaverat. Atqui Scaliger, sive diuturnioris moræ Menesthei in Melo probabilitatem, sive alicujus antiqui exemplaris Chronici Eusebiani fidem, (quod ad liberandam fidem suam prudentius haud tacuisset) sive Excerptorum Barbaro-Latinorum Menestheo ascribentium tantummodo 19 annos, autoritatem aliquo usque saltem secutus, pro eo quod Pontacus in omnibus suis Exemplaribus, quæ erant sane plurima, legit usque ad Captivitatem Trojæ, & usque ad 23 annum Menesthei, habet tantummodo usque ad vicesimum annum Menesthei. Putassem equidem Typographi erratum fuisse, nisi etiam in Annotationibus item repetitum invenissem ad vigesimum annum Menesthei. Verum donec manifestior & certior reddatur ratio retrahendi excidium Ilii ad vicesimum annum Menesthei, vel aliquod antiquius Exemplar in lucem proferatur, quod ita scriptum habeat: Menestheo in Excerptis ascriptos annos xix errore numeri (quales fere innumeri in iis occurrunt) existimare licet, pro xxi transpositâ unitatis notâ, inquam undeviginti pro uno & viginti, completis usque ad captam Trojam, inde autem ad compensationem duorum postremorum in Chronico Eusebiano ei ascriptorum, quos in reditu à Troja, & tanquam exul in Melo Insulâ absumserit, ascriptos esse totidem plures (viz. 35 pro 33) regno Demophontis, qui interea

interea Athenis patrio regno recuperando & ſtabiliendo occupatus fuit, ideoq; perinde ac inter 20 ſive 21, & 23 medium ferit, item veriſſimum apparet, quod Marmoreo Chronico ſignificatur, anno Meneſthei ſecundo ſupra viceſimum Trojam captam eſſe: quod etiam alibi idem Scaliger, quanquam imprudens, ſuffragio ſuo comprobat, nempe ſecundo libro Canonum Iſagogicorum, capite tertio, in primæ Athenienſium Dynaſtiæ Regum Catalogo, aſſerens Meneſthei anno penultimo Ilion deletum eſſe, modo intelligatur penultimo ante vitæ finem contingentem quaſi completo viceſimo tertio anno à regni ſui initio; alioqui vero juxta Clementis Alexandrini Autores, ultimo: quandoquidem circa initium anni 22, ac tempus captæ Trojæ, revera regno exciderit, utpote occupato à Demophonte, annis 35 juxta Excerpta ante finem regni & vitæ hujus. Troja itaque capta eſt anno 22 regni Meneſthei, ac 433 ante Epocham Olympicam, juxta Marmoream Inſcriptionem. Serus autem domum reditus Græcorum Ducum poſt captam Trojam, effecit ut decennium integrum Bello Trojano imputaretur: quanquam poſt novennium exactum capta fuerit, adultoque vere ſub initium æſtatis anni decimi ab eo ſuſcepto nuper incepti, captâ & exciſâ urbe reditus inſtitutus, perinde uti Marmoreo Chronico ſignificatur: quemadmodum etiam cecinit Propertius Elegiarum quarto --- Danâum decimo vere rediſſe Duces: quod item novem pullos paſſerinos Aulide à ſerpente devoratos portendiſſe prædixit Calchas vates Homericus Iliade ſecundâ.

De die vero quo capta ſit Troja, etiam expreſſo in Chronico Marmoreo, ſc. ſeptimo deſinentis, id eſt, ante finem, ſive viceſimo quarto menſis Thargelionis, convenit ei cum aliis antiquis Græcorum hiſtoricis, utpote Ephoro & Calliſthene, & Damaſte, & Phylarcho, apud Plutarchum in Camillo. Etſi Dionyſius Halicarnaſſeus, lib. 1. refert ad præcedentem diem ejuſdem menſis; alii autem apud Clementem Alexandrinum primo Strom. ad alterutrum diem menſis inſequentis, ſc. Scirophorionis. Sed dies ſeptimus deſinentis ſive ante finem Thargelionis aliis eſt probatior. Erat annus à Mundi Conditu, noſtro calculo 2796, quintæ vero noſtræ Periodi Octodeſexcentenariæ annus 428, quo primum Novilunium vernum contigit quarto die ſeptimanæ, Æquinoctium vero ſecundo & ſexto die menſis Lunaris. Huic autem diei convenit dies tertius Aprilis Juliani, Novilunio autem undetriceſimus dies Martii. Ejuſdem menſis Lunaris die ſecundo incepit Atticus Elaphebolion. Igitur Elaphebolione incipiente quinto die Septimanæ, ac triceſimo Juliani Martii, Thargelion ab eo tertius inceperit Septimanæ die 1, Maii autem viceſimo octavo: ita ut dies 24 Thargelionis convenerit diei 20 Junii, Septimanæ tertio, quindecim diebus ante Solſtitium Æſtivum, conveniens diei Julii quinto. Ita inquam juxta noſtram Periodum. Erat vero idem annus 34 Periodi Calippi, utique juxta prolepſim, incipientis die 23 Julii, præcedente Xanthico, ſive Elaphebolione anni Embolimæi, incipiente die 26 Febr. Biſſextilis: ita ut Dæſius, & Thargelion inceperint Aprilis die 25, Thargelionis vero dies 24 inciderit in Maii diem 18. Ea eſt differentia inter duas Periodos. Scaligeri Atticam aut Julianam cum his conferat cui otium eſt. Petavianas nondum vidi. Dionyſii Halicarnaſſei Thargelion Calippicus captæ Trojæ non cadit in eoſdem dies anni Juliani, quia non in eundem annum Periodi Calippicæ, utpote non in eundem annum ante primam Olympiadem. Hactenus igitur apparet redivivum Chronicon Marmoreum, nec in Mythicis quidem temporibus, vel eorum prope antiquiſſimis & fabuloſiſſimis, à vero abludere: nedum in Hiſtoricis: quod etiamnum hâc Diatribâ, quaſi ex abundanti, illuſtrando tempori mortis Darii Hyſtaſpidæ, eodem Chronico ſecundum noſtram Emendationem Temporum conſignati, amplius arguere & declarare inſtitui. Sed pergamus porro ad Examen ſequentium Epocharum à Trojæ Excidio, uſque ad Prælium Marathonium.

Epoch.

Epoch. 26. A.M.C. 2804. ante Evang. 1229. Period. 5. 436.

A quo Orestes--- Ægisthi filiæ---in Areopago, quam Orestes vicit-- CCCCXXXII*: regnante Athenis Demophonte.*

Orestes judicium subiit in Areopago, Clytemnestræ matris & Ægisthi Adulteri (parricidarum patris sui Agamemnonis) eorumque filiæ cædis causa, quo vicit, regnante Athenis Demophonte, Chronico Marmoreo ante citimam Epocham annis 942, ut legit Seldenus noster, agnoscens numerum mutilum esse, utpote ita in Marmore extantem, ...HHHHΔΔΔ..II.. ubi quartam Δ, sc. Decadem interiisse putat: eoque pacto hoc contigisse omnino tribus annis haud amplius post captam Trojam. Atqui præterquam quod in Chronico Eusebiano demum circiter annum septimum Demophontis utique post Trojam captam, legitur, Mycenis post necem Ægisthi Orestes regnavit. Velleius scribit, post occisum Agamemnonem Mycenarum regno potitum esse Ægystum per annos septem. Quod longe ante eum asseruit Homerus libro tertio Odysseæ ita canens

---Δέδμητο δὲ λαὸς ὑπ' αὐτῷ.
Ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Quapropter apparet sub finem numeri deesse neutiquam Δ Decadem, sed Π Pentadem tantummodo, ideoque integrum numerum ita concipiendum esse ΠHHHH ΔΔΔΠII 937 octennio post Trojam captam, atque ante Evangelium annis 1229.

Epoch, 27. A.M.C. 2803. ante Evang. 1230. Period. 5. 435.

A quo [Salaminem in] Cypro Teucer instauravit, anni DCCCCXXXVIII. regnante Athenis Demophonte.

Verum à quo Salaminem in Cypro urbem patriæ cognominem condidit Teucer annos 938 clare & perspicue repræsentat Marmorea Inscriptio, regnante Athenis Demophonte, id est, 1230 ante Evangelium: anno uno prius, & propius captæ Trojæ, quam proxime præcedentem Epocham. Quod quanquam haud alias in eadem occurrit: (quæ ratio maxime movisse videtur Seldenum ut præcedentem legeret 942) nihil tamen absurdi habet; sed eâ occasione accidisse videtur, quod post præcedentem expositam demum Autori in mentem venerit, eique propterea subjecta fuerit; additâ forte notâ transpositionis, quam quadratarius haud animadverterit. Etenim vero Teucri à Troja reducis repulsam à patre Telamone, regnante in Attica Insula Salamine, contigisse ante necem Agamemnonis, ideoque Salaminem Cypriam ab eo conditam ante necem Ægisthi diserte significat Velleius. Alioqui si in Homerico legendum fuerit πεντάετες, vel illud Ægisthi ἑπτάετες putandum à biennio ante captam Trojam: Marmoreus calculus fuerit ---ΔΔΔΠIIII 939, ac 1231 ante Evangelium.

Epoch.

Epoch. 28. A.M.C. 2938. ante Evang. 1095. Periodi 5. 570.

A quo Neleus incoluit--Ephesum. Erythras, Clazomenas--Colophonem, Myuntem--Samum--Ioniam fiebat; anni XIII: regnante Athenis [quidem Neleo] anno decimo tertio.

Celeberrimam illam Ionicam migrationem Athenis in oppositam occidentalem Asiæ minoris, sive proprie dictæ oram, è mutilatis Marmoribus Seldenus concipit in hanc sententiam. Ex quo Neleus inhabitavit.....Ephesum, Erythras, Clazomenas, Colophonem, Myuntem.....Samum.....[quando, sc. migratio] in Ioniam fiebat anni.....XIII, regnante Athenis Menestheo, decimo tertio anno. Superstites enim istic tres postremas numeri annorum notas legit.....ΔIII, quas autumat ita supplendas esse ͰΗΗΗΔIII, 813; eâ potissimum ratione ductus, quod nullus alius numerus iisdem notis terminatus adeo prope accedat ad Intervallum annorum 140, inter Trojæ Excidium & Ionicam Migrationem, ab Eratosthene in Canonibus temporum constitutum, & vulgo receptum: quanquam hæc Epocha ita lecta & intellecta octennio illud minuit, facitque annorum tantummodo 132: atque ita non solum in anno regis (quocunque is fuerit nomine dictus) annis aliquot ab aliis discrepat, sed etiam prochronismo sive anticipatione annorum ferme 36 in Epochæ constitutione: utpote quam constituat ante vulgarem annum Domini annis 1077, id est, ante Evangelium annis 1105, Eusebiano Chronico eam referente juxta Pontaci Editionem in annum 1087, juxta Scaligeranam in 1070 ante Evangelium; juxta illam anno 11, juxta hanc anno 8 Acasti Athenarum Regis, sive Archontis ad terminum vitæ. Verum enim vero quum Autor Chronici Marmorei intervallum inter captam Trojam, & primam Olympiadem statuat annis summum viginti sex majus quam vulgo receptum, perinde ac inter plerasque omnes suas Epochas præcedentes, non videtur dubium, quin hanc etiam Epocham vel pari discrimine, vel certe quo propius ad citimam Chronici sui Epocham accesserit, minore potius quam majore constituerit. Itaque apparet numeralem notam tertiam ante finem, aliquo errore Δ pro Η acceptam esse, integrumque numerum juxta Autoris Chronici mentem legendum esse ͰΗΗΗΗΙΙΙ, intelligendumque 803 ante citimam Epocham suam, id est, 1095 ante Evangelium, ac 142 post captam Trojam, hunc nimirum aliquantulo majorem, uti par est, potius quam tanto minorem vulgari 140, illum autem proxime repræsentantem pristinum & consuetum discrimen annorum 26. Ea quidem nostra est conjectura de tempore Ionicæ migrationis significato Marmoreâ Inscriptione.

Sed quid dicetur de rege vel regis anno quo evenerit: quem nonnulli referunt Medontem Codri filium, Eusebius vero in Chronico Acastum, sive Acatum Medontis filium, hujusque annum 8 aut 11, ut supra dictum: at nostri è Marmoribus colligunt Menestheum, ejusque annum decimum tertium, tanquam eodem nomine, eodemque anno Regis recurrente quo suscepta Trojana Expeditio. An dicemus quadratarii incuria etiam hoc contigisse? Neque enim negari potest ejusmodi oscitantias quadratariorum tunc fuisse, perinde ac Typothetarum nunc esse nimis frequentes. Ego vero, pace omnium existimaverim istic pro 'ΑΘΗΝΩΝ ΜΕΝΕΣΘΕΩΣ, legendum esse 'ΑΘΗΝΩΝ ΜΕΝ ΝΗΛΕΩΣ regnante Athenis quidem Neleo, anno decimo tertio, si quidem Medontem & Neleum Codri filios Athenis de regno certasse sub tempus Ionicæ migrationis, Neleoque abjudicatum Oraculo regnum occasionem ejus extitisse, è Pausaniæ Achaicis colligitur. Atque Ælianus libri 8. variæ Historiæ, cap. 5. de eadem ita infit, Ὅτι Νηλεὺς ὁ Κόδρου τ̃ βασι-

βασιλείας ἀμοιρήσας ἀπέλιπε τὰς Ἀθήνας διὰ τὸ τὴν Πυθίαν Μέδοντι τὴν ἀρχὴν παραδοῦναι εἰς ἀποικίαν στελλομένῳ. Quod Justus Vulteius Interpres ita reddit, Neleus Codri filius, quum regno pulsus Athenas relinqueret, propterea quod Oraculum Apollinis Medonti qui in Coloniam ex urbe migrabat imperium destinaret, &c. Sed in Græco videtur legendum στελλόμενος, atque ita reddendum, Quod Neleus Codri filius regno pulsus, sive regni expers factus, relinqueret Athenas, quoniam Pythium Oraculum Medonti principatum addiceret, in Coloniam migrans. Reliquit autem Codrus præter Medontem natu maximum, forsitan è priore uxore susceptum, plures filios, ut constat è Pausania, & quidem ut videtur, impuberes, sc. Neleum, Androclum, atque, ut ex Velleio colligere licet, etiam Ionem, neutiquam illum Xuthi filium, Hellenis nepotem, juxta errorem Velleio à Lipsio in Annotationibus errore imputatum. Horum maximus Neleus, quod Medon altero pede truncus claudicaret, & propterea bello inhabilis regnoque parum idoneus videretur, postquam adoleverat, litigare cum eo de regno cœpit; adeoque ut ex eorundem Autorum cum Chronico Marmoreo collatione apparet, regnum tandem obtinuit; sive ipse Codrus morti se devoturus tale quippiam testamento destinârat, siquidem propter maximi sui filii corporis mutilationem & debilitatem è republica futurum videretur; sive populus Atheniensis pronus in factiones, hujusmodi inter eos lites seminabat alebatque, quibus potestatem Regiam illis minueret, suam autem ipsorum libertatem (cujus principium jamdudum Theseus illis indulserat) augeret. Quod & factum est. Hos enim deinceps, horumque successores Atheniensis populus solummodo titulo tenus βασιλέας Reges, ut ex Marmoreo Chronico intelligitur, re vero ipsâ tantum Ἄρχοντας ὑπευθύνους Principes rationibus reddendis obnoxios habuit. Subductis itaque 12 ab 142, relinquitur annus 130, post captam Trojam, quo Neleus motâ contra Medontem seditione Athénis regnare cœperit, qui juxta Chronicon Eusebianum erat annus 16, ac quintus ante finem regni Medontis. Anno autem inde decimotertio, Oraculo jussus abdicare regno Attico in Coloniam migraverit, quum octennio antea Medon, completo regni sui anno vicesimo, à morte Codri, ut videtur, populi favorem captans, propter debilitatem Corporis, Acastum filium in ἀρχῆς principatûs societatem & successionem cooptasset, cujus proinde completo anno 8, ineunte 9 suscepta Ionica migratio fuerit, exactis annis 142 post Trojæ Excidium: & repetitis Navigationibus continuata usque ad annum ejusdem 11, juxta Eusebianum Chronicon, haud levi confirmatione conjecturæ nostræ de vero numero annorum hujus Epochæ exarato in Chronico Marmoreo.

Epoch. 29. A.M.C. 3069. ante Evang. 964. Period. 6. 109.

A quo Hesidus Poeta claruit anni DCLXX.... *regnante Atheni.*

Epoch. 30. A.M.C. 3098. ante Evang. 936. Periodi 6. 138.

A quo Homerus Poeta claruit, anni DCXLIII. *regnante Athenis Diogneto.*

Hesiodum Poetam claruisse (videlicet editis sive publice recitatis Poematum suorum primitiis) annis saltem 672 (ita enim malim supplere lacunam, numeri ΗΗΔΔ.. notâ binarii II, quam denarii Δ;) Homerum autem regnante, sive ad terminum vitæ Archonte Athenis Diogneto, annis 643 ante citimam Epocham suam, i. e. undetriginta annis postea, statuit Chronicon

nicon Marmoreum: illum proinde annis 964, hunc 935, ante Evangelium. Quanquam enim Agellius lib. 3. Noctium Atticarum cap. 11. Ephoro Historico Græco, & Accio Poetâ Latina Autoribus, Hesiodum nonnihil antiquiorem facit; quemadmodum etiam Criticorum (Josephi Scaligeri veniâ dixerim) seculi modo elapsi Coryphæus Justus Lypsius, notis ad Velleium aliter statuentem, ait se imbibisse è majore Poematum ejus simplicitate, & rudiore antiquitate; tamen perperam fuisse id, satis testatur lib. 17. cap. 21. quod totum est Chronologicum, his utens verbis. De Homero & Hesiodo inter omnes fere scriptores convenit, ætatem eos egisse iisdem fere temporibus. Quinetiam Euthymenes antiquus Chronologicus & Archemachus Historicus, libro tertio rerum Euboicarum, & Dion Chrysostomus secundâ oratione de regno, eos ætate æquales fecerunt. Jam vero Homerum floruisse asserit Velleius annis 950 ante Consulatum Marci Vinicii, proxime insecutum illum celeberrimum duorum Caiorum cognominibus Geminorum, Rubellii inquam & Fusii: id est, 949 ante Epocham Evangelii, medio intersecantibus utriusque Poetæ ἀκμῆς intervallum Marmoreum. Agellius autem eodem illo Chronologico capite Autore Cornelio Nepote in primo Chronicorum ante Romam conditam annis circiter centum & sexaginta, id est, ante Evangelium juxta Varronianum conditæ Romæ calculum annis 942, at juxta Fabianum & nostrum 936, uno tantummodo anno excedentibus Marmoreum. Atque hi nimirum fuerunt illi tres libri Chronici Cornelii Nepotis eruditissimi Historici (amicique Ciceronis & Attici hujus quoque accuratissimi Chronographi, cujus vitam etiam idem Nepos scripsit) quorum nomine Catullus Poemation suum ei dedicans admiratur ipsum; quod ausus esset, unus Italorum, id est, primus Romanorum,

Omne ævum tribus explicare Chartis, doctis sc. & laboriosis.

A quo Phidon Argivus nummum argenteum in Ægina cudit, quum esset undecimus ab Hercule, annos 631 ante citimam Epocham statuit Marmorea Inscripto, id est, ante Evangelium 923. Utcunque aliis, sibi certe ipsi, quod haud contemnendum est veritatis argumentum, probe convenit Autor noster, quum Herculis mentionem fecisset, regnante Athenis Ægeo, ultra annum 1323 ante Evangelium, at citime innuisset regnante Theseo anno 1279, istic undecimum ab eo claruisse statuit, anno 923, viz. annis saltem 350 postea, quæ revera est media undecima generatio sive ætas inde juxta calculum Herodoti imputantis ternas ætates singulis centenariis. Atque hoc pacto Phidonis hujus ætas congruit regno Archelai Euristhenidæ septimi Regis Lacedæmoniorum, qui fuit utique undecimus ab Hercule juxta eundem Herodotum lib. 7. Verum duabus minimum generationibus antecedit Phidonem fratrem Carani primi Argivi Regis Macedoniæ, qui fuit saltem decimus tertius, vel decimus quartus (Velleio quidem decimus sextus) ab Hercule: & qui regnare incepit in Macedonia juxta Eusebium anno 841 ante Evangelium, eodem quo Alcamenes Archelai Nepos Lacedæmone, & quarto anno Alexandri decimi Regis Corinthi, qui fuit item tertius decimus ab Hercule juxta Pausaniam & Apollodorum, atque pronepos ejusdem Regis septimi, cujus Regni initium statuit Eusebius anno 920 ante Evangelium. Quod autem Strabo libro 8. scribit (si rem recte retuli in adversaria) φείδωνα τὸν Ἀργεῖον δέκατον μὲν ὄντα ἀπὸ Τεμένου--- νόμισμα κεχαραγμένον, τό τε ἄλλο καὶ τὸ ἀργυροῦν--- καὶ ὅ, καὶ βιασάμενον ἐπελθόντα θεῖναι αὐτὸν [ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπικὸν] &c. Phidonem Argivum decimâ generatione à Temeno, primum cudisse nummum argenteum, atque etiam invadentem Elidem vi & armis, statuisse Agonem Olympicum: hic ubi maxime videtur contradicere Autori nostro, haud leve veritatis testimonium ei exhibet. Nam qui invitis Eleis statuit Agonem Olympicum, quum esset decimus à Temeno fratre Aristodemi, ideoque decimus tertius exclusive ab Hercule, haud dubie fuit alius, viz. saltem nepos vel pronepos Phidonis illius quem primum cudisse nummum, centum & undeviginti annis ante primam O-

lympiadem hoc loco statuit Autor Chronici Marmorei. Erratum igitur fuerit à Strabone in Phidone, perinde ac libro 14, in Neleo Mileti Conditore, quem Pylo ortum facit, tanquam alienum ab Androclo genuino Codri Atheniensium Regis filio Conditore Ephesi, quum uterque fuerit Codri filius, Melanthi vero Pylo orti Nepos, & Neleus Androcli frater natu major.

Porro autem quæ Plutarchus de Lycurgo Lacedæmonio in ejus vita tradit, haud parum faciunt ad illustrandum & confirmandum hoc Phidonis ævum: nec Phidonis modo, sed etiam Homeri, de quo in proxime præcedente Epochâ dictum est. Ita enim scribit, Οἱ δὲ τῇ διαδοχαῖς τῶν ἐν Σπάρτῃ βεβασιλευκότων ἀναλεγόμενοι τὸν χρόνον ὥσπερ Ἐρατοσθένης καὶ Ἀπολλόδωρος, &c. Latine. "Qui vero è successionibus regum Spartanorum colligunt tempus, ut Eratosthenes & Apollodorus, ostendunt Lycurgum haud paucis annis fuisse antiquiorem primâ Olympiade. Timæus autem suspicatur, quum duo fuerint Spartæ Lycurgi, non eodem seculo, alteri propter claritatem attributas esse utriusque actiones, ac priorem quidem paulo juniorem Homero fuisse, nonnulli quoq; in conspectum Homeri venisse. Pauloque post, Plerique genealogiam ejus ita texunt---Patroclis (sive Proclis) quidem filii Aristodemi filium fuisse Soum, Soi Euritionem, Eurytionis Prytanim, Prytanis Eunomum, Eunomi autem Polydectem quidem è priore uxore, Lycurgum vero juniorem è Dianassâ, nimirum ut Eutychidas in Historiam retulit, sextum à Patrocle, undecimum ab Hercule.

Posteaque Charilaum ejus è Polydecte fratre Nepotem & pupillum, confert cum Archelao, alterius Heraclidarum stirpis, una regnante, sic scribens, [Ἦν δὲ Χαρίλαος ὁ Πολυδέκτου] φύσει πρᾶος, ὥς που καὶ λέγεται συμβασιλεύοντα τὸν Ἀρχέλαον αὐτῷ εἰπεῖν. "Erat vero Charilaus Polydectis filius naturâ mitis, quemadmodum etiam fertur, Archelaum qui una cum ipsa regnavit, de eo dicere solitum. Rursum autem in Solonis vitâ, Λυκοῦργος--- ἐνδέκατος ὢν ἀφ' Ἡρακλέους, καὶ βεβασιλευκὼς ἔτη πολλὰ, τῆς Λακεδαίμονος. Sed & antea quoque in ipsius Lycurgi vitâ, Τοσοῦτον γὰρ ἐπρώτευσεν ἡ πόλις τῆς Ἑλλάδος εὐνομίᾳ καὶ δόξῃ, Χρόνῳ ἐτῶν πεντακοσίων τοῖς Λυκούργου χρησαμένη νόμοις, οὓς δεκατεσσάρων βασιλέων μετ' ἐκεῖνον εἰς Ἆγιν τὸν Ἀρχιδάμου οὐδεὶς ἐκίνησεν. Latine, "Tantum enim antecelluit hæc Civitas Græciæ legum præstantiâ & gloriâ quingentorum annorum tempore, Lycurgi usa legibus, quas quatuordecim regum ei succedentium usque ad Agin Archidami filium nemo mutavit, &c. Xenophon autem libro tertio Hellenicorum significat Agidi filio Archidami mortuo, ferme quadriennio post finem Belli Peloponnesiaci, successisse fratrem Agesilaum, circiter annum 429 ante Evangelium: Cui additi 500 anni, constituunt 929, quanto tempore ante Epocham Evangelii claruerit Lycurgus, quasi sexcennio ante Phidonem Argivum, perinde ab Hercule undecimum, atque tantidem post Homerum, juxta Plutarchum Marmoreo calculo eatenus suffragantem. Erastosthenis vero Canones Chronologici statuunt Lycurgi ἐπιτροπίαν tuitionem sive tutelam omnino undecim haud amplius annis post Marmoream Phidonis Epocham.

Itaque Chronicon Marmoreum istic duos Phidones Argivos distinguere nos docet, quemadmodum antea duos Minoes Cretæ Reges, quorum primus Asterii filius regnarit regnante Athenis Pandione primo, quo tempore Idæi Dactyli ferrum invenerunt, annis ferme 73 post diluvium Deucalioneum, juxta antiquum Chronologum apud Clementem Alexandrinum, primo Stromateon circiter annum 1484 ante Evangelium: alter illius è Lycasto filio Nepos imperium maris obtinuit, regnante Athenis Ægeo juxta Diodorum Siculum, libro 4, quorum utriusque gesta vulgo inter se confunduntur, sicut etiam duorum imo trium Eumolporum, juxta Sophoclis Scholiasten in Oedipum Coloneum ex Accsidoro, primi Thracis qui Elusiniis suppetias tulit contra Erecthea Atticæ Regem; secundi, Nepotis primi, tertii autem Pronepotis secundi: itemque plurium Musæorum, & aliorum propemodum

infinit ornm

infinitorum, quorum iisdem nominibus æquivocatio illam confusionem non modo in Ethnica sed etiam in Sacra Historia peperit, quam dolemus: aliis vero ut prudenter & caute distinguant, præsertim in tantopere controverso illo tempore Monarchiæ Persicæ, persuadere vix aut ne vix quidem possumus.

Archiam Evageti filium, qui fuit decimus à Temeno, è Corintho deduxisse Coloniam Syracusas, refert Autor Chronici Marmorei (numero annorum obliterato) regnante Athenis Æschylo, anno vicesimo & uno, istic feriens prope medium inter aliorum calculos. Siquidem in Eusebiano Chronico Syracusæ conditæ feruntur, juxta Pontaci quidem Editionem anno quarto nonæ Olympiadis, juxta Scaligeranam vero anno quarto undecimæ: illic annis 17, hic 25 post annum 21 Æschyli convenientem Olympiadis quintæ anno saltem tertio (Seldenus applicat quarto) id est, anno Olympiadico undevicesimo, anno autem ante Evangelium 786. Neutiquam vero contigisse serius hoc tempore, satis evidenti argumento est, quod Strabo libro 6. (citante etiam Scaligero ad Naxum conditam anno præcedente juxta Thucydidem utiq; libro 6.) Autore Ephoro refert primas urbes Græcas in Sicilia conditas Naxum & Megara, decimâ generatione post Troica tempora, id est, eodem Scaligero calculum subducente annis plus minus 330, viz. 907 ante Evangelium, 122 ante calculum Marmoreum. Quinetiam Marcianus Heracleota in Periegesi Jambicis versibus scripta suffragatur Ephoro de conditis in Sicilia primis Hellenicis urbibus

——Ἀπὸ τῶν Τρωικῶν Δεκάτῃ γενεᾷ.

Quanquam videtur uterque intelligendus una cum nostro de generatione decima post Heraclidarum reditum in Peloponnesum annis 80 post captam Trojam, ac 1157 ante Evangelium. At vel sic quoque decima generatio sive ætas Herodotea terminatur anno 824 ante Evangelium, ac ferme 40 ante illum Marmore mutilo significatum: ut necesse sit tricenos quinos, aut tricenos octonos annos singulis generationibus imputare. Quocirca hæc Epocha serius anno 786 ante Evangelium, sive 494 ante Epocham Marmoream videtur nullâ ratione statui posse. Rursum vero ex altera parte ne citius statuatur, præter Chronicon Eusebianum, intercedit gravissimus & omnium Ethnicorum Historicorum certissimæ fidei Autor Thucydides, scribens initio lib. 6. in hanc (si modo inquam recte ego eam in adversaria retuli) sententiam: Siculos Megarenses quum jam Lamis eorum dux, circiter annum quintum post conditas ab Archiâ Syracusas, Trotilum condidisset, hoc defuncto, Hyblone autem Siculo rege prodente illis regionem, factoque ipsorum Duce, condidisse τὴν Μεγαρίαν πόλιν Megaricam Hyblam, sive Hyblea Megara, quam urbem postquam incoluerant annos 245, ejectos esse ex ea tum urbe, tum regione, à Gelone Tyranno Syracusanorum. Ut enim supponamus Gelonem Hyblâ potitum esse circa idem tempus quo Dionysius Halicarnasseus, & Pausanias scribunt eum primum obtinuisse Syracusas, viz. anno secundo Olympiadis 72, hoc est anno 519 ante Evangelium, huic additis 245, ascenditur ad annum 764 ante Evangelium, quo condita fuerit Hybla, anno decimo septimo post conditum Trotilum & Catanam, atque vicesimo secundo post conditas Syracusas, juxta Marmoreum calculum. Quapropter apparet Syracusarum Urbem, ab Archia Corinthio fuisse conditam, neque citius, neque serius quam significat ille calculus.

A quo annuus Archon Athenis extitit primus Creon (ita nomen primâ & tertiâ literâ mutilâ suppletur è Velleio & Eusebio) numerantur Chronico Marmoreo anni 420, id est, ante Evangelium 712, qui annus erat primus Olympiadis 24. Hæc nimirum Epocha ferme convenit calculo Eusebiano æque juxta Scaligeranam editionem tum Latinam, tum Græcam referentem postremi Archontis decennalis annum postremum ad primum Olympiadis 24, ac

ac juxta Pontaci editionem utique intra annum, utpote quâ primus Archon annuus refertur ad annum ſecundum ejuſdem Olympiadis, perinde atque Excerptis Barbarolatinis, atque etiam ipſo Africano apud Georgium recenſente annuos Archontes 903, uſque ad Olympiadem 250. Ceterum à calculo Dionyſii Halicarnaſſei, ut dudum eum in noſtra Serie expoſui, biennii differentiam præfert, utpote referentis eundem ad tertium annum ejuſdem Olympiadis annis 70 poſt initium Charopis primi decennalis Archontis relatum anno primo Olympiadis 7: Altrinſecus vero exhibet quadriennii differentiam à calculo Pauſaniæ in Meſſenicis, referentis quintum annum Hippomenis quarti decennalis Archontis ad primum annum decimæ quartæ Olympiadis, & Tleſiam, ut videtur, ſequentem Archontem annuum ad quartum annum Olympiadis viceſimæ tertiæ. Sed Marmoreum Chronicon, quo medium attingit propius eo videtur probabilius.

Anno 418 ante citimam Epocham, Chronico Marmoreo inciſum fuit aliquid, quod omnino diſparuit, relicto ſolummodo ejuſdem anni Archonte Athenis Lyſiâ, annuo viz. tertio; quod nec ipſum ſilendum. Erat autem 710 ante Evangelii Epocham. Huic Lyſiæ proximus fuit Tleſias ille apud Pauſaniam, niſi potius idem vero nomine Lyſias.

A quo Terpander Derdenis filius (ita mihi videtur potius Patris nomen affine Derdæ Macedonico in adverſariis meis, è quinto Xenophontis Hellenicorum, quam Patriæ ſive civitatis) Lesbius, nomos ſive modos Muſicos [ſc. novos à ſe inventos] tibiis aptavit, & lite ἐμπροσθε δήμυ coram populo (ita equidem pro ἔμπεροδί μυ legendum exiſtimaverim) ſolutus eſt: Marmoreâ Inſcriptione nnmerantur Archonte Athenis Dropilo, anni 381: qui ſunt ante Evangelium 673. Derdæ viri nomen memorat etiam Ariſtoteles Politicorum libro 5, c. 10. ævoque præcedente Thucydides. lib. 1. Sed neq; Lesbus à Troade adeo diſtat, quin qui alterius dialecto appellatus fuerit Dardanus, alterius dictus ſit Derdenes. Ipſum vero Terpandrum quod attinet, in Chronico Euſebiano Terpander Muſicus inſignis habetur, juxta Scaligeranam quidem Editionem anno 675 ante Evangelium, biennio antea; juxta Pontaci vero anno 670, aut ut in notis agnoſcit 671, biennio poſtea. Ita hic quoque Autor noſter medium ferit.

A quo Alyattes Lydorum Rex extitit, è mutilis Marmoribus colliguntur anni 341 ante citimam ipſorum Epocham, Archonte Athenis Ariſtotele, ante Evangelium anni 633. Hujus regni initium in Chronico Euſebiano ſtatuitur annis 639 ante Evangelium, ſexennio antiquius. At in Excerptis Barbarolatinis triennio ſerius quam in Euſebiano, ac tantidem citius quam in Marmoreo. Cujus ratio reddetur paulo poſt ad initium regni Crœſi.

Sapphonem Poetriam Lesbiam è Mitylenâ in Siciliam trajeciſſe, fugientem ſive deſiderium amaſii Phaonis, ſeu quid aliud, ſignificatur mutilis Marmoribus anno obliterato, inter initium regni Alyattis & decimum quartum ejus annum, quo tempore Athenis Archon erat Critias prior, Syracuſis vero finitimi ſive vicini, ſc. agrorum ad urbem pertinentium Coloni principatu potiebantur. Id quidem apparet contigiſſe anno Alyattis juxta idem Chronicon duodecimo, ac 611 ante Evangelium: Utpote quo ejuſdem Regis anno Sapphonem pariter ac Alcæum Poetas claruiſſe referant non modo impreſſa Chronici Euſebiani Exemplaria, ſed etiam pleraque Manuſcripta, teſte Pontaco.

E ſpoliis direptorum Cirrhæorum, ſolitorum latrociniis & deprædationibus infeſtare eos qui conſultum irent Oraculum Pythicum, reſtauratum eſſe gymnicum Agonem Chrematitem, præmii ſcilicet pecuniarii, ante annos 723, Archonte Athenis Simone, ante Evangelium annis 619, novennioque poſteà eundem Agonem Pythium Stephaniten, id eſt, Coronarium, denuo inſtitutum eſſe, annis 318 ante citimam Epocham ſuam, Archonte Athenis Damaſiâ ſecundo; (primum viz. ſuperius notavimus non quidem è Diodoro Siculo, ſed

Demetrio

Demetrio Phalareo apud Diogenem Laertium) annis vero ante Evangelium 610: deinceps Chronico Marmoreo refertur. Quorum posterius exacte congruit non modo calculo Pausaniæ Phocicis, sed etiam Chronico Eusebiano referenti Isthmia post Melicerten, & Pythia primum acta eodem anno, nimirum tertio Olympiadis 49. Priore autem confirmatur id, quod innuit Censorinus capite 18, & affirmat Scholiastes Pindari in Argumento tertii Pythicorum ejus, Agonem Pythicum antea fuisse Enneatericum, viz. novennio quoque revolvendo fuisse repetitum. Ceterum de vindicta sumta à Cirrhæis, propterea quia latrociniis infestabant peregre proficiscentes consultum oraculum Delphicum; collectanea sive adversaria nostra memorabilem locum exhibent è Plutarcho in vita Solonis, ubi scribit in hæc verba, Ἐθαυμάσθη δὲ καὶ διεβοήθη μᾶλλον ἐν τοῖς Ἕλλησιν [ὁ Σόλων] εἰπὼν ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Δελφοῖς ὡς χρὴ βοηθεῖν, καὶ μὴ περιορᾶν Κιρραίους ὑβρίζοντας εἰς τὸ μαντεῖον, ἀλλὰ προσαμύνειν ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ Δελφοῖς. Πεισθέντες γὰρ ὑπ' ἐκείνου πρὸς τὸν πόλεμον ὥρμησαν οἱ Ἀμφικτύονες, ὡς ἄλλοι τε μαρτυροῦσι καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Πυθιονικῶν ἀναγραφῇ, Σόλωνι τὴν γνώμην ἀνατιθείς. Suspiciebatur vero & celebrabatur maxime inter Græcos Solon. Propter sententiam dictam de eo, quod oporteret auxilia mittere ad defendendum Templum Delphicum, neque sinere Cirrhæos contumeliis afficere Oraculum, sed bellum suscipere pro Deo Delphis. Persuasi enim ab eo bellum movendum decreverunt Amphictyones: ut tum alii testes sunt, tum etiam Aristoteles in Pythionicarum recensione; Soloni sententiam eâ de re dictam ascribens. Duces vero huic bello ex Amphictyonum decreto constitutos fuisse Clisthenem Sicyonium, Alcmæonem Atheniensem, & Eurylochum Thessalum, apparet ex eodem Plutarcho, Pausaniæ Phocicis, & tribus Pindari Pythionicarum argumentis; quorum primo de eorum uno dicitur, Περιεγένετο δὲ αὐτῶν [τῶν Κιρραίων] ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Σιμωνίδου, Superavit ipsos, nempe Cirrhæos, Archonte Athenis Simonide. Secundo autem τὸν Πυθικὸν Ἀγῶνα διέθηκεν Εὐρύλοχος ὁ Θεσσαλὸς ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Σίμωνος. Pythicum Agonem statuit Eurylochus Thessalus, Archonte Athenis Simone: viz. eodem quem Marmora nostra exhibent. Et mox: Μετὰ δὲ χρόνον ἑξαετῆ [lege juxta Marmora, ἐνναετῆ] καταγωνισαμένων τῶν λοιπῶν τοὺς ὑπολελειμμένους τῶν Κιρραίων ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου ὑστέρου [lege iterum juxta eadem Marmora ὑστέρου] καὶ στεφανίτην ἔθεντο. post novennium autem, quum ceteri duces devicissent reliquos Cirrhæorum, Archonte Athenis Damasiâ posteriore, etiam coronarium statuerunt. De novennio autem porro confirmat tertium argumentum, iis verbis, Ἐπλεῖτο δὲ ὁ Ἀγὼν κατ' ἀρχὰς μὲν διὰ Ἐνναετηρίδος· observabatur autem Agon primum, novennii intervallo. Unde denique constat reliquum locum καὶ ἔτει ἕκτῳ· utiq; corrigendum esse ἐννάτῳ, μετὰ τὴν τῆς Κίρρης ἅλωσιν ἀνεκήρυξαν τῷ Θεῷ τὸν στεφανίτην, ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου. Anno autem nono post captam Cirram, edixerunt celebrandum Deo coronarium, Archonte Athenis Damasiâ.

Epoch. 40. A. M. ......

A quo Athenis Comœdiæ——Icariensium, inventore Susarione, &——

Susarion Icariensis Poeta, quem primum excogitavisse Comœdiam refert Clemens Alexandrinus, primo Strom. & cujus Iambos quosdam de muliere citat Stobæus, cap. 87, mutilis Marmoribus, obliterato anno & Archonte, innuitur claruisse inter primam Pythiadem coronariam, & primum usurpatam à Pisistrato tyrannidem Athenis, nempe inter annum 610, & 589 ante Evangelium, de quo nihil amplius occurrit.

Epoch.

Epoch. 41. A.M.C. 3444. ante Evang. 589. Periodi 6. 484.

A quo Pisistratus Athenis tyrannidem occupavit, anni CCXCVII. *Archonte Komiâ.*

A quo Pisistratus Athenis tyrannide potitus est numerantur Chronico Marmoreo anni 297, (qui sunt ante Evangelium 589) anno 4 Olympiadis 54, Archonte Athenis cujus nomen propemodum obliteratum est, relictâ solummodo 1. & duabus postremis literis Κ...ΟΥ: unde nihilominus constat nobis è Plutarcho, sub finem vitæ Solonis, (si qua fides adversariis sive notis meis) legendum esse ΚΩΜΙΟΥ Comiâ: ei succedente, insequente anno, Hegesistrato, quo Phanias Ephesius autor erat Solonem Atheniensem, Sapientem illum, secundo anno tyrannidis Pisistrati mortuum esse: interim Heraclide Pontico, & quidem ut videtur rectius scribente eum supervixisse cœptæ Pisistrati tyrannidi, συχνὸν χρόνον, haud exiguum tempus. In Eusebiano Chronico, juxta Pontaci editionem ad annum 592, juxta Scaligeranam ad 590 ante Evangelium, nempe annum 3 Olympiadis 54, legitur; Pisistratus Atheniensium tyrannus in Italiam transgreditur: ad quem in Annotationibus rectè meâ quidem opinione conjicit Pontacus, Italiam errore ex Etruriâ, Etruriam autem ex Eretriâ factam esse; quo Herodotus lib. 1. scribit Pisistratum paulo post usurpatam tyrannidem Athenis ejectum secessisse: Eretriam inquam, sive Thessaliæ urbem, ut Pontacus (nescio an ex Herodoto mihi non ad manus) seu potius Eubœæ insulæ celeberrimam, ut alioquin ego existimaverim. Itaq; ex hâc Epochâ Marmoreâ, suffragante doctissimo Plutarcho, corrigendus est situs initii tyrannidis Pisistrati in Chronico Eusebii: quemadmodum etiam situs Comiæ Archontis in Atticis Fastis Caroli Sigonii, referentis eum, ut etiam notat Pontacus, ad annum 3 Olympiadis 53, quum hic conveniat anno 4 Olympiad. 54, Meursii Archontes, aut Pisistratum, ceterosve ejus tractatus historiæ Atticæ, ab industrio Seldeno allegatos, quanquam valde cupiens, atque etiam amicos ea propter sollicitans, (malo fato à libris detentus) videre nondum potui. Ideoque hic ego Pisistrato & Pisistratidis (quorum Hipparchi, tanquam ab Harmodio & Aristogeitone interfecti post hæc annis 29, Hippiæ autem 66, illius annis 540, hujus 523 ante Evang. in mutilis Marmoribus parum clara aut certa fit mentio) plura istic inquirere omitto, quoniam à doctissimo illo viro jamdudum diligenter conquæsita esse existimo. Si quid tamen de his posthac nobis occurrerit, suis temporibus exponemus.

Epoch. 42. A.M. 3449. ante Evang. 584. Period. 6. 489.

A quo Crœsus, Asiæ ———— XXXXII. *Archonte Athenis Euthydemo.*

A quo Crœsus regnare incepisse è Marmoribus mutilis colligitur, anni (ut è fine numeri extante .....ΔΔΔΔII apparet) numerati sunt 292, 584 ante Evang. Archonte Athenis Euthydemo; quemadmodum dudum, è prima collatione Archontis cum numero annorum conjeci. Ita vero situm initium regni Crœsi, definit regnum patris ejus Alyattis annis 49, quot ei ascribunt tum Chronicon Eusebianum, tum etiam excerpta barbaro-latina: unde consequitur eadem prorsus differentia sitûs regni Crœsi in his, quæ superius Alyattis exposita est. Sed judicium de veritate utriusque faciendum est, è fine regni Crœsi, cui Eusebius & Excerpta imputant annos 15, verum Herodotus

Herodotus 14 tantummodo. In Chronico Eusebiano post annum 15 Crœsi, ad annum 1 Olympiadis 58 quasi desinentem, ac 576 ante Evang. legitur Crœsus à Cyro cantus est, & Lydorum regnum destructum est quod stetit annos 230. Ac nihilominus biennio postea, in Scaligerana editione, Cyrus Sardes capit; annotante Scaligero, Eusebium istic, ut alias sæpissime, referre diversa tempora è diversis autoribus. Atqui hæc eadem verba in Pontaci editione ponuntur anno 14 Crœsi, annotante ipso pleraque Eusebii exemplaria ita habere, quædam etiam ad annum 10 ejusdem, nonnulla vero ad annum 16 Cyri, quartum autem Olympiadis 58, uno anno serius quam habet Scaligerana editio. Excerpta vero barbaro-latina suggerunt, ac bis terve regerunt, Lydorum regnum tenuisse sive stetisse annis 232, ab initio regni Ardysi pariter ac primæ Olympiadis, ad finem Crœsi pariter atque Olympiadis 58, quot Olympica quadriennia comprehenduntur annis 232. Verum Sosicrates, autor perantiquus, apud Diogenem Laertium in vita Periandri Corinthii, ait hunc mortem obiisse ante Crœsum (sc. regno excussum) annis quadraginta & uno, πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐννάτης ὀλυμπιάδος, sub Olympiadem 49: unde consequens est Crœsum fuisse captum circa initium anni secundi Olympiadis 59, quod lucem fert insequenti Epochæ.

Epoch, 43. A.M.C. 3452. ante Evang. 571. Period. 6. 522.

A quo Cyrus ille Persarum Rex Sardes cepit & Crœsum sub ---etiam Hipponax secundum hunc, Iambicus Poeta.

A quo Cyrus ille primus Imperator Persarum Sardes Lydiæ regiam cepit, & Crœsum sub jugum misit, in mutilis utique Marmoribus, temporis notæ non extant, neque annus, inquam, neque Archon. Verum-enimvero ab initio regni Crœsi constituto iisdem, anno 584 ante Evangelium, sive anno primo Olympiadis 56, annus 14, quo & Herodotus regni Cyri finem, & pleraque Chronici Eusebiani exemplaria Sardes Crœsi Regiam à Cyro captas statuunt, convenit utique anno secundo Olympiadis 59, anno autem ante citimam Chronici Marmorei Epocham 279, ante Evang. vero 571; quo Crœsi regni finis contigerit, juxta Sosicratem atque Herodotum: cujus propterea initium calculo Marmoreo consignatum confirmaverit idem Herodotus; Patris autem ejus Alyattis, una cum excerptis Eusebius. Scaliger quidem, lib. 3. Canonum Isagogicorum, in notis ad Dynastias Regum Lydiæ, nullo autore prolato statuit exitum Crœsi in exitu Olympiadis 59, tametsi Eusebius, & Solinus cap. 4. statuerint in Olympiade 58 sed nobis satis fuerit Marmoreâ Inscriptione admonitis, Sosicrate autore, distulisse, usque ad autumnum vel sub hyemem anni secundi ejusdem Olympiadis, integrâ Olympiade sive quadriennio serius quam statuimus libello Emendationis temporum. Cæterum quod Marmoreâ Inscriptione additur, tempore capti à Cyro cum Sardibus Crœsi, Hipponactem Poetam Iambicum extitisse, confirmat Plinius, lib. 36. cap. 5: addens mentionem de ætate Poetæ Hipponactis; quem certum est fuisse Olympiade 60; quanquam Hipponax Philosophus, si quis ejus professionis unquam fuit, in Eusebiano Chronico statuitur Olympiade 23.

Epoch. 44. A.M.C. 3468. ante Evang. 563. Period. 6. 508.

A quo Thespis Poeta—docuit Alcestin Tragœdiam, (cujus præmium) proponebatur Hircus; anni CCL...... *Archonte Athenis ...næo priore.*

Thespis Poeta docuisse Tragœdiam Alcestin, ejusque operæ præmium reportasse Hircum significatur mutilis Marmoribus inter captum è Cyro Crœsum, & initium regni Darii filii Hystaspis, obliterato numero annorum, & potiore parte nominis Archontis Atheniensis, relictâ solummodo .....næo, sive Keo priore: Ut fuisset Alcæus: cujus nominis posterior fuit anno 3 Olymp. 89. Quum autem & Clemens Alexandrinus primo Strom. & Plutarchus in Solone, & Horatius in arte Poeticâ, nominent Thespim primum,

Carmine qui Tragico vilem certârit ob Hircum.

Eumque ipsum docuisse primum Olympiade 61 referat Suidas; tanquam numero Marmoreo 272, ac ante Evang. anno 564: quod in Chronico Eusebiano, ad Olympiadis 47 annum secundum, ac 619 ante Evang. legitur, his temporibus certantibus in Agone (sc. Tragico) Tragus, i. e. Hircus præmio dabatur, unde aiunt Tragœdos nuncupatos; videtur ita accipiendum, quasi post alios aliquot ignobiles, Thespis certârit primus memoriâ dignus, sc. cujus nomen posteritati commendaretur.

Epoch. 45. A.M.C. 3488. ante Evang. 545. Period. 6. 528.

A quo Darius super Persas regnavit, Mago defuncto; anni ...LIII. *Archonte Athenis—*

Quod ad initium regni Darii filii Hystaspis attinet, Chronico Marmoreo relatum anno 253 ante citimam Epocham, ac 545 ante Evang. quanquam non est dubium cœpisse eum regnare octennio post mortem Cyri, ac Septimestri post mortem Cambysis, quadriennio ante hoc tempus: absoluto tamen imperio hoc demum tempore, captâ Babylone, occisoque reliquo Mago potitum esse, ut dudum annotavimus, suffragatur etiam autor quem secutus est Otho Frisingensis, lib. 2. cap. 16. scribens, Magos regnasse post Cambysem, annis 3. mensibus 7.

Epoch. 46. A.M.C. 3493. ante Evang. 540. Periodi 6. 533.

A quo Harmodius & [Aristoge]iton interfecer[unt Hippar]chum Pisistrati — & Atheniensibus —Pisistratidas —anni CCXLVIII. *Archonte Athenis—*

De Pisistratidis inquirendi plura animum desponderamus, veluti quod hîc significatur Chronico Marmoreo, de Hipparcho Pisistrati filio interfecto ab Harmodio & Aristogeitone, ac forte Hippiâ se includente intra arcis muros ob metum anno 248 ante citimam Epocham, Archonte obliterato, anno autem ante Evang. uti diximus, 540. Veruntamen quandoquidem nihil aliud sit quod æger animi agere malim vel possim, quid si istic quoq; in institutâ disquisitione resumto in manus Calamo progredientem saltem quousque adversaria nostra, unica mihi relicta adminicula, sublevaverint & manuduxerint? Igitur in

in Chronico Eusebiano legitur ad annum ante Evang. juxta Pontaci editionem 548, juxta Scaligeranam 547: Harmodius & Aristogiton Hipparchum tyrannum interfecerunt; & Leæna meretrix, amica eorum, quum tormentis cogeretur ut socios proderet, linguam suam mordicus amputavit: annotante Pontaco, situm horum esse varium, sc. in diversis exemplaribus: atq; Scaligero tum illud, quosdam Codices habere hanc periocham anno antecedente; tum etiam hoc, sed horum Pisistratidarum interitus non certâ refertur à veteribus, nec satis constanti fide. Nimirum Thucydides suo seculo, jam tunc, intra centum annos postea, lib. 1. in prooemio historiæ suæ, generalem ipsorum Atheniensium popularium suorum de hoc facinore errorem redarguit. Atqui nihilominus quod ad tempus attinet, haud improbabilis videtur eventûs istius situs sive annus assignatus in Chronico Marmoreo. Namque idem Thucydides, lib. 6, iterum mentionem ejusdem, & quidem pluribus faciens, inter alia hæc habet verba, Τυραννεύσας δὲ ἔτι ἔτη τρία Ἱππίας ἐπὶ Ἀθηναίων [μετὰ τὴν Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἐπιβουλὴν] καὶ παυθεὶς ἐν τῷ τετάρτῳ ὑπὸ Λακεδαιμονίων, καὶ Ἀλκμαιωνιδῶν τῶν φευγόντων ἐχώρει ὑπόσπονδος ἐς Σίγειον καὶ παρ' Αἰαντίδην ἐς Λάμψακον· ἐκεῖθεν δὲ ὡς βασιλέα Δαρεῖον· ὅθεν καὶ ὁρμώμενος ἐς Μαραθῶνα, ὕστερον ἔτει εἰκοστῷ ἤδη γέρων ὢν, μετὰ Μήδων ἐστράτευσεν. Latine, Tyrannide vero potitus Hippias (post Harmodii & Aristogitonis insidias) adhuc annos tres Athenis, quarto autem anno cedere coactus à Lacedæmoniis & exulibus Alcmæonidis, induciis factis, discessit Sigeum, indeque Lampsacum ad Æantidem (generum suum) ac deinde ad regem Darium: unde redux in Marathonem postea, anno vicesimo, jam senex, cum Medis militavit. Prælium Marathonium superius à nobis observatum est Marmoreâ Inscriptione referri ad annum 519 ante Evang. cui additis 20 pervenitur ad annum 539, scilicet proxime insecutum cædem Hipparchi, occasionem ejectionis Hippiæ, juxta eandem inscriptionem. Porro autem Aristoteles, Politicorum lib. 5. cap. 12. inductione probans nullas Græcorum tyrannides fuisse diuturnas, scribit in hæc verba, [Ἡ τυραννὶς] τῶν Πεισιστρατιδῶν Ἀθήνησιν οὐκ ἐγένετο συνεχής· δὶς γὰρ ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν· ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν, ἑπτακαίδεκα ἔτη τούτων ἐτυράννευσεν, ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες· ὥστε τὰ πάντα ἐγένετο ἔτη τριάκοντα καὶ πέντε. Latine, Tyrannis Pisistratidarum Athenis non fuit continua: bis enim è tyrannide in exilium actus est Pisistratus: ita ut ex annis 33 ab initio tyrannidis suæ, eâ potitus sit tantummodo 17; filii autem ejus annis 18, itaque omnes tyrannidis eorum anni fuerunt 35. Verum Herodotus, lib. 5. scribit Pisistratum & Hippiam tyrannide potitos esse annis 36: proculdubio numerans annos à quo tempore Pisistratus tertia & postrema vice recuperatam tyrannidem stabilivit. Quinetiam Trogus Justini, lib. 2. scribit Pisistratum regnasse annis 34, ita enim & impressis, & manuscriptis ejus exemplaribus legi testatur Bongarsius, Libro variarum ejus lectionum. Quocirca apparet, à Pisistrateæ tyrannidis initio ad exactum eâ Hippiam, transactos esse annos 52. Qui si subducantur anno 589 ante Evang. quo Marmorea Inscriptio statuit initium tyrannidis Pisistrati: residuus fit annus 537, quo Hippias ejectus fuerit, triennio post Hipparchi necem, ac annis ferme 18 ante pugnam Marathoniam, juxta eandem inscriptionem, calculo tum Aristotelico, tum Thucydideo, tum Herodoteo, tum etiam Trogi Pompeii, ita prope & probe consentientem.

Epoch. 47. A.M.C. 3497. ante Evang. 536. Periodi 6. 537.

A quo chori primum certarunt virorum, cujuſmodi primum docuit Hypo---cus Chalcidenſis & vicit: anni CCXXX---Archonte Athenis Lyſagorâ, [*an Iſagorâ.*]

Choros viriles primum certaſſe, taliſque chori doctorem Hypodicum, aut alium quempiam ſimili nomine viciſſe, ſignificatur mutilis Marmoribus, circiter annum 244 ante citimam Epocham ſuam ac 536 ante Evang. Archonte Athenis (ut quidem videtur legendum) Iſagorâ, quo Archonte, anno primo Olympiadis 69 primos Romæ Conſules ſtatuit Dionyſius Halicarnaſſeus, lib. 4. & initio lib. 5.

Epoch. 48. A. M. C. 3510. ante Evang. 523. Period. 6. 550.

A quo---Hippias---Athenis, anni CCXXXI: Archonte Athenis Pythocrito.

Quod in mutilis Marmoribus deinceps de Hippiâ videtur innui Archonte Athenis Pythocrito, annis 231 ante citimam Epocham, 523 ante Evang. quadriennio ante Marathonium prælium; forte ſpectat ad priorem expeditionem Medicam, quâ Darius Hyſtaſpides miſit Mardonium ducem, tunc juvenem, cui paulo ante in uxorem dederat filiam ſuam Artozoſtram, quemadmodum refert Herodotus lib. 6. cum claſſe 300 navium, quæ naufragio peſſundata eſt ad montem Athon, & præterea exercitu pedeſtri, quo ſubjugavit reliquos Macedones, qui antea non ſubmiſerant ſe Imperio Perſico, atque etiam Thraces dictos Brygas: in qua priore expeditione, quâ reipſâ plus actum eſt, quam poſteriore Marathoniâ, æque veriſimile eſt Hippiam fuiſſe, ac in poſteriori: ac præſertim in legatione circa idem tempus à Dario miſſâ ad poſcendum Græcos aquam & ignem in ſignum ſubjectionis: cui multi Græcorum populi paruerunt, præcip .e vero Æginates, tunc temporis ex omnibus Græcis mari plurimum potentes, & Athenienſium æmulorum ſuorum contra ipſos propterea exclamantium, infeſti inimici: à quo demum veriſimilius, quam ab Hippiâ perſuaſi? Cujus occaſione recruduerunt inimicitiæ inter duos Lacedæmoniorum Reges, Cleomenem & Demaratum; Demaratuſque regno abdicatus, haud ita multo poſt, ad Darium utique fugit. Ne cui autem hoc minus fiat veriſimile, quia Thucydides nullius reditûs Hippiæ in Græciam meminit, ante prælium Marathonium: etiam ante hoc tempus, circa initium rebellionis Ariſtagoræ Mileſii, Hippiam à Cleomene & Lacedæmoniis revocatum, volentibus eum reducere Athenas in priſtinum dominatum: quod ne fieret, longâ & vehemente oratione, à Soſicle Corinthiorum legato diſſuaſum eſſe, fuſe narrat Herodotus, lib. 5. Thucydides igitur poſtremi tantummodo reditûs Hippiæ meminit; quo in Atticam, atque ipſarum Athenarum conſpectum venit, ſummaque ſpe recuperandi dominatus decidit: & ſiquidem non in ipſa pugna Marathonia, quod à nonnullis traditum, occubuit; at paulo poſt, ſenio pariter ac mœrore perinde ac Darius ipſe, juxta Marmoream nimirum & noſtram Chronologiam, contabuit. Quicquid vero id eſt, quod de Hippia innuunt mutila Marmora hoc anno ut dictum eſt 231 ante citimam Epocham, ac 523 ante Evang. Archonte Athenis Pythocrito: dimovet certe eodem anno, nempe ſecundo Olympiadis 71, Philippum Archontem, Caroli Sigonii ut puto, & aliorum recentiorum Faſtis Atticis ei aſſignatum: cui proinde alius à nobis infra locus aſſignabitur, poſt octennium, videlicet duas integras Olympiades, anno eodem ſecundo Olympiadis 73.

Jam vero antequam finem imponamus huic diſquiſitioni, opportunum videtur

tur ut ostendere conemur, ubi demum statuendus sit terminus discriminis illius solennis annorum 26 inter Chronicon Marmoreum & Eusebianum, in situ Regum Atheniensium, iisque succedentium Archontum ad terminum vitæ, Apparet autem terminum ejusmodi esse statuendum inter Diognetum, sive Dioginetum, & Æschylum. Quod siqua fides particularibus regum annis relatis in Excerptis barbaro-latinis, reposito Thersippo in locum suum inter Archippum & Phorbantem, unde Interpretis nec Græcæ linguæ gnari nec Latinæ, vel imperitiâ, vel negligentiâ videtur excidisse in dorsum Æschyli penultimi Archontis perpetui, sive ad finem vitæ: quum tres proxime præcedentes Archontes, Ariphron, Thespieus, & Agamestor habeant apud Eusebium annos omnino 67, in excerptis vero 96: deductis huic excerptorum summæ, & quidem medii Thespiei magistratui tribus, conciliatio facta fuerit. Igitur si placet, tantisper donec aliquid certius aut melius ex historiis probatioribus deprehensum fuerit, accommodentur Ariphroni, pro Eusebianis annis 20, Excerptorum anni 30, Thespieo autem pro Eusebianis 27, Excerptorum 40 minus 3, tredequadraginta inquam 37 pro 27, atque Agamestori pro Eusebianis 20, Excerptorum anni 26: ita tres illi Archontes Æschylum proxime antecedentes, habuerint simul 92 annos, viz. 26 quos requirit calculus Marmoreus plures quam permittit Eusebianus. Vicissim vero annus postremus, nempe vicesimus tertius, minuendus videtur Æschylo, ut primus Archon annuus conveniat initio Olympiadis 24, itaque situs Regum & perpetuorum Archontum Atheniensium conveniens Chronico Marmoreo, in annis Epochæ Eusebianæ ante Evangelii principium, & à mundi conditu juxta nostram Chronologiam, per quos periodo octodesexcentenariæ accommodari possunt, fuerit talis, qualem in subjecta Tabula exposuimus.

Anni Mundi conditi, & ante Evangelium, quibus singuli Reges & Archontes Atheniensium inceperint, juxta Marmoreum Chronicon.

Reges Athen.	Anni M.C.	Anni ante Evang.	Anni Regû
1. Cecrops.	2423.	1610.	50.
2. Granaus.	2473.	1560.	9.
3. Amphyction.	2482.	1551.	10.
4. Erichthonius.	2492.	1541.	50.
5. Pandion.	2542.	1491.	40.
6. Erichtheus.	2582.	1451.	50.
7. Cecrops. 2.	2632.	1401.	40.
8. Pandion. 2.	2672.	1361.	25.
9. Ægeus.	2697.	1336.	48.
10. Theseus.	2745.	1288.	30.
11. Menestheus.	2775.	1258.	23.

Menesthei anno regni penultimo capta est Troja, juxta Chronicon Marmoreum, annis 433 ante Epocham Olympiadum.

12. Demophoon.	2798.	1235.	33.
13. Oxyntes.	2831.	1202.	12.
14. Aphidas.	2843.	1190.	1.
15. Thymoetes.	2844.	1189.	8.
16. Melanthus.	2852.	1181.	37.
17. Codrus.	2889.	1144.	21.

Archontes ad terminum vitæ.

1. Medon.	2910.	1123.	20.

Archontes Athen.	Anni M.C.	Anni ante Evang.	Anni Regû
2. Acastus.	2930.	1103.	36.
3. Archippus.	2966.	1067.	19.
4. Thersippus.	2985.	1048.	41.
5. Phorbas.	3026.	1007.	31.
6. Megacles.	3057.	976.	30.
7. Diogenetus.	3087.	946.	28.
8. Phereclus.	3095.	918.	19.
9. Ariphron.	3134.	899.	30.
10. Thespieus.	3164.	869.	37.
11. Agamestor.	3201.	832.	26.
12. Æschylus.	3227.	806.	22.
13. Alcmæon.	3249.	784.	2.

Post Alcmæonem constituti sunt Archontes Decennales, circiter mediam Olymp. 6.

1. Charops.	3251.	782.	10.
2. Æsimedes.	3261.	772.	10.
3. Clidicus.	3271.	762.	10.
4. Hippomenes.	3281.	752.	10.
5. Leocrates.	3291.	742.	10.
6. Apsandrus.	3301.	732.	10.
7. Eryxias.	3311.	722.	10.
Archon annuus	3321.	712.	1.

Verum enimvero non sufficit ad confirmationem calculi Marmorei inter captum Ilium & primam Olympiadem, accommodasse ei Regum & Archontum Atheniensium annos omnino 26 plures quam vulgò iis imputantur: nisi aliorum regnorum Græcorum, quorum initia putantur ab Ilii capti Epochâ, anni eidem item accommodentur: videlicet Lacedæmonii & Corinthii, ab Heraclidis in Peleponesum redeuntibus conditorum Heraclidas fratres tres, filios Aristomachi, filii Cleodæi, filii Hylli, filii Herculis, tres inquam fratres, Aristodemum, Temenum, & Cresphontem, bello repetentes & recuperantes Peleponesum, condidisse ibi regna: ac Aristodemi filios, Euristhenem & Proclem sive Patroclem, regno Lacedæmonio potitos esse: ex Herodoto, Diodoro Siculo, Apollodoro, Plutarcho, Pausaniâ, Velleio, aliisque intelligitur. Tempus autem ejus conditi notat Thucydides, proœmio historiæ, his verbis, Δωριεῖς ὀγδοηκοστῷ ἔτει [μετ' Ἰλίου ἅλωσιν] ξὺν Ἡρακλείδαις Πελοπόννησον ἔσχον. Dores octogesimo evoluto anno post Ilii excidium, cum Heraclidis Peloponesum obtinuerunt. Ei autem suffragatur primus Canon Chronicus Eratosthenis apud Clementem Alexandrinum, Stromat. primo, statuens, Ἀπὸ Τροίας ἁλώσεως ἐπὶ Ἡρακλειδῶν κάθοδον ἔτη ὀγδοήκοντα. A Capta Troja ad Heraclidarum reditum, annos 80. Porro autem secundus & tertius ejusdem Canones simul statuunt. Ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν ἐπιτροπίαν, τὴν Λυκούργου ἔτη διακόσια δεκαεννέα. Inde ad tutelam illam Lycurgi, annos ducentos novendecim. Ac quartus, Ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν πρώτην ὀλυμπιάδα, ἔτη ἑκατὸν ὀκτώ. Inde ad primam Olympiadem annos centum & octo: qui à reditu Heraclidarum & initio regni Lacedæmoniorum consummant annos 327. Eusebianum vero Chronicon exequens annos regum Euristhenidarum tantum, non etiam Proclidarum, è quibus fuit Lycurgus; regibus novem ab Euristhene primo ascribit annos summum 325: ad 1. Olymp. juxta Ephorum. Atqui Marmoreus calculus requirit 353, id est, 28 plures quam Eusebianus, 26 quam Eratostheneus: & concessis 219 inter reditum Heraclidarum & Lycurgi tutelam postulat 134 inter hanc & Olympiadum Epocham. Plures multumque discrepantes fuisse opiniones de tempore Lycurgi, & è Plutarcho ante significavimus, & è Chronico Eusebiano apparet. Omissis autem enormibus, probabiliores videntur conciliari posse ex eo quod asserit Plutarchus in Solonis vitâ, Λυκοῦργον --- βεβασιλευκέναι ἔτη πολλὰ τῆς Λακεδαίμονος, Lycurgum regnasse multos annos Lacedæmone: nimirum à morte fratris Polydectæ, plus minus semestri ante natum filium posthumum Charilaum; quousque legibus latis, Charilao nepoti annos jam 25 nato regnum reliquerit. Ab initio igitur tutelæ Lycurgi, ad primam Olympiadem fuerint juxta calculum Marmoreum anni 134: à fine juxta Eratostheneum, 108. Rursum ab initio, annis 299 post captum Ilium, juxta quosdam Clementis autores, non quidem ad primam Olympiadem, quo pacto intervallum eousque esset annorum 440, verum ad constitutos primum Ephoros Lacedæmone, haud ita multo post primam Olympiadem, nempe initio quintæ, fuerunt anni 150. A fine autem, juxta Plutarchum in ejus vitâ, ad Elatum atque Socios primum constitutos Ephoros, Ἔτη μάλιστα τριάκοντα καὶ ἑκατὸν, anni summum 130, id est, 124. Item, ab initio, ad finem belli Peloponesiaci, sub finem regni Agidis filii Archidami, ab illo decimi quarti juxta eundem ibidem, (habentem ut videtur rationem Zeuxidami patris Archidami mortui ante Leotychidem ipsius patrem, alioqui vero unus deest catalogo Herodoteo, lib. 8. inter Proclem & Leotychidem) fuerunt anni plus minus quingenti; vel paulo plures quam quingenti, ἔτη πεντακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω, i.e. quingenti & sex, juxta præcisiorem Thucydidis rationem, proœmio historiæ, si modo pro τετρακόσια legantur πεντακόσια ut ratio postulat: ubi ita legitur. Ἔτη ἐστὶ μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω εἰς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται, omnino legendum πεντακόσια. Atque totidem propemodum

dum fuerunt à fine ejusdem tutelæ, ad devictos à Thebanis Lacedæmonios, vastatamque ferro & igne Laconicam, Epaminondâ duce: juxta Diodorum Siculum, initio lib. 15. iterumque postea, Archonte Athenis Alcisthene; atque etiam postea, Archonte Lysistrato: nec non Ælianum, variæ Historiæ lib. 13. cap. 43. E quibus vicissim corrigendus est locus Plutarchi in Agesilao, ubi in ejusdem temporis assignatione perperam legitur contra, χρόνος οὐκ ἐλάττων ἐτῶν ἑξακοσίων, pro πεντακοσίων. Quum vero Lycurgus asseratur, Pausaniâ autore, tulisse leges Lacedæmoniis regnante Agesilao Euristhenidâ ex altera Heraclidarum stirpe: id quidem juxta Chronicon Eusebianum stare non potest, utpote quo tribus regibus Agesilaum, postquam regnârat annos 44, insequentibus usque ad primam Olympiadem, ascribantur 137 anni, Archelao 60, Teleclo 40, & Alcameni 37: nimirum tres plures, quam ab ultimo initio tutelæ Lycurgi putantur ad eandem. Verum juxta Puteani Excerpta barbaro-latina, potest: utpote in quibus legatur; Agesilaus, annos 30. Cemenelaus annos 44. Archelaus, 60. Celeclus, 40. Alcamanus 27. Automedus, 25. Simul Reges Lacedæmoniorum permanserunt in regno [usque ad primam Olympiadem] annos 350. Ubi pro Cemenelaus, Scaliger legendum autumat, καὶ Μενέλαος, & Menelaus. Sed quum nullus ejus nominis rex Lacedæmonius agnoscatur, nec ab Herodoto recensente omnes ab Euristhene ad Leonidem, lib. 7. nec à Pausania, nec ab Eusebio, nec à quoquam, quod sciam, alio; & anni huic ascripti in Excerptis sint plane iidem quos Eusebius ascribit Agesilao: videatur potius legendum, καὶ μὲν ἄλλος, & quidem alius, sive alius autem, sc. Agesilaus. ideoque duo Reges Agesilai, alter alteri in regno succedens, ab aliis perperam in unum confusi, in his Excerptis, utcunque alias mendosissimis, videntur recte distincti esse. Perinde autem postremus ille, Automedus, quum à nemine agnoscatur; & particularem summam annorum singulis regibus ascriptorum, extendat longe ultra summam universam 350, utpote usque ad 370: videatur ab ineptissimo & ignarissimo Interprete, qui ne legere quidem potuerit Græca, ne dum intelligere, confictus esse è Græci Autoris verbis, quibus significatur eundem Alcamenem, juxta alios regnasse 25: forte his, αὐτὸς μὲν δ' ἐνίοις, ipse vero nonnullis, sc. autoribus, annos 25. Quocirca ascriptis Alcameni annis tantummodo 25 ante primam Olympiadem, quo pacto initium tutelæ Lycurgi annis 134 antea inciderit novennio ante mortem Agesilai posterioris; ut omnibus præcedentibus Eusebianis regibus Euristhenidis maneant sui annorum numeri: priori illi Agesilao in Excerptis significato imputandi fuerint non 30 tantum sed 40 anni. Quibus admissis series & situs Lacedæmoniorum Regum ab Euristhene, inter Heraclidarum reditum & primam Olympiadem, fuit hujusmodi.

Reges Lacedæm.	Anni Mundi	Anni ante Evang.	Anni reg.	Reges Lacedæm.	Anni Mundi	Anni ante Evang.	Anni reg.
1. Euristhenes.	2876.	1157.	42.	6. Agesilaus 1.	3020.	1013.	40.
2. Agis.	2918.	1115.	1.	7. Agesilaus 2.	3060.	973.	44.
3. Echestratus.	2919.	1114.	35.	8. Archelaus.	3104.	929.	60.
4. Labotas.	2954.	1079.	37.	9. Teleclus.	3164.	869.	40.
5. Doryssus.	2991.	1042.	29.	10. Alcamenes.	3204.	829.	25.
				Prima Olymp.	3229.	804.	0.

Ceterum quod post Charilai ex altera Heraclidarum stirpe, nepotis Lycurgi, annos 64 regni, Nicandrum regnasse annos 39, autor fertur Sosibius Laco in Chronographia; ejusque anno 34 actam esse primam Olympiadem: pro 39 & 34 legendum esse 49 & 44, ex iis quæ dicta sunt apparet. Ac sane ex illis 108 annis Charilai & Nicandri ante primam Olympiadem, videatur Eratosthenes

tosthenes composuisse Canonem tutelæ Lycurgi; sed perperam imputans tutelam primis annis absoluti liberique jam ab ea regni Charilai: qui ex hac suppositione nonagesimum ætatis annum attigerit. Nisi forte desit unus etiam inter Charilaum & Nicandrum. Qui Plutarcho præstet reges 14 à Lycurgo ad Agidem, & quidem incluso in numerum utroque.

Omnino autem Heraclidarum reditum in Peloponesum, regnique initium Lacedæmone, contigisse non modo annis 350 ante primam Olympiadem, quemadmodum & Excerpta, & Eusebii Græca Syncellana, quanquam haud sibi constantia agnoscunt, sed etiam integris 353, juxta Chronicon Marmoreum, ex eorundem regno Corinthi intelligere licet. Cujus initium ab Alete, quinto vel sexto ab Hercule, etsi Eusebius statuit una cum initio regni Euristhenis & Proclis Lacedæmone: Didymus tamen apud Scholiastem Pindari, Olympionicarum Odâ 13, asserit Aleten cœpisse regnare Corinthi annis 30 post Dorum, sc. cum Heraclidis, advectum in Peloponesum. Cui suffragatur quoque Velleius. Regibus autem Corinthi duodecim ab Alete, & Excerpta, & Eusebius tum Latinus, tum Græcus, & fragmentum Diodori Siculi ex Syncello, ascribunt saltem 323 annos ante primam Olympiadem. Quorum Catalogum Eusebianum, nostris Epochis accommodatum utique hic subjicimus.

Reges Corinthi.	Anni Mundi	Anni ante Evang.	Anni regni	Reges Corinthi.	Anni Mundi	Anni ante Evang.	Anni regni.
1. Aletes.	2906.	1127.	35.	7. Eudemus.	3115.	918.	25.
2. Ixion.	2941.	1092.	37.	8. Aristomedes.	3140.	893.	35.
3. Agelaus.	2978.	1055.	37.	9. Agemon.	3175.	858.	16.
4. Prumnis.	3015.	1018.	35.	10. Alexander.	3191.	842.	25.
5. Bacchis.	3050.	983.	35.	11. Telestes.	3216.	817.	12.
6. Agelas.	3085.	948.	30.	12. Automenes.	3228.	805.	1.
				Prima Olymp.	3229.	804.	0.

Post annos 952, quam ab Alete erat condita, Corinthum funditus diruit Lucius Mummius, juxta Velleium, summum uno anno ante nostrum calculum: quum nostra Series rerum Romanarum conferat Corinthi, ut & Carthaginis excidium in annum 3859. M. C. qui erat 174 ante Evang. Porro autem præter tria illa Græcorum regna exposita in Chronico Eusebii Latinum quoque dependet ab Epocha Trojæ captæ. Quod proinde etiam Chronici Marmorei Epochæ capti Ilii accommodandum est. Quanquam igitur Dionysius Halicarnasseus, lib. 1. Roman. Antiquitatum, Porcio Catone autore statuit Romam conditam ad Latini regni finem, quadringentis triginta duobus annis post captam Trojam: tamen cum agnoscat illum nullam Græcam temporis notationem exposuisse, ideoque ipse calculum Catonianum applicet Canonibus Eratosthenis ponentis annos quadringentos & septem inter Ilium captum & primam Olympiadem: haud perinde liquet Catonem ipsum ad eosdem Canones referri voluisse: quin potius, quum idem Dionysius in proxime præcedentibus retulerit Timæum Siculum scripsisse Romam conditam annis duobus de quadraginta ante primam Olympiadem; Cincium autem, & alios, annis plus minus totidem post: probabile sane est, Catonem censuisse conditam circiter ipsam Epocham Olympicam; ideoque eundem numerum annorum 432 accommodasse pariter utrique Epochæ, inquam, & Olympicæ, atque Romæ conditæ. Quo pacto proxime Chronici Marmorei calculo, nimirum intra unum annum convenit. Jam vero Puteani Excerpta Barbarolatina statuentia Ilii excidium, Epochæ suæ anno 4355, Romam vero à Romulo conditam, anno 4820 intervallum annorum 465 interea, pro regni

Latini duratione admittunt. Chronicon autem Alexandrinum ponens captum Ilium anno 4249 Epochæ suæ: Romam conditam statuit anno quarto septimæ Olympiadis, à Romulo & Remo, tunc 24 annis natis, Epochæ suæ ejusdem anno 4775; nempe 526 post Ilii excidium. Itaque hi calculi intervalli temporis ab excidio Ilii ad conditum Romæ, sive durationis regni Latini, satis superque conferunt ad confirmandum intervallum Chronico Marmoreo expositum ab Ilio capto ad primam Olympiadem. Verum ubi anni illi 26, quibus Canon Marmoreus excedit Eratostheneum, inserendi sint, innunt Excerpta Puteani, collata cum Eusebianis Græcis Georgii Syncelli. Quum enim Dionysius Halicarnasseus referat Æneam occubuisse in prælio contra Mezentium Tyrrhenorum regem, annis 7 post captum Ilium, & 4 post Latini mortem: Puteani Excerpta, duobus locis, priore inter Judices & Reges Israeliticos, posteriore inter Atheniensium & Lacedæmoniorum regna, ascribunt ei regni annos 38 post Ilii excidium, quorum priores 19 communes ei cum Latino: Syncelli vero Græca Eusebiana, primum imputantia tres primos annos regni Æneæ communes cum tribus postremis regni Latini post captum Ilium, & tres alios post Latini mortem; deinde agnoscunt nonnullos ascribere Æneæ regni annos 8, putandos à 9 post captum Ilium: ac demum referunt Æneam post captam Trojam, regnasse annos 23. Atque his videlicet Excerptis Puteani & Syncelli, convenire Eclogam Græcam Isaaci Casauboni de regno Latino significat Scaliger: quam nescio quare inter alias illius Eclogas, præter institutum hic omiserit, nisi quod suo calculo & Canoni Eratostheneo neutiquam quadraret. Itaque si regni Æneæ anni 38 suppeditati ab Excerptis Puteani, & 23 ab Eusebianis Syncelli, ita componantur; ut prior numerus priorum, posterior autem posteriorum admittatur: fient 33, viz. 26 plures quam Dionysii Halicarnassei calculus Eratostheneus exhibet: quorum primi tres utique communes fuerint Æneæ cum Latino, juxta Dionysium pariter ac Syncellum; deinde autem 30 proprii Æneæ, post Latini mortem: ut proinde regnum Latinum steterit annis 461 proxime, ab Ilio capto ad Romam conditam; undetriginta pluribus quam statuit idem Dionysius. Etenimvero, quum nos autore Quinto Fabio Pictore, suffragante etiam Chronico Alexandrino ut modo vidimus, Romam conditam statuamus triennio serius quam Dionysius, nempe sub exitum septimæ Olympiadis & initium octavæ, Eusebianus numerus annorum 44 regni Amulii penultimi regis Latinorum, biennio superans Dionysianum, una cum primo anno Numitoris regis ultimi, eo nos deducet: quemadmodum sequens catalogus regum Latinorum cum particularibus summis annorum cujusque, ceteroqui Dionysianus, accommodatus nostris Epochis annorum Mundi conditi, & ante principium Evangelii, manifestum faciet.

Reges Latini.	Anni M. C.	Anni ante Evang.	Anni Regni	Reges Latinus.	Anni M.C.	Anni ante Evang.	Anni regni
1. Latinus.	2796.	1237.	3.	10. Capetus. 2.	3071.	962.	13.
2. Æneas.	2799.	1234.	30.	11. Tiberinus.	3084.	949.	8.
3. Ascanius.	2829.	1204.	38.	12. Agrippa.	3092.	941.	41.
4. Sylvius posthum.	2867.	1166.	29.	13. Allades.	3133.	900.	19.
5. Æneas Sylvius.	2896.	1137.	31.	14. Aventinus.	3152.	881.	37.
6. Latinus. 2.	2927.	1106.	51.	15. Procas.	3189.	844.	23.
7. Alba.	2978.	1055.	39.	16. Amulius.	3212.	821.	44.
8. Capetus.	3017.	1016.	26.	17. Numitor.	3256.	777.	1.
9. Capys.	3043.	990.	28.	Roma Condita.	3257.	776.	0.

Pergamus vero etiamnum ulterius, ad examen Epocharum Chronici Marmorei sequentium deinceps à prælio Marathonio usque ad finem.

Epoch.

Epoch. 49. A.M.C. 3514. ante Evang. 519. Periodi 6. 564.

A quo prælium in Marathone commissum est ab Atheniensibus contra Persas, — Darii —ducem vicerunt Athenienses : anni CC-XXVII. *Archonte Athenis Phanippo secundo. —prælio una certavit Æschylus Poëta quando erat annorum* XXXV.

Prælium Marathonium quo Athenienses, Miltiade duce præcipuo, secundo autem Aristide, profligarunt Datim Darii Hystaspidæ Persarum Imperatoris præfectum, Marmorea Inscriptio assignat anno 227 ante citimam Epocham, ac 519 ante Evang. Archonte Athenis Phænippo secundo, cui successerit ipse Aristides : quemadmodum è Plutarcho in Aristidis vitâ jamdudum declaravi: quanquam alii Diogneto, alii Hybrilide Archonte, tanquam Dionysio Halicarnasseo, lib. 5. vel Pausania, lib. 6. autoribus idem referunt. Sexto autem die Attici mensis Boëdromionis, sub Autumni æquinoctium, eodem Plutarcho Autore, tum in Camillo, tum etiam libro, Doctrina, an virtute celebriores Athenienses ? prælium illud commissum esse, pridem quoque annotavi : quemadmodum Salaminium prælium navale contra Xerxem, περὶ τὰς εἰκάδας circiter vicesimum diem ejusdem mensis, juxta eundem item in Camillo. Marathonium autem anno decimo, summum absoluto pauculis illis diebus ante Salaminium contigisse, cujus asserendi gratiâ hæc repetimus; clare testatur Thucydides, in Historiæ suæ Procemio, his verbis, Μετὰ τὴν τῶν τυράννων κατάλυσιν ἐκ τῆς Ἑλλάδος οὐ πολλοῖς ἔτεσιν ὕστερον καὶ ἡ ἐν Μαραθῶνι μάχη Μήδων πρὸς Ἀθηναίους ἐγένετο· δεκάτῳ δ᾽ ἔτει μετ᾽ αὐτὴν αὖθις ὁ βάρβαρος τῷ μεγάλῳ στόλῳ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα δουλωσόμενος ἦλθε. Post exactos tyrannos è Græcia haud multis annis interjectis, pugna in Marathone à Medis contra Athenienses commissa est, decimo autem anno post illam pugnam, rursum Barbarus ingente classe & apparatu bellico tanquam subjugaturus Græciam invasit. Sed & Plato de Legibus, lib. 3. absolutum decennium inter eadem duo prælia, Marathonium & Salaminium, intercessisse refert. Unde constat Marathonium neutiquam antevertisse annum secundum Olympiadis 72, nostro calculo congruentem, aut tricesimum primum regni Darii Hystaspidæ; etiamsi Josephus Scaliger, Arnoldus Pontacus, aliique secundum Chronicon Eusebianum, ad præcedentem, viz. primum ejusdem Olympiadis referunt: quandoquidem Navale contra Xerxem ad Salaminem, neutiquam antevertisse annum quartum Olympiadis 74, in confesso apud omnes sit.

Eodem autem prælio Marathonio Æschylum Poetam Tragicum animose pugnasse, & cum fratre suo Cynigiro quasi de fortitudinis palmâ contendisse, ab aliis quoque proditum est : eum vero tunc natum fuisse annos 35, etiam Marmoreâ Inscriptione annotatur. Verum in Chronico Eusebiano, Æschylus Tragœdiarum scriptor agnoscitur ad initium Olympiadis 71 : imo juxta quædam ejus exemplaria, Olympiade 70. quod etiam Suidæ testimonio confirmatur ; referentis Pratinam cum eo certavisse eâdem 70 Olympiade : imo vero etiam juxta alia Eusebii exemplaria, Pontaco teste, sub Olympiadem 69 : qua ipsa Olympiade, nempe, ξθ', (tametsi prior numeralis litera, exemplari interciderit) alias apud eundem Suidam, Αἰσχύλος ἠγωνίζετο ἐτῶν ὤν, κε' Æschylus certavit, natus tunc annos 25. Siquidem decimus annus ante prælium Marathonium, ac annus 25 ætatis Æschyli, juxta Chronicon Marmoreum, est annus quartus Olympiadis 69, ac 529 ante Evang. Hæc quoque nota ætatis Æschyli confirmat prælium Marathonium anno 2 Olympiadis 72, neque prius nec posterius contigisse.

Epocha

Epoch. 50. A.M.C. 3915. ante Evang. 518. Period. 6. 555.

A quo Simonides avus Simonidis Poetæ, Poeta etiam ipse —— : & Darius mortuus est, Xerxes autem ejus filius regnum adeptus: ——...XVI; Archonte Athenis Aristide.

Simonidem Poëtam, Simonidis etiam Poetæ avum anno prælium Marathonium insecuto, quo mortuus sit Darius Hystaspides Imperator Persicus, nempe 226 ante citimam Epocham, 518 ante Evang. Archonte Aristide, claruisse significat Marmoreum Chronicon. Dubitat Seldenus utrum numerus desinat in ε, 5, an ϛ, 6. Sed Phænippo secundo adjunctus Aristides Archon, clare evincit, post 227, immediate legendum esse 226. Plutarchi verba in Adversariis nostris, è quibus hoc asseveramus, ita habent, Ἐπεὶ δὲ Δάτις ὑπὸ Δαρείου πεμφθεὶς, λόγῳ μὲν ἐπιθεῖναι δίκην Ἀθηναίοις, ὅτι Σάρδεις ἐνέπρησαν, --- εἰς Μαραθῶνα ---μέγιστον μὲν εἶχεν ἀξίωμα Μιλτιάδης, δόξῃ δὲ καὶ δυνάμει δεύτερος, ὁ Ἀριστείδης· pauloque post Ἀριστείδης δὲ τὴν ἐπώνυμον εὐθὺς ἀρχὴν ἦρξε--- μετὰ Φαίνιππον ἐφ' οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων. Latine. Postquam vero Datis à Dario missus, verbo quidem ut vindictam sumeret de Atheniensibus, quod Sardes incendissent, Marathonem venit: summa quidem imperii fuit penes Miltiadem, dignitate autem & potestate secundus ab eo fuit Aristides. ---Quapropter Aristides statim insequente anno creatus est Archon Eponymus, è vestigio post Phænippum, quo Archonte Marathoniam victoriam obtinuerant. Simonidem quod attinet, in Eusebiano Chronico, quatuor locis sive temporibus diversis mentio ejus fit. Primum cum Archilocho, anno 693 ante Evang. Secundo, immediate post Stesichori Poetæ mortem, anno 589. Tertio cum Phocylide, anno 566. Quarto cum Pindaro, anno 514 ante Evang. hoc Elogio; Pindarus & Simonides Lyrici Poetæ insignes habentur: istic demum quadriennio serius quam in Marmoreo, ut eundem intelligi agnoscamus. Atque hic nimirum est, quem & aliquanto antea, Eualcidam Eretriensium ducem interfectum Sardensi Atheniensium expeditione, quæ Dario Marathoniæ occasionem dedit, planxisse scribit Herodotus, lib. 5. & quem postea Græcorum victorias contra Xerxem partas, planxisse refert Suidas; quanquam ut videtur, eum per errorem, Leoprepis filium dicens, qui gener ejus fuerit, ac pater Simonidis junioris: etsi nihil quod sciam obstet, quo minus etiam avus Leoprepis filius fuerit. Veruntamen Suidas suum ipse errorem detegere videtur, dum Leoprepis filio reminiscendi artem tribuit, quæ haud dubie nepoti convenit.

Darium vero mortuum esse hoc anno, postquam imperaverat omnino annos 31, non modo expresse scribit Ctesias Cnidius Historicus, qui in Perside historiam scripsit, quum esset Artaxerxis Memoris Imperatoris medicus, cujus Eclogæ Græcæ à Photio excerptæ, excusæ sunt primum in octavo ab Henrico Stephano, deinde autem in folio cum Herodoto, ac demum una cum reliqua Photii Bibliothecâ: sed etiam haud obscure significat Thucydides, proœmio historiæ suæ, cum prælio Marathonio Darii mortem conjungens, his verbis, Ὀλίγον τε πρὸ τῶν Μηδικῶν, καὶ τοῦ Δαρείου θανάτου, ὃς μετὰ Καμβύσην Περσῶν ἐβασίλευσε. ---Pauloque ante Medica & Darii mortem qui Imperavit post Cambysem. En quam signanter Thucydides, Darii bello Medico quod finitum est prælio Marathonio, ipsius mortem tanquam continuo succedentem adjungat! Porro autem autor quem secutus est Georgius Tarasii Patriarchæ Syncellus, sive ipse Ctesias fuerit, sive Dinon, seu quis alius; non contentus cum Ctesia apud Photium dicere, Darium acceptâ clade Marathoniâ reversum in Persidem, quum ægrotasset aliquot dies, mortem obiisse, imperio po-

titum annis 31: diserte addit, illius cladis ignominiam fuisse mortis causam, narrationem de ea concludens, his verbis, Αὐτὸς δὲ Δαρεῖος οὐκ ἐνεγκὼν τὸ πάθος, ἐξ ἀθυμίας ἀπόλλυται. Ipse autem Darius non ferens probrum, ex animi dolore sive ægritudine interiit. Et horum quidem notulas margine nostræ Emendationi: Temporum, ad annum 3514 M. C. & 31 eundemque postremum regni Darii Hystaspis, in secundam Editionem adjeceramus; antequam Marmora Arundeliana typis excusa essent. Judicium ferant quicunq; Scholastico liberalique ingenio & ingenuitate præditi sunt, justamne inter ærumnas gaudii causam illorum editio nobis dederit.

Epoch. 51. A.M: 3519. ante Evang. 514. Period. 6. 559.

A quo Æschylus Poeta Tragœdia primum vicit, & Euripides Poeta natus est, & Stesichorus Poeta Greciam---- anni CCXXII. *Archonte Athenis Philocrate.*

Æschylum Poetam, Tragœdiæ certamine primum vicisse statuit Chronicon Marmoreum anno 222 ante finem suum, Archonte Athenis Philocrate; viz. anno 514 ante Evang. eodem quo Eusebianum, Pindarum & Simonidem, Lyricos Poetas insignes exhibet; quod ipsum etiam postea, an. 505 ante Evang. de Æschylo ante dictum repetit, nempe eundem Tragœdiarum scriptorem agnosci: Marmoreo ferme medium amborum tempus signante. Plures autem victorias Æschylum reportasse, è vitæ ejus Autore, & Scholiaste ipsius, atque Suida intelligere licet. Etenim post Xerxis fugam è Græcia, Persas quoque Tragœdiam docuit.

Eidem Epochæ additur, καὶ Εὐριπίδης ὁ Ποιητὴς ἐγένετο. Et Euripides Poeta fuit, sive extitit, sive natus est: quo pacto ejus natale statuitur saltem quinquennio, vel sexennio citius quam apud Laertium in Socratis vitâ, ubi natus fertur anno primo Olympiadis 75, Archonte Calliade, quem Marmorea Inscriptio refert ad annum quartum Olympiadis 74. Huic autem suffragatur Chronicon Eusebianum referens Sophoclem atque Euripidem claros habitos, anno 498 ante Evang. quo tempore Euripides, juxta Marmora fuerit natus annos 16, at juxta Laertium tantummodo 10. Verum quid Laertium in errorem impulerit, apparet ex Hesychio Illustrio in Catalogo literatorum, ita scribente, Εὐριπίδης κατὰ τὴν ἡμέραν ἣν ἐνίκων Ἕλληνες Πέρσας ἐν τῇ κατὰ Ξέρξην ναυμαχίᾳ γεννᾶται, εὐτυχίαν προσημαίνων Ἀθηναίοις. Euripides natus est eodem die quo Græci Persas navali contra Xerxem pugnâ vicerunt: portendens prosperum successum Atheniensibus. Inquit eodem die, non eodem anno, sed ante præcedentes aliquot annos quo portendebatur Atheniensibus prosper successus, postea demum eodem die.

Porro autem eadem Epocha subjicitur, & Stesichorus Poeta Græciam (quantum è mutilo Marmore intelligere licet) obivit aut illustravit. In Eusebiano Chronico Stesichorus Poeta clarus habetur, anno 640 ante Evang. Olympiade 42, cui Suidam convenire annotat Pontacus: & Stesichori mors annis 51 postea, 589 ante Evang. utpote qui fuerit unus è Luciani longævis. Verum qui istic intelligitur Stesichorus, videtur fuisse ille, quem Gelonis Syracusani Dynastæ tempore, nimirum circa 507 annum ante Evang. claruisse asserit Conon in catalogo codicum quos legit Photius, numero 186, periocha 42: ut Seldenus noster. Fortasse vero istic idem innuitur de Stesichoro, quod refert Illustrius Hesychius in Onomatologo doctrinâ clarorum, Ἐκλήθη δὲ Στησίχορος ὡς πρῶτος ἐν κιθαρῳδίᾳ στήσας χορόν· πρότερον γὰρ Τισίας ἐλέγετο. Appellatus est Stesichorus, quia primus ad citharæ cantum statuit chorum: antea enim Tisias nominabatur.

Epoch. 52. A.M.C. 3524. ante Evang. 509. Periodi *6.* 564.

A quo Xerxes navigiorum pontem junxit in Hellespento, & — in Thermopylis pugna commissa est, & navale prælium circa Salaminem, à Græcis contra Persas, quo vicerunt Græci, anni CCXVII, *Archonte Athenis Calliade.*

A quo Xerxes Hellespontum ponte è navibus compacto stravit, & à Græcis prælium commissum est in Thermopylis contra Persas, & navale ad Salaminem, quo victoriam obtinuerunt Græci; Chronico Marmoreo statuuntur anni 217 ante citimam Epocham, qui sunt 509 ante Evang. Archonte Athenis Calliade. Is annus est quartus Olympiadis 74; quo, item in Eusebiano Chronico, Xerxes tum pontem in Hellespontiaco mari fecit, tum Athenas venit, urbemque incendit, sub Principe Calliâ, juxta editionem Pontaci: simul in notis agnoscentis, præcipua manuscripta transcriptaque una cum vulgatis editionibus, in eundem annum 4 Olympiadis 74 consentire. Quinetiam in Scaligerana editione quanquam nulla habetur mentio pontis in Hellesponto facti, nihilominus eodem anno, Xerxes quum Athenas venisset incendit urbem, sub Principe Calliâ: ipso quoque Scaligero in Annotationibus fatente, quantumlibet improbante, tum prioris sive antiquioris exempli codices cum spatio Historico, tum posterioris, sine eo, tum denique editos; hoc gestum comparare cum anno quarto Olympiadis 74: his autem subjiciente, quum tamen palam sit, anno primo sequentis Olympiadis hoc contigisse. At vero quomodo palam? quandoquidem præter Eclipsim solis Herodoteam vindicantem Xerxis transitum Sardibus per Hellespontum Thermopylas, eidem veri: Thucydides etiam in procemio Historiæ, reditum Xerxis è Græcia, post navalem cladem acceptam ad Salaminem, statuat anno quinquagesimo ante initium belli Peloponesiaci, suscepti vere desinentis anni primi Olympiadis 87: nimirum exactis inter utrumque annis quadraginta novem & dimidio. Concludit enim digeriem rerum ab Atheniensibus interea gestarum, his verbis, ταῦτα δὲ ξύμπαντα---- ἐγένετο ἐν ἔτεσι πεντήκοντα μάλιστα μεταξὺ τῆς τε Ξέρξου ἀναχωρήσεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦδε τοῦ πολέμου. Hæc omnia gesta sunt in annis summum quinquaginta, inter Xerxis retrocessum, aç initium hujusce belli. Idem autem annuus Princeps Atheniensis sive Archon, ab aliis Græcorum Historicis nominatur Callias, ab aliis Calliades; sicut insequentis anni, ab aliis Xanthippus, ab aliis Xanthippides; imo vero subinde ab iisdem: ut à Laertio idem, in vita Socratis, Calliades; in vita Anaxagoræ, Callias: cujus nimirum ratio videtur, quod iidem fuerint filii aut nepotes patrum, aut avorum proavorumve celebrium iisdem nominibus.

Epoch. 53. A.M.C. 3525. ante Evang. 508. Period. *6.* 565.

A quo prælium ad Platæas commissum est ab Atheniensibus contra Mardonium Xerxis ducem, quo victoriam obtinuerunt Athenienses, & Mardonius occubuit in prælio; atque ignis erupit in Sicilia apud Ætnam, anni C...VI. *Archonte Athenis Xanthippo.*

A quo ad Platæas pugna commissa est ab Atheniensibus ceterisque Græcis contra Mardonium Xerxis militiæ præfectum, quâ vicerunt Athenienses,

 Mar-

Mardouiusque occisus est: atque ignis erupit è monte Ætna in Sicilia: Marmoreo Chronico quanquam priore parte numeri mutilo, eliciuntur anni 216 (qui fiunt 508 ante Evang.) Archonte Athenis Xanthippo. Utcunque vero in Chronico Eusebiano bellum in Platæis & in Mycale, integræ Olympiadis errore transponitur ad initium Olympiadis 76, Xerxis tamen bellum Medicum confectum esse intra biennium; ipsumque Xerxem nullam, Mardonium autem ejus copiarum relictarum præfectum unam tantum hyemem in Græcia transegisse, præterquam quod ex Herodoto copiose hoc bellum describente, eoque historiam suam consummante, manifestum est, Thucydides etiam historiæ suæ procemio haud obscure significat, inquiens: τῶν δὲ πρότερον ἔργων μέγιστον ἐπράχθη τὸ Μηδικὸν, καὶ τοῦτο ὅμως δυοῖν ναυμαχίαιν καὶ πεζομαχίαιν ταχεῖαν τὴν κρίσιν ἔσχε. Antehac vero gestorum à Græcis maximum patratum est bellum Medicum. Atque hoc tamen duobis maritimis præliis (videlicet ad Artemesium, & Salaminem) duobusque pedestribus (ad Thermopylas, & Platæas) cito confectum determinatumque est. Sed & Diodorus Siculus libro 11. ejus historiam sub duobus Archontibus Atheniensibus, Calliâ, & Xanthippo, ita concludit, ὁ μὲν οὖν Μηδικὸς ὀνομασθεὶς πόλεμος, γενόμενος διετὸς τοῦτο ἔσχε τὸ πέρας. Igitur bellum dictum Medicum, quum durasset biennium, hunc finem habuit. At enimvero idem Diodorus hunc posteriorem ejus belli annum, una cum Archonte Xanthippo quo finitum est, refert ad annum secundum Olympiadis 75. Atque eidem suffragari existimatur Eratosthenis Canon Chronicus apud Clementem Alexandrinum, primo Strom. Ἀπὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ τὴν Ξέρξου διάβασιν ἔτη διακόσια ἐννενήκοντα ἑπτά. Nec non alius Anonymus Chronologus apud eundem, inquiens, Ἀπὸ προηγουμένου ἔτους τῶν πρώτων Ὀλυμπίων ἐπὶ τὴν Ξέρξου διάβασιν, ἔτη διακόσια ἐννενήκοντα ἑπτά. Uterque viz. statuens, à prima Olympiade, sive à proposito anno primorum Olympiorum, ad Xerxis transitum, annos ducentos nonaginta septem. Sed & insequens Canon Eratosthenis videtur idem magis confirmare. Ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἔτη τεσσαράκοντα ὀκτώ. Hinc ad initium belli Peloponesiaci, anni quadraginta octo. Quanquam hunc nodum ante viginti annos solvimus libello Emendationis temporum, ad annum à Mundi conditu juxta Chronologiam nostram, 3524: tamen hic locus & occasio postulare videtur, ut eidem explicando unum aut alterum verbum istic adjiciam. Bellum Peloponesiacum, cujus initium facit Thucydides, initio libri secundi, vernâ tempestate desinentis anni primi Olympiadis 87, & Archontis Athenis Pythodori, Μετὰ τὴν ἐν Ποτιδαίᾳ μάχην μηνὶ ἕκτῳ, Semestri post pugnam ad Potidæam, alii incipiunt ab eadem ipsa Potidæensi pugnâ, Autumno præcedente haud ita pridem incepti ejusdem anni primi Olympiadis 87. Secundum quos Meton Astronomus Enneadecaeteridis suæ Epocham fixit ad initium ejusdem Olympiadis, anno ab Epocha Nabonassari 316. Archonte Athenis Apseude Pythodori præcessore. Jam vero ad Autumnum anni primi Olympiadis 87, completi sunt anni 48, Olympiades autem integræ 12; ab Autumno anni primi Olympiadis 75, quo Xerxes Sardibus præstolans eventum belli sui Medici, accepto nuncio cladis duplicis, ad Platæas in Græcia, pariter ac ad Mycalen in orâ maritimâ Ioniæ, Sardibus discessit Susa, uti narrat Herodotus, quemadmodum Autumno præcedente acceptâ clade ad Salaminem, è Græcia discesserat Sardes. Etsi vero utrâque victoriâ, ad Platæas & ad Mycalen, potiti sunt Græci tertio vel quarto die mensis Boëdromionis, uti refert Plutarchus, libro de virtute & doctrina Atheniensium, & in vita Aristidis: tamen hyems brumæque Solstitium prope fuit, antequam vel Xerxes ipse Susa pervenisset, ceterique suarum partium victi & fuga elapsi in tuta se recepissent: vel ipsi victores non modo Leotychides Rex Lacedæmonius & Xanthippus Archon Atheniensis, Græcorum classis prætores cum suis Mycala; sed etiam terrestrium copiarum præfecti Pausanias alterius Regis Lacedæmonii tutor, & Aristides Atheniensis, reliquique duces cum suis copiis è castris Platæensibus domos

domos quisque suas reduces fuerint. Etenim mortuis suis sepeliendis, spoliis colligendis & dividendis, τὰ ἀριστεῖα palmas sive primas virtutis, juxta suum cujusque locum & merita decernendo, præmiaque & honores largiendo, sacraque & triumphalia ludicra peragendo, de vindicta sumenda contra Thebanos, aliosque qui à Xerxis partibus steterunt, reque publica Græcorum contra Persam deinceps incolumi servanda consultando, &c. plusquam bimestre eos insumsisse ad Platæas significat Plutarchus in Aristide, nempe usq; ad medium mensis Mæmacterionis Atheniensibus, Alalcomenii Bœotis dicti; ita scribens, Τοῦ Μαιμακτηριῶνος μηνός, ὅς ἐστι παρὰ Βοιωτοῖς Ἀλαλκομένιος τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα πέμπουσι πομπὴν [τοῖς πεσοῦσιν ἐπὶ Πλαταιαῖς] Mæmacterionis mensis [Attici,] qui Bœotis dicitur Alalcomenius, die decimo sexto mittunt pompam sive ferculum iis qui ceciderunt acie Platæensi. Quandoquidem igitur annus ille primus Olympiadis 75, jam media ex parte transactus esset, antequam etiam victores Græci è bello Medico domum salvi se recepissent; aliter autem ne biennium quidem illud durasse diceretur, nisi tempus putetur à desinente hyeme anni tertii Olympiadis 74, quâ Græcorum duces sub Xerxis transitum in Græciam, copias conscriberent, cogerentque ad sui defensionem, usque ad ineuntem hyemem hujus anni, quo easdem Sacramento militari solverent & dimitterent: Eratosthenes aliique eum sequentes hunc annum imputarunt Bello Medico, cujus potior pars potissimæ parti illius insumta fuit; colligentes annos 297 ab Epocha Olympica ad Xerxis διάβασιν, per διάβασιν intelligentes idem quod Thucydides per ἀναχώρησιν, scilicet discessum, & fugam, & quidem duarum posteriorem & ultimam, quâ procul à belli conspectu, quo aliquatenus adhuc fruebatur Sardibus, ad intima tutissimaque Imperii sui se recepit: atque ab eadem triumphali hyeme insecutâ Platæensem & Mycalensem victorias, ad hyemem insecutam pugnam Potidæensem, quâ totâ hyeme jam incensum illâ pugnâ gliscebat bellum Peloponesiacum, quod sequente vere, (& quidem primo actu hostili, earundem Platæarum Athenis confederatarum invasione à Thebanis confederatis Lacedæmoniorum) exarsit, annos 48: quot nimirum anni tum à victoria Platæensi ad pugnam Potidæensem, tum à fine hyemis triumphalis illam victoriam insecutæ ad Thucydideum initium belli Peloponesiaci præcise exacti sunt.

At si Eratostheneam διάβασιν intelligamus transitum Xerxis in Græciam, vernâ tempestate anni Olympiadici 297, sive prima Olympiadis 75, nec dum quidem finiti, sed propemodum desinentis: prælium Salaminium cadet in annum secundum ejusdem Olympiadis, Platæense vero in tertium: quod neque ipse Scaliger defendere ausus fuerit.

Porro eodem anno, quo pugna ad Platæas Mardonius occisus est, & confectum bellum Medicum: ignis effluvium in Siciliâ factum circa Ætnam, mutilis Marmoribus significatur. Thucydides autem fine libri tertii, & anni sexti belli Peloponesiaci, in adversariis nostris scribit in hæc verba, Ἐῤῥύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης, πεντηκοστῷ ἔτει μετὰ τὸ πρότερον ῥεῦμα. Effluxit autem circa hoc ipsum ver, effluvium ignis ex Ætna, anno quinquagesimo post prius effluvium. Sextus annus belli Peloponesiaci juxta Thucydidem incepit desinente fere secundo Olympiadis 88, Archonte Athenis Euclide; atque ineunte anno 454 ante Evang. inter quem & Xanthippum Archontem, intervenerunt anni 53. Unde colligere licet, prius illud effluvium, subinde iteratum post aliquot dierum aut mensium intervalla, durasse ad triennium, inde vero cessasse demum per annos 50, usque ad tempus à Thucydide notatum; tunc autem rediisse, & ut fieri solitum, diebus sive vicibus aliquot utique continuatum iterum cessasse, usque ad Olympiadem 96 ineuntem Archonte Athenis Phormione, annum autem 424 ante Evang. quo tempore refert Diodorus Siculus, libro 15. προσφάτως πυρὸς ἐκπεπτωκότος ἐκ τῆς Αἴτνης, μέχρι τῆς θαλάττης, factâ subito ignis eruptione ex Ætna ad mare usque, nullo modo potuisse pedestrem exercitum Himilconis Carthaginiensium

um ducis præterire una cum Magonis corundem Prætoris navalis classe littus adversum interea prætervectâ. Atque in Chronico Eusebiano secundum effluvium ponitur anno 455 ante Evang. uno anno citius quam à Thucydide. Tertium autem fuit, quod Paulus Orosius, lib. 2. cap. 18. refert post bellum Artaxerxis Memoris & Cyri junioris; & quidem recte, quanquam Scaligero aliter visum.

Epoch. 54. A.M.C. 3526. ante Evang. 507. Period. 6. 566.

A quo Gelon Dinomenis f.— tyrannidem obtinuit ; *anni* CCXV. *Archonte Athenis Timosthene.*

De eo quod Gelo Dinomenis filius tyrannide potitus Chronico Marmoreo statuitur annis 215 ante citimam Epocham, nempe 507 ante Evang. Archonte Athenis Timosthene, qui fuerit Olympiadis 75, annus 2, diximus in Diatriba de eo instituta. Hic tantummodo addimus, legitimæ Dynastiæ ejus initium intelligendum circa initium hujus anni.

Epoch, 55. A.M.C. 3527. ante Evang. 506. Period 6. 567.

Aquo Simonides filius Leoprepis, Ceius, qui memorandi artem invênit, eam docens Athenis vicit, & positæ sunt imagines Harmodii & Aristogeitonis : anni CC.... *Archonte Athenis* [*Adi*]-*manto.*

A quo Simonides Ceius, Leoprepis filius, qui Mnemonicon, Reminiscentiæ artem invênit, vicit Athenis hanc docens, mutilis Marmoribus innuuntur anni 214, nempe 506 ante Evang. Archonte Athenis Adimanto. Hic nimirum fuit Simonides Ceius junior, Lyrici ex filia nepos, appellatus Melicerta, & Genealogus; quem aliquanto ante bellum Peloponesiacum, circiter Olympiadem 82, ac 481 ante Evang. claruisse scripsisseque inter alia, etiam ad historiam spectantes, Inventorum libros tres, totidemque Genealogiarum, ex Suida, & Scholiaste Apollonii in librum 2, refert Gerardus Johannes Vossius, libro 4. de Græcis historicis, cap. 6. forsitan autem hic idem Poeta fuerit alias dictus etiam Carystius, atque Eretriensis, à locis diuturnioris moræ, (quod non insolitum,) quem de Græcorum conjuratione in Aulide, & de Iphigenia, & tres libros Trimetrorum scripsisse, eodem Suidâ autore refert idem cap. 13. lib. 4.

Quod autem additur eâdem Epochâ, inquam eodem Archonte Adimanto, anno proximo post Timosthenem, quo Gelo tyrannide Syracusis volente populo potitus est, erectas esse Athenis Imagines Harmodii & Aristogeitonis: innuit Athenienses agnovisse hos duos autores libertatis suæ, ideoque putasse ejus initium à cæde Hipparchi fratris Hippiæ per eos facta triennio ante ejectum ipsum Hippiam. Quod etiam facit Lyricorum Poetarum memini, Alcæus, si recte, vir in arte eâ satis clarus, qui ita iisdem adulatus atque adblanditus: Νήσοις ἐν Μακάρων σφῶ φασὶν ἔμμεναι· In insulis Beatorum vos aiunt esse; (hoc nimirum ob meritum quod Hipparchum tyrannum occidistis) Ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην, & æqui juris Participes Athenas fecistis. Adeoque eodem pacto nimirum confirmat calculum Thucydideum annorum viginti assertæ libertatis Atheniensium ante prælium Marathonium, ab illa cæde Hipparchi, triennio ante ejectionem Hippiæ ineundum esse. Atque eundem calculum etiamnum magis confirmat alter

alter ejusdem Thucydidis ipsius calculus, circa initium libri octavi, & anni vicesimi primi belli Peloponesiaci; ubi, sub quadringentorum virorum constitutionem, scribit in hæc verba, Χαλεπὸν γὰρ ἦν τὸν Ἀθηναίων δῆμον ἔτει ἑκατοστῷ μάλιστα ἐπειδὴ οἱ τύραννοι κατελύθησαν, ἐλευθερίας παῦσαι. Difficile enim erat, populum Atheniensem, anno summum centesimo post expulsos tyrannos, libertate privare. Siquidem hic annus erat iniens 439 ante Evang. quo à cæde Hipparchi circa finem anni 540 juxta Chronicon Marmoreum exacti sunt præcise centum anni.

Epoch. 56. A.M.C. 3533. ante Evang. 500. Periodi 6. 573.

A quo Hieron Syracusis Tyrannidem obtinuit, anni CCVIII. *Archonte Athenis Charete. Claruit autem Epicharmus Poëta ejus tempore.*

A quo Hiero mortuo Gelone tyrannide Syracusarum potitus est, Chronico Marmoreo assignantur anni 208 ante citimã Epoch. qui sunt 500 ante Evang. Archonte Athenis Charete. Et quidem annus iste convenit primo Olympiadis 77, quo Charetem Archontem assignat Diodorus Siculus, libro 13. Huic autem proxime convenit calculus & Chronici Eusebiani emendatus juxta probatiora exemplaria, & Scholiastis Pindari, Pythicâ Odâ 7, referentis regni Hieronis initium ad Olympiadem 76, pariter ac Pythiadem 28, quæ cœpit sub finem anni tertii ejusdem Olympiadis: uti præcedente Diatribâ declaravimus. Atque ad hoc initium regni Hieronis, ita Situm, Gelo annis integris 7 dominatum absolutum Syracusis obtinuerit, nempe ab initio anni 2 Olympiadis 75, usque ad cœptum annum primum Olympiadis 77: anno dominatûs octavo mortuus; juxta Aristotelem, Polit. lib. 5. c. 12. Hieronis Syracusani Dynastæ tempore fuisse Epicarmum Poetam atque etiam Philosophum Siculum, eidem Epochæ additur: quod absque controversia est: utpote quem Diogenes Laertius adjungat Empedocli, tanquam supparem ætati ejus, qui attigerit octogesimam quartam Olympiadem, & annum 472 ante Evang.

Epoch. 57. A.M.C. 3535. ante Evang. 498. Period. 6. 575.

A quo Sophocles Sophili f. è Colono, Tragædia vicit, quum esset annorum 28; *anni* CCVI. *Archonte Athenis Apsephione.*

A quo Sophocles Coloneus, Tragœdia vicit tum juvenis annorum 28, statuit Chronicon Marmoreum annos 206, Archonte Athenis Apsephione: annis 498 ante Evang. Quo ipso anno, in Eusebiano Sophocles & Euripedes clari habentur: ac biennio ante, imo juxta nonnulla manuscripta & transcripta, teste Pontaco, atque etiam Græcum, anno proxime præcedente, Sophocles Tragœdiarum scriptor, primum ingenii sui opera publicavit, sive edidit, id est, primam fabulam docuit, sive primum Tragœdiâ certavit, quâ etiam vicit. Hic enim est sensus ejus quod Græca Eusebii ibidem habent, Σοφοκλῆς τραγῳδοποιὸς πρῶτον ἐπεδείξατο. Cæterum retrogradientibus spatio annorum 28, natale Sophoclis occurrit ante 7 Olympiades, ad annum 4 Olympiadis 70: saltem novennio ante calculum Suidæ referentis eum natum Olympiade 73, annis 17 ante Socratem: etiamsi Suidæ adstipulari videtur vetus Criticus in vita Sophoclis, natum referens Olympiade ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ, modo legatur τρίτῃ Ἄρχοντος Φιλίππου, anno non 24 sed proximo ante natale Euripidis·

quo

quo pacto etiam Philippus Archon, alieno loco superius Chronici Marmorei monitione amotus, in suum restitutus fuerit. Vid. Plutarch. in Cimone.

Epoch. 58. A.M.C. 3536. ante Evang. 497. Period. 6. 576.

A quo in Ægospotamis lapis cecidit, & Simonides Poeta obiit, XC *annos natus; anni* CCV. *Archonte Athenis Theagenidâ.*

A quo lapis decidit in Ægospotamis, ponit Chronicon Marmoreum annos 205 ante citimam Epocham suam, Archonte Athenis Theagenidâ: qui sunt ante Evang. anni 497. In Eusebii Chronico casus ille ponitur quadriennio postea juxta vulgatas editiones: verum annotante Pontaco nonnulla manuscripta ejus exemplaria ponere tantummodo biennio serius, & idem significare Plinium, lib. 2. cap. 58. scribentem ita. Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis 78 anno 2, prædixisse cœlestium literarum scientiâ, quibus diebus saxum casurum esset à sole: idque factum interdiu in Thraciæ parte ad Ægos flumen. Ubi Plinius, quoad annum quidem Olympiadis, biennio, sed quoad vulgarem Archontum Atticorum situm, uno tantummodo anno serius id accidisse significat; nempe Archonte Lysistrato proxime insecuto Theagenidam: exigui momenti discrimine. Etenim vero Laertius, in Anaxagoræ vita, quum Apollodoro Autore retulisset, eum mortuum esse anno primo Olympiadis 78: (quanquam in Chronico Eusebiano mors ejus ponitur anno quarto Olympiadis 79) postea refert Silenum in primo historiarum scripsisse de eo sic, Ἐπ' ἄρχοντος διμύλου (imo Archonte eo cujus nomen intercedit) δίμυλον λίθον ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν· τὸν δὲ Ἀναξαγόραν εἰπεῖν ὡς ὅλος ὁ οὐρανὸς ἐκ λίθων συγκέοιτο· τῇ σφοδρᾷ δὲ περιδινήσει συνεστάναι καὶ ἀνεθέντα κατενεχθήσεσθαι. Bimolarem lapidem, (videlicet instar duarum molarum magnitudinis, quod Plinius interpretatur; magnitudine vehis sive vehiculi) de cœlo cecidisse: Anaxagoram autem tunc dixisse, totum cœlum è lapidibus esse compositum, ac vehementi circumgyratione ne decidat cohiberi; alioqui remisso motûs impetu ruiturum esse. Unde apparet lapidem illum decidisse vivente adhuc Anaxagorâ, eoque casu dedisse ei occasionem ejusmodi assertionis: adeoque evenisse compluribus annis ante illius mortem, quod alii quoque calculi ibidem apud Laertium evincunt. Ait enim natum Anaxagoram (Apollodoro Autore) Olympiade 70, quasi ineunte, postea tempore transitûs Xerxis in Græciam circa finem Olympiadis 74, annorum ætatis 20, cœpisse Athenis Philosophari, Archonte Calliâ: ibique moratum (Autore Demetrio Phalereo in Archontum Atheniensium recensione) annis 30, id est, usque ad medium Olympiadis 82: vixisse vero annos 72, id est, Olympiades integras 18: ac proinde mortuum esse, vel fine Olympiadis ὀγδοηκοστῆς ἑβδόμης, vel initio ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης, non ἑβδομηκοστῆς ὀγδόης, ut apud Laertium perperam legitur.

Videtur autem lapis ille, non quidem è stellato cœlo sive firmamento, vel à sole usque cecidisse; sed è media regione aeris; ibi in nubibus concretus, perinde ac fulmina: unde subinde lapides è cœlo decidisse, ut haud ita dudum, si recte rumorem accepi fulmineum prægrandem in Anglia nostra, atque lapidibus pluisse sæpius in historiis legimus. Et aliæ quidem regiones orbis terrarum, ejusmodi eventibus magis videntur obnoxiæ, quam aliæ; veluti Tracia, in qua item circiter annum Evang. 434, ac Marciani Imperatoris tertium, quo anno Aquileia civitas in Italia ab Attila Hunnorum rege excisa est, tres magnos lapides è cœlo cecidisse, refert Marcellinus Comes in Chronico suo. Quanquam autem non nego esse quædam prognostica tempestatum, si non certa ad saltem probabilia, æque tonitruum, fulgurum, & fulminum, ac ventorum,

torum, pluviarum, nivium, grandinum, &c. existimo tamen nulla humana arte vel peritia astronum prædici posse lapidem sive fulmen è cœlo casurum certo aliquo loco aut tempore, veluti illo Thraciæ oppido & illo anno, ne dum mense aut die. Quo propius vero mihi videtur, haud satis certa fide ab Autoribus hoc narrari de Anaxagora: neque eum prædixisse ipsum lapidis casum, verum è lapidis casu insolito & mirabili divinasse aliquod magnum graveque præter & supra hominum expectationem eodem loco aliquando demum eventurum, forte etiam sub postrema sua tempora addito, Atheniensibus ominosum: postquam scilicet eum κυμαίνοντος ἤδη πολέμου Πελοποννησιακοῦ, ut loquitur Plutarchus in Pericle, incipientibus jam intumescere oririque fluctibus Belli Peloponesiaci, compactum in carcerem, mortique condemnatum, ac Periclis discipuli autoritate vix ereptum Athenienses in exilium ejecerant; immerentem & innocentem accusatum impietatis, quod deos ab Atheniensibus cultos non agnosceret, nec aliud Numen, præter Νοῦν, Animum sive Spiritum omnium creatorum Architectum; solemque haudquaquam ut illi Numen, sed massam sive glebam igneam prædicaret: quemadmodum referunt Laertius in ejus vita, & Plutarchus in Periclis. Ac certe exitialis calamitas tandem eodem loco evênit Atheniensibus, oppressâ eorum classe à Lysandro Lacedæmonio, qua de erudite disserit idem Plutarchus in Lysandro: exacto juxta Chronicon Marmoreum sexagesimo tertio anno postea, insigni illo Climacterico, atque post mortem Anaxagoræ vicesimo quarto: ejus corpore, quod macie confectum ex Atheniensium carcere ad tribunal, præ debilitate identidem cespitans & recidivum ægre prorepere poterat, dudum in materiam primam resoluto; verum Divina vindicta quanquam interea dilata, non tamen expiata vel delinita.

Eodem autem anno quo in Ægospotamis cecidit lapis, refert Chronicon Marmoreum, Simonidem mortuum nonagenarium: qui proinde natus fuerit annis 587 ante Evang. quo ipso anno, secundo Olympiadis 55, juxta quædam Chronici Eusebiani transcripta apud Pontacum, atque Scaligeri etiam editionem, nec Latinam modo, sed Græcam quoque, statim post Stesichori mortem legitur, Simonides clarus habetur, Σιμωνίδης ἐγνωρίζετο. Proculdubio igitur utrobique emendandum, pro clarus habetur, natus perhibetur; & pro ἐγνωρίζετο, vel ἐγεννήθη, ἐγένετο, vel ἐφύη. Itaque hic absq; omni controversia avus fuit Simonidis filii Leoprepis: qui Pausaniæ Lacedæmonio post victoriam Plataicam superbienti occinuit illud, Μέμνησο ἄνθρωπος ὤν, Memento te esse hominem; quod ille tunc contemnens, postea demum in Chalciæco fame enectus, jamque expirans, sapienter dictum recordatus & vociferatus est. Idemque qui grandi jam senectute, Hieronis Syracusani, (triennio antehac regno potiti, juxta nostrum) benificentiâ invitatus, eum accessit; uti refert Ælianus, lib. 9. c. 41. & 1. Ceterum utroque horum Simonidum antiquior, & Archilocho coævus videtur fuisse ille Crinei filius patria Amorginus, Poeta Jambographus, ex Amorgo una Cycladum Insularum; cujus mentionem faciunt Strabo sub finem libri 10. & Eustathius, Scholiis in Dionysium Periegeten: idemque forte aliter dictus Carystius & Eretriensis, qui illam Græcorum ducum Aulide conjurationem, & Iphigeniam carmine pinxerit.

Epoch. 59. A.M.C. 3543. ante Evang. 490. Period. 6. 583.

A quo Alexander mortuus est, filius autem ejus Perdiccas apud Macedones regnavit, anni CXCIIX. *Archonte Athenis Euthippo.*

De morte Alexandri, primi eo nomine Macedonum regis; (is erat, quem hyeme insecutâ navale Prælium ad Salaminem, à Mardonio Xerxis præfecto legatum ad Athenienses de pace scribit Herodotus, sub finem libri 8. & quem nocte præcedente prælium ad Platæas, transientem ex ejus castris in Græcorum, monuisse Aristidem, Mardonium crastino pugnaturum, refert Plutarchus in Aristidis vitâ) & de initio regni Perdiccæ filii ejus, Archonte Athenis Euthippo, sive Evippo, diximus item in Diatriba de tempore dynastiæ Gelonis Syracusis. Omnino autem in Marmoribus, pro Η𐅄ΔΔΔΔΠΙΙΙΙ, legendum videtur summum --ΠΙΙΙΙ, 198, saltem unâ virgulâ minus, nempe 490 ante Evangelium: quo pacto ille quoque Archon uno summum anno priorem situm obtineat, quam apud Diodorum Siculum.

Epoch. 60. A.M.C. 3548. ante Evang. 485. Period. 6. 588.

A quo Æschylus Poeta, natus annos LXIX, *diem obiit; —Siciliæ, anni* CXCIII, *Archonte Athenis Calliâ priore.*

A quo Æschylus Poeta, postquam vixerat annos 69, mortuus est (in Ætna Siciliæ, ita enim mutilis Marmoribus videtur innui) anni fuerunt 193, Archonte Athenis Calliâ primo, 485 ante Evang. Juxta eadem is annus fuerit sextus decimus ab initio Dynastiæ Hieronis Syracusis, & quintus post mortem ejus: apud quem dum conderet urbem Ætnam, Æschylum mortuum esse, ab Autore vitæ ejus traditur. Erat autem annus 34 post prælium Marathonium, & quartus Olympiadis 80, non primus Olympiadis 76: neq; 65 tantummodo annus ætatis ejus, ut ab eodem Autore traditur, nedum 58, ut apud Suidam legitur. Quorum inter se dissensus, fidem & autoritatem conciliat Autori nostro, sibi saltem probe consentienti, quum neuter istorum ei dissentientium, vel sibi consentiat, vel alteri. Quinetiam hoc confirmat calculum Marmoreum, quod Æschylus in Siciliam profectus fertur, ea occasione, quia Sophocles Athenis eum Tragœdiæ certamine commissus vicerit, qui primam victoriam adeptus supra statuitur demum anno tertio Olympiadis 77, tertioque ab initio regni Hieronis, sexennio post mortem Æschyli, juxta Autorem vitæ ejus. Videtur igitur Autor iste voluisse aut debuisse dicere, Æschylum venisse in Siciliam, quo tempore Hieron Ætnam urbem condebat: atque in eadem urbe ab Hierone nuper condita, postea mortem obiisse.

Epoch. 61. A.M.C. 3563. ante Evang. 470. Periodi 6. 11.

A quo Euripides quum esset annorum XLIII, Tragœdiâ primum vicit; anni CLX... Archonte Athenis Diphilo. Claruit autem Euripidis ævo Socrates & Anaxagoras.

A quo Euripides natus annos 43, Tragœdiâ primum vicit, assignantur mutilo utiq; Marmore anni ultra CL... Archonte Athenis Diphilo. Diphilo Archonti assignat Diodorus Siculus, lib. 12. annum 3, Olympiadis 84. Anno autem

proxime

proxime præcedente, nempe 179 ante citimam Marmorum Epocham, ac 471 ante Evang. atque secundo Olympiadis 84, in Chronico Eusebiano, Euripides Tragœdiarum scriptor clarus habetur, haud dubie ob hanc victoriam, eodemque anno complentur 43 ab ejus natali supra assignato. Quod autem eâdem Epochâ additur, floruisse tunc Socratem sc. juvenem, & Anaxagoram senem: de Socrate nulla est controversia, de Anaxagora etiam modo dubium solvimus.

Epoch. 62. A.M.C. 3585. ante Evang. 448. Periodi 7. 33.

A quo Archelaus apud Macedones regnavit, Perdiccâ mortuo; anni C.:. Archonte Athenis Astyphilo.

De Perdiccæ regis morte, & initio regni Archelai in Macedonia, Archonte Athenis Astyphilo (cujus nominis Archontem hoc tempore agnoscit etiam Athenæus, lib. 5. quum Diodorus eundem ut apparet appellans Aristophilum referat anno 1 Olympiadis 90, ut Marmoreum Chronicon in numero annorum mutilum, retulerit ipsum eodem anno 156 ante citimam Epocham, ac 448 ante Evang. vel forte præcedente) utique in Diatriba de tempore Gelonis diximus.

Epoch. 63. A. M. C. 3597. ante Evang. 436. Period. 7. 45.

A quo Dionysius Syracusis tyrannus extitit, anni CXLIIII. Archonte Athenis Euctemone.

In duabus sequentibus Epochis, re perpensa demum pro certo statuo, numeros annorum, utcunque à quadratario sive sculptore expressi sint, ab ipso Chronici Autore ita conceptos fuisse, quemadmodum præcedente Diatribâ interpretatus sum.

Proxime enim quod legitur, Dionysium Syracusis tyrannidem occupasse, ante citimam Epocham annis HΔΔΔΔΠΙΙ, Archonte Athenis Euctemone: non videtur dubium quin Autor Chronici lectum & intellectum voluerit HΔΔΔΔIIII, 144, qui annus est 436 ante Evang. Olymp. autem 93 annus 1: cui anno Olympiadico non modo Diodorus Siculus, sed etiam eo longe antiquior Xenophon Atheniensis, lib. 1. Hellenicorum eundem Euctemonem Archontem ascribit. Cetera hujus Epochæ dicta sunt in disquisitione de tempore Gelonis.

Epocha 64. A. M. C. 3598. ante Evang. 435. Period. 7. 46.

A quo Euripides mortuus est; anni CXLIII. Archonte Athenis Antigene.

Deinde vero quod legitur, Euripidem mortuum esse Archonte Antigene, proxime succedente Euctemoni tum apud Diodorum, tum etiam apud Xenophontem; huic utique necessario ascribendus est annus non quidem HΔΔΔΔΠ, vel HΔΔΔΔII, sed levi sane hic quoq; mutatione HΔΔΔΔIII, 143 ante citimam Epocham, & 435 ante Evang. viz. insequens annus 2 ejusdem Olympiadis 93: sub quem, in Chronico Eusebiano, tum Latino, tum etiam Græco, nec non apud Suidam, mors Euripidis ponitur.

Epoch. *65*. A.M.C. 3599. ante Evang. 434. Period. 7. 47.

—Sophocles Poeta poſtquam vixerat annos XXXXI, mortuus eſt, & Cyrus aſcend— Archonte Athenis Calliâ poſteriore.

Porro autem quod inſequente Epochâ dicitur, Sophoclem poſtquam vixerat annos 91, mortuum eſſe Archonte Calliâ: etſi mutilo Marmore annus Epochæ deficiat, tamen quum non modo apud Diodorum Siculum, lib. 13. verum etiam apud Xenophontem, lib. 1. Hellenicorum, Xenophontem inquam Athenienſem, qui eodem tempore Athenis degebat, hi tres Archontes, Euctemon, Antigenes, & Callias, collati cum tribus Lacedæmoniorum Ephoris, Evarchippo, Pantacle, & Pitya, tribus annis continuis immediate ſe conſequantur: neceſſe eſt ut Calliæ huic, ſive προτέρῳ, ſive δευτέρῳ, ſive ὑστέρῳ (ſive πλουσίῳ, ſive Ἱππονίκου,) aſcribatur annus 142 ante citimam Epocham, 434 ante Evang. ac tertius ejuſdem 93 Olympiadis: Itaque hactenus Chronicon Marmoreum iis convenerit. Trium vero Epocharum harum cetera jam dudum in Diatriba, de Gelone dicta ſunt.

Ceterum quod hac Epocha mortis Sophoclis, præterea innuitur mutilis Marmoribus de aſcenſu Cyri explicabitur poſt Epocham inſequentem.

Epoch. *66*. A. M.C. 3602. ante Evang. 431. Period. 7. 50.

A quo Teleſtes — vicit Athenis, anni CXXXIX, Archonte Athenis Micone.

A quo Teleſtes Selinuntius Poeta vicit Athenis, ponit Chronicon Marmoreum annos 139 ante citimam Epocham ſuam, id eſt, 431 ante Evangelium, Archonte Athenis Micone: quem Diodorus, lib. 14. appellatum Micionem exhibet anno ſequente. Quadriennio autem poſtea, Archonte Ithicle, idem Diodorus mentioni Cteſiæ Hiſtorici, eodem anno hiſtoriam ſuam rerum Perſicarũ terminantis, ſubjicit Teleſtem hunc, una cum aliis pluribus inſigniſſimis, Dithyramborum Poetis floruiſſe, ita ſcribens, Ἤκμαζον δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν οἱ ἐπισημότατοι Διθυραμβοποιοὶ Φιλόξενος, Κυθήριος, Τιμόθεος Μιλήσιος, Τελέστης Σελινούντιος, Πολύειδος, ὃς καὶ ζωγραφικῆς, καὶ μουσικῆς εἶχεν ἐμπειρίαν.

Epoch. *67*. A.M.C. 3604. ante Evang. 429. Period. 7. 52.

A quo —cum Cyro expeditionem fecerunt, & Socrates Philoſophus mortuus eſt ſeptuagenarius, anni CXXXVIII. *Archonte Athenis Lachete.*

Cyri minoris, ſive junioris, nempe filii Darii Ochi, ſive Nothi, Imperatoris Perſici, à patre conſtituti Sardium, minoriſque Aſiæ & Ioniæ præfecti, aſcenſum ſive reditum poſtea in Perſidem, innuunt mutila Marmora duplicem: videlicet alterum priorem, quo anno mortuus eſt Sophocles, Archonte Athenis Callia; apud Xenophontem, libro primo Hellenicorum, & Diodorum Siculum, libro 13. relato ad annum tertium Olympiadis 93, id eſt, ad annum 434 ante Evangelium. Hic autem prior aſcenſus videtur ille cujus occaſionem ſignificant adverſaria ſive collectanea noſtra, ex eodem Xenophontis libro primo Hellenicôn, quod Cyrus interfeciſſet cognatos ſuos Artobæſacen & Mitræum, propterea quia venientes ad ſe non continuiſſent manus in

Chi-

Chirothecæ, quemadmodum Perſici moris erat venientes ad Imperatorem oportere: quo facto Ipſe imperium affectare viſus, ideoque à patre ad reddendam ejus rationem arceſſitus ſit. Illum autem reditum, ſeu potius illius reditûs conſequens, nempe commiſſam interea Præfecturam ſuam Lyſandro Lacedæmonio, Diodorus Siculus, utique eodem lib. 13. refert ad Archontis Alexiæ annum, proxime inſecuti Calliam Archontem. Unde apparet eundem priorem Cyri aſcenſum inſtitutum eſſe ſub finem anni principatûs Calliæ: Lyſandri autem geſta in illa præfectura initium habuiſſe, circa initium magiſtratûs Alexiæ, circiter initium anni 433 ante Evangelium. Quadriennio vero poſtea, hunc alterum poſteriorem celeberrimumque Cyri Junioris aſcenſum, ſive Expeditionem bellicam contra fratrem Artaxerxem Mnemonem jam Imperatorem, eadem Marmora mutila innuunt ſub tempus Mortis Socratis, & Archontis Lachetis, anno 137 ante citimam Epocham ſuam, ac 429 ante Evangelium. De quo Xenophon libro tertio Hellenicorum ſcribit ita, [ὁ Σάμιος τῶν Λακεδαιμονίων ναύαρχος] ἔχων τὸ ἑαυτοῦ ναυτικὸν σὺν τῷ Κύρου, περιέπλευσεν εἰς Κιλικίαν, καὶ ἐποίησε τὸν τῆς Κιλικίας Ἄρχοντα Συέννεσιν μὴ δύνασθαι κατὰ γῆν ἐναντιοῦσθαι Κύρῳ πορευομένῳ ἐπὶ τὸν Βασιλέα. Ὡς μὲν οὖν Κῦρος στράτευμά τε συνέλεξε, καὶ τοῦτο ἔχων ἀνέβησε ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν, καὶ ὡς ἡ μάχη ἐγένετο, καὶ ὡς ἀπέθανεν, καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀπεσώθησαν οἱ Ἕλληνες ἐπὶ θάλατταν· Θεμιστογένει τῷ Συρακουσίῳ γέγραπται. Latine. Samius vero Prætor navalis Lacedæmoniorum, ſuam claſſem jungens cum claſſe Cyri, circumnavigavit in Ciliciam: effecitque ne Ciliciæ præfectus Imperatorius Syenneſis impedire potuerit Cyrum terrâ proficiſcentem contra Imperatorem. Quomodo vero Cyrus coegerit exercitum, & cum eo aſcenderit contra fratrem; quomodo etiam prælium commiſſum ſit, & quomodo Cyrus eo occubuerit, adeoque quomodo Græci ſuperſtites deinde ad mare Euxinum, & ſecus id in Ioniam reducti ſint, à Themiſtogene Syracuſano hiſtoriæ mandatum eſt. Ita Xenophon, nimirum intelligens ſuos ipſius libros ſeptem, de Cyri expeditione, in qua ipſe fuit, & reductis ex hoſtico poſt Cyri mortem, ſuâ potiſſimum prudentiâ, fortitudine & felicitate, Græcis militibus: quemadmodum diſſerte narrat Plutarchus, libro de Athenienſium virtute an doctrina celebriore, his verbis, Ξενοφῶν αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία, γράψας ἃ ἐστρατήγησε, καὶ κατώρθωσε καὶ Θεμιστογένη λέγει περὶ τούτων συντετάχθαι τὸν Συρακούσιον, ἵνα πιστότερος ᾖ διηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἑτέρῳ τὴν τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος. Xenophon Athenienſis ſui ipſius fuit hiſtoria ſive hiſtoricus, ſcribens res à ſe bene geſtas in militia: verum dicens Themiſtogenem Syracuſanum ea ſcripſiſſe, ut major fides haberetur narranti ſe tanquam alium, alteri ſcriptionis gloriam largiens. Refert autem Laertius in Xenophontis vitâ, eum una cum Cyro aſcendiſſe, Archonte Athenis Xenæneto, anno præcedente Socratis mortem. Ac Diodorus Siculus, lib. 14. ſcribit Cyrum ſuſcepiſſe expeditionem contra fratrem Artaxerxem, & acie occiſum eſſe Archonte Exæneto, nimirum eodem: annoq; inſequente, Archonte Lachete Socratem extinctum eſſe. Unde utique apparet, quod mutilis Marmoribus ſignificatur, ΜΕΤΑ ΚΥΡΟΥ ̓ΑΝΑΒΑΝΤΕΣ, ſub tempus mortis Socratis Philoſophi, eodem Lachete Archonte, intelligendum eſſe de reducibus Græcis, qui cum Cyro aſcenderant anno præcedente. Siquidem uti ſcribit ſive Xenophon, ſive Themiſtogenes, in fine 7 lib. expeditionis ejus: Totum tempus aſcenſûs & deſcenſûs, fuit annus & trimeſtre. Eo autem tempore Præfectus claſſis Lacedæmoniorum annuus erat Thimbron; cui tunc in Ionia verſanti milites reduces tranſdidit Xenophon: Thimbron, inquam, poſt Samium: Samius vero poſt Lyſandrum, qui Athenis captis finem impoſuit bello Peloponeſiaco.

Quod autem Socrates anno ætatis 70 mortuus ſit, quemadmodum eâdem Epochâ Chronici Marmorei ſignificatur: confirmat Laertius in ejus vitâ, autore Apollodoro in Chronico, addens etiam natum eſſe Archonte Athenis Apſephione, anno Olympiadis 77.

Epoch.

Epoch. 68. A.M.C. 3606. ante Evang. 427. Period. 7. 45.

—Athenis, anni CXXXV. *Archonte Athenis Aristocrate.*

Mutilis deinde Marmoribus incertum quippiam innuitur Athenis, annis 135 ante citimam Epocham, 427 ante Evang. Archonte Athenis Aristocrate: hoc demum Archonte, & sequentibus deinceps omnibus, Marmoreo Chronico relatis in eosdem annos ac Diodoro Siculo.

Epoch. 69. A.M.C. ......:

A quo ——me —rianus Dithyrambis vicit Athenis, anni —

Proximo loco alius quispiam Poeta Dithyrambicus, Athenis Dithyrambo vicisse, significatur, obliterato pariter anno Epochæ atque Archonte.

Epoch. 70. A.M.C. 3625. ante Evang. 408. Periodi 7. 73.

A quo Philoxenus Dithyrambicus Poeta mortuus est, transactis annis ætatis LX, *anni* CXVI. *Archonte Athenis Pythea.*

A quo Philoxenus Poeta Dithyrambicus mortem obiit, natus annos 60, refert Marmorea Inscriptio annos 116 ante citimam Epocham, qui sunt 408 ante Evangelium, Archonte Athenis Pytheâ, nempe Olympiade 100 ineunte. Erat is primus è quatuor insignissimis Dithyrambo-Poetis, paulo superius è Diodoro numeratis: quem Dionysio Siciliæ tyranno familiarem fuisse testatur Pausanias, fere initio Atticorum.

Epoch. 71. A.M.C. 3628. ante Evang. 405. Period. 7. 76.

A quo Anaxandrides Comicus ——Athenis Calleâ.

Anaxandridem Comicum mutila Marmora vicisse innuunt Archonte Callea, obliterato anno Epochæ, qui illi Archonti convenit 113, nempe 405 ante Evangelium: anno quarto ejusdem Olympiadis 100, suffragante Suidâ. Hic Archon Diodoro Siculo dicitur Callias, nonnullis Chabrias.

Epoch. 72. A.M.C. 3632. ante Evang. 401. Period. 7. 80.

A quo Astydamas Athenis vicit, anni CIX. *Archonte Athenis Asteio. Exarsit autem tunc* [*cometa*].

A quo Astydamas Athenis vicit, Chronico Marmoreo ponuntur anni 109; qui fuerint 411 ante Evang. Archonte Athenis Asteio. Quod autem Diodorus, lib. 14. annis 26 antea eundem Poetam Tragicum vicisse refert: ea nimirum fuerit prima ejus victoria; hæc forte postrema, aut alias celeberrima.

Eâdem vero Epochâ innuitur arsisse tunc etiam Cometam. Atque hic Cometa videtur ille ingens, quem in Achaiâ conspectum se puero, significat Aristoteles, Meteorolog. lib. 1. cap. 6. Archonte eodem per errorem dicto Aristæo. Et de quo Diodorus Siculus, lib. 15. Archonte Alcisthene proxime insequente, sub tempus datæ occasionis prælii inter Thebanos & Lacedæmonios ad Leuctra, quo Lacedæmonii amiserunt Principatum Græciæ, scribit in hæc verba, *Λακεδαιμονίων ἔτη σχεδὸν πεντακόσια τῆς Ἑλλάδος ἐχόντων τὴν ἡγεμονίαν, τὸ Θεῖον προεσήμαινεν αὐτοῖς τῆς ἀρχῆς τὴν ἀποβολήν· ὤφθη μὲν γὰρ κατὰ τὸν οὐρανὸν ἐπὶ πολλὰς*

πολλὰς νύκτας λαμπὰς μεγάλη καιομένη, ἀπὸ τοῦ σχήματος ὀνομασθεῖσα πυρίνη δοκίς.
Quum Lacedæmonii plus minus quingentis annis, Græciæ Imperio sive Principatu potiti essent, Divinum Numen præsignificavit illis Dominatûs jacturam. Conspecta enim est Cœlo ad multas noctes, magna fax ardens, à figura dicta ignea trabs. Ubi non videtur contradicere Diodorus, quin fax illa conspecta sit præcedente Archonte Asteio; quo Helicen & Buram terræ motu absorptas mari, retulit: licet mentionem ejus distulerit ad procemium sive narrandam occasionem pugnæ Leuctricæ. Quâ de perinde nostra Chronologica Inscriptio, in sequente Epochâ.

Epoch. 73. A.M.C. 3634. ante Evang. 399. Period. 7. 82.

A quo commissa est pugna inter Thebanos & Lacedæmonios, qua victoriam obtinuerunt Thebani, anni CVII. *Archonte Athenis Phrasiclide ——regnavit.*

A quo pugna commissa est inter Thebanos & Lacedæmonios, quâ victoriam adepti sunt Thebani, juxta Chronicon Marmoreum, anni fuerunt 107, Archonte Athenis Phrasiclide 2 annis 399 ante Evang. ac 2 Olympiadis 102. Atque eo ipso nimirum anno Olympiadico, & Archonte Atheniensi à Thebanis prælio Leuctrico devictos Lacedæmonios, occiso eorum Rege Cleombroto, (quod forte innuitur Marmore, si pro βασιλδίει, legatur βασιλεὺς Rex) refert Diodorus Siculus, lib. 15. suffragante Pausaniâ in Arcadicis.

Epoch, 74. A.M.C. 3635. ante Evang. 398. Period. 7. 83.

A quo Stesichorus Himeræus secundus Athenis vicit, & condita est Megalopolis ——.

Stesichorum Himeræû secundû vicisse Athenis, atq; conditam Megalopolim post pugnam Leuctricam, innuitur mutilis Marmoribus, incerto anno, atque incerto Archonte. Secundus quidem hic Stesichorus Poeta, ex Himera urbe Siciliæ, videatur fuisse unus illorum cum quibus Dionysius senior Siciliæ tyrannus, etiam ipse Poetaster, certare, atque subinde interstrepere anser olores, gestierit, uti significat Diodorus Siculus, lib. 15.

Megalopolis vero in Arcadia, à Pausania in Arcadicis scribitur condita, Ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ καὶ μησὶ τι ὀλίγοις ὕστερον ἢ τὸ πταῖσμα Λακεδαιμονίων ἐγένετο ἐν Λευκτροῖς. Φρασικλείδου μὲν Ἄρχοντος Ἀθήνησιν, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ δευτέρας. Illo ipso anno & aliquot insuper mensibus post cladem Lacedæmoniorum acceptam Leuctris; quæ quidem clades (ita Pausaniam interpretor) accepta est Phrasiclide Athenis Archonte, anno 2 Olympiadis 102. Itaque urbs illa cœpta quidem fuerit condi anno 3 Olympiadis 102, ac 398 ante Evang. Archonte Athenis Dysniceto: absoluta vero atque habitari cœpta biennio postea, circa initium Olympiadis 103 Archonte Nausigene: quando uti scribit Diodorus, eodem lib. 15. Οἱ Ἀρκάδες ἔκτισαν --- τὴν ὀνομαζομένην Μεγαλόπολιν, per ἔκτισαν intelligens, τελέως κτισθεῖσαν ᾤκισαν.

Epoch.

Epoch. 75. A.M.C. 3637. ante Evang. 396. Periodi 7. 85.

A quo Dionysius Siculus mortem obiit, ejusque filius Dionysius tyrannide potitus est, & Alexander regnavit, anni CIV, *Archonte Athenis Nausigene.*

A quo Dionysius senior Syracusarum tyrannus mortuus est, & filius ejus Dionysius tyrannidem obtinuit; & Alexander (Pherarum in Thessalia tyrannus, ita equidem supplenda existimo mutila Marmora) regnavit; anni fuerunt 104, (qui sunt 396 ante Evang.) Archonte Athenis Nausigene. Dionysii senioris mortem, & junioris initium tyrannidis, eodem anno 1 Olympiadis 103, eodemque Nausigene Archonte, refert Diodorus: eodemque anno Olympiadico Eusebianum Chronicon.

Liquet etiam Alexandrum istic significatum, esse Pheræum, Jasonis Pheræi, & Polydori fratrem, potentissimum Græcorum sui seculi, inter Dionysii senioris mortem & acquisitam Philippi Macedonis potentiam, Dynastam; qui Pelopidam celeberrimum post Epaminondam Thebanorum ducem magno prælio occidit: & quem sub hunc ipsum annum refert Diodorus, fratrem Polydorum προσκληθέντα εἰς μέθην, provocatum ad potandum, Pharmaco sive veneno sustulisse, & in Thessaliæ Dynastiâ ei successisse, regnasseque annos undecim.

Epoch. 76. A.M.C. 3639. ante Evang. 394. Period. 7. 87.

A quo Phocenses in Delphis —— Athenis Cephisodoro.

A quo Phocenses τὸ ἐν Δελφοῖς [scilicet ἱερὸν ἐσύλησαν, (ita quidem videntur supplenda mutila Marmora) Templum Delphicum sacrilege expilarunt] anni item sunt obliterati, relicto solum Archontis Athenis nomine Κηφισοδώρου, sive Κηφισοδότου. Cephisodorum Diodorus, lib. 15. Archontem refert anno 3 Olympiadis 103. Cephisodotum vero, lib. 16. octennio postea, viz. anno 3 Olympiadis 105, anno autem 34 ante citimam Marmorei Chronici Epocham ac 386 ante Evang. sub initium belli Phocici, sive Sacri, quod anno insequente, uti refert idem Diodorus, suffragante Pausaniâ in Phocicis, susceptum est, occasione sacrilegii Philomeli Phocensis, hoc anno perpetrati, juxta Marmoreum Chronicon.

Epoch. 77. A.M.C. 3648. ante Evang. 385. Period. 7. 96.

A quo Timotheus nonagenarius fato functus est, [*Philippus Maced. &c.*

A quo Timotheus natus annos 90, mortuus est, mutilis Marmoribus, Seldeno nostro videtur desiderari tum annus Epochæ, tum etiam Archon. Etsi vero Timotheus Cononis filius, Atheniensis civis, & militiæ dux prudentissimus fortissimusque circa hoc tempus magno natu fuit, uti scribit Æmilius Probus sive Cornelius Nepos in ejus vitâ: istic tamen intelligi videtur Timotheus Milesius Musicus celeberrimus, cujus supra mentio facta est è Diodoro. Quum autem Cephisodotum Archontem apud eundem Diodorum continuo insequatur Agathocles, qui etiam istic in mutilis Marmoribus proxime occurrit, videatur utique hæc Periocha cum sequentibus in eandem Epocham compingenda.

Epoch.

—[Philippus Ma]cedonum rex, & A[lex— mortuus est — duces — vicit; anni XCIII. *Archonte Athenis Agathocle.*

Periochis vero sequentibus existimat Seldenus innui mentionem initii regnorum Philippi Macedonis, & Artaxerxis Ochi Persæ. Atqui horum utrumque aliquamdiu ante initium belli Phocici fuit. Præterea cum animadverterem nullius Imperatoris Persici hactenus in Chronico Marmoreo mentionem factam, præterquam Cyri qui Ioniam Græcorum coloniis habitatam, una cum Crœso & Sardibus subjugavit, Dariique Hystaspidæ, & Xerxis ejus filii, quorum uterque Græciam bello invasit; ac Cyri junioris, Græcorum auxiliis moventis bellum contra fratrem: dubito an Artaxerxis Mnemonis vel Ochi hic ulla fiat mentio. Insignis sane habetur annus Archontis Agathoclis, nempe 4 Olympiadis 105, apud Diodorum Siculum, in Adversariis meis (ipsum enim non habeo) tum Dionis successu Dionysium juniorem ejicientis tyrannide Siciliæ; tum Alexandri Pherarum tyranni nece perpetratâ uxoris suæ ejusque fratrum Lycophronis & Tisiphoni dolis; tum præsertim initio belli Phocici sive Sacri orti è Philomeli Phocensis sacrilegio; quâ occasione etiam complures historicos idem notat, qui eodem anno historias suas vel inchoarunt, vel terminarunt, utpote Ephorum, & Callisthenem, ibi terminantes suas; Demophilum autem Ephori filium, & Diyllum Atheniensem indidem inchoantes suas. Præterea vero sub finem anni præcedentis, Philippum Macedonum regem aggressum urbem antea dictam Krenidas, instaurare & ampliare, numeroque civium augere, ac propterea demum mutato nomine, de nomine suo Philippos appellasse scribit. Quibus ita se habentibus equidem moveor ut existimem, residuum ejusdem Epochæ in mutilis Marmoribus, hujusmodi fere verbis conceptum fuisse, ---- καὶ Φιλίππους τὴν πόλιν ἔκτισεν ὁ Φίλιππος Μακεδόνων βασιλεὺς, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Φεραῖος ὑπὸ τῆς ἰδίας γυναικὸς ἐδολοφονήθη, καὶ τοὺς Διονυσίου στρατηγοὺς ὁ Δίων ἐνίκησεν --- Et Philippos urbem condidit Philippus Macedonum rex, & Alexander Pheræus uxoris dolo interfectus est; & Dionysii duces vicit Dion: anni 93, Archonte Athenis Agathocle, erat annus 385 ante Evang.

Epoch. 78. A.M.C. 3650. ante Evang. 383. Period. 7. 98.

———*anni* XCI, *Archonte Athenis Callistrato.*

Epoch. 79. A.M.C...... &c.

—sophus —— hoc.

Quod deinde Marmoribus magis magisque mutilis, anno 91 ante citimam Epocham, ac 383 ante Evang. Archonte Athenis Callistrato innuitur, nescio an spectat ad ea quæ Diodorus scribit de Philomelo conante trahere Archidamum Lacedæmoniorum regem ad partes suas, ita ---- ὁ Φιλόμηλος --- ἐν ἀπορρήτοις διελέχθη τῷ βασιλεῖ τῶν Λακεδαιμονίων Ἀρχιδάμῳ, ὅτι κοινὸς ὁ ἀγών ἐστιν αὐτῷ περὶ τοῦ ποιῆσαι τὰς κρίσεις τῶν Ἀμφικτυόνων ἀκύρους. Philomelus secreto ejusmodi sermones contulit cum Rege Lacedæmoniorum Archidamo, quod commune certamen esset de Amphictyonum judiciis irritis faciendis, vel de Philomelo cogente Pythiam vatem conscendere Tripodem ad oraculum edendum, &c.

Epoch. 80. A.M.C. ;..... &c.

Postrema denique Epocha, cujus aliquod quanquam perobscurum vestigium extat, forte innuitur, Callippum, sive (Cornelio Nepoti in Dionis vitâ) Callicratem, interfecto Dione, Syracusis tyrannidem occupâsse: quod insequente Callistratum Archonte Diotimo contigisse refert Diodorus, anno 3 Olympiadis 106 (id est, 90 ante citimam Marmorei Chronici Epocham, ac 382 ante Evang.) ad menses tredecim. A quo Ca— anni L..... *Archonte —.*

Restat vero adhuc nonnihil difficultatis in explicanda ratione, qua situs annorum Archontum Atheniensium subinde uno anno prior & antiquior deprehendatur in Chronico Marmoreo quam apud Diodorum Siculum, & alios, saltem à Xerxis transitu in Græciam Archonte Calliâ, sive Calliade, usque ad reditum Græcorum militum à Cyri junioris expeditione, mortemque Socratis, Lachete Archonte: hinc autem annus interjectus videatur inter hunc & Aristocratem in nostro; quum apud Diodorum Aristocrates Archon, Lacheti proxime insequente anno succedat. Quod quidem ad hoc postremum tempus attinet, triginta virorum tyrannidem captis Athenis à Lysandro Lacedæmonio impositam, tametsi Diodorus Siculus, lib. 14. referat sublatam à Thrasibulo, anno præcedente mortem Socratis, quo Cyrus minor expeditionem fecit contra fratrem Artaxerxem, Archonte Athenis Exæneto: apparet tamen è Laertio in vita Euclidis, aliquamdiu post mortem Socratis durasse. Ibi enim Laertius scribit in hæc verba, Πρὸς τοῦτον φησὶν ὁ Ἑρμόδωρος ἀφικέσθαι Πλάτωνα, καὶ τοὺς λοιποὺς φιλοσόφους, μετὰ τὴν Σωκράτους τελευτὴν δείσαντας τὴν ὠμότητα τῶν τυράννων. Ad hunc (Euclidem Megarensem) ait Hermodorus, venisse Platonem ceterosque Philosophos, post mortem Socratis, metuentes sævitiam tyrannorum. Similia habet Hesychius in Euclide, Εὐκλείδης ὁ Μεγαρικὸς μετὰ τὴν Σωκράτους τελευτὴν, Πλάτωνα καὶ τοὺς λοιποὺς φιλοσόφους ἐδέξατο, δείσαντας τὴν ὠμότητα τῶν τυράννων. Euclides Megarensis, post Socratis mortem, Platonem, reliquosque Philosophos hospitio excepit, timentes crudelitatem tyrannorum. Atque eodem spectant quæ Laertius in vita Platonis, scribit ita, Ἔπειτα γενόμενος ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν (καθά φησιν Ἑρμόδωρος) εἰς Μέγαρα πρὸς Εὐκλείδην σὺν καὶ ἄλλοις τοῖς Σωκρατικοῖς ἀπεχώρησεν. Deinde quum esset annorum duodetriginta (Plato) ut ait Hermodorus, Megara ad Euclidem cum aliis Socraticis, discessit. Paulo antea retulerat natum Platonem Aminiâ Archonte, eodem quo Pericles mortuus; inter quem & Lachetem Diodorus exponit nimirum Archontes duodetriginta. Fuisse vero tempus illud circa quod sublati sunt triginta tyranni Athenis turbulentissimum, nemo dubitet. Et apparet haud parvam illarum turbarum partem acceptam ferri decem Prætoribus, sive Archontibus, quorum primus fuit Eponymus, nempe anno nomen & titulum dedit; qui etiam ipsi tanquam aliorum sævitiâ & crudelitate infecti, in tyrannos degeneraverant. Ita enim Cornelius Nepos, in vita Thrasibuli. Pausanias rex Lacedæmoniorum, inter Thrasibulum & eos qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus, nequi præter 30 tyrannos, & decem, qui postea Prætores creati, superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio. Item Trogi Abbreviator, sub finem lib. 5. Reversus in urbem exercitus 30 tyrannos migrare Eleusina jubet, substitutis decem qui rempublicam regerent: qui nihil exemplo prioris

ris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggressi sunt. —Pausanias Rex Lacedæmone mittitur. —Patriam miseris civibus restituit: & decem tyrannos (nimirum Prætores) ex urbe migrare Eleusinem ad ceteros jubet. —Interjectis diebus —tyranni — bellum Atheniensibus inferentes, — per insidias comprehensi, ut pacis victimæ trucidantur. Ex his nimirum apparet, qui toto illo quadriennio vel quinquennio triginta virorum tyrannidis Athenis, Prætores sive Archontes annui, ad retinendam pristinæ reipublicæ umbram facti sunt; quum ab ipsis 30 tyrannis populi suffragia ad libitum torquentibus crearentur, eorum crudelitatis asseclas & ministros fuisse: ideoque actos in exilium paulo post illos, ac demum una cum illis fuisse trucidatos: ac proinde sicuti post captas à Lysandro Athenas, ante eorum constitutionem, ita quoque post ipsorum necem, aliquanti temporis Anarchiam Athenis absque ullis Archontibus sive Prætoribus evenisse, adeoque eam ad semestre plus minus durasse; atque ita autori Chronici Marmorei occasionem interjecti anni inter Lachetem & Aristocratem, alioqui proximos Archontes dedisse.

[Hic pedem figere statuebam, sed ad disquisitionem redintegrandam incitabar, cum legerem à Johanne Meursio, Arch. ita scriptum, lib. 1. cap. 14. Tyrannidem Pisistratus constituit, Olympiadis 50, anno 1, ut ex Anonymo discere licet. Atque tunc Archon Comias erat Plutarchus in Solone, &c. Ad Anonymum illum quod attinet, quem toties totiesque in eo opere aliisque citat, vehementer miratus sum, non suboluisse viro literato & prudenti, fuisse ipsum Josephum Scaligerum, quanquam non animadvertisset cum pluribus locis in opere Eusebiano, & alibi, diserte affirmasse, se fuisse collectorem illius συναγωγῆς. Quod quum verum sit, vel antiquiore autoritate, vel potioribus rationibus opus est, ad figendum initium tyrannidis Pisistrati initio Olympiadis 50, ubi Scaliger ponit, aut ad dimovendum ipsum ab anno 4 Olympiadis 54, ubi Chronicon Marmoreum statuit, annis ferme 20, haud paucioribus, scriptis opinione Scaligeranâ & Meursianâ. Ceterum in Pisistrato, statim initio, cap. 1. Tyrannis, inquit, Pisistrati & qui accepere ab ipso filiorum, annis 68 usurpata. Cap. autem 3. è Clemente Alexandrino, & Tatiano refert Onomacritum Atheniensem claruisse, κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν περὶ τὴν πεντηκοστὴν ὀλυμπιάδα, & cap. 13. interfectus autem Hipparchus anno Principatus sui 32. Nemo id expresse dicit, verum certa conjectura est. Denique postremo Cap. inquirens, quod tyrannidis universæ tempus fuerit, & quod ante fecerat, Fortunæ Atticæ, cap. 10. hic reponens, ut ait, paulo magis accurate pertractatum: affirmat ipsum Pisistratum per 33 annos variâ fortunâ tenuisse, ejus autem filios quos autores Pisistratidas appellaverint, 35. Ita ut tyrannidis tempus universum fuerit anni 67; ejectusque Hippias fuerit jam vertente sexagesimo octavo. Quod ita confirmat, Tyrannidem incepit Pisistratus, ut dictum, cap. 3. Olympiadis 50, anno 1, Hippias vero ejectus, ut ait Thucydides, anno vicesimo ante pugnam Marathoniam commissam, inquit Meursius, Olympiadis 72, anno 1, annis 88 ab initio Pisistrati: quibus si demantur viginti ab Hippiæ ejectione, restant 68. Verum cum hæc ratio nitatur ætate Onomacriti clarescentis sub Principatum Pisistratidarum, circa quinquagesimam Olympiadem: de quo præterea refert Meursius, cap. 12. autore Herodoto, lib. 7. ejectum Athenis fuisse Onomacritum ab Hipparcho Pisistrati filio, quod à Laso Hermionensi in ipso facto deprehensus esset inserens Musæi oraculis, fore, ut insulæ Lemno adjacentes mari submergerentur; hâc de causâ Hipparchum ejecisse ipsum, quum antea familiarissime eo fuisset usus: non est inde consequens quod autumabant Scaliger & Meursius, Pisistratum tyrannide potitum esse initio quinquagesimæ Olympiadis: sed tantum Onomacritum qui cœpisset clarescere circiter eandem Olympiadem, eodem ferme tempore quo Pisistratus cœperat clarescere Athenis nobilitate & potentiâ, utpote militiæ clarus ante tyrannidem, devictis Megarensibus &

Nisæâ expugnatâ, uti ipse Meursius notat, initio cap. 8. deinde claruisse ibi per annos plus minus 50, Pisistrato & ejus filiis per maximam ejus temporis partem dominatu potientibus, donec, ab Hipparcho ejiceretur. Ut nihil causæ fuerit cur Meursius restringeret Herodoti verba, lib. 5. prolata de toto Pisistrati ejusque filiorum tyrannidis tempore, ad tyrannidem filiorum solum, superius eodem vicesimo & postremo capite, anteaque capite 16, atq; 1. Μετὰ δὲ ἐξεχώρησε [οἱ Πεισιστρατίδαι] εἰς Σίγειον τὸ ἐπὶ τῷ Σκαμάνδρῳ ἄρξαντες μὲν τῶν Ἀθηναίων ἐπ' ἔτεα ἓξ καὶ τριάκοντα. Postea vero excessere (Pisistratidæ) in Sigeum situm ad Scamandrum, cum Atheniensium Principatu annos 36 potiti essent; quasi valde erraret etiam Aristoteles, qui 18 tantum annos tyrannidis ascribit Pisistrati filiis, Politicorum lib. 5. cap. 12. ita scribens, Τρίτη δὲ [τυραννὶς] ἡ τῶν Πεισιστρατιδῶν Ἀθήνησιν οὐκ ἐγένετο συνεχής, δὶς γὰρ ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν, ἑπτακαίδεκα ἔτη τούτων ἐτυράννευσεν· ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες· ὥστε τὰ πάντα ἐγένετο ἔτη τριάκοντα καὶ πέντε. Tertia (tyrannis) Pisistratidarum Athenis non fuit continua: nam Pisistratus bis eâ exactus est; ita ut de tribus & triginta annis, decem & septem eam obtinuerit, filii vero annos 18, itaque anni universim fuerunt 35. Quibus si addantur anni 16 duplicis exilii Pisistrati: fiunt omnino 51 ab initio Pisistrati ad exitum Hippiæ. Enimvero hos tum Herodoti, tum Aristotelis calculos confirmant verba Scholiastæ Aristophanis à Meursio producta haud ita multo post, Δοκεῖ δὲ ἡ τυραννὶς τῶν Πεισιστρατιδῶν καταστῆναι, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἔτη ν'. τῶν ἀκριβῶς διαμαρτάνων. Ἀριστοφάνης μὲν μα. φησάντος. Ἡροδότου δὲ λς'. Videtur autem tyrannis Pisistraditarum durasse, ut ait Eratosthenes, annis 50, nonnihil errans ab exacto calculo: quum Aristophanes dicat 41, Herodotus vero 36. nequicquam reclamante Meursio Scholiastem non tenuisse Herodoti mentem; quum pro 41 nihilominus 51 emendandum omnino censeat: quemadmodum etiam apud Isocratem oratione περὶ ζεύγους, de eadem loquentem, pro 40 restituendum 50. Quinetiam agnoscit Meursius, cap. 5. annotatum & ab Eusebio & ab Hieronymo, in Chronico inquam Eusebiano, tum Græco, tum Latino, ad annum 1, Olympiadis 58. Πεισίστρατος Ἀθηναίων τὸ δεύτερον ἐβασίλευσε. Pisistratus secundâ vice Athenis regnavat: quod ipse ad tertiam regni vicem tanquam tunc secundo recuperati torquere nititur. Imo vero quandoquidem cap. 4. idem agnoscat, illum tyrannidem primum amisisse, cum non diu tenuisset, autore Herodoto, lib. 1. scribente in hæc verba, Μετὰ δὲ οὐ πολλὸν χρόνον τωὐτὸ φρονήσαντες οἵ τε τοῦ Μεγακλέος στρατιῶται καὶ οἱ τοῦ Λυκούργου, ἐξελαύνουσί μιν· οὕτω μὲν Πεισίστρατος ἔσχε τὸ πρῶτον Ἀθήνας, καὶ τὴν τυραννίδα οὔκω κάρτα ἐρριζωμένην ἔχων ἀπέβαλεν. Non multo post conspirantes Megaclis ac Lycurgi sectarii, ejiciunt ipsum. Atque ita quidem Pisistratus primum obtinuit Athenas, & tyrannidem nactus nondum valde firmatam amisit: præterea quum fine ejusdem cap. primum exilium colligat fuisse 5 annorum, quum Herodotus scribat secundum fuisse 11: manifestum fit, initium tyrannidis Pisistrati, Archonte Comiâ, neutiquam antevertisse calculũ Marmoreum, quum enim annus 1 Olymp. 58, sit ab Olympiadis 54 anno 4, decimus tertius: reversus Pisistratus anno 6 exilii, videtur summum anno 7 ab initio tyrannidis primum exactus esse. Quapropter apparet Anonymum illum, inquam, Scaligerum, & Meursium, initium tyrannidis Pisistrati, tempusque Archontis Comiæ, haudquaquam paucioribus quam undeviginti annis anticipasse: tantumque amborum errorem, Marmoreum Chronicon redarguisse.

Porro observandum, quum inter Calliadem, adeoq; inter Adimantũ & Charetem Archontes, appareat unum deesse calculo Dionysii Halicarnassei, & Diodori Siculi, juxta Chronicon Marmoreum: quidem pace omniũ existimaverim hunc fuisse Themistoclem Neoclis filium; illum victoriâ navali ad Salaminem contra

contra Xerxem partâ celeberrimum. Nam quum plerique omnes existiment fuisse illum Themistoclem, Dionysio Halicarnasseo, lib. 6. memoratum sub Olympiadem 72, quâ Tisicrates Crotoniates iterum stadio vicit: omnino id temporis Neoclis filius videtur fuisse ætate junior: atque etiam ignobilior, quam ut supremum Athenis Magistratum gereret, præsertim quum lege quoque sanciverit Solon Atheniensis, nequis ullum magistratum gereret admodum juvenis, neve ad capienda consilia de republica admitteretur, quamlibet alioqui prudentissimus haberetur. Itaque per id seculum, quadragenario, ne dicam, quinquagenario, minorem fuisse annuum sive Eponymum Archontem Athenis, neutiquam fit verisimile. Themistoclem vero Neoclis filium, tunc fuisse summum 36 annos natum, colligere licet ex Plutarcho in ejus vita, scribente eum, postquam Magnesiæ, longo tempore tranquille vitam egisset, ac tandem Ægyptus regi Persico rebellasset, auxiliaque rebellanti misissent Athenienses; vivendi finem fecisse, transactis ætatis annis 65, qui si retro putentur à cœpta rebellione anno 2, Olympiadis 79, ad 4, 71; quemadmodum sint 30, relinquunt Themistoclis ætatem tunc annorum tantummodo 35. Sed & Plutarchus haud obscure significat, & Trogi abbreviator diserte testatur eum fuisse juvenem adhuc Prælio Marathonio, biennio postea, nec dum egisse quicquam memorabile: quum nec Aristides quidem, eo haud dubie aliquanto major natu, utpote eodem Plutarcho autore in hujus vita, Clisthenis socius in cõstituenda post ejectos Pisistratidas tyrannos Democratiâ, & secũdus à Miltiade dux in Prælio Marathonio, Archon fuerit, nisi anno demũ insequente. Quocirca ille antiquior Themistocles videatur potius fuisse hujus patruus, nempe patris sui Neoclis frater: cujus ipse mentionem facit in epistolis suis, haud ita pridem in lucem editis, viz. Epistolâ ad Leagrum, ita scribens, Καὶ μὴ μήτε μήπω Λέαγρος ὁ ἐμὸς ἑταῖρος ἐπισχεῖν θελήσει τῆς ὁρμῆς, οὐ γὰρ ἔφθεξε, μήτε Νεοκλῆς ὁ πατὴρ, ἢ Θεμιστοκλῆς ὁ θεῖος, ἀναβιώσαντες νῦν, καὶ δεῦρο ἀφικόμενοι. Et neq; Leager Sodalis meus inhibere me voluerit ab instituto (sc. proficiscendi ad regem Persarum:) neque enim inhibere potuerit; neque Neocles ipse Pater, vel Themistocles patruus, redivivi & huc profecti. Atque hinc solvatur difficultas apud Ælianum, variæ historiæ lib. 3. cap. 21. de incredibili alioquin ætate Themistoclis; quatenus refert eum redeuntem è Schola, & à Pædogogo monitum, obvio Pisistrato tyranno cedere de via recusasse, inquientem, an non viæ satis ei reliquum? quippe intelligendum, aut de Themistocle patruo, & avo Pisistrato, aut de Themistocle nepote, ac nepote quoq; Pisistrato, nimirum Hippiæ filio; quem dominante patre, etiam ipsum annuum Archontem fuisse testatur Thucydides, lib. 6. superstite etiamnum quando ille scribebat ejus monumento, altari Apollinis extructo ab eo, cum hac Inscriptione,

> Μνῆμα τόδε ἧς ἀρχῆς Πεισίστρατος Ἱππίου υἱὸς,
> Θῆκεν Ἀπόλλωνος Πυθίου ἐν τεμένει.

> In Pythii statuit sacrâ Pisistratus Æde,
> Imperii Hippiades hæc Monumenta sui.

Quinetiam inter pugnam Marathoniam & Salaminiam adhuc videtur fuisse ignobilior, quam ut Archon fuerit. Nam bellum Corcyræum eo duce gestum, cujus meminit Cornelius Nepos in ejus vita, apparet nullum fuisse, sed tantummodo compositionem belli eo arbitro inter Corcyræos & Corinthios factam; idque incertum utrum ante an post pugnam Salaminiam: imo neq; Ægineticum, sed tantummodo consilium ab eo datum de paranda classe, prætextu quidem contra Æginates, quorum Athenienses quoad maris dominatum essent æmuli, re autem vera contra recrudescens bellum Medicum. Minus autem claræ adhuc eo tempore nobilitatis Themistoclis, aliquot argumenta observare licet è Plutarcho in ejus vita. Veluti quod scribit de Græcorum offensione

offensione ob ejus æmulationem magnificentiæ Cimonis filii Miltiadis, Olympiis, his verbis, Εἰς δ' Ὀλυμπίαν ἐλθὼν, καὶ διαμιλλώμενος τῷ Κίμωνι περὶ δεῖπνα, καὶ σκηνὰς, καὶ τὴν ἄλλην λαμπρότητα, καὶ παρασκευὴν, οὐκ ἤρεσε τοῖς Ἕλλησιν· ἐκείνῳ μὲν γὰρ ὄντι νέῳ, καὶ ἀπ' οἰκίας μεγάλης ᾤοντο δεῖν τὰ τοιαῦτα συγχωρεῖν· ὁ δὲ μήπω γνώριμος γεγονὼς ἀλλὰ καὶ δοκῶν ἐξ οὐχ ὑπαρχόντων παρ' ἀξίαν ἐπαίρεσθαι προσωφλίσκανεν ἀλαζονείαν. Profectus ad Olympia, ibique æmulatus Cimonem, conviviis & tabernaculis, ceterâque magnificentiâ & apparatu incurrit offensionem Græcorum. Cimoni enim juveni, & ex illustri familiâ, existimabant æquum concedere hæc talia. Verum iste qui nondum evasisset nobilis aut celebris, sed è tenui censu ac nullis prope opibus supra dignitatem efferri visus, debuit ludibrium elationis & arrogantiæ. Hæc neutiquam convenire videntur personæ illius qui supremum Magistratum Athenis vel modo gesserat, vel propediem gesturus existimaretur. Præterea ingruente jam bello Xerxis, quum Athenis comitia haberentur deligendo Imperatori, & optimatum præcipui deterriti magnitudine periculi profiteri nomina sua ad ejus Imperii sive Præturæ petitionem detrectarent: Themistocles etiam tunc tantum ab eo dignitatis gradu, civium suorum opinione abfuit, ut Epicidem quendam quasi quintæ classis hominem, nec alio quam declamatoriæ cujusdam facultatis nomine notum, ut sibi petitione cederet, datâ pecuniâ mercari necesse haberet. Quod non est credibile ita eventurum fuisse, si vel supremo magistratu Athenis gesto, vel alicujus belli memorabilis, sive Corcyræi, sive Æginetici, seu cujuscunque alius, terrâ marive gesti Imperio aut Præturâ jam ante nobilitatus fuisset. Præterea vero etiam alio argumento fit admodum probabile Themistoclem non fuisse Archontem ante Adimantum, quartum à Calliade & pugna Salaminia; nempe eo quod Themistocles fuerit Choragus ludis scenicis, quo anno Adimantus fuit Archon: quod Plutarchus scribit testatum fecisse monumentum Inscriptione hujusmodi. Θεμιστοκλῆς ὁ Φρεάῤῥιος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν. Themistocles erat choragus, Phrynichus Poeta, Adimantus Archon. Enimvero æque absurdum est existimare Themistoclem fuisse choragum Athenis postquam fuerit Archon, atque aliquem fuisse Ædilem Romæ postquam fuerat Consul. Porro Thucydides, lib. I. narrationi de restauratis urbis Athenarum mœnibus post Xerxis fugam & Mardonii cædem, præcipuâ Themistoclis astutiâ, subjungit, Ἔπεισε δὲ καὶ τοῦ Πειραιῶς τὰ λοιπὰ ὁ Θεμιστοκλῆς οἰκοδομεῖν· ὑπῆρκτο δὲ αὐτοῦ πρότερον ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς, ἧς κατ' ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις ἦρξε· νομίζων τό τε χωρίον καλὸν εἶναι λιμένας ἔχον τρεῖς αὐτοφυεῖς---- utramque partem ita concludens, Ἀθηναῖοι μὲν οὕτως ἐτειχίσθησαν, καὶ τἆλλα κατεσκευάζοντο εὐθὺς μετὰ τὴν Μήδων ἀναχώρησιν. Suasit autem Themistocles Atheniensibus ædificare reliqua Piræei Portûs: quem ipse prius inceperat, suo Principatu, quo annuus Archon Athenis erat: existimans tum locum commodum esse habentem tres portus ipsâ sitûs naturâ: ----Athenienses igitur ita mœnibus alioque apparatu muniti sunt è vestigio post Medorum discessum. Thucydidi autem de portu Pyræeo ædificato à Themistocle, quo anno fuit Archon, suffragatur quoque Pausanias Atticorum initio, ita scribens, Ὁ δὲ Πειραιεὺς δῆμος μὲν ἦν ἐκ παλαιοῦ· πρότερον δὲ, πρὶν ἢ Θεμιστοκλῆς Ἀθηναίοις ἦρξεν, ἐπίνειον οὐκ ἦν. Φάληρον δὲ, ταύτῃ γὰρ ἐλάχιστον ἀπέχει τῆς πόλεως ἡ θάλασσα, τοῦτο σφίσιν ἐπίνειον ἦν. --- Θεμιστοκλῆς δὲ ὡς ἦρξε (τοῖς τε γὰρ πλέουσιν ἐπιτηδειότερος ὁ Πειραιεὺς ἐφαίνετό οἱ προκεῖσθαι, καὶ λιμένας τρεῖς ἀνθ' ἑνὸς εἶχεν τοῦ Φαλήρου) τοῦτ σφίσιν ἐπίνειον εἶναι κατεσκευάσατο. Piræeus quidem, vicus sive villa, erat antiquitus; portus vero sive navale, antequam Themistocles Athenis Archon fuit, non erat. Sed Phalerus iis portus erat, hic enim minimum urbs à mari distat. ---Verum Themistocles quando Archon fuit, animadvertens Piræeum navigantibus commodius esse situm, eodemque sinu complecti tres portus pro uno Phalero, cum Atheniensibus ut navale esset apparavit. Sed Thucydidis Scholiastes, ad ea verba,

ἑκάστ' ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις ἦρξε, apponit Scholion, sive interpretationem, κατά τινα ἐνιαυτὸν ἡγεμὼν ἐγένετο, πρὸ γὰρ τῶν Μηδικῶν ἦρξε Θεμιστοκλῆς ἐνιαυτὸν ἕνα· quo anno prætor fuit; nam ante bella Medica Archon erat Themistocles annum unum: haud dubie respiciens Themistoclem antiquiorem, quem supra diximus, Archontem anno 4, Olympiadis 71, altero ante prœlium Marathonium, eoque deceptus. Etenim nullum fuisse Atheniensium portum Piræeum ne inchoatum quidem, vel alium quam Phalericum, quo tempore Xerxis classis Atticæ oram obtinebat, demumque ad Salaminem profligata est; è toto Herodoti historiæ contextu liquet. Siquidem lib. 8. numero sive Paragrapho (editionis Jungermanni) 66, ita scribit, οἱ δὲ ἐς τὸν Ξέρξεω ναυτικὸν στρατὸν ταχθέντες--- ἐν ἐτέρῃσι τρισὶ ἡμέρῃσι ἐγένοντο ἐν Φαλήρῳ. Qui vero in Xerxis exercitum navalem, sive classem conscripti sunt ---post alios tres dies tenuerunt Phalerum. Et 67 n. Ἐπεὶ ὦν ἀπικέατο ἐς τὰς Ἀθήνας πάντες πλὴν τῶν Παρίων ---οἱ δὲ λοιποὶ ὡς ἀπίκοντο ἐς τὸ Φάληρον, ἐνθαῦτα κατέβη αὐτὸς Ξέρξης ἐπὶ τὰς νέας ἐθέλων σφι συμμῖξαί τε, καὶ πυθέσθαι τῶν ἐπιπλεόντων τὰς γνώμας. Postquam igitur venissent Athenas omnes, præter Parios; ---reliqui vero postquam pervenerant Phalerum: tunc Xerxes ipse descendit ad naves, volens eas invisere, & cognoscere classariorum sententias: & 85 n. κατὰ μὲν δὴ Ἀθηναίους ἐτετάχατο Φοίνικες· οὗτοι γὰρ εἶχον τὸ πρὸς Ἐλευσῖνός τε καὶ Ἑσπέρης κέρας· κατὰ δὲ Λακεδαιμονίους, Ἴωνες· οὗτοι δὲ εἶχον τὸ πρὸς τὴν ἠῶ τε καὶ τὸν Πειραιέα. Contra Athenienses quidem ordinati sunt Phœnices; hi enim tenuerunt alterum cornu, Eleusinem & occidentem versus: contra Lacedæmonios vero Iones, hi autem tenuerunt alterum versus orientem & Piræeum: nimirum villam sive pagum, quemadmodum Eleusinem. Hic itaque opportuna fuisset occasio mentionis Piræei portûs, siquidem ullus ibi portus adhuc vel inchoatus saltem esset. Porro 91 n. τῶν δὲ βαρβάρων ἐς φυγὴν τετραμμένων καὶ ἐκπλεόντων πρὸς τὸ Φάληρον. Barbaris autem in fugam versis, & navibus evadentibus ad Phalerum. Et 93 n. οἱ δὲ βάρβαροι τῶν αἱ νέες περιεγένοντο, φεύγοντες ἀπίκοντο ἐς Φάληρον, ὑπὸ τὸν πεζὸν στρατόν· ---ἦσαν δὲ καὶ οἱ ἄλλοι, τῶν αἱ νέες περιεγεγόνεσαν, ἐν τῷ Φαλήρῳ. Barbari vero, quorum naves superfuerant, fugâ evaserunt ad Phalerum sub defensionem pedestris exerercitûs. ---Erant vero etiam alii quorum naves servatæ fuerant, in Phalero, & 107 n. τῆς δὲ νυκτὸς κελεύσαντος βασιλέως τὰς νέας οἱ στρατηγοὶ ἐκ τοῦ Φαλήρου ἀπῆγον ὀπίσω ἐς τὸν Ἑλλήσποντον. ---Noctu vero, jubente Rege, navibus eductis è Phalero solverunt retro versus Hellespontum. Ac denique 108 n. Ὡς δὲ ἡμέρη ἐγένετο, ὁρέοντες οἱ Ἕλληνες κατὰ χώρην μένοντα τὸν στρατὸν τὸν πεζὸν ἤλπιζον καὶ τὰς νέας εἶναι περὶ Φάληρον. Ut vero dies illuxit, videntes Græci exercitum pedestrem eodem loco manentem, sperabant etiam classem adhuc esse circa Phalerum. Ex his omnibus locis manifestum fit, unicum tunc prope Athenas fuisse portum Phalericum, quod si ullum Piræei portûs vel inchoati vestigium tunc apparuisset, rei tanti momenti mentio neglecta esse non poterat. Ac sane alii quoque Historici, post murorum urbis restaurationem, universum ejus apparatum narrant. Verbi gratiâ, Diodorus Siculus, lib. 11. Τοῦ δ' ἐνιαυτοῦ χρόνου διεληλυθότος Ἀθήνησι μὲν ἦν Ἄρχων Ἀδείμαντος· ἐν Ῥώμῃ δὲ κατεστάθησαν ὕπατοι Μάρκος Φάβιος Σιλβανός, καὶ Λεύκιος Οὐαλέριος Πόπλιος. Ἐπὶ δὲ τούτων Θεμιστοκλῆς διὰ τὴν στρατηγίαν, καὶ ἀγχίνοιαν ἀποδοχῆς ἔτυχεν, οὐ μόνον παρὰ τοῖς πολίταις, ἀλλὰ καὶ παρὰ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι· διὸ καὶ μετεωριζόμενος ἐπὶ τῇ δόξῃ πολὺ μείζοσιν ἄλλαις ἐπιβολαῖς ἐχορήσατο πρὸς αὔξησιν ἡγεμονίας ἀνηκούσαις τῇ πατρίδι· τοῦ γὰρ καλουμένου Πειραιῶς οὐκ ὄντος λιμένος κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἀλλ' ἐπινείῳ χρωμένων τῶν Ἀθηναίων τῷ προσαγορευομένῳ Φαληρικῷ μικρῷ παντελῶς ὄντι, ἐπενόησε τὸν Πειραιᾶ κατασκευάζειν λιμένα μικρᾶς μὲν προσδεόμενον κατασκευῆς, δυνάμενον δὲ γενέσθαι κάλλιστον καὶ μέγιστον λιμένα τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα---Ὁ δὲ Θεμιστοκλῆς λαβὼν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράττειν, καὶ πᾶσαν ὑπουργίαν ἔχων ἑτοίμην τοῖς ἐγχειρουμένοις, πάλιν ἐπενόησε κατασκευάσαι

στρατηγίᾳ

τηρῆσαι τοῖς Λακεδαιμονίοις· ᾔδει γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι καθάπερ ἐπὶ τὸν τῆς πόλεως τειχισμὸν διεκώλυσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ τῆς κατασκευῆς τοῦ λιμένος ἐγχειρήσουσι διακόπτειν τῶν Ἀθηναίων τὰς ἐπιβολάς. Annuo tempore præterito, Athenis quidem Archon erat Adimantus; Romæ autem constituti sunt Consules Marcus Fabius Silvanus, & Lucius Valerius Publius. Horum anno Themistocles, propter militarem peritiam & solertiam, magno honore fuit non solum apud cives suos sed etiam apud universos Græcos. Quapropter etiam elatus gloriâ, aliarum multo majorum rerum gerendarum consilia animo versavit, tendentium ad augendum principatum patriæ suæ. Locus enim dictus Piræeus quum iis temporibus non esset portus, sed Athenienses uterentur navali appellato Phalerico, illo quidem valde exiguo: instituit Piræeum facere portum, habentem opus haud magno apparatu, quo fieri posset maximus & pulcherrimus portus per universam Græciam. —itaque Themistocles acceptâ licentiâ faciendi, paratisque operis ad propositum necessariis, rursus instituit stratagemate fallere Lacedæmonios. Probe enim nôrat, quemadmodum murorum urbis restaurationem impediverant Lacedæmonii, eodem modo conaturos etiam impedire Atheniensium machinationes in apparando portu. Ita Diodorus Siculus refert Piræei portûs ædificationem primum institutam Archonte Adimanto; unde consequitur susceptum esse demum anno insequente: quo proinde annuus Archon fuit Themistocles, juxta Thucydidem & Pausaniam. Quod confirmandum suscepimus. Perinde vero de portu omnino ædificato post restauratos urbis muros consentit etiam Plutarchus: cujus verba sunt, Γενόμενος δὲ ἀπὸ τῶν πράξεων ἐκείνων εὐθὺς ἐπεχείρει τὴν πόλιν ἀνοικοδομεῖν καὶ τειχίζειν. Iis rebus gestis, nempe profligato bello Medico, è vestigio aggressus est urbem reædificare & muris circundare. Pauloq; post, Ἐκ δὲ τούτου τὸν Πειραιᾶ κατεσκεύασε, τὴν τῶν λιμένων εὐφυΐαν κατανοήσας, καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἁρμοττόμενος πρὸς τὴν θάλασσαν. Deinde vero Piræeum apparavit, portuum commodum à natura situm observans, urbemque omnino accommodans mari. Quod vero Cornelius Nepos, post celebratam victoriam Salaminiam Themistoclis potissimum virtute partam, inter pacis artes ejusdem quibus deinde promovit Atheniensium Rempublicam & Principatum, dat primam laudem constructioni triplicis portus Pyræei, secundam autem mœniorum urbis restaurationi; eatenus non tam temporis quam dignitatis ordinem servat: alioquin haud obscurè significans, urbis muros prius fuisse restitutos quam ædificatum portum.

Ceterum septennio postea, anno 498 ante Evang. ac 3 Olympiadis 77, quo apud Diodorum Siculum habetur Demotion Archon, Chronico Marmoreo ponitur Apsephion, & anno insequente Theagenidas, uterque rursus anno citius: quasi mortuo Demotione circa initium magistratûs, Apsephion eodem anno successerit: quo etiam juxta Apollodorum Atheniensem in Chronicis, apud Diogenem Laertium in Socratis vita, hic natus fuerit: quem hâc eâdem Olympiade 77, natum refert quoque Suidas. Quocirca Phædon, quem Demotionis successorem ponit Diodorus, videatur potius successisse Theagenidæ, anno 1 Olympiadis 78, quanquam Dionysius Halicarnasseus quoque, secutus eundem calculum Archontum quem Diodorus, Theagenidam hujus Olympiadis initio ponat. Porro autem circa hoc idem tempus, Aristidem fuisse iterum Archontem paulo ante morbem, asseruit Demetrius Phalereus in suâ Archontum Atheniensiumrecensione, omnium quarum occurrit ment io apud Historicos antiquissimâ: ut intelligere licet è Plutarcho in Aristidis vita, scribente in hæc verba, Εἰ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἦρξεν, ὡς αὐτὸς ὁ Δημήτριος γέγραφε, καὶ πάνυ πιθανόν ἐστιν ἐπὶ δόξῃ τοσαύτῃ, καὶ κατορθώμασι τηλικούτοις ἀξιωθῆναι δι᾽ ἀρετὴν, ἧς διὰ πλοῦτον ἐτύγχανον οἱ λαμβάνοντες. Tametsi quoque post Platæensem pugnam Archon fuerit, ut ipse Demetrius scripsit, & valde probabile est tantâ gloriâ & tot rebus præclare gestis clarum, habitum fuisse dignum eo honore ob virtutem, quem alii propter divitias

adepti

adepti sunt. Posteaque etiamsi Demetrius Phalereus, ait illum fuisse Archontem, paulo ante mortem, post pugnam ad Platæas.

Quinetiam posterioribus & citerioribus temporibus, verbi gratiâ, anno 4 Olympiadis 87, quo Diodorus habet Archontem Epaminondam, Athenæus vero Epaminondam, quo sc. mortuus fuerit Pericles: Diogenes Laertius eodem anno ascribit Aminiam, in Platonis vita, utpote quem tunc natum refert. Ac post triennium, nempe anno tertio Olympiadis 88, quo Diodorus & Athenæus referunt Archontem Euthydemum, Philochorus, secundus à Demetrio Phalereo memoratus autor Recensionis Archontum Atheniensium, apud Aristophanis Scholiastem ad Pacem Comœdiam, habet Scythodorum, tanquam septimum à Pythodoro. Sed & post defectum Marmorum, Archontum confusio est apud Diodorum & Dionysium per 3 Olympiades, ab 113, ad 115. Ne præjudicium fiat Chronico Marmoreo, quod in ejus seculi Archontibus, subinde à Diodoro Siculo ac Dionysio Halicarnasseo, aut aliis, uno alterove anno differre videatur: præsertim quum ceteris illud quoque haud leve momentum accedat, quod post cladem Siculam, & constitutionem Quadringentorum, propter continuas reipublicæ turbas videri possint luxata initia Archontum Athenis: quemadmodum consulum Romæ sæpius evenisse constat. Nec omittendum fieri potuisse propter diversas periodos Lunares, partim octaëterides, partim alias in usu apud diversos Græciæ populos ejus seculi, ut annus Olympiadicus subinde inciperet postremo verno mense anni Attici, nempe Scirophorione; qui alias inciperet insequente æstivo primo, viz. Hecatombæone: ideoque tum Calliadem, sive Calliam revera fuisse Archontem Athenis ineunte anno 1 Olympiadis 75, nimirum quo tempore celebrata sunt Olympia; nec non Theagenidam, anno 1 Olympiadis 78, quo tempore renunciati & in Tabulas publicas relati sunt victores Olympiis; quemadmodum Diodorus Siculus, & Dionysius Halicarnasseus, quum ex iisdem publicis tabulis eos desumsissent, memoriæ mandarunt; verum non incipientes tunc Magistratum, ut vulgo intelliguntur, sed finientes juxta Chronicon Marmoreum: ita ut annuus eorum Magistratus convenerit anno 4, & postremo Olympiadis præcedentis: idemque evenisse compluribus aliis Archontum; donec primum Metonis Enneadecaeteris simplex, deinde vero Calippi quadruplicata per universam Græciam usu accepta fuerit. Quicquid erat, & utcunque haud facile fuerit rem exacte determinare: ex iis quæ annotata sunt, Marmoreum Chronicon Arundelianum, per Atheniensium tempora digestum, comprobatum est omnium ejus generis Monumentorum Antiquitatis, quæ nostrâ patrumve aut avorum memoriâ hactenus in lucem edita sunt, longe præstantissimum.

Quoniam in præcedentibus adeo frequens facta est mentio annuorum Archontum Atheniensium, visum est hic è nostra serie summorum Magistratuum, & Triumphorum Romanorum, &c. quæ nunc in lucem prodit, illorum seriem Coronidis loco adjicere.

Archontes.	A. M	Ante Ev.	Olymp.	
Creon.	3321.	712.	24. 1.	M. Chr. Epoch. 33.
Lysias.	3323.	710.	24. 3.	M. Chr. Epoch. 34.
Tlesias.	3324.	709.	24. 4.	
Leostratus.	3334.	699.	27. 2.	
Pisistratus.	3336.	697.	27. 4.	
Autosthenes.	3337.	696.	28. 1.	
Miltiades.	3341.	692.	29. 1.	
Miltiades II.	3346.	687.	30. 2.	
Dropides.	3360.	673.	33. 4.	M. Chr. Epoch. 35.
Damasias.	3365.	668.	35. 1.	
Epænetus.	3369.	664.	36. 1.	
Dracon.	3381.	652.	39. 1.	
Hæniochides.	3390.	643.	41. 2.	
Aristocles.	3400.	633.	43. 4.	M. Chr. Epoch. 36.
Critias I.	340*.	62*.	44. *.	M. Chr. Epoch. 37.
Megacles.	340*.	62*.	45. *.	
Philombrotus, Cleombr.	3410.	623.	46. 2.	
Solon.	3411.	622.	46. 3.	
Dropides II.	3412.	621.	46. 4.	
Eucrates.	3413.	620.	47. 1.	
Simon *.	3414.	619.	47. 2.	M. Chr. Epoch. 38.
Phænippus.	3417.	616.	48. 1.	M. Chr. Epoch. 39.
Damasias II. *	3423.	610.	49. 3.	
Archestratides.	3428.	605.	50. 4.	
Aristomenes.	3435.	598.	52. 3.	
Hippoclides.	3443.	590.	54. 3.	
Comias. *	3444.	589.	54. 4.	M. Chr. Epoch. 41.
Hegesistratus.	3445.	588.	55. 1.	
Euthydemus.	3449.	584.	56. 1.	M. Chr. Epoch. 42.
Erxiclides.	3457.	576.	58. 1.	
Alcæus prior.	3468.	565.	60. 4.	M. Chr. Epoch. 44.
Thericles.	3469.	564.	61. 4.	
Heraclides.	3472.	561.	61. 4.	
Miltiades.	3481.	552.	64. 1.	
Pisistratus Hip. f.	3493.	540.	67. 1.	
Isagoras.	3497.	536.	68. 1.	M. Chr. Epoch. 47.
Acestorides.	3501.	532.	69. 1.	
Myrus.	3505.	528.	70. 1.	
Hipparchus.	3509.	524.	71. 1.	
Pythocritus.	3510.	523.	71. 2.	M. Chr. Epoch. 48.
Lacratides.	3511.	522.	71. 3.	
Themistocles.	3512.	521.	71. 4.	
Diognetus.	3513.	520.	72. 1.	
Phænippus II.	3514.	519.	72. 2.	M. Chr. Epoch. 49.
Aristides.	3515.	518.	72. 3.	M. Chr. Epoch. 50.
Hybrilides. *	3516	517.	72. 4.	
Anchises.	3517.	516.	73. 1.	
Philippus.	3518.	515.	73. 2.	
Philocrates.	3519.	514.	73. 3.	M. Chr. Epoch. 51.

Phædon.

Archontes.	A. M.	Ante Ev.	Olymp.	
Phædon.	3510.	513.	73. 4.	
Leoſtratus.	3511.	512.	74. 1.	
Nicodemus.	3512.	511.	74. 2.	
Aphepſion.	3523.	510.	74. 3.	
Calliades, -lias.	3524.	509.	74. 4.	M. Chr. Epoch. 52.
Xantippus.	3525.	508.	75. 1.	M. Chr. Epoch. 53.
Timoſthenes.	3526.	507.	75. 2.	M. Chr. Epoch. 54.
Adimantus.	3527.	506.	75. 3.	M. Chr. Epoch. 55.
Themiſt. Neocl. f. *	3528.	505.	75. 4.	
Phædon. II.	3529.	504.	76. 1.	
Dromoclides.	3530.	503.	76. 2.	
Aceſtorides.	3531.	502.	76. 3.	
Menon.	3532.	501.	76. 4.	
Chares.	3533.	500.	77. 1.	M. Chr. Epoch. 56.
Praxiergus.	3534.	499.	77. 2.	
Demotion.	3535.	498.	77. 3.	
Apſephion. *	3535.	498.	77. 3.	M. Chr. Epoch. 57.
Theagenidas.	3536.	497.	77. 4.	M. Chr. Epoch. 58.
Phœdon. Ariſtides II.	3537.	496.	78. 1.	
Lyſiſtratus.	3538.	495.	78. 2.	
Lyſanias.	3539.	494.	78. 3.	
Lyſitheus.	3540.	493.	78. 4.	
Archidemides.	3541.	492.	79. 1.	
Tlepolemus.	3542.	491.	79. 2.	
Conon.	3543.	490.	79. 3.	
Euthippus. Euippus.	3544.	489.	79. 4.	* M. Chr. Epoch. 59.
Phraſicles. Phraſiclides.	3545.	488.	80. 1.	
Philocles.	3546.	487.	80. 2.	
Bion.	3547.	486.	80. 3.	
Mneſithides.	3548.	485.	80. 4.	
Callias. I.	3549.	484.	81. 1.	* M. Chr. Epoch. 60.
Soſiſtratus.	3550.	483.	81. 2.	
Ariſton.	3551.	482.	81. 3.	
Lyſicrates.	3552.	481.	81. 4.	
Chærephanes.	3553.	480.	82. 1.	
Antidotus.	3554.	479.	82. 2.	
Euthydemus.	3555.	478.	82. 3.	
Pedieus.	3556.	477.	82. 4.	
Philiſcus.	3557.	476.	83. 1.	
Timarchides.	3558.	475.	83. 2.	
Callimachus.	3559.	474.	83. 3.	
Lyſimachides.	3560.	473.	83. 4.	
Praxiteles.	3561.	472.	84. 1.	
Lyſanias.	3562.	471.	84. 2.	
Diphilus.	3563.	470.	84. 3.	M. Chr. Epoch. 61.
Timocles.	3564.	469.	84. 4.	
Myrichides.	3565.	468.	85. 1.	
Glaucides.	3566.	467.	85. 2.	
Theodorus.	3567.	466.	85. 3.	
Euthymenes.	3568.	465.	85. 4.	
Nauſimachus. Lyſi.	3569.	464.	86. 1.	
Antilochides, tioch.	3570.	463.	86. 2.	
Chares.	3571.	462.	86. 3.	
Apſeudes.	3572.	461.	86. 4.	

Archontes.	A. M.	Ante Ev.	Olymp.	
Pythodorus.	3573.	460.	87. 1.	
Euthydemus.	3574.	459.	87. 2.	
Apollodorus.	3575.	458.	87. 3.	
Epameinon Epaminondas, Aminias.	3576.	457.	87. 4.	
Diotimus.	3577.	456.	88. 1.	
Euclides. Euclees.	3578.	455.	88. 2.	
Euthydemus. Scythodorus. Philoch.	3579.	454.	88. 3.	
Stratocles.	3580.	453.	88. 4.	
Isarchus. Hipparchus.	3581.	452.	89. 1.	
Aminias. *	3582.	451.	89. 2.	
Alcæus.	3583.	450.	89. 3.	
Aristion.	3584.	449.	89. 4.	
Astyphilus. Aristoph.	3585.	448.	90. 1.	M. Chr. Epoch. *62.*
Archias.	3586.	447.	90. 2.	
Antiphon.	3587.	446.	90. 3.	
Euphemus.	3588.	445.	90. 4.	
Aristomnestus.	3589.	444.	91. 1.	
Chabrias.	3590.	443.	91. 2.	
Pisander.	3591.	442.	91. 3.	
Cleocritus. Clearchus.	3592.	441.	91. 4.	
Callias.	3593.	440.	92. 1.	
Theopompus.	3594.	439.	92. 2.	
Glaucippus.	3595.	438.	92. 3.	
Diocles.	3596.	437.	92. 4.	
Euctemon.	3597.	436.	93. 1.	* M. Chr. Epoch. *63.*
Antigenes.	3598.	435.	93. 2.	* M. Chr. Epoch. *64.*
Callias. *	3599.	434.	93. 3.	M. Chr. Epoch. *65.*
Alexias.	3600.	433.	93. 4.	
Pythodorus, sive Anarch.	3601.	432.	94. 1.	Captis à Lysandro Lacedæmonio
Euclides.	3602.	431.	94. 2.	Athenis. Xenoph. Hellenic. l. 2.
Micion. Micon.	3603.	430.	94. 3.	* M. Chr. Epoch. *66.*
Exænetus. Epæn. Xænen.	3604.	429.	94. 4.	
Laches.	3605.	428.	95. 1.	* M. Chr. Epoch. *67.*
Aristocrates.	3606.	427.	95. 2.	M. Chr. Epoch. 68.
Ithycles.	3607.	426.	95. 3.	
Lysiades.	3608.	425.	95. 4.	
Phormio.	3609.	424.	96. 1.	
Diophantus.	3610.	423.	96. 2.	
Eubulides.	3611.	422.	96. 3.	
Demostratus.	3612.	421.	96. 4.	
Philocles.	3613.	420.	97. 1.	
Nicoteles.	3614.	419.	97. 2.	
Demosthenes.	3615.	418.	97. 3.	
Antipater.	3616.	417.	97. 4.	
Pyrgion. Pyrrhion.	3617.	416.	98. 1.	
Theodotus.	3618.	415.	98. 2.	
Mystichides.	3619.	414.	98. 3.	
Dexitheus.	3620.	413.	98. 4.	
Diotrephes.	3621.	412.	99. 1.	
Phanostratus.	3622.	411.	99. 2.	
Evander. Menan.	3623.	410.	99. 3.	
Demophilus.	3624.	409.	99. 4.	

Pytheas;

Archontes.	A. M.	Ante Ev.	Olymp.	
Pytheas.	3625.	408.	100. 1.	M. Chr. Epoch. 70.
Nicon.	3626.	407.	100. 2.	
Nausinicus.	3627.	406	100. 3.	
Callias. Calleas.	3628.	405	100. 4.	M. Chr. Epoch. 71.
Chariander.	3629.	404.	101. 1.	
Hippodamus.	3630.	403.	101. 2.	
Socratides.	3631.	402.	101. 3.	
Asteius. Aristeus.	3632.	401.	101. 4.	M. Chr. Epoch. 72.
Alcisthenes.	3633.	400.	102. 1.	
Phrasiclides.	3634.	399.	102. 2.	M. Chr. Epoch. 73.
Dyscinetus.	3635.	398.	102. 3.	
Lysistratus.	3636.	397.	102. 4.	
Nausigenes.	3637.	396.	103. 1.	M. Chr. Epoch. 75.
Polyzelus.	3638.	395.	103. 2.	
Cephisodorus.	3639.	394.	103. 3.	M. Chr. Epoch. 76.
Chion.	3640.	393.	103. 4.	
Timocrates.	3641.	392	104. 1.	
Chariclides.	3642.	391.	104. 2.	
Molon.	3643.	390.	104. 3.	
Nicophemus.	3644.	389.	104. 4.	
Callimides. Callidemid.	3645.	388.	105. 1.	
Euchariftus.	3646.	387.	105. 2.	
Cephisodotus.	3647.	386.	105. 3.	
Agathocles.	3648.	385.	105. 4.	M. Chr. Epoch. 77.
Epines. Elpinices.	3649.	384.	106. 1.	
Callistratus.	3650.	383.	106. 2.	M. Chr. Ep. 79. Hinc deficit.
Diotimus.	3651.	382.	106. 3.	
Eudemus.	3652.	381.	106. 4.	
Aristodemus.	3653.	380.	107. 1.	
Thessalus.	3654.	379.	107. 2.	
Apollodorus.	3655.	378.	107. 3.	
Callimachus.	3656.	377.	107. 4.	
Theophilus.	3657.	376.	108. 1.	
Themistocles.	3658.	375.	108. 2.	
Archias.	3659.	374.	108. 3.	
Eubulus.	2660.	373.	108. 4.	
Lyciscus.	3661.	372.	109. 1.	
Pythodorus, vel dotus.	3662.	371.	109. 2.	
Sosigenes.	3663.	370.	109. 3.	
Nicomachus.	3664.	369.	109. 4.	
Theophrastus.	3665.	368.	110. 1.	
Lysimachides.	3666.	367.	110. 2.	
Charondas. Chær.	3667.	366.	110. 3.	
Phrynicus.	3668.	365.	110. 4.	
Pythodemus, dorus.	3669.	364.	111. 1.	
Euænetus.	3670.	363.	111. 2.	
Ctesicles.	3671.	362.	111. 3.	
Nicocrates.	3672.	361.	111. 4.	
Nicetes. Niceratus.	3673.	360.	112. 1.	
Aristophanes.	3674.	359.	112. 2.	
Aristophon.	3675.	358.	112. 3.	
Cephisophon.	3676.	357.	112. 4.	
Euthycritus. crates.	3677.	356.	113. 1.	
Chremes. Hegemon.	3678.	355.	113. 2.	

Chremes.

Archontes.	A. M.	Ante Ev.	Olymp.
Chremes. Anticles.	3679.	354.	113. 3.
Anticles. Soſicles.	3680.	353.	113. 4.
Hegeſias.	3681.	352.	114. 1.
Cephiſodorus.	3682.	351.	114. 2.
Philocles. Polycl. Diocl.	3683.	350.	114. 3.
Apollodorus. Archip.	3684.	349.	114. 4.
Archippus. Neæch.	3685.	348.	115. 1.
Apollodorus.	3686.	347.	115. 2.
Phocion. Archip.	3687.	346.	115. 3.
Demogenes.	3688.	345.	115. 4.
Democlides.	3689.	344.	116. 1.
Praxibulus.	3690.	343.	116. 2.
Nicodotus.	3691.	342.	116. 3.
Theophraſtus.	3692.	341.	116. 4.
Polemon.	3693.	340.	117. 1.
Simonides.	3694.	339.	117. 2.
Hieromnemon.	3695.	338.	117. 3.
Demetrius Phal.	3696.	337.	117. 4.
Charinus.	3697.	336.	118. 1.
Anaxicrates.	3698.	335.	118. 2.
Chorebus, vel Xenias.	3799.	334.	118. 3.
Xenippus. Euxen. Xeni.	3700.	333.	118. 4.
Pherecles.	3701.	332.	119. 1.
Leoſtratus.	3702.	331.	119. 2.
Nicocles.	3703.	330.	119. 3.
Calliarchus.	3704.	329.	119. 4.
Hegemachus.	3705.	328.	120. 1.
Euctemon.	3706.	327.	120. 2.
Mneſidemus.	3707.	326.	120. 3.
Antiphates.	3708.	325.	120. 4.
Nicias.	3709.	324.	121. 1.
Nicoſtratus.	3710.	323.	121. 2.
Olympiodorus.	3711.	322.	121. 3.
Philippus. Diphilus.	3712.	321.	121. 4.

Hinc defecit continuata Archontum Series, autoribus deinceps mutilis nec amplius extantibus: annis 28, ſive ſeptem Olympiadibus ante citimam Marmorei Chronici Epocham.

A D

AD

Veteres Græcorum Epochas,

NOTÆ HISTORICÆ.

Cum plerisque hujus ἀναγραφῆς primæ lineæ elementis, etiam Autoris nomen disparuisse credo. Autorum nomina, in orationis textus initio, locos seculis vetustioribus habuisse, nemo nescit qui Herodotum aut Thucydidem salutavit. Atque ut eorum codices Membranei aut Chartacei, ita noster, qui à prima persona sermonem auspicatur, Marmoreus erat. Nam ut temporis injuriam propulsando, posteritati tutius consuleretur, cippis saxeis στήλαις seu κύρβεσι, velut libris seu tabulis publicis, tam res veterum gestas & temporum rationes, quam Leges, Pacta, Deorum & Mortuorum titulos, vota, incidi solenne erat. "Euhemerus Siculus res gestas "Jovis & ceterorum, qui Dii putabantur, collegit, historiamque contexuit ex "Titulis & Inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, ut diserte meminit Lactantius de Falsa religione, cap. 11. Etiam Columnæ aureæ in fano Jovis Triphylii positæ, qua perscripta erant ejusdem Numinis gesta, eidem historico, quem postea interpretatus est Ennius, usus erat maximus. In Sicyone item ἀναγραφὴ erat seu descriptio ejusmodi sacrata, unde Heraclides in librum suum de Musicis, Junonis Argivæ antistitum, Poetarum etiam, & Musicorum celebriorum nomina traduxit. Testis est Plutarchus libro de Musica, cui hujusmodi Scriptores ἀναγραγραφόντες generatim sive descriptionum aut recensionum Autores non semel dicuntur. Columellæ item quibus Cretenses Sacra descripserant Corybantum, à Porphyrio in secundo περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων memorantur. Quin obvium est quod de columnis illis Sethi nepotum, lateritia altera, altera saxea, quibus sideralis scientiæ inventa sua mandarunt, habet Flavius Josephus. Et de priscis Danis, Saxo Grammaticus libro de situ Daniæ; "Majorum acta patrii sermonis carminibus vul"gata, linguæ suæ literis, saxis ac rupibus insculpenda curabant. Paulo item "post, voluminum loco vastas moles amplectebantur, codicum usum à cau"tibus mutuantes. Et Lacuna hæc ita forsan partim supplenda, ἀνέγραψα τοὺς ἄνωθεν χρόνους ἀρξάμενος, &c. Superiora tempora descripsi auspicatus, &c.

Lin. 2. εἰως ἄρχοντος ἐμ Παρω ....νανακτος.) supple ἐν Πάρῳ μὲν Ἀστυάνακτος, vix enim fieri potest, ut aliud sit nominis initium. Autorem autem hinc Parium fuisse æquum est ut conjectemus. Ἀναγραφὴν suam, sive opus Chronologicum popularis Archontis nomine signavit, ut ita & patriæ honorem haberet, & popularium captui rem facilius accommodaret, omnia ad calculi terminum domi fixum & notissimum deducendo. Atticum vero insuper adjecit, idque meritissimo, non solum quod reipublicæ Atheniensis majestatem (quam tamen eo ævo varie affligebant Macedonum Reges) Parii proculdubio observabant, sed etiam quia Epocharum, unde intervalla putarat, characteres communes & perpetui erant sive Reges sive Archontes Atheniensium, quod genus Characterum apud Parios, quorum Respublica minorum erat gentium, haud omnino est verisimile extitisse. Hactenus Seldenus. Errat autem vir Celeberrimus, dum ulterius de Paro addens, autoritatem forte [a] Stephani Byzantini consecutus, dicit illam insulam inter Cy-

[a] Stephanus in Πάρος.

cladas

cladas maximam & florentissimam fuisse; [b] cum Delo, Andro, Naxo, Melo, fortunâ plerumque & divitiis, magnitudine semper apud peritiores Geographos & Historicos inferior fuisse existimaretur. Hæ insulæ, [c] quarum insigniores sunt numero quinquaginta tres, in mari Ægæo à Peloponneso fere usq; ad Ioniam extensæ, [d] Delum quasi in circulo, inde ἀπὸ τοῦ κύκλου Cyclades dictæ, circuibant: inter has [e] Parus Naxo dimidio minor, circuitu quinquaginta mille passuum patebat, eique è parte occidentali maxime vicina, & circa 160 mille passus seu 53 leucas ab Athenis distans, sub latitudine graduum [f] 36, min. 50, sub longitudine graduum 46, min. 40 situm habuisse observatur. Ut [g] ceteræ in mari Ægæo insulæ, sic etiam hæc antiquissimos incolas à Phœnicibus, qui primi fuere maris Domini, habuisse videtur, à quibus Zacynthi nomen, [h] quod olim habuisse apud Stephanum Byzantinum constat, ob naturam loci asperam & montanam, à voce Phœniciâ, seu Hebræâ זית, quæ asperitatem significat, derivatum accepisse putat [i] Doctissimus Bochartus. Postea autem à Caribus fortasse, qui etiam post Phœnices aut cum iisdem [k] Cycladarum incolæ fuerunt, [l] Pactea vocata fuit. Cum autem Minos Cretensium Rex, expulsis Caribus & Phœnicibus [m] maris Ægæi omniumque in illo insularum dominium obtinuisset, [n] Cretenses, quos hanc insulam tenuisse constat, huc ab illo primum adductos fuisse satis inde probari videtur, quod ab ejus nomine [o] Minois diu vocaretur, donec [p] Arcades huc venientes, Creticosq; aut expellentes, aut cum illis in unam gentem coalescentes, à Duce suo Paro filio Parrhasii primariam urbem, ab illis forte primo conditam, totamque inde insulam, Minois nomen sola urbe Minoâ retinente, eodem nomine Parum vocarunt. [q] Sed Bochartus hoc etiam nomen vult à Phœnicibus imponi, propter cuniculos ad eruendum marmor in illa passim factos, minimeque se dubitare dicit, quin, quicunque cognoscunt apud Hebræos פרה apud Syros [s] ܦܪܝܐ cuniculos significari, statim etiam agnoscent, Parum insulam inde nomen habuisse. Sed pace tanti viri, qui talibus conjecturis ineptis sæpe mihi videtur nimis indulgere, non agnosco ego. Cum enim tam antiquis temporibus, [t] utpote ante omne Græcæ historiæ initium, quibus hic Phœnices dominium habuisse creduntur, nondum Dii [u] signis nisi ex [x] ligno aut [y] rudi lapide factis, aut homines statuis colerentur [z], alterutrisve ædes nisi quam humillimæ exstreurentur, & constet inde Marmor Parium ad nullum adhuc usum adhiberi, testeturque Plinius, libro Naturalis suæ historiæ 35 ante 50 Olympiadem nunquam adhibitum fuisse, cuinam potest verisimile videri, insulam Parum propter cuniculos nomen habuisse, cum ibi nullo adhuc eruto Marmore nulli effoderentur? Præterea hi cuniculi non per totam insulam, sed tantum [a] in monte Marpeso facti fuerunt, qui in medio insulæ situs totus Marmoreus fuit, unde apud Virgilium pro duro saxo est— *Marpesia Cautes.* [b] Marmor hic è cuniculis effossum, sine venis candidissimum, & per totam Græciam apud Statuarios & Architectonicos celeberrimum fuisse perhibetur. Ex hoc [c] Alcmæonidæ à Pisistratidis Athenis pulsi Templum Delphicum de novo condidere, [d] ex eoq, plerumq; deorum imagines, & insignium virorum statuæ excisæ fuerunt. A nomine insulæ Parium vocabatur, sed quod in cuniculis ad lucernas cæderetur, [e] Lapis Lychnites etiam ἀπὸ τοῦ λύχνου appellari invenitur.

Hæc etiam insula ἀπὸ τῆς Δήμητρος [f] Δημητριάς dicta fuit, Ceres enim hic,

[b] Plin. Hist. Nat lib. 4. cap. 12. [c] Strabo lib. 10. [d] Strabo lib. 10. Plinius lib. 4. cap. 12. Dionys. Perieg. ver 526. Eustathius ib. Pomponius Mela. lib. 2. c 7. Solinus cap. 17. [e] Plinius lib. 4. cap. 12. [f] Ptolomæus lib. 3. c. 15. [g] Thucydides, lib. 1. Diodorus Siculus. lib. 5. [h] Stephanus in Πάρος. [i] Bochart. Geographiæ Sacræ, lib. 1. cap. 14. [k] Herodotus lib. 1. Thucyd. lib. 1. Diodorus Siculus, lib. 5. [l] Stephanus in Πάρος. Plinius lib. 4. cap. 12. [m] Thucyd. lib. 1. Diod. Sicul. lib. 5. Herodot. lib. 1. [n] Solinus cap. 17. Stephan. in Πάρος. [o] Stephan. in Πάρος. Solinus Pol. cap. 17. Plinius lib. 4. c. 12. [p] Stephan. in Πάρος. [q] Bochart. Geographiæ Sacræ, lib. 1. c. 14. [r] Esaias cap. 2. com. 20 [s] Versio Syriaca novi Testamenti, Heb. cap. 11. c. 38. [t] Thucyd. lib 1. Diodor. Sic. lib. 5. [u] Plut. in Numa. [x] Pausan. in Arcadicis. [y] Pausan. in Achaiæ [z] Thucyd. lib. 1. [a] Servius ad Vir. lib. 6. [b] Plin. lib. 36. c 5. Strabo l. 10. [c] Herod. lib. 5. [d] Plin. lib. 36. cap. 5. Strabo lib. 10. [e] Plinius lib. 36. cap. 5. Athenæus lib. 5. [f] Stephan. in Πάρος.

æque ac Apollo in Delo colebatur, [g] Templumque sibi conditum & Sacerdotes Καβάρνυς sic dictos, ut tradit [h] Stephanus, ἀπὸ τοῦ Καβάρνου μηνύσαντος τὴν ἁρπαγὴν τῇ Δήμητρι τῆς θυγατρὸς, cultui suo consecratos in Paro insulæ Metropoli habuisse traditur. [i] Pausanias vero narrat non Cabarnum, sed Chrysanthidem Argivum, Cereri de filiæ raptu primum indicasse. Verisimilius autem est hunc Cabarnum illum esse, qui Eleusinæ Cereris mysteriis initiatus, illa primum in Parum transtulit, ibique Templum Deæ condidit; ab illoque non tantum Sacerdotes ibi ministrantes Καβάρνυς, sed totam etiam insulam Κάβαρνιν idem [l] Stephanus tradit appellari.

Hæc insula longe nota fuit ob [m] præstantissimum Marmor ibi erutum, de quo supra egimus. Celebrem etiam reddidit [n] Archilocus ibi natus, Poeta ob Iambos suos contra Lycambem scriptos, ab illoque primum inventos insignissimus. Coloniæ hinc eductæ fuerunt [o] in Thasum insulam in sinu Strymonico sitam, [p] in Parium Propontidis urbem in Græca Historia satis celebrem, & in [r] Parum insulam Liburnicam ob [s] Demetrium Parium, & ob res ibi gestas in bello Illyrico contra Romanos, nemini in Romana Historia mediocriter versato ignotam.

Parus cum ceteris Cycladibus sub Atheniensium potestatem, paulo ante primum bellum Persicum, [t] à Miltiade ad illas classem appellente primo redacta fuit, sed postea illo oborto bello, Datique Persa cum magna classe insulas invadente, [u] Parii cum ceteris Insulanis Persarum potentiam timentes, illis primi omnium Græcorum terram & aquam dederunt, & cum illis ad pugnam Marathonicam profecti Athenienses sibi adeo infensos reddidere, ut statim post victos expulsosq; Persas, injuriæ memores, ad illam ulciscendam [x] Miltiadem, qui ex spe obtinendæ urbis tunc florentissimæ expeditionem maxime suaserat, cum magna classe misere: sed illo post obsidionem 26 dierum infelici successu coacto redire, maxime tunc celebres esse cœpere Parii, quod fortissimi ducis, & suo tempore insignissimi frustranea, eidemque ob lethale acceptum vulnus, gravemque mulctam infectâ re à populo irrogatam infelicissima, suscepta in eos extiterit expeditio; indeque etiam apud postera secula satis infames erant, [a] quod, cum pactas cum Miltiade deditionis conditiones, quod sperarent Persas in auxilium adfuturos, mox rupta fide violassent, quicunque deinde per totam Græciam fœdifragi, aut pactorum violatores extiterint, ἀναπαριάζειν dicebantur.

Bello Persico secundo [b] incerti cuinam parti adhærerent, suspensi diu manebant, expectantes ad quos inclinaret victoria. Persis autem ad Salaminem victis, & Themistocle cum classe ad insulas appellente, [c] Atheniensibus deinde tributarii facti, cum omnibus aliis Insulanis præter [d] Melios & Therios in omnibus bellis socii sub illorum imperio, [e] donec capta à Lysandro urbe dissolveretur, per annos 76 inviolatâ fide permansere, eodemque modo quo [f] Delii ceterique insulani statum politicum ad exemplar Democratiæ Atheniensis conformantes, eodem deinde modo per Senatum & Archontes Rempublicam Democratice etiam administratam habuerunt. Spartani autem adepti imperium, [g] eodemque studio Oligarchiam, quo Athenienses Democratiam omnibus civitatibus obtrudentes, videntur Pari etiam ab Atheniensibus acceptam immutasse politiam. Sed cum post annos undecim [h] Conon, Lacedæmoniis pugnâ navali prope Cnidum superatis, Athenarum mœnia ite-

[g] Cornel. Nepos in Miltiade. Herod. lib. 6. [h] Steph. in πάρος, Hesych. in Καβάρνους Suidas in ὀργιάσαι: [i] Pausan. in Atticis [l] Stephan. in πάρος. [m] Solinus cap. 17. Plin. lib. 4. c. 12. & lib. 36 c. 5. Strabo l. 10. Stephanus in πάρος. Eustath. in Dionys. ad ver. 526 [n] Stephan. in πάρος. Strabo lib. 10 [o] Strabo lib. 10. [p] Strabo lib. 10. [r] Diodor. Sic. lib. 14. Strabo lib. 7. [s] Polyb lib. 2.3,4,& 5. L. Florus de bello Illyrico. Strabo lib 7. [t] Cornel. Nepos. in Miltiade. [u] Herodot. lib. 6. [x] Herodot. lib 6. Cornel. Nepos in Miltiade. [a] Cornel. Nepos. in Miltiade. Stephanus in Πάρος. Eustathius in Dionys. ad ver. 526. [b] Herodot. lib. 8. [c] Herodot. lib. 8. Pausan. in Arcadicis. Plutarch. in Aristide. [d] Thucyd. lib 2. Diod. Sic. lib. 12. [e] Plutarch. in Lysandro. Xenophon. lib. 2. Diodor. Sic. lib. 13. [f] Grut. pag. 400. n. 8. pag. 405. num. 1. & pag. 1021. num. 7. [g] Aristot. Pol. lib. 5. c. 7. Thucydides lib. 5. Xenophon lib. 2. Plutarch. in Alcibiade. Cornel. Nepos in Conone. Xenophon. lib. 4. Diodor. Sic. lib. 14.

rum reparans urbem restituisset, [l] Insulani iterum antiquis Dominis subjecti, ab iisdem expulsam denuo recipientes politiam, diu illam à nullo alio victore interruptam videntur tenuisse. Certe usque ad initium primi belli Punici, quando hoc Marmor exaratum fuit, Parios rempublicam eodem modo quo Athenienses administratam, & Archontas ἐπωνύμους, qui fastos & acta publica signarunt, ex eo Astyanactis Archontis Parii simul ac Diogneti Archontis Atheniensis nominibus signato constat habuisse.

Lin. 3. Ἀθήνησι δὲ Διογνήτου. [a] Athenienses per Archontes eodem modo, quo Romani per Consules, fastos suos & acta publica signabant. [b] Archontes enim apud illos supremi Magistratus fuere, qui post Codri [c] pro patriæ interitum ([d] in ejus honorem nemini alii Regio nomine aut imperio concessis) Regum loco titulo & autoritate diminutis constituti, primo [e] perpetui numero tredecem sibi invicem succedentes per annos 307, [f] deinde Decennales septem per annos 70 è Codri familia omnes, à primoque illorum Medonte Codri filio [g] Medontidæ dicti, reddendæ regiminis rationi obnoxii, Rempublicam administrabant. [h] Postea autem annuis ex quacunque familiâ, modo census habuerint legibus requisitos, constitutis, [i] potestas, quæ prius uni inerat, inter novem dividebatur, [l] qui populi suffragiis primo electi, [m] postea in Sacello Thesei præsidentibus prioris anni Thesmothetis magistratus inter se partiebantur: [n] solus Aristides extra sortem, ob justitiam suam tunc Reipublicæ necessarius, jubente populo primus Archon creabatur. [o] Hujus autem primi Archontis officium fuit Bacchanalia & Thargelia curare, orphanorum & viduarum tutelam habere, de omnibusque illis rebus inter cives judicare, de quibus Prætor Urbanus Romæ. [p] Secundus Archon Βασιλεὺς dictus, eodem modo, quo Rex Sacrorum apud Romanos, res Sacras curabat, de litibusque & controversiis circa illas ortis, & de criminibus contra easdem commissis judicabat. [q] Tertius Πολέμαρχος dictus in acie semper sinistram alam ducebat, [r] domi vero sacrificia Martis & Dianæ, certamen funebre eorum qui bello occubuerunt, & Parentalia Harmodio & Aristogitoni celebrata curabat, & Prætori Rustico apud Romanos similis, eodem modo circa inquilinos, rusticos & peregrinos, quo Archon primus circa cives, judicia exercebat. Sex ultimi [s] Θεσμοθέται dicti, à Dracone primo constitui videntur, ut illius legum, quæ [t] Θεσμοὶ dicebantur, nomina inde sortiti, curam haberent. [u] Hi in criminalibus judices fuere, [x] illisque incumbebat primo in ipsas leges inquirere, an rectæ, & sufficientes, an superfluæ, aut sibimet invicem contrariæ fuerint: & deinde deprehensis circa illas defectibus per Nomothetas correctis, curare ut secundum easdem ab omnibus civibus ageretur. [y] Ἄρχων ad statuas Eponymorum, i. e. Heroum, à quibus Tribus nomina sua habuerunt, Βασιλεὺς in Porticu regiâ, Πολέμαρχος in Lyceo, & Θεσμοθέται ad Thesmothesium Tribunalia sua habuerunt, ibique ante Solonis tempora omnia seorsim administrabant, ab illo [z] autem in unam Curiam Στρατήγιον dictam congregati, [a] ibi de rebus capitalibus, & inferiorum Magistratuum electione, non nisi junctis suffragiis decernebant. Exacto Magistratus anno, [b] datâque in Senatu Regi-

[l] Diodor. ib. Xenoph. ib. [a] Pollux lib. 8 c. 9 sect. 2. [b] Thucyd. lib. 1. Trebellius in Gallienis. [c] Valerius maximus, lib. 5. cap. 6. Polyænus. lib. 1. Velleius. l. 1. Justin. l. 2. Conon apud Photium. August. de Civit. Dei, l. 18. c. 19 Pausan. in Atticis, & Achaicis Tzetzes Chil. 1. cap. 4. Euseb in Chronicis, Suidas in ὑπὲρ πατρὸς Κόδρου, & Lycurgus Orat. in Leocratem. Plato in convivio. Cicero de fin. lib. 5 & de Nat. Deorum l. 3. Lactantius, l. 3. cap. 12. Theodoret. Therapeut. l. 8. [d] Eusebius in Chron. Velleius, l. 1. Justin. l. 2. [e] Euseb. Chron. lib. 1. [f] Euseb. Chron. lib. 1. Velleius Paterculus, lib 1. [g] Hesych. in Μεδοντίδαι. Velleius, l. 1. Pausan. in Messenicis. [h] Plutarch. in Solone. [i] Pollux, lib. 8. c 9. S. 1 [l] Plut. in comp. Solonis, & Publicolæ. [m] Æschines in orat. κατὰ Κτησιφῶντος. [n] Plutarch. in Aristide. [o] Pollux lib. 8. c. 9. sect. 3. Demosthenes in orat. contra Macertatum, & in orat. contra Midiam. & in orat. contra Lacritum, & in orat. contra Pantænetum. Lysias in orat. contra Alcibiadem 2. Æschines in orat. contra Timarchum. Plato in Menexeno Lesbonax in protreptico Athenæus, lib. 12. [p] Pollux lib. 8 c 9. S. 3. [q] Herodot. lib. 6. [r] Pollux lib. 8 c. 9. sect. 4. Aristophanis Scholiast. ad Vesp. Harpocratian in Πολέμαρχος. [s] Pollux lib. 8. c 9. sect. 1. [t] Ælianus variæ Historiæ, lib. 8. cap. 10. [u] Pollux lib. 8 cap 9 sect. 1. Suidas in Θεσμοθέται. [x] Æschines κατὰ Κτησιφῶντος. Harpocrat in Θεσμοθέται, [y] Suidas in Ἄρχων. Pausanias in Atticis. [z] Plutarch. in Solone. Diogenes Laert. in Solone. [a] Pollux lib 8. cap. 9 sect. 1. [b] Æschines κατὰ Κτησιφ. Etymol. in λογισταί. Harpocrat. in λογισταί. Demosthenes in Midiana, & Ulpian ib.

minis ratione in Curiam Areopagitarum omnes, nisi alicui obstiterit male actus Magistratus, [c] adoptabantur. [d] Communi titulo hi omnes Archontes dicti fuerunt; primi autem solius nomine, qui ob hanc rationem [e] Ἐπώνυμος τοῦ ἐνιαυτοῦ dicebatur, Fasti & acta publica signabantur: atque ideo cum Diognetus hunc Magistratum gesserit quando hoc Marmor exaratum fuit, Epochæ in illo descriptæ retro ab illius principatu omnes supputantur. Cum Demetrius [f] victo Cassandro Olymp. 118, an. 2. urbi, expulso illius præsidio, libertatem restituisset, inter alia fœdissimæ adulationis specimina, Athenienses in illius & Patris Antigoni honorem, depositis Archontibus, illorum loco Σωτήρων Sacerdotes constituerunt. Sed post annos 22 Demetrio è Macedoniâ à Pyrrho fugato, [g] Archontes antiquum iterum adepti imperium, illud per multa secula à nemine alio interruptum, usque ad Vespasiani tempora tenuerunt, [h] ab illo autem libertate exuti Athenienses cum ceteris Achæis Romano Proconsuli, & Romanis legibus parebant, [i] à Nervâ autem omnibus civitatibus, quæ eâ exutæ fuerant, restitutâ libertate, Athenienses suis legibus Archontibusque antiquis magistratibus restitutis, quamvis non plenâ semper libertate, deinde iterum frui videntur: [k] Adrianus enim, & [l] Gallienus Imperatores Romani hunc Magistratum Athenis gessisse leguntur; post Gallieni autem tempora Archontum Magistratui [m] prævaluit Στρατηγοῦ præfectura, quo quotannis ab Imperatoribus electo, urbisque regimini præposito, nullam deinde Archontes nisi subordinatam autoritatem habuerunt. Hunc Magistratum [n] ipse Imperator Constantinus gerens, videtur primum, Archontum autoritate antiquâque politiâ totâ abrogatâ, totum urbis Regimen soli Stratego commisisse, quem deinde [o] Μέγαν Στρατηγὸν, & Μέγαν Δοῦκα vocari voluit: sub primis enim Strategis diminutum tantum, non abrogatum fuit Archontum imperium: [p] Theodoreti autem temporibus, qui sub utroque vixit Theodosio, nec Archontem, nec Polemarchum, nec Thesmothetas, nec Areopagum, nec Heliæum, nec Delphinium, nec Quingentorum Senatum, nec aliquid aliud antiquæ politiæ in urbe hâc fuisse, in illius libro περὶ νόμων memoratur. Tota enim potestas tunc temporis penes Strategos seu Duces fuerat, [q] qui tandem perpetui facti usque ad Turcarum Imperium, [r] urbemque ab illis expugnatam, Anno Dom. 1440. plenâ ibi & Regiâ autoritate per multa secula imperarunt.

Ep. 1. Ἀφ' οὗ Κέκροψ, &c.) Ab Actæo sive Actæone, [a] qui ante Cecropem in Atticâ regnavit, [b] illique, filiâ Agraulo in uxorem datâ, pro dote regnum reliquit, Atticam olim, Acticam seu Acten, vocari cum nostro Marmore multi consentiunt [c] Autores. [d] Strabo vero potius vult hanc regionem ἀπὸ τῆς ἀκτῆς, quia maritima est, hoc nomen olim habuisse: quæ videtur etiam esse sententia illorum, [e] qui tradunt Acten ante Ogygis tempora urbis Eleusinæ, totiusque hujus Regionis nomen fuisse. [f] Stephanus Byzantinus, Isaacius Tzetzes, Eustathius, & Suidas, incerti quænam sit potior, utramque tradunt Etymologiam. Hanc litem nostrum dirimit Marmor, quod quatenus non longe post Alexandri tempora eo anno, quo primum bellum Punicum inceperat, à viro in Historicis, ut ex ipso constet Marmore, admodum diligenti & perito, omnibusque supra memoratis multis ætatibus antiquiore exara-

[c] Plutarch. in Solone, & Pericle. Pollux, l. 8. c. 10. Libanius in Androtionæ argumento. [d] Pollux lib. 8. c. 9. S 1. Thucyd. lib. 1. [e] Pollux lib. 8. c 9, S. 2. Pausanias in Laconicis. Libanius in Argumento, orat. contra Androtionem. Philo. [f] Plutarch. in Demetrio. [g] Plutarch. in Demetrio. [h] Suetonius in vita Vespasiani. Pausanias in Achaicis. Paulus Diaconus, Hist. Misc. lib. 9. Orosius lib. 7. c. 9. [i] Aurelius Victor in vita Nervæ. Paulus Diaconus, Hist. Misc. lib. 10. [k] Spartianus in Adriani vita. [l] Trebellius in Gallienis. [m] Gruterus, pag. 105. num. 9. [n] Julian. Imper. orat. 1. Eunapius in vita Proæresii. [o] Nicephorus Gregoras, lib. 7. [p] Theodoret. Therapeut. lib. 7. [q] Nicephorus Gregoras, lib 9 [r] Chalcocondylas, lib. 9. [a] Pausan. in Atticis. Stephanus in ἀκτή. Euseb. præp. Evang. l. 10. c. 10. [b] Pausan. in Atticis. Apollodorus, lib. 3. [c] Pausan. in Atticis. Clemens strom. lib. 1. Tatianus, & Africanus apud Euseb. præp. Evang. lib. 10 c. 10. [d] Strabo l. 9. [e] Euseb. Chron. l. 1. Syncellus. [f] Stephanus in Ἀκτή. Tzetzes in Lycophron. Eustathius in Dionys. Suidas. in Ἀκτή.

tum, iisdem omnibus longe majoris est autoritatis, præsertim in hac re, pro quâ etiam faciunt antiquarum tribuum Atheniensium nomina, quæ cum numero tantum quatuor, [g] Κεκροπὶς, Αὐτόχθων, Ἀκταία, & Παραλία vocabantur, non omnino verisimile est duas illarum, Ἀκταίαν, scilicet & Παραλίαν, ob eandem rationem nomina sortiri.

Ante Actæum primus omnium in Attica Ogyges, [h] à Cedreno & [i] Theophilo pro Ὠγύγης, ὁ Γύγης, legentibus Gyges dictus regnasse [k] memoratur, ab illoque tam [l] Attica, quam [m] Bœotia, quibus utrisque imperabat, Ogygia vocari. [n] Hujus temporibus Atticam à Diluvio ab illius nomine Ogygiano dicto inundatam, [o] postea per 190 annos, usque ad Cecropem sine Rege, sine incola desertam mansisse tradunt, [p] ita ut Philochorus, antiquus de rebus Atticis scriptor, Actæum, Porphyrionem, Colænum, qui ante Cecropem in Atticâ regnasse memorantur, ut ficta nomina omnino rejiciat. Sed non omnino verisimile videtur antiquos illos Græciæ incolas, [q] qui pro ceteris Græciæ partibus crudeliter dimicantes semet invicem in ulteriores terras quotannis expellebant, hanc regionem totius postea Græciæ gloriam, & quamvis ad cetera minus fertilem, [r] frugum tamen oleique semper feracem, tam diu neglexisse: aut velle Oenotrum & Peucetium, [s] qui non diu post Ogygis tempora 17 ætatibus ante bellum Trojanum in Italiam primi colonias duxerunt, multosque alios, circa illorum tempora ob inopiam agrorum coactos, ([t] Græciâ tunc suis incolis nimis angustâ) per mare in occidentales partes tam longinquas, & ob artis nauticæ his temporibus imperitiam periculosissimas suscepisse migrationes, si propius suis in ipsa Græcia Atticam, aut incolis desertam, aut à paucioribus habitatam poterant occupare. Sed longe ante Cecropis tempora Pelasgos in Attica [u] Herodotus, & ex illo [x] Eustathius, & [y] Marcianus narrant habitasse, quibus assentit etiam [z] Dionysius Halicarnasseus, ulteriusque addit, illos ex Argis coloniam duxisse, & ab Achaio duce Achaiæ nomen, quod in posteris temporibus retinuerat, toti regioni imposuisse, qui iidem inde iterum pulsi in Italiam transierunt, & Aboriginibus juncti cum illis in unam gentem coaluerunt. Præterea totum illud quod de diluvio Ogygiano Atticam absorbente narratur, plane fabula videtur, cum utrumque hoc æque impossibile sit, regionem illam [a] situ altam & montanam, aut posse ex quocunque casu inundari, aut illâ inundatâ totam Græciam iisdem simul aquis non absorberi: & hac ratione forsan motus [b] Hieronymus in interpretatione Latinâ Eusebii ab illius verbis discedens, diluvium Ogygis temporibus non in Atticâ, sed in Ægypto accidisse scribit. Sed cum apud Græcos quicquid vetus, quicquid antiquum [c] Ὠγύγιον dicatur, illi per Ogygianum diluvium nullum aliud præter antiquum illud Noachi intellexisse videntur, illudque idem est, quod postea Deucalioneum dicebatur à Deucalione Thessaliæ seu potius Phocidis rege, ob hanc rationem sic vocatum, ut ex Eusebio dicunt se habuisse [d] Cedrenus, & [e] Johannes Antiochenus Malala, quod ille Athenas veniens de universali diluvio multa populum docuerit, de eoque ibi scriptam ediderit historiam: sed cum apud plerosque alios autores constet literas in Græcia tam antiquas non fuisse, verisimilius videtur diluvium à Deucalione ideo nomen habuisse, quod cum ob exsiccatas post diluvium terras soli seu Apolloni, [f] qui Pythonem ibi occidisse fingitur, Templum Delphicum condidisset, Athenasque veniens ob præservatum in paucis humanum genus, [g] Jovi φυξίῳ seu liberatori etiam ibi Templum ædificâsset,

[g] Pollux lib. 8. cap. 9. Stephanus in Ἀκτή. Eustathius in Dionisii Periegesin. [h] Cedren. lib. 1. [i] Theophilus ad Autolycum, lib. 3. [k] Euseb. Chron. lib. 1. Præp. Evang. l. 10. Autor Etymolog in Ὠγύγης. Apollodorus, l. 3 [l] Stephanus in Ὠγυγία. [m] Pausanias in Bœoticis. Varro de Re Rustica l. 3. c. 1. Apollod lib. 3. Strabo lib. 9. Scholiastes Apollonii, lib. 3. [n] Euseb. Chron. lib. 1. & 2. Præp. Evang. lib. 10. Cedren lib. 1. [o] Euseb. Chron. & Præpar. Evangelii, lib. 10. [p] Pausanias in Atticis. [q] Thucydides l. 1. Dionys. Hal lib. 1 [r] Athenæus lib. 14. [s] Dionys. Hal. lib. 1. [t] Dionys. Hal. lib. 1. [u] Herodotus lib. 1. & 8. [x] Eustathius in Dionys. [y] Marcianus in Periegesi. [z] Dionys. Hal. lib. 1. [a] Strabo lib. 9. [b] Hieronymus in versione Latina Eusebii Chron. lib. 1. & 2. [c] Hesychius in Ὠγύγιον Suidas in Ὠγύγιον. [d] Cedrenus l. 1. [e] Johan. Antiochenus MS. in Bibliotheca Bodleiana, lib. 4 [f] Pausanias in Phocicis. [g] Pausan. in Atticis.

Festaque

Festaque in memoriam illorum, qui perierant, ὑδροφόρια dicta, ([h] quæ Athenis, in aliisque per Græciam locis usque ad Syllæ tempora celebrata fuerunt) primus, ut magis quam verisimile est, instituisset, inde per illum maxime hujus diluvii memoriâ interiturâ aliter apud posteros præservatâ, ab iis tandem illius etiam temporibus traditione depravatâ accidisse crederetur. Præterea cum eodem tempore, quo Cecrops in Atticam, [i] Deucalion etiam in alias Græciæ partes religionem Deorumque cultum primus induxerit, [l] eodem modo præcipua argumenta sua, quibus Deorum suaserat metum, à diluvio etiam deduxisse videtur, quæ cum sæpe, ut probabile est, inculcasset, sæpe per totam Græciam prædicasset, inde etiam poterat evenire, ut illius pariter ac montis Parnassi, ad quem habitaverat, nomen in diluvii Historiam apud Græcos pessimos omnis Historiæ corruptores quam facillime irreperet. Sed omissis his conjecturis, quæcunque de Ogygis & Deucalionis diluvio narrantur, tantum reliquias veteris traditionis de diluvio universali fuisse, satis inde constat, quod nihil fere de alterutro illorum circa diluvium ab antiquis traditur Autoribus, quod non etiam in Sacris Scripturis de Noacho pariter narratum esse inveniemus. [m] Diluvium Ogygianum novem menses duravit, tot Noachanum: [n] Deucalion vir justus & pius fuisse dicitur, atque ideo [o] cum ceterum humanû genus ob impietatem & perjuria exscinderetur, [p] ille solus cum uxore & liberis in arcâ, [q] quam venturæ cladis præscius sibi ideo fabricaverat, universale evasit excidium. [r] In hanc etiam bina unius cujusq; speciei admisit animalia, [s] appulsâque arcâ ad cacumen montis cum defecissent aquæ diluvii, [t] emisit columbam ad explorandam terræ faciem. [u] Sub illo destructa animalia iterumque reparata fuere, post finitumq; diluvium [x] Deo φυξίῳ, seu ἀφεσίῳ, i. e. liberatori, per quem cladem evasit, aram posuit. Hæc omnia etiam de Noacho, quicunque primas tantum Sacræ Scripturæ paginas inspexerit, vera fuisse quam facillime agnoscet. Præterea etiam ulterius suadet, diluvia in Atticâ & Thessaliâ seu Phocide post universale illud Noachi nunquam accidisse, quod jam per 4000 annos ex nullâ constet historiâ, aut Atticam & Thessaliam iterum tali diluvio, quale illas olim inundasse fingunt, aut aliquas alias regiones situ adeo altas & montanas, [y] Deo promissi sui memore, unquam periisse.

Dicunt Ogygem [z] temporibus Mosis vixisse: quod si verum esset, diluvium ejus nomine appellatum, quod [a] Hieronymus potius vult in Ægypto accidisse, ad cladem Ægyptiorum in mari rubro acceptam bene referri potest, de cujus miraculosâ & subitâ inundatione totum illud intelligendum est, quod de fluvio ἀετῷ ob subitaneam celeremque inundationem sic dicto Ægyptios temporibus Promethei aquis suis absorbente, [b] apud Diodorum Siculum narratum invenimus. Sed cum Ogyges [c] secundum calculum Eusebii 597 annis ante Trojæ excidium in Attica inceperit regnare, ejus regni initium ad Isaaci tempora referendum est: anno enim Julianæ Periodi 3530 [d] Troja capta fuit, si inde demas 597 annos, qui inter initium Regni Ogygis, & Trojæ ἅλωσιν intercesserunt, relinquitur annus Julianæ Periodi 2935, qui est juxta computum Scaligeri annus Mundi 2171, & ætatis Isaaci 123, idemque in quâ Ismael vita defunctus est. Regnavit hic in Attica annos [e] 32, & ex [f] Thebe filia Jovis & Iodamæ duos filios [g] Cadmum, & [h] Eleusinem, & [i] tres filias, Alalcomenem, Aulidem, & Thelxineam, suscepisse dicitur, ab Alalcomene, [k] A-

[h] Plutarchus in vita Syllæ. Etymolog. in ὑδροφόρια. Suidas & Hesychius ad eandem vocem. [i] Plutarchus contra Colotem. Apollonius Rhodius, lib 3. [l] Johannes Antiochenus M. S lib 4. [m] Solinus cap. 17. Apollonius Rhodius, lib 3. [n] Ovid. lib. 1. Lucian de Dea Syrâ. Plutarchus adversus Colotem. [o] Lucian. de Dea Syrâ. [p] Ovid Met. lib. 1. Lucian. de Dea Syrâ, & in Timone, & de Saltatione. [q] Apollodorus lib. 1 Lucian. de Dea Syrâ. [r] Lucian de Dea Syrâ. [s] Stephanus in Παρνασσός Etymolog. & Suidas ad eandem vocem. Ovid Metaph. lib. 1. [t] Plutarch. in libro περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. [u] Diodor. Siculus lib 1 [x] Pausan. in Atticis. [y] Gen. cap 9. v. 11. [z] Justin. Martyr in oratione cohortatoriâ ad Græcos. [a] Hieronymus in Latina versione, Eusebii Cron. [b] Diodorus Siculus, lib. 1. [c] Eusebius in Chronicis [d] Vide Petavium Rat. Temp. lib. 2. cap. 10. [e] Cedrenus lib 1. [f] Tzetzes in Lycophron. [g] Suidas in Ὠγύγης. [h] Pausan. in Atticis. [i] Suidas in Πραξιδίκη. [k] Pausanias in Bœoticis.

lalcomenæ,

comenæ, vicus in Bœotiâ, nomen habuere, ubi illa Minervam Ogygis temporibus [l] ad lacum Tritonium natam, & inde [m] Τριτογένεια dictam [n] educavit. Ab Aulide [o] Aulis urbs Bœotiæ nomen habuit. Thelxinea forte illa est ex his sororibus, [p] quæ Tremilo, [q] à quo Lycia olim Tremila dicta erat, nupta fuisse dicitur. [r] Hæ omnes apud Græcos pro Deabus habitæ, & communi nomine Πραξιδίκαι dicebantur, è quibus Alalcomene, quod Minervam educaverat, quæ inde etiam Ἀλαλκομενηΐς vocata est, eminentius & nomen, & cultum habuisse videtur, [s] creditaque est dicta ac facta ad finem producere; indeque est, quod [t] Menalaus capto Ilio domum redux, quasi opere perfecto, ei simulacrum dedicaverat, quod antiquis [u] Teraphim simile [x] nihil præter caput erat, [y] illique tantum capita victimarum immolabant. Qui Ogygis filii perhibentur, Cadmus (si aliquis fuerit Cadmus ante Agenoris filium) in Bœotia, Eleusinis in Atticâ [a] à quo Eleusina urbs condita, & sic appellata fuerat, patri successere. Post Eleusinem multi alii usque ad Cecropem in Attica regnarunt, inter quos Periphas ab Antonino Liberali [b] in Metamorph. [c] Porphyrion, Colænus & Actæus à Pausania memorantur. [d] Actæus ex illis qui ante Cecropem regnarunt ultimus fuit, illo natæ fuerunt duæ filiæ [e] Agraulus [e] & Phœnice, à Phœnice Φοινικήια γράμματα, apud Hesychium & Suidam dicuntur, [f] Agraulus Cecropi nupta illi post patris obitum pro dote regnum attulit.

Cecrops autem [g] primus in Atticâ regnasse dicitur, quod illuc [h] ex Ægypto adveniens, moresque civiles secum advehens, statum politicum primus instituit, incolasque prius sine urbibus ferarum more huc illuc in specubus habitantes [i] in 12 civitates collegit, illisque leges dedit, quibus jussit eos, Græciæ Idololatriæ autor, [l] Jovem primum ut summum Deum, Saturnum, Opim, & Minervam colere, & matrimonium contrahere, cum prius [m] promiscuâ Venere uterentur, [n] atque hinc illum διφυῆ, vocari dicunt. [o] Poetæ autem volunt illum hoc nomen habuisse, quod à dentibus Draconis ortus, partim homo, partim serpens fuerat. [p] Probabilior autem est aliorum ratio, qui dicunt illum sic appellari, quod ex Ægypto ortus, & in Græciam veniens utriusque gentis mores & linguas calleret. Aliæ hujus nominis rationes habentur apud Demosthenem Orat. Fun. Diodorum Siculum, lib. 1. Plutarchum de Serâ Numinis vindictâ. J. Tzetzen, Chil. 5. c. 18. & Isaacum Tzetzen ad Lycophrontem, Suidam in Προμηθεύς, & Κέκροψ, & Eustathium in Dionysium ad versum 391.

Inter duodecim illas civitates, in quas Atticæ incolas Cecrops primum congregavit, maximæ fuerunt Athenæ, [q] quæ ab illo conditæ primo Cecropia, indeque tota [r] regio eodem nomine, & populi Cecropides dicebantur: [s] cum autem ceteræ urbes in istam unam congregatæ fuerint, illaque à Minervâ illi sacrata novum nomen acceperit, antiqua urbs eodem modo, quo Cadmæa Thebis, Acricorinthus Corinthi, Byrsa Carthagine, & Capitolium Romæ pro arce tantum habebatur, illaque sola antiquum Cecropiæ, & prima sola tribus Cecropidum nomen retinuerunt.

[l] August. Civ. Dei, lib. 18. c. 8. Eusebius in Chronicis. Scholiastes Apollonii, lib. 4. Apollodorus lib. 1. [m] Schol. Pindari, Pyth. od. 4. Scholiastes Apollonii, lib. 4. [n] Pausanias in Bœoticis. [o] Pausanias in Bœoticis. [p] Stephanus in Τρεμίλη. [q] Herod. lib. 1. ubi legitur Τερμίλαι. [r] Pausanias in Bœoticis. [s] Hesychius in Πραξιδίκη. [t] Pausanias in Laconicis. [u] Vide Seldenum de Diis Syris, Syntag. 1. cap. 2. [x] Suidas in Πραξιδίκη. Hesychius ad eandem vocem. [y] Hesych. ib. pro Θαύματα enim legendum est Θύματα. [a] Pausanias in Atticis. [b] cap. 6. [c] Pausan. in Atticis. [d] Pausanias in Atticis. [e] Suid. in Φοινικήϊα. Hesych. ad eandem vocem. [f] Pausan. in Atticis. Apollodorus lib. 3. Porphyr. de abstinentia, lib. 2. [g] Euseb. Chron. lib. 1. [h] Tzetzes Chil. 5. c. 8. Schol. Aristoph. ad Plut. Syncellus p. 153. Suidas in Προμηθεύς. Eustathius in Dionys. [i] Strabo lib. 9. Plutarchus in Theseo. [l] Euseb. in Chron. & Præp. Evang lib. 10. c. 9. Syncellus, p 153. Epiphan. Hæres. lib. 1. Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 10. Cyril. contra Julian. lib. 1. Pausan. in Arcadicis. [m] Athenæus lib 13. Suidas in Προμηθεύς. Justin. lib. 2. Eustathius ad Iliad. δ'. & ω'. Johan. Antioch. MS. lib. 4. Nonnus Dionysiac. 41. [n] Iidem autores, ib. [o] Aristophanes Vesp & Scholiast. ib. Apollodor. lib. 3. Tzetzes ad Lycoph. [p] Euseb. in Chronicis, lib. 1. Syncellus, p 153. q Schol. Aristoph ad Plut August. de Civ. Dei, lib. 18 c. 8. Plin. lib. 7. cap. 56. Isidor. Hispalensis in Chron. & Orig. l. 15. c. 1. [r] Apollodorus lib. 3. Herodotus lib. 8. Suidas in Κέκροψ. Priscianus, lib. 2. Plinius l. 7. c. 56. [s] Plutarch. in Theseo. Strabo lib. 9. [t] Apollodorus, lib. 3. August. Civ. Dei, lib. 18. c. 9.

Ex Agraulo Actæi filia Cecrops unum filium, & tres filias suscepit, [w] filius Erisichthon vocatus Delum insulam occupavit, ibique primum anno regni patris Cecropis trigesimo septimo, eodem quo Corinthus condebatur, Delii Apollinis Templum exstruxit, quod post Templum Delphicum ille Deus habuit sanctissimum, & celeberrimum, [x] cui postea etiam tota insula ab Atheniensibus consecrata fuit. [y] Erisichthon inde Athenas rediens in itinere obiit, & Prasiis vivo adhuc patre sepultus fuit, [z] de quo in cista à Minerva incluso, & sororum custodiæ commisso, multas fabulas narrant Poetæ, & Mythologici. [a] Sorores autem illius, Cecropis filiæ Agraulus Herce & Pandrosus dictæ, pro Deabus habitæ [b] mysteria & festa sibi celebrata Athenis habuerunt. [c] Agraulo Templum exstructum fuit in Arce Castoris & Pollucis templo vicinum, ubi [d] Ephebi, cum pueritiæ annos excesserant, & in Φρατόρων album inserendi essent, armati jurabant, se pro patriâ pugnaturos ad mortem usque. Hic illi Sacerdotes [e] Ἀγραυλίδες dictæ Sacra faciebant, & quotannis festa Ἀγραύλια dicta celebrabant. [f] Hæc autem festa male confundunt nonnulli cum Plynteriis [g] Minervæ sub nomine Aglauri celebratis, in his enim non Ἀγραυλίδες, [h] sed Πραξιεργίδαι Sacerdotes ministrabant, quæ Thargelionis die 26 festa Minervæ celebrantes, [i] ornamenta Deæ detracta lavabant, [l] simulacrum velabant, & [m] massam Caricarum (quod hunc fructum primum post glandem comedentes indigenæ, exinde ad victus rationem magis humanam & mansuetam introducti fuerant) in Pompa ferebant, quæ inde παρὰ τὸ ἡγεῖσθαι ἡγητηρία dicebatur. [n] Agraulus etiam Salamine Cypri Templum habuit, ibique quotannis immolato homine ei festa celebrata fuisse narrantur.

Pandrosus etiam [o] festa Athenis habuit, & [p] Templum in Arce conditum Templo Minervæ vicinum, [q] ubi illi ove, quoties Minervæ bove immolato, sacra facta fuisse dicunt. In hujus Templo fuit [r] Oliva ab ipsa Minerva plantata, cum de urbe cum Neptuno certaverit. [s] Hic etiam erat ara Jovis Hercæi, sic dicti, quia [t] præses, & tutelaris deus Athenis habebatur omnium illorum, qui ejusdem ἕρκους, i. e. septi participes fuerunt, cujus tutelam tanti fecerunt Athenienses, ut neminem aut in tribum inter φράτορας referrent, aut in numero civium recenserent, quem non ad illius Sacra prius admissum, illum etiam tutelarem Deum habuisse constabat, [u] ita ut quando Quæstio habebatur de novis Magistratibus, an cives Athenienses fuerint, sub hac forma proponebatur, An esset illis Jupiter ἑρκεῖος, i. e. Tutelaris Deus, & Apollo Πατρῷος, i. e. Patrius Deus: Apollo autem ab Atheniensibus Patrius dicebatur, [x] quod Creusam Erychthei filiam uxorem duxisse apud eosdem crederetur.

Herce nullum Templum Athenis, [a] festa autem Ἑρσηφόρια dicta habuisse traditur, [b] hæc autem male confunduntur à nonnullis cum Arrhephoriis, illa autem non Hercæ sed Minervæ celebrabant [c] 4 virgines, [d] ætatis non majoris quam 11, nec minoris quam 7 annorum. Quæ ex nobilibus electæ familiis Deæ ministerio per unum annum devotæ fuerunt, [e] quarum duæ texturæ pepli præpositæ, illud in diem festum præparabant, [f] aliæ duæ nocte festum præcedente secreta quædam in cistis à Deæ Templo ad antrum quoddam in urbe deferentes, inde alias eodem modo referebant, indeque festa Ἀρρηφόρια, & Vir-

[w] Athenæus lib. 9. Euseb. in Chron. Cedren. lib. 1. [x] Herodot. in Clio. Thucyd. lib. 3. Diodorus Sic lib. 12. [y] Pausan. in Atticis. Ovid. Metamorph. lib. 2. Hyginus Fab. 156. Apollodor. lib. 3. Pausanias in Atticis. [a] Ulpian. ad Demosthen. de Falsa Legatione Pausanias in Atticis. Apollodor. lib 2. [b] Athanag. Apologia pro Christianis. [c] Herodot lib. 8. Pausanias in Atticis. Polyænus lib. 1. [d] Hisychius in Ἀγραυλ. Ulpian. ad Demosthenis orat. contra Leptinum. Philostratus, lib. 4. c. 7. [e] Hesychius in Ἀγραυλίδες. [f] Hesych. in Πλυντηρία. [g] Harpocrat. in Ἄγλαυρ. Plutarch. in Alcibiade. [h] Hesychius in Πραξιεργίδας. [i] Plutarch. in Alcibiade. [l] Xenophon. Hist. Græc. lib. 1. [m] Hesych. in ἡγητηρία. Etymologicum, & Suidas ad eandem vocem. [n] Theodoret. Therapeut. lib. 7. Porphyr. περὶ ἀποχῆς, lib. 2. Cyril. contra Jul lib. 4. [o] Athanag. Apologia. [p] Pausanias in Atticis. [q] Harpocrat. in ἐπίβοιον. [r] Pausanias in Atticis. Apollodor. lib 3. [s] Ἀπαχραφὴ, Olymp. ad Olymp. 118. an. 3. Dionys. Hal. in Dinarcho. [t] Suid. in ἑρκεῖος. Henric. Stephan. in ἑρκεῖος. [u] Pollux lib. 8. c. 9. sect. 1. Demosthenes ἐν τῇ ἐφέσει πρὸς Εὐβουλίδην. [x] Schol Aristoph ad Nubes. & ad Aves. [a] Suid. in ἑρσηφορία. [b] Suid. ad eandem vocem Etymol. ad eandem vocem. [c] Harpocrat. in ἀρρηφορεῖν. [d] Etymol. ad eandem vocem. [e] Etymol. in χαλκεῖα. Suidas ib. [f] Pausan. in Atticis. Suidas in Ἀρρηφορεῖν, & Κανηφορεῖν. Hesychius in Κανηφόροι.

gines

gines Ἀῤῥηφόροι dicebantur, quia Ἀῤῥητα ἐν κίσταις ἔφερον τῇ Θεῷ, ob quam rationem etiam apud [g] Pausaniam, ἀπὸ τοῦ κάνητος, i.e. Canistro illas Κανηφόρους dictas fuisse invenimus. [h] Quam diu Deæ Ministerio devotæ fuerunt, seorsim à parentibus in Arce prope Deæ Templum habitabant, [i] vestibus sacris albis & deauratis indutæ, paneque sacro [l] ναστῷ dicto vescentes. Ναστὸς autem panis erat mellitus & Aromatibus conditus. [m] Post autem peracta ministeria in festis Arrhephoriis Virginibus his ad parente remissis, aliæ eodem die in earum loco cooptabantur. Festum hoc ab Erichtheo primum institutum fuit, & videtur fuisse Panathenæis præparatorium, nec aliquid aliud occultum in illis cistis ferri [o] præter illa, quæ ad sacrificia hoc magno festo peragenda necessaria fuerunt in Suida narrat Philochorus.

Cecrops regnum Atticæ adeptus est secundum computum [p] Eusebii, circa vigesimum annum ætatis Mosis, quod cum tenuisset [q] annos 50 Athenis obiit, [r] sepulchrumque ibi habuit in Templo Minervæ juxta ipsam Deam, ille autem in Zodiacum translatus [s] Aquarii locum obtinuisse putatur.

Ep. 2. Ἀφ᾽ οὗ Δευκαλίων παρὰ τὸν Παρνασσὸν ἐν Λυκωρείᾳ ἐβασίλευσε, &c. Deucalionem [a] Pthiotidis in Thessalia regem fuisse plerique narrant Autores; non tamen desunt, qui etiam in Regionibus circa Parnassum dicunt regnasse. Hoc [b] Eusebius iisdem fere, quæ in Marmore habentur, usus verbis. Hoc [c] Orosius, multique alii tradunt Autores. Quin & omnes illi, qui de diluvio Deucalionis scribunt, dum illum cymbâ suâ [d] ad Parnassum dicunt evasisse, satis aperte innuunt inde in Regionibus circa illum montem ejus Regnum fuisse. Non igitur falsum est, ut dicit [f] Salmasius, quod in nostro Chronico habetur, Deucalionem in Regione, quæ Parnasso circumjacet, regnasse; maleque ille ad evitandam vim illius, quo hoc probamus, argumenti, supponit Autores illos, qui Deucalionem ingruente diluvio ad montem Parnassum scribunt evasisse, velle illum è Thessalia illuc adnavigasse. [g] Interjacent enim Oetæi montes, qui cum Thessaliam à Regionibus circa Parnassum disterminantes altioribus, quam Parnassus, ascendant verticibus, altius etiam supra aquas eminentes Deucalioni, si in Pthiotide passus esset diluvium, multo tutius ab inundantibus aquis in ipso vicinio præbuissent effugium, omnino occlusissent iter ulterius navigaturo; atque ideo non omnino videtur verisimile viros illos doctissimos, Græcæque Geographiæ, utpote Græciæ incolas, peritissimos rem tam absurdam unquam cum Salmasio cogitasse. [h] Strabo Deucalionem etiam Cyni in Locride Opuntiorum dicit regnasse, quæ urbs [i] ad fretum Euboicum sita Opuntis navale fuit, in fretoque sibi oppositas habuit duas insulas, quarum una Deucalionis, altera Pyrrhæ illius uxoris, nomina diu referebant. [l] Athenienses autem Templum Jovis Phyxii, Molossi [m] Templum Jovis Dodonæi à Deucalione condita, Argivi aram Jovi Aphesio ab eodem consecratam ostendunt, illumque singuli apud se regnasse contendunt hæc esse Monumenta. Videtur igitur his omnibus Regionibus imperasse: nec mihi dubium est, cum apud omnes Autores, qui de rebus antiquis scripserunt, constet Deucalionis filios totius Græciæ imperium inter se divisum tenuisse, quin totum illud sub patre quamdiu vixerat fuerat unitum. Lycoriam autem regni sedem fuisse nostrum testatur Marmor, quæ cum [p] prope urbem Delphicam sita esset, [q] & proinde in medio Græciæ eodem modo quo Græcia in medio orbis fuisse

[g] Pausanias in Atticis. [h] Pausan. in Atticis. [i] Etymolog. Autor. [l] Athenæus lib. 3. [m] Pausanias in Atticis. [n] Suidas in Κανηφόροι. [o] Suidas ad eandem vocem. [p] Euseb. Chron. lib. 1. [q] Euseb. Chr. lib. 1. [r] Clemens in Protreptico. Arnobius lib. 6. Theodoret. Therapeut. lib. 8. [s] Hyginus [a] Herodotus lib. 7. Scholiastes Apollonii Rhodii, l. 3. ad vers. 1085. Strabo lib. 9 Apollodorus l. 1. [b] Chron. lib. 2. [c] Libro 1. [d] Apollodorus lib. 1. Pausanias in Phocicis. Orosius lib 1. Ovid. Metamorph. lib. 1. Stephanus Byzantinus in Παρνασσὸς, & Phavorinus in eadem voce. Lucianus de Dea Syra. De Saltatione, & in Timone. [f] In Libro de Longua Hellenistica, parte 2 cap. 1. pag. 327. [g] Strabo lib. 9. [h] Strabo lib. 9. [i] Strab. ib. [l] Pausanias in Atticis. [m] Plutarchus in initio vitæ Pyrrhi. [o] Vide Apollodorum, lib 1. & Strabo lib. 9. [p] Strab. lib. 9. Pausanias in Phocicis. Stephanus in Λυκώρεια. Strabo lib. 9. Lucan l. 5. Varro lib. 3 Cicero de Divinatione, lib. 2. Claudian. in Epigrammate ad finem illius Poematum plerumque posito. Pausanias in Phocicis. Plutar. in libro de Oraculorum defectu. Livius lib. 38. Ovid. Metaph. l. 10.

ceretur, ubi melius in tota Græcia, qui Græciæ imperabat, poterat habitare. [r] Lycoria, ut ceteræ omnes apud antiquos civitates, in vertice montis sita erat, primumque condita fuisse dicitur ab illis, qui Deucalionis ingruente diluvio, Luporum ululatum sequentes, in hunc montem feris ducibus salvi evaserunt, & inde ἀπὸ τῆς λυκῶν, quasi λυκῶν ὄρος, Λυκώρεια vocabatur, ubi cum Deucalion etiam appulisset, ἀπὸ τῆς λάρνακος qua evasit, mons inde primo [t] Λαρνασσὸς, & postea mutatâ primâ literâ Παρνασσὸς appellari perhibetur. Sed cum ante diluvium in nostro Marmore Lycoriam conditam fuisse, & tam hanc, quam Parnassum sua nomina sibi indita habuisse inveniamus, alia utriusque nominis exquirenda est Etymologia; multoque magis hoc mihi approbandum videtur, quod [u] in Pausania, & Græcis [x] Lexicographis invenitur, Lycoriam à Lycoro indigenâ avo Celenûs, ex qua Apollo Delphum genuit, qui Delphorum urbi nomen dedit, & Parnassum à Parnasso, qui augurandi artem primo invenerat, in illisque montibus solitus fuerat avium volatum observare, qui utrique ante Deucalionis tempora vixerunt, nomina habuisse.

Parnassus erat [y] longus montium tractus, [z] qui à fluvio Asopo ipsâque Atticâ primo incipientes, quamdiu Bœotiam à Megaride disterminabant, Montes [a] Cithæronis à Cithærone, antiquo Platææ Rege dicebantur; inde vero versus occasum tendentes [b] in Bœotia circa Thespiam Montes Heliconis, [c] in Phocide circa Delphos Montes Parnassi incipiebant appellari, à Delphis autem versus Septentrionem exporrecti, Phocidem à Locride Ozolarum, & deinde ulterius tendentes Locridem etiam Opuntiorum, & Epicnemidiorum ab eadem Regione, è parte occidentali disterminabant; tandem vero per Doridem transeuntes in Montes Oetæos, cum iisdem facientes angulum acutum, circa illum locum, quo isti montes ulterius versus occasum inter Thessaliam & Epirum exporrecti incipiunt Pindi vocari, perhibentur desiisse. [d] Totus hic Montium tractus sacer erat. [e] Cithæron Jovi, qui inde Cithæronius dicitur, Helicon Musis, & Parnassus Apollini consecrati fuerunt. In Cithærone etiam [f] Bacchi orgia agitabantur, celebrisque fuit ille Mons ob clades [g] Penthei & Actæonis Cadmi nepotum, quorum illum Bacchæ, hunc canes ibi narrantur discerpsisse. In Helicone Lucus Musarum, fontesque Hippocrene & Aganippe iisdem consecrati; In [i] Parnasso Templum Apollinis Delphici, Fons Castalius, Antrum Corycium, & Mons Biceps maximam, præsertim apud Poetas, habuerunt sanctitatem. [†] Cum Aristoteles lib. Meteor. 1. ponat Parnassum in Asia, intelligendus est de Parnasso monte in Bactria sito, de quo Dionysius Afer in Perieg. carm. 736.

---Βάκτρες μὲν ἐπ' ποταμοῖο νέμονται
Χώρην Εὐρυτέρην κνημοῖς ὑπὸ Παρνησσοῖο.

Ubi notat Scholiastes Eustathius hunc Montem etiam Parpamissum appellari.

[k] Helicon ob dulcissimos fontium latices, umbrosam arborum crebritatem, suavissimumq; omnium, qui ibi nascebantur, fructuum saporem, omnium in Græciâ Montium fuit amœnissimus; tantaque illius perhibetur fuisse soli præstantia, ut nihil unquam tulerit mortiferum, & si quid tale aliunde illuc fuisset advectum, venenatam cito mutaverit naturam; meritoque ideo, non tantum ob sacra, sed etiam ob delicias suas, non minus quam Baiæ apud Romanos, aut Daphne apud Antiochenses, Helicon apud Græcos semper habe-

[r] Strabo lib. 9. Pausanias in Phocicis. [t] Stephanus Byzantinus in Παρνασσὸς, Etymologici autor, & Phavorinus ad eandem vocem. [u] In Phocicis. [x] Stephanus Byzantinus in Λυκώρεια, & Παρνασσὸς. Phavorinus ad easdem voces. [y] Strabo lib. 9. Pausanias in Phocicis. [z] Strabo lib. 9. Pausanias in Bœoticis. [a] Pausanias in Bœoticis. [b] Strabo lib. 9. Pausanias in Bœoticis. [c] Pausanias in Phocicis. Strabo lib. 9. [d] Strabo lib. 9. Pausanias in Phocicis, & Bœoticis. [e] Pausan. in Bœoticis. [f] Pausanias in Bœoticis. [g] Pausan. in Bœoticis. Ovid. Metamorph. lib. 3. [h] Strabo lib. 9. [i] Pausanias in Phocicis. [k] Pausanias in Bœoticis.

batur celeberrimus. [l] Ad radices hujus montis Orientales sita erat Thespia, urbs Bœotiæ post Thebas insignissima. Supra hanc in ipso monte erat Lucus Musarum. Illuc è Thespia ascendenti ad lævam erat Fons Aganippe, sic dictus ab Aganippe filia Termessi, qui fluvio, in quem defluunt hujus fontis aquæ, nomen dedit. In Luco præter Musarum fanum, & illarum ibi posita simulacra, erant etiam statuæ Apollinis, Mercurii, Lini, Orphei, Thamyris, Hesiodi, Arionis, multorumque aliorum, qui in Musicis olim maxime inclaruerunt. Thespienses hic Musis quotannis festa Musæa dicta celebrantes, ludos etiam & certamen Musicum in earum honorem exhibebant; celeberrimique illi Musici & Poetæ, qui statuas hic sibi erectas habuerunt, quod in his certaminibus aliquando vicissent, hunc honorem videntur obtinuisse. Circa 20 stadia ultra Lucum in ipso fere Montis vertice oritur alter fons Musis sacer, Hippocrene dictus, [m] quem fingunt Poetæ & Mythologi, ungulâ equi Bellerophontis effossum, indeque quasi ἵππου κρήνη, i. e. fons equi, nomen habuisse, atque ideo apud [n] Persium, fons Caballinus vocatur. [o] Notat Theon in Aratum hunc solum fontem primitus κρήνην vocari, indeque ad alios fontes nomen transiisse. Tam Aganippen, quam Hippocrenem Musis consecrarunt veteres: utrique igitur hi fontes apud Poetas maxime celebrantur, quorum [q] hic in Holmium, ille in Permessum labentes, per eosque in Lacum Copaidem defluentes, hos etiam fluvios sacros fecerunt. Notandum autem, qui apud Strabonem Holmius & Permessus vocantur, apud [r] Pausaniam Lamum, & Termessum appellari, ideoque inconsulte videtur [s] Bochartus Hesiodum corrigens pro Τερμησσοῖο, Περμησσοῖο posuisse, cum aut constet hinc utrumque nomen fluvio impositum fuisse, aut saltem quodnam sit verius ob æqualem Autoritatem maneat incertum. [t] Sub hoc Monte erat Ascra, urbs & patria Hesiodi, qui cum in [u] Theogoniæ initio dicat se, cum sub Helicone oves pasceret, Poetico ingenio à Musis inspirari, [x] credit Casaubonus, inde natam fuisse in animis veterum opinionem, eos qui in hoc loco aliquantisper versarentur, & illius potarent aquas, statim Poetas evasuros; [y] sed cum longe ante Hesiodi tempora hic locus Musis consecratus esset, ibique pro Poetico ingenio, ab ipso inter Græcos Poeticæ initio, his Deabus veteres, interque illos ipse etiam Hesiodus, preces suas effudissent, longe antiquior videtur fuisse hæc superstitio.

Primæ, quæ hic colebantur, Musæ [z] tres tantum numero fuerunt, Μελέτη, Μνήμη, καὶ Ἀοιδὴ, i. e. Meditatio, Memoria, & Cantilena dictæ, (quibus Cicero in libro tertio de Natura Deorum quartam Thelxiopen addit) illisque Aloei filii Otus & Ephialtes, postquam sub eo Ascram condidissent, hunc Montem teste Pausaniâ primo consecrarunt: cum autem singulis his tria simulacra tres statuarii æquali efformassent pulchritudine, omniaque ideo illis consecrata fuissent, [a] inde evenisse è Varrone dicit Augustinus, ut, quæ prius tres, postea novem fuisse crederentur, Hesiodumque primum in Theogonia sua effinxisse ea, quæ apud posteriores Poetas decantantur toties Musarum nomina. Novem Musarum simulacra illis in Helicone consecrata à tribus Statuariis Chephisidoto Strongylione & Olymphiosthene dictis, & tria à singulis efformata fuisse apud [b] Pausaniam etiam invenimus: sed si Plinio adhibenda sit fides, qui ante [c] 50 Olympiadem negat Marmor unquam in Græcia sculptum fuisse, tam antiquitus hæc ibi posita esse non omnino videtur verisimile. [d] Alii dicunt antiquas Musas tantum tres fuisse à Cœlo genitas, & novem illas apud Poetas decantatas longe posteriores esse [e] à Mnemosyne ex

[l] Strabo lib. 9. Pausanias in Bœoticis. [m] Ovid. Fastorum, lib. 6. [n] In Prologo. [o] Vide Notas Casauboni in Prologum Persii. [p] Solinus cap. 13. Pausanias in Bœoticis. Strabo lib. 9. Plin. lib. 4. cap. 7. [q] Strabo lib. 9. Hesiodus in Theogoniæ initio. Statius Theb. l. 7. [r] Pausan in Bœoticis. [s] Bochartus Geographiæ Sacræ, l. 1. c. 16. [t] Strabo lib. 9. Pausan. in Bœoticis. [u] Carm. 21. [x] In Notis ad Prologum Persii. [y] Pausanias in Bœoticis. Strabo lib. 9. [z] Pausanias in Bœoticis. [a] Vide Gyraldum in Syntagmate de Musis. [b] Pausanias in Bœoticis. [c] Plin. lib. 36. cap. 4. [d] Pausan. in Bœoticis. [e] Hesiodus in Theogoniæ initio. Apollodorus, lib. 1. Strabo lib. 10. Pausanias in Bœoticis.

Jove

Jove natas, & priores ſolas antiquitus in Helicone cultas. [f] Poſtea vero cum Pieres è Pieria, quæ tunc Thraciæ, poſtea Macedoniæ provincia fuerat, in Bœotiam commigraſſent, in eâque Regione circa Heliconem habitaſſent, ab illis novem etiam Muſis locum conſecratum fuiſſe, [g] à quibus & Apolline, cujus ſequaces fuerunt (atque ideo ille Μουσηγέτης, ſeu dux Muſarum, dicebatur) Muſica, Poetica, ceteræque omnes apud Græcos diſciplinæ, teſte Platone, dicuntur initium habuiſſe. In Pieria [h] natæ ibi primum pro [i] Deabus colebantur; ubi [k] Heliconem fluvium, [l] Pimpliam, Libethrum, multaque alia loca ſibi conſecrata habuere. Cum Pieres in Bœotiam commigraſſent Heliconis & Libethri nomina illuc etiam ſecum tranſtulerunt, quæque in ea Regione ſic vocantur loca, ab Helicone & Libethro in Pieria videntur nomina mutuata fuiſſe. [m] Pieria ſic vocabatur à Piero indigenâ, qui maximus Muſarum cultor fuit, & novem quas habuit filias, Muſarum nominibus appellavit, illæque, ſunt quæ Orphei, Lini, ceterorumque omnium, qui Muſarum filii dicuntur, matres fuere. Illis autem apud poſteros tandem pro veris Muſis ex depravata traditione habitis, inde evenit, ut Muſæ, quaſi Pieri filiæ eſſent, Pierides dicerentur. Sed de his rebus ob antiquitatem fateor vix certum aliquid poſſe pronunciari. [n] Hoc autem compertum eſt, Orpheum, Linum, Thamyrin, (qui Maſculæ Veneris etiam apud Græcos primus inventor fuiſſe perhibetur) Muſæum, & Eumolpum, qui primi omnium Græcorum Muſicæ & Poeticæ operam dederunt, Thraces è Pieria fuiſſe: Ibi igitur antiquiſſima Muſicæ & Poeticæ Dearum ſedes, in eâque ſolâ Regione olim colebantur, atque ideo ab Heſiodo in initio operum dicuntur Μοῦσαι Πιερίηθεν, i. e. Muſæ quæ ex Pieria veniſtis: [o] cum vero Pieres à Macedonibus expulſi cogerentur novas ſedes in Bœotia quærere, & cum illis ad ceteros etiam Græcos tranſiiſſet Muſicæ & Poeticæ ſtudium, eâdem Religione quâ olim Pimpliæ & Libethri à Pieribus, in Helicone deinde ab omnibus Græcis colebantur.

Ubi deſinit Helicon ibi incipiunt [p] Parnaſſi Montes, inter quorum primos depreſſioreſque [q] celebris ille eſt, in cujus vertice urbs Delphica condebatur. [r] Hic Parnaſſum urbem olim condidit Parnaſſus, cui cum ſuum nomen impoſuiſſet, inde illud ad ceteros omnes hujus tractus Montes derivabatur. Urbs autem non diu nomen retinuit, ſed Deucalionis tempore ſecundum veterum traditionem à diluvio diruta, & poſtea à Delpho Lycori abnepote iterum reſtaurata, ab eo deinde cœpit Delphi vocari. De Templo Apollinis celeberrimoque illius oraculo infra ad Epocham 42 dicturi ſumus.

Supra Delphos è parte urbis ſeptentrionali in vertice Montis longe altioris [s] ſita erat Lycoria, ubi in noſtro Marmore Deucalion olim dicitur regnaſſe. Antiquiſſima hæc, & maxima olim hujus Regionis urbs fuit. Antiquitus illam Delphi dicuntur incoluiſſe, ſed poſtea, cum Templum Apollinis Delphici per totam Græciam inceperit celebrari, illuc ſedes ſuas transferentes circa ipſum Templum prope fontem Caſtalium deinde habitarunt, ab eoque tempore deſerta relictaque Lycoria, pro parva contemptiſſimaque villa ſemper habebatur, atque ideo apud [t] gloſſographos Græcos illam tantum κώμην ἐν Δελφοῖς vocari invenimus. Mons in cujus vertice hæc urbs condebatur ab ejus nomine [u] Lycorius dicebatur, qui ab urbe Delphicâ non longe diſſitus eidem ſuperimminere videbatur. [x] Qui ſcribunt Perſas & Gallos Templum Apollinis expilaturos, ſaxis à Parnaſſo ſponte diſruptis dejectiſque obrutos periiſſe, illa ab hoc Monte in ſacrilegos volunt demiſſa.

Fons Caſtalius in ipſa [a] Delphorum urbe exiliens non longe à Templo di-

[f] Pauſanias in Bœoticis. Strabo lib. 9. & 10. [g] Plato de Legibus, lib. 2. [h] Tzetzes Hiſt. 90. Heſiodus in Theogonia carm. 54. [i] Strabo lib. 9. & 10. Pauſan. in Bœoticis. [k] Pauſan. in Bœoticis. [l] Strabo lib. 9. & 10. Pauſan. in Bœoticis. [m] Pauſan. ib. Strabo ib. [n] Strabo lib. 10. [o] Pauſanias in Bœoticis. Strabo lib. 9, & 10. [p] Pauſanias in Phocicis. Strabo lib. 9. [q] Iidem Autores, ib. [r] Pauſanias in Phocicis. [s] Strabo lib. 9. Pauſanias in Phocicis. [t] Stephanus Byzant. in Λυκώρεια, & Phavorinus ad eandem vocem. [u] Lucian in Timone, ibi enim dicitur, τῷ Λυκωρεῖ. ſcil. ὄρει. [x] Herodot. lib. 8. Pauſanias in Phocicis. [a] Pauſan. in Phocicis. Solin. c. 13.

ſtabat. Nomen à Caſtalia muliere indigenâ dicunt habuiſſe, quæ teſte Panyaſi apud Pauſaniam Acheloi, qui fluvio Acheloo nomen dedit, filia fuit. Ab aliis autem Caſtalia Nympha fuiſſe perhibetur, quæ Apollinem fugiens illius metu ad hunc fontem ſe præcipitem dedit. Non tamen deſunt, qui virum volunt eſſe Caſtalium dictum, à quo hic fons Caſtalius vocabatur, illumque patrem eſſe Thyiæ, à qua, cum Liberi patris Sacerdotio fungeretur, illique prima Orgia agitaret, mulieres omnes, quæ Bacchico furore agitatæ huic Deo feſta celebrabant, Thyiades dicebantur. Hic fons ob fatidicas aquas fuit celeberrimus, nec minus ex illis, quam ex vicino Apollinis Oraculo, futura olim præcognita fuiſſe narrant, atque ideo appellatur à [b] Luciano πηγὴ μαντικὴ, à [c] Nonno ἔνθεον ὕδωρ; qui etiam narrat Cadmum, quando primum in Bœotiam venerat, has aquas conſuluiſſe: & inde illud hauſiſſe oraculum, cujus monitu Thebas olim condidiſſe perhibetur. [d] Prope Antiochiam in Syria alius etiam erat Caſtalius fons eâdem vicinitate Templo Apollinis Daphnico, quâ alter Delphico, adjunctus, qui cum etiam aquas fatidicas eodem modo habuiſſe crederetur, ob multa ibi edita fœdiſſimæ Idololatriæ ſpecimina, apud antiquos Eccleſiæ Chriſtianæ [d] patres ſæpius memoratur. [e] A Seleuco Nicanore Antiochiæ, Templique Daphnici conditore primo conſecratus fuit, & uſque ad Adriani tempora magnâ ſemper Religione colebatur: [f] ille autem Principatum adeptus, quod conſultis illius aquis cum adhuc privatus eſſet, ex oraculo ab illis dato præcognoviſſet ſe Imperatorem futurum, veritus, ne alii ibi ſimilia docerentur, ipſeque ideo minus tutum haberet imperium, ingenti ſaxorum mole fontem obſtruxit; & huc reſpexiſſe videtur [g] Clemens Alexandrinus, cum Caſtalium fontem divinatorium dicit periiſſe. Poſt annos autem 248 [h] Julianus Apoſtata, cum ſummo ſtudio omnia Idololatriæ genera reſtituiſſet, occluſas etiam hujus fontis venas iterum aperiebat, &, ut locus circumcirca vicinus ſanctior inde haberetur, exportatis omnibus ibi humatis cadaveribus, Daphnem eodem modo, quo Athenienſes olim Delum, teſte Ammiano Marcellino expurgabat. [i] Chriſtiani autem aliter rem narrant, dicuntque tantum Babylæ martyris oſſa, quod oraculum Apollinis Daphnici ab Imperatore conſultum ad bellum Perſicum profecturo, ob eorum vicinitatem nullum poterat dare reſponſum, illinc illius juſſu tranſlata fuiſſe. [k] Sed cum eodem die quo Imperator Apoſtata, Deo & Chriſtianæ veritati, à quâ defecerat, indicens bellum, tantâ curâ locis Templo Daphnico vicinis antiquam reſtituerat Religionem, ipſum Templum igne à Cœlo demiſſo totum concremaretur; quamcunque aut Daphne, aut fons Caſtalius in Ethnicorum animis habuerat ſanctitatem, cum eo tota videtur periiſſe. Quomodo autem ab his fontibus data fuerant oracula varie exponitur, [l] Hermius Sozomenes in Eccleſiaſtica Hiſtoria dicit Adrianum, quod de futuro imperio è fonte Caſtalio habuerat oraculum, ex eo in lauri folio, quod in illius aquas rite prius immerſerat, inſcriptum extraxiſſe. [m] Verba autem Ammiani Marcellini ſunt, qui hanc etiam narrat Hiſtoriam, quod Adrianus ex præcinentibus fontis Caſtalii aquis capeſſendam rempublicam compererit. [n] Plerique vero narrant ὑδρομάντεις, qui his aquis præpoſiti ex obſervatis illorum motu & ſtrepitu, eodem modo quo Pullarii apud Romanos ex obſervatis in paſtu avium Tripudiis, in futurorum cognitionem pervenerunt, reſponſa data fuiſſe. Nicetas autem dicit, hos vates aquas ſic motas bibiſſe, indeque ex Dæmonis afflatu effudiſſe ea, quæcunque ad hos fontes dabantur oracula.

[b] In Jove Tragœdo. [c] Lib. 4. Dionyſiac. [d] Nonnus Συναγ. Ἱστ. ad ſecundam orationem Gregorii Nazianzeni contra Julianum, cap. 14. Hermius Sozomenes, lib. 5. c. 19. Theodoret. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, lib. 3. cap. 10. Socrates Scholiaſt. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 18. Gregorius Nazianzenus. orat. 4. & orat. 19. Clemens Alexandrinus in oratione admonitoriâ ad gentes. [e] Sozomenes Hiſt. Eccleſ. lib. 5 c. 19. [f] Ammianus Marcellinus, lib. 22. Sozomenes lib. 5. cap. 19. [g] In Oratione Hortatoria ad gentes. [h] Ammianus Marcellinus, lib. 22. Socrates lib. 3. c. 18. Theodoret. Hiſt Eccleſ. lib. 3. c. 10. Sozom. l. 5. c. 19. [i] Vide Theodoretum, Sozomenem, & Socratem ubi ſup. [k] Sozomenes, lib. 5. cap. 19. [l] Lib. 5. c. 19. [m] Lib. 22. [n] Suidas in Κασταλία. Nicephorus in Scholiis ad Syneſium. Nicephorus Hiſt. Eccleſiaſticæ, lib. 10. cap. 18.

In Parnassi montibus, Parnassi jugis quam Delphis propius, fuit etiam [a] Antrum Corycium, à Corycia Nymphâ, ex qua Apollo Lycorum genuit, sic dictum, Nymphis Coryciis & Pani sacrum, quod ob longissimos recessus, vastamque illius magnitudinem Pausanias omnia alia, quæ aut viderat, aut audiverat, narrat longe superasse. [p] Aliud Antrum Corycium in Cilicia ad radicis Montis Coryci fuerat, Antro Corycio in Parnasso ob magnitudinem proximum, & ob optimum ibi natum crocum celeberrimum, qui cum apud Phœnices, cujus coloni fuerunt Cilices, [q] כרכום seu ܟܘܪܟܡ appellatur, ab ea voce putat [r] Bochartus Montem & Antrum Corycium ideo nomen suum derivatum habuisse. Dicunt [s] Mythologi Jovem in bello Gygantum à Typhone captum in hoc antro, donec à Mercurio libertati restitutus fuerat, dissectis manuum pedumque nervis incarceratum mansisse. Hujus antri descriptionem satis prolixam habes in Exercitationibus Salmasii, ad caput 38 Julii Solini Polyhistoris.

A Corycio antro [t] directe ad Parnassi juga ascenditur, quæ cum duo fuerint, Mons ideo [u] Biceps, [x] Bivertex, & Bicornis, & apud Græcos δικόρυφος, & δικάρηνος vocabatur, [y] eorum unum Apollini, alterum Baccho consecratum fuerat. Atque ideo Parnassus [z] Lucano dicitur Mons Bromio Phæboque sacer---. Ibi [b] Thyiades feminæ sic vocatæ ob eam, quam supra dixi, rationem ex Attica profectæ, & feminis Delphis conjunctæ, cum illis quotannis his Diis orgiis aliisque ritibus festa celebrabant, cum autem priusquam Parnassum ascenderant in Panopeo illis solenne erat choros instituere, inde apud Homerum Panopeus καλλίχορος appellatur. [c] Hæc duo Parnassi juga non minoris, quam Caucasus in Scythia, altitudinis fuisse perhibentur, verticibusq; suis [d] ipsas nubes superasse. De illorum autem nominibus varie disceptatur: [e] Multi volunt ex Herodoto illorum unum Tithoreum, alterum Hyampeum appellari, sed nihil tale dicit Herodotus, [f] inter multos Parnassi montes duos memorat sic dictos, hos autem illos altissimos esse, à quibus Parnassus biceps dicebatur, ex illo non omnino constat, ex Pausania facile potest probari contrarium, [g] qui illum montem vocat Tithoreum, in cujus vertice urbs Tithorea condebatur, cum vero secundum eundem autorem hæc urbs 80 stadia à Delphis distaret, & iste mons, quem Herodotus vocat Hyampeum, [h] teste ipso Herodoto, Delphis fontique Castalio valde vicinus esset, ob tantam distantiam satis evidenter constat, illa duo Parnassi juga apud Poetas decantata, ab omnibusque illis ut contigua celebrata, Tithoreum & Hyampeum non fuisse. Alii præsertim [i] Juvenalis interpretes ad septimam illius Satyram, ubi Apollinem & Bacchum Cirrhæ Nysæque Dominos appellat, Cirrham & Nysam nomina jugorum Parnassi volunt fuisse, & credunt Apollinem & Bacchum, quod in his jugis festa sibi quotannis à Thyiadibus habuerint celebrata, ideo à Juvenali illorum dominos nuncupari. Quâ nixi autoritate hæc asserunt, fateor me omnino ignorare, hoc tantum scio in nullo probato autore, qui jam extat, aliquid tale posse invenire. [k] Brietius etiam Doctissimus Jesuita hoc idem asserit Lactantii Grammatici antiqui in Statium commentatoris, ut ipse dicit secutus autoritatem, Lactantius autem nihil tale habet, sed plane asserit contrarium, turpissimo enim [l] Servii antiqui in Virgilium Scholiastæ [m] deceptus errore non Cirrham & Nysam, sed Cithæronem & Heliconem celeberrima illa Parnassi juga dicit fuisse.

Cirrham vero ad Parnassi radices [n] ponens in hac re cum aliis etiam consentit Geographis. Si autem jam quæras, quænam igitur vera fuerant nomina

[a] Pausanias in Phocicis. Strabo lib. 9. [p] Strabo lib. 14. [q] Cant. cap. 4. com. 14. & versio Syriaca, ad eundem Textum. [r] Bochart. Geographiæ Sacræ, lib. 1. cap. 5. [s] Apollodorus lib. 1. [t] Pausan. in Phocicis. Strabo lib 9. [u] Persius in Prologo. Lucian. in Charone. [x] Statius Thebaid, lib. 1. [y] Pausan. in Phocicis. Suidas in Παρνάσιον. [z] Lucan. lib. 5. [b] Pausan. in Phocicis. [c] Lucian in Charone. [d] Pausanias in Phocicis [e] Alexander ab Alexandro, lib. 6. c. 2. & plerique Commentat. Moderni in Classicos Autores. [f] Herodot. lib. 8. [g] in Phocicis. [h] Herodot. lib. 8 [i] Vide Notas Variorum à Batavis Edit. [k] In Geographia Antiquâ Achaiæ. [l] Ad Æneidum lib. 10. [m] Thebaid. lib. 1. [n] Lactantius, ib.

his jugis olim impoſita, fatendum eſt, cum in hac re deficiant autores, me omnino ignorare, meliuſque igitur mihi videtur illorum nomina omittere, quam Lectorum fidei ficta imponere. Hoc tantum certum eſt, nec Tithoreum, nec Hyampium, nec Nyſam, nec Cirrham jugorum Parnaſſi nomina apud antiquos unquam exiſtimata. Cum igitur Juvenalis Apollinem & Bacchum Cirrhæ & Nyſæ dominos vocet, non intelligendum eſt hoc de Parnaſſi jugis, ſed de celeberrimis urbibus, in quibus iſti Dii maxime olim colebantur.

[o] Cirrha ad Parnaſſi montis radices prope ſinum Corinthiacum ſita Delphorum navale fuit, ubi cum Ludi Pythici in honorem Apollinis celebrati eſſent, & ille ibi maxime coleretur, merito ideo illius urbis Dominus à Juvenale vocatur. De hâc urbe & Ludis Pythicis ibi exhibitis infra ad Ep. 38. plenius dicturi ſumus.

Multæ urbes apud antiquos Nyſæ nomina habuerunt, quarum unam in Bœotia [p] prope Heliconem, [q] aliam in India, [q] aliam in monte Caucaſo, [q] aliam in Lybia ponunt Geographi; Celeberrima autem illa, in qua Bacchus maxime colebatur, atque ideo Dominus Nyſæ apud Juvenalem vocatur, [r] Arabiæ urbs fuerat in monte Mero ſita, ubi cum Bacchus natus & enutritus fuerit, Μηεροτεαφὴς ideo vocabatur, atque inde, [s] teſte Euſtathio, apud Græcos μηρὸν pro femore accipientes, fabula de Baccho è Jovis femore nato habuit originem. [t] Bocharto autem placet, Bacchum μηεροτεαφῆ appellari, non quod in monte Mero dicto, ſed potius quod in urbe ad montis latus ſitâ naſceretur, quod uſitatâ apud Phœnices, & Hebræos Phraſiologiâ ירכת־הר i.e. femur montis dicebatur. Sic Judicum cap. 19. com. 1. legitur בירכתי הר אפרים i.e. ſecundum LXX ἐν μηερῖς ὄερυς Ἐφεαῖμ. & 2 Reg. cap. 19. com. 23. ירכתי לבנון quod etiam ſecundum Verſionem LXX. eſt μηρῦς τῦ Λιβάνυ, cui ſimile eſt etiam illud Homeri, Ἴδης ἐν κνημοῖσι, & iterum πολύκνημόν τ' Ἐπωνόν, & illud Dionyſii Afri, verſ. 737. κνημοῖς ὑπὸ Παρνησσοῖο. Pro hâc opinione etiam facit, quod apud [u] Strabonem, qui de monte Mero ſcribit, conſtat in latere illius montis Nyſam conditam fuiſſe. Græci vero [x] Bacchum è Semele Cadmi filiâ Thebis natum volunt, indeque à Jove patre Nyſam, ut illic à Nymphis educaretur, miſſum: ubi cum adultus uſum vini inveniret, atque ideo ab incolis illius Regionis pro Deo habitus, in eâ primo divinis honoribus coleretur, dicunt ob eam ſolam rationem Baccho maximæ Nyſam ſemper ſacram exiſtimari. Sed cum conſtet, longe ante adventum Cadmi in Græciam Bacchum uſum vini inveniſſe, ideoque apud orientales ab antiquiſſimis temporibus pro Deo haberetur (Baccharum enim mentio eſt [a] apud Athenæum in Nini Epitaphio, qui multis ſeculis ante Cadmum vixerat, & Euripides, [c] Servius, multique alii Bacchum longe antiquiorem fuiſſe plane agnoſcunt) fingunt igitur Græci tres Bacchos, quorum duos priores Arabes ſeu Ægyptios, tertium Græcum fuiſſe dicunt. Verior autem mihi videtur illorum opinio, qui unum tantum eundemque Bacchum & apud Græcos, & apud Barbaros coli volunt, quem vel [d] Oſirem, vel aliquem alium Ægyptiorum Regum, qui Nyſæ regnabat, fuiſſe tradunt. Nyſam autem quamvis Arabiæ urbs dicatur, ſedem tamen Regum Ægyptiorum antiquitus fuiſſe non omnino videtur abſimile: cum enim teſte Homero apud [e] Diodorum Siculum, Nyſa prope Nilum fuerit, ſatis inde conſtat, illam non in Arabia, quæ ad partem Maris Rubri Orientalem; ſed in illa, qua ad Occidentalem inter ipſum Mare & Ægyptum extenſa fuerat, ſi-

[o] Strabo lib. 9. Pauſanias in Phocicis. Plin. lib. 4. c. 3. [p] Strabo lib. 9. Pauſanias in Bœoticis. Euſtathius ad ζ. Iliad. Homeri, p. 619. [q] Euſtath. ib. Diodor. Sic. l. 3. [r] Diodorus Siculus, lib. 3. & 4. Strabo lib. 15. Mela. lib. 3. c. 7. Plinius lib. 6. cap. 21. & l. 16. c. 34. [s] Euſtathius ad Iliad. Homeri β. p. 310. lin. 7. [t] Bochartus Geographiæ Sacræ, lib. 1. cap. 18. [u] Strabo lib. 15. [x] Apollodorus lib. 3. Diodorus Siculus lib. 3. & 4. Ovid. Metamorph. lib. 3. Johannes Antioch. lib. 2. Cedrenus lib. 1. Pauſan. in Bœoticis. Suid. in Διονύσος. Euripides in Bacchis. Orpheus in Hymnis. [a] Athenæus lib. 12. [c] Servius in primum Librum Georgicorum Virgilii, ubi dicit Hallirrhothium Cecropis temporibus à Marte ideo occiſum fuiſſe, quod vites à Baccho plantatas excidiſſet. [d] Herodot. lib. 2. Plutarch. in Iſide. Diodor. Sic. lib. 1. [e] Diodorus Siculus, lib. 4.

tum habuisse. [f] Illam autem Ægypti partem, quæ Mari Rubro contigua est, Arabiam & incolas Arabes, non tantum apud antiquos, sed etiam ad nostra usque tempora omnes sciunt appellari. Ægyptus, si stricte accipiatur, pratis nostris humilioribus, atque uvidis, quæ fluviis vicina ab iisdem quoties crescunt inundantur, non absimilis inter duos longos montium tractus ad utrasque ripas fluvii Nili à Septentrione in Austrum extendebatur, latitudinem, si Delta excipias, tantum centum mille passuum, & longitudinem quingentorum haberi existimata. [g] Montes, qui ad latus Ægypti Occidentale exporrecti fuerant, à Lybia ideo Libyci dicti, qui ad Orientale ab Arabia disterminabant, [h] Arabici montes dicebantur. In his suppono Nysam conditam fuisse, in qua Bacchus sive Osiris, sive aliquis alius Regum Ægyptiorum fuerat, Regni sedem habens, tam Ægyptiis, quam Arabibus imperavit, & ab illis ob inventum vini usum, & [i] victorias suas, quibus totum fere orbem pervagatus fuerat, tandem pro Deo habebatur. Ex Ægypto in Græciam ejus cultum primus transtulit Cecrops, circa ejus enim tempora Bacchum Athenis cultum, & vites ibi plantatas fuisse, [l] Servius in antiquis suis ad Virgilium Scholiis testatur. Ejus cultum labefactatum & neglectum, cum Cadmus ab oriente in Græciam profectus iterum restituisset, inde evenit, ut Bacchus Cadmi Deus primo vocatus, tandem illius nepos fuisse crederetur. Cum enim Amphictyon Atheniensium Rex, dicatur Athenis primus festa [n] Baccho celebrare, & illi aram ut Deo ponere, qui post Cadmi in Græciam adventum, ut [o] ex Marmore nostro & Eusebio constat, sex tantum annos ibi regnaverat, quis non mihi assentietur, illum potius à Cadmo hujus Dei cultum accepisse, quam ab illius nepote, cujus matrem, à qua nasceretur (cum Cadmus [p] ante octavum annum post adventum suum in Græciam nullam duxerit uxorem) constat Amphictyone Athenis regnante nondum genitam fuisse? Herodotus lib. 2. Melampum Amythaonis filium, Diodorus Siculus lib. 1. & Apollodorus lib. 1. Orpheum Bacchi mysteria ex Ægypto in Græciam primum intulisse dicunt. Bacchum Διόνυσον à Nysa, cujus urbis Rex fuerat, quoad posteriorem nominis partem appellari [q] omnes consentiunt Etymologici, de priore discrepant. Græci dicunt hanc Jovis nomen esse nomini urbis præfixum, ita ut illorum sententiâ Διόνυσος [r] sit vox hybrida ex nomine patris Διὸς, & Nysæ urbis, ubi educatus fuerat, conflata. Sed nominis Arabici Regis magis placet Arabica Etymologia, quæ habetur [s] apud Etymologici autorem, qui dicit Διόνυσον esse, quasi Δεύνυσον, à Δεῦνος, quæ vox apud Indos Regem significat (Græci [t] enim præsertim recentiores Arabes, & quascunque gentes procul remotas, eodem modo, quo nostri ævi homines, Indos vocabant) & Νύσα, ita ut Διόνυσος sit, quasi Nysæ Rex. Hanc Etymologiam approbat, & autoritate suâ apud omnes doctos merito semper venerandâ confirmat [v] vir celeberrimus, qui nos docet non tantum Διόνυσον à voce Arabicâ ذو *du*, Dominus, vel in obliquo ذي *di*, & نوسا Nysa derivatum fuisse, sed nomen Bacchum etiam esse Arabicæ originis, illasque apud Arabes voces, بخ بخ Bacche, Bacche, (quæ solent ab illis ingeminari, cum rem aliquam laudibus efferant, vel admirabundi exclament, & بخ Baccha, i.e. grande, magnum, vel præclarum aliquid esse denotant, eædemque plane sunt cum Græcorum εὐοῖ, εὐοῖ, vel εὐοῖ Βάκχε) illam esse inconditam Bacchanalium vocife-

[f] Strabo lib. 17. Herodotus lib. 2. Elmacinus in Historiæ Saracenicæ, lib. 1. [g] Strabo lib. 17. Herodotus in Euterpe. [h] Strab. lib. 17. *Herodot.* lib. 2. [i] Diodorus Siculus lib. 3, & 4. [l] Ad Lib. 1. Georgicorum. [n] Euseb. Chron. Pausanias in Atticis. Athenæus lib. 2. & 4. Eustathius ad Odyss. Homeri ς'. [o] Compara Eusebii Canonem Regum Atheniensium, cum Epocha Marmorea septima. [p] Apollodor. lib 3. Pausan. in Bœoticis. [q] Etymologici autor in Διόνυσος. Diodorus Sicul. lib. 3. & 4. [r] Diodor. Sic. ib. [s] In Διόνυσος. [t] Scriptores Historiæ Byzantinæ in vita Justiniani, & alibi Auxunos, qui erant Æthiopes, & Homeritas, qui erant Arabes, plerumque Indos vocabant. Vide Johannem Antiochenum, lib. ult. Theophanem & Agathiam. [v] Doctissimus Pocockius, in specimine Historiæ Arabum. pag. 106.

rationem;

rationem, propter quam Eustathio placet Διόνυσον, apud Græcos Βάκχον, etiam nuncupatum fuisse. Qui omnes quæ de Baccho narrantur vult fabulas cognoscere, adeat Diodori Siculi, lib. 3. & 4. Apollodori lib. 3. Pausaniæ lib. 9. Consulat etiam, si placeat, Eustathium ad ζ Homeri Iliad. pag. 629. aliosque in Græcos Poetas antiquos Scholiastas. In narrandis vero de Baccho fabulis maxime prolixus est [x] Johannes Antiochenus, cujus Liber Manuscriptus in Bibliothecâ Bodlianâ habetur: quæ etiam à Cedreno, sed magis succincte recitantur; ita ut cum minore temporis dispendio ibidem legi possint: quis enim nisi cui vitæ spatia nimis longa videntur, in puerilibus nugis evolvendis, bonas horas eripi sibi patiatur?

Restat adhuc, ut de Deucalionis Genealogiâ pauca dicamus. Ex illius progenitoribus antiquissimus memoratur [a] Οὐρανὸς, quem totius Occidentalis mundi [b] Regem, & Astronomiæ peritissimum dicunt fuisse, cujus scientiæ studio cum maxime operam dedisset, inde evenit, ut ipse, &, quod contemplabatur, Cœlum eodem nomine dicerentur. [c] Hic ex uxore Titeâ, quam alii Vestam, alii Tellurem vocant, Saturnum, Japetum, Oceanum, ceterosque eos, qui à matris nomine apud Poetas Titanes dicuntur, genuisse memoratur.

Ab Oceano fluvius Nilus olim Oceanus dicebatur, indeque ad omne Mare significandum nomen transiisse memoratur. Diodor. Sicul. lib. 1.

Japetum cum ceteris Titanibus à Jove [e] in Tartarum detrusum fuisse fingunt poetæ, Saturni enim frater erat, atque ideo ob ejus antiquitatem deliri, & decrepiti senes per convitium [f] Ἰαπετοὶ apud Græcos dicebantur, qui etiam, cum aliquid vetustissimum esse significarent, quibus hoc plerumque exprimebant, [g] Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερον, & [h] Ἰαπετοῦ πρεσβύτερον, notissima habuerunt proverbia. Hunc ob nominis similitudinem Japhetum Noachi filium [i] Salmasius multique alii volunt fuisse; sed cum Deucalion, cujus avus fuerat Japetus, Mosi coævus fuisset, satis inde apparet Japetum Græcorum Japheto Noachi filio multo recentiorem fuisse. Japetus ex uxore Clymene [l] tres filios, Atlantem, Epimetheum, & Prometheum genuisse dicitur. Quos [m] Tatianus tradit Triopæ septimo Argivorum Regi fuisse coævos; sed cum Triopas [n] teste Eusebio ante quartum annum Regni Cecropis Argis non regnasset, ejusdemque Cecropis anno nono Deucalion Promethei filius in [o] nostro Marmore Lycoriæ regnasse dicatur, multo potius in hâc re præferenda est [p] Syncelli autoritas, qui hos fratres tempore Criasi quinti Argivorum Regis, qui [q] 85 annis ante initium Regni Cecropis imperium adeptus illud per 54 annos tenuerat, dicit maxime floruisse.

Atlas iisdem quibus avus Οὐρανὸς, studiis deditus sphærarum doctrinam primus docuisse memoratur, quarum contemplationi cum multum invigilasset, Astronomus omnium sui temporis evasit peritissimus; atque ideo à Poetis cœlum humeris suis [s] sustinuisse fingitur. Alii autem volunt hanc fabulam [t] ab altitudine montis Atlantis originem habuisse, qui ab Atlante sic dictus in Africa prope Oceanum Occidentalem, qui ab eodem etiam Atlanticus dicebatur, situm habens [u] usque ad ipsum cœlum ascendere, illudque verticibus suis sustentasse videbatur. [x] Atlas in Regionibus huic Monti vicinis olim regna-

[x] Lib. 2. [a] Apollodor. lib. 1. Diodorus Siculus, lib. 3. Hesiodus in Theogonia. Euseb. Præp. Evang. lib. 2. c. 2. [b] Diodorus Siculus, lib. 3. Euseb. ib. [c] Diodorus Siculus, lib. 3. Euseb. ib. Apollodorus l. 1. Hesiodus in Theogonia. [e] Homerus Il. θ'. vers. 479 & Didymus Schol. ib. Apollodorus, lib. 1. Hesiodus in Theogonia. [f] Hesychius in Ἰαπετός. Suidas ad eandem vocem. Aristophanes in Nubibus. [g] Lucian. in Dialogo Jovis & Cupidinis. [h] Lucian. in Dialogo Apollinis & Vulcani. [i] De Lingua Hellenistica, part. 2 cap. 2. [l] Apollodorus lib. 1. Hesiodus in Theogonia. [m] In Oratione contra gentes. [n] In Chron. lib. 2. [o] Epoch. 2. [p] Pag. 149. [q] Euseb. in Chronicis, lib. 1. & 2. [r] Diodor. Sicul. lib. 3. Euseb. Præp. Evang. lib. 2. cap. 2. [s] Diodorus Sic. lib. 3. Tzetzes Chil. 5. Hist. 1. Lucian. in Charone. Didymus ad Odys. Hom. α'. vers. 52. [t] Virgil. Æneid. lib. 4. [u] Herodotus in Melpomene. Pausanias in Atticis. [x] Diodor. Sic. lib. 3.

vit,

vit, [y] ab eoque Atlantes, qui hic diu dicuntur habitasse, originem deducebant. Atlantem autem unum tantum filium Hesperum dictum, & septem filias habuisse invenimus: ab Hespero, [z] Hispaniam & Italiam olim Hesperiam, & Astrum, quod mane Luciferum vocamus, Vesperi [a] Hesperum volunt appellari. [b] E filiabus Maia Mercurium, Electra Dardanum, Taygete Lacedæmonem à Jove compressæ peperere; cum Jovi etiam Celæno, Halcyone cum Neptuno, Asterope cum Marte rem habuisse dicuntur: Merope Sisipho Hellenis nepoti nupta fuit. Hæ à patre Atlante, aut ab aliquo alio, qui constellationibus primo nomina dederat, inter stellas relatæ [c] Pleiades dicuntur, inter quas unam, quam Meropen esse volunt, [d] ideo dicunt esse obscurissimam, quod, cum ceteræ sorores Diis nuptæ fuissent, illa sola mortalem habuit maritum.

Epimetheus ob solam uxorem Pandoram, ex quâ Pyrrham genuit, [e] celebratur; de fabulis quæ de illius è luto formatione, & Pyxide omnibus morbis plenâ finguntur, consule Poetas.

Prometheus [f] Deucalionis pater erat, quem ex uxore Asiâ avunculi sui Oceani filiâ, à qua [g] secundum Herodotum quarta orbis pars Asiæ nomen habuerat, genuisse dicitur. [h] Hic inter veteres sapientissimus, & ob Philosophiam non minus, quam frater Atlas ob Astronomiam, insignis fuisse memoratur: [i] quam cum primus docuisset, & homines eâ imbutos à barbaris & ferinis moribus ad vivendi genus magis humanum & civile deduxisset, inde finxerunt Poetæ, illum è luto formasse homines. Ab illo omnes artes & scientias initium habuisse Æschylus in Tragœdiâ suâ de Prometheo sæpius testatur. Hoc etiam Theophrastus apud [l] Phavorinum, multique alii dicunt. [m] Artes etiam, quæ circa Metalla sunt, primus invenerat; ideoque à Poetis fingitur ignem hominibus dedisse, quod illius in emolliendo ferro primus docuerit usum; [n] ob quam rationem Athenienses statuam, & Aram ei in Academiâ ponentes eodem, quo Vulcanum, semper cultu honorabant, [o] eique festa Προμήθια dicta, & [p] Lampadiferorum certamen eodem modo, quo in Panathenæis & Vulcani festo, celebrabant. Qui in eo certabant ab illius arâ, quæ in Academia fuerat, accensas faces sumentes, cum iis ad destinatam metam simul decurrebant, ad quam si quis accensam suam facem detulisset, eamque primus attigisset, Palmam obtinebat; si vero omnes faces in cursu extinctæ fuissent, illa in medio relinquebatur.

Prometheus etiam [q] artis figulinæ inventor fuit, atque ideo Athenis figuli, & omnes illi qui circa lutum versabantur, [r] Promethei dicebantur.

Prometheum Scythis [s] Regiones circa Caucasum incolentibus dicunt imperasse, qui cum ob inundationem fluvii ἀετοῦ magnâ fame laborassent, Regemque ideo suum, ei irati, quod illorum inopiæ subvenire non poterat, in vinculis detinuissent, donec Hercules illuc adveniens, per multas fossas derivatis in mare aquis eum liberasset: inde fabulam illam notissimam de aquilâ, quæ Promethei jecur devorabat, ab Hercule occisâ [t] Herodorus, qui de vinculis Promethei scripsit, originem suam dicit habuisse. [u] Agrætas antiquus de Rebus Scythicis scriptor idem fere narrat, nisi quod, omissâ de vinculis historiâ, tantum dicit mœrorem, quem Prometheus ob devastatas provincias in animo suo conceperat, huic fabulæ de Aquilâ Promethei jecur devorante ori-

[y] Herodot. in Melpomene. Strabo lib. 17. Diodor Sicul. lib. 3. [z] Servius in lib. 1. Æneid. Isidorus. Orig. lib. 14. cap. 3. [a] Diodor. Sic. lib 3. [b] Diodor. Sic. ibid. Ovid. Fastorum, lib 4. Phavorinus in Ἄτλας. [c] Diodor. Sic. lib. 3. Ovid. Fastor. lib. 5. [d] Diodor. Sic ib. [e] Apollodor. lib. 1. Hesiodus in Theogoniâ. [f] Apollodorus lib. 1. Apollonius Rhodius, lib. 3. Hesiodus in Theogonia. [g] Herodot. lib. 4. [h] Æschylus in Prometheo [i] Theophrastus apud Phavorinum in Προμηθεύς. Syncellus. pag. 149. Cedrenus. lib. 1. Johannes Antiochenus, MS. in Bibliothecâ Bodl. lib. 4. [l] In Προμηθεύς. [m] Æsculus in Prometheo. [n] Pausanias in Atticis. Scholiast. Sophoclis ad Oedipodem in Colono. [o] Pausan. in Atticis. Xenophon de Repub. Atheniensi Lysias in Ἀπολογία δωροδοκίας. Isæus in orat ὑπὲρ Ἀπολλοδώρου Κλήρου. [p] Pausanias in Atticis. Aristoph. Scholiast ad Ranas. Plutarch. in Solone. Harpocration. [q] Æschylus in Prometheo. [r] Lucian. πρὸς τὸν εἰπόντα Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις. [s] Phavorinus in Προμηθεύς. [t] Apud Phavorinum in Προμηθεύς. [u] Apud Phavorinum in Προμηθεύς.

ginem præbuisse. Sed [x] Diodorus Siculus hæc de Prometheo narrata, non in Scythia, sed in Ægypto regnante Osiride facta fuisse scribit, dicitque, cum ille expeditionem in Asiam suscipiens, Herculem & Prometheum, ex consiliariis suis sapientissimos, Ægypti provinciis præposuisset, & Nilus ob celerem cursum tunc Ἀετὸς dictus Promethei præfecturam inundans, eamque, occisis multis millibus incolarum, totam fere deperdens, Prometheum maximo dolore excruciasset, donec Hercules illi subveniens fluvium extructis aggeribus intra proprium alveum conclusisset, inde fabulam hanc de Promethei cruciatu natam fuisse. Cum autem omnes hi Autores negent Prometheum Græcum fuisse, nec aliquis alius hoc asserat, compertum est inde Deucalionem ejus filium advenam in Græciam venisse, an vero ex Scythia seu ex Ægypto illic commigraverit, ob æqualem autoritatem eorum, qui utrumque asserunt, non satis constat. Illis, qui Deucalionem Scytham fuisse volunt, assentit [y] Lucianus. [z] Cum autem Deucalion dicatur inter Græcos primus instituisse duodecim Deorum cultum, quem [a] Herodotus, [b] Diodorus Siculus, multique alii testantur ex Ægypto in Græciam primum allatum fuisse, hinc videtur probari posse, Deucalionem ex Ægypto potius venisse. Cum autem requirat Promethei ætas, ut supra memorata Osiridis expeditio ante Cecropis in Atticam, & Deucalionis in Phocidem ex Ægypto adventum susciperetur, tam Deucalionem, quam Cecropem cum coloniis suis ab hoc victore in illis Regionibus relictos fuisse valde videtur verisimile. Cum Deucalion in Græciam primum advenisset, [c] Locrensibus & Ætolis, quos Curetes & Leleges tunc dictos aut ex Ægypto secum in coloniam duxit, aut ibi inventos fecit subditos, tantum imperasse perhibetur: postea autem [d] victis Pelasgis, qui ante illius adventum [e] potentissimi fuere, totâque Thessaliâ, [f] quam incolebant, expulsis, totius deinde Græciæ obtinuit imperium. Uxorem habuit [g] Pyrrham Avunculi sui Epimethei filiam, quam ideo apud [h] Ovidium conjugem, & sororem appellat, eique dicit,

—O femina sola superstes,
Quam commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde torus junxit.—

Thessaliam, unde expulerat Pelasgos, ab iis tunc [i] Pelasgiam dictam [k] à Pandora Pyrrhæ matre Pandoram, & postea ab ipsa Pyrrha, [l] Pyrrhæam appellavit. Ex ea Deucalion tres filios [m] Hellenem, [n] Amphictyonem, & [o] Orestheum, & unam filiam [p] Protogeniam suscepisse memoratur. Philastrius in libro de Hæresibus, cap. 3. autoritatem Hesiodi poetæ, ut ipse dicit, secutus, alium etiam Deucalionis & Pyrrhæ filium Paganum dictum, eundemque magnum Regem, & apud posteros pro Deo cultum tradit fuisse, ab illiusque nomine Gentiles à Christianis Paganos appellari contendit. Sed de hoc Pagano nihil in Hesiodo, aut aliquo alio autore invenitur. meliorem igitur hujus nominis rationem videas in notis nostris ad Epocham tertiam. [q] Protogenia Locro (qui Locridi nomen dedit) nupta [r] Opuntis, & Aethlei mater fuit. Ab Opunte Opuntii, ab [s] Aethlio Elei, Pæones, & Ætoli deducunt originem. [t] Hellenem in Thessalia, [u] Amphictyonem in Locride orientali, Trachiniâ, &

[x] Diodorus Siculus, lib. 1. Phavorinus in Προμηθεύς. vide etiam Johannem Tzetzem, Chil. 5. vers. 23. [y] Lucianus de Deâ Syrâ. [z] Phavorinus in Δευκαλίων. Apollonius Rhodius. lib. 3 vers. 1085. Scholiast. ib. Plutarch. contra Colotem. [a] Lib. 2. [b] Sæpius in quinque primis libris. [c] Dionysius Halicarnasseus, l. 1. [d] Dionys. Hal. ib. [e] Strabo lib. 7 in fine libri. Dionys. Hal. lib. 1. [f] Didymus Scholiastes in Homeri Il. π′ carm. 233. Dionys. Hal. l. 1. Strabo l. 5. p. 220. [g] Apollodor. l. 1. Strabo lib. 9. p. 443. Ovid. Metam. l. 1. Didymus in Homeri Il. μ′. carm. 117. & ad Il. α′. carm. 10. [h] Ovid. Metam. l. 1. fab. 7. [i] Didymus Scholiast. ad Homeri Il. π′. v. 233. [k] Strabo l. 9. in fine. [l] Strabo l. 9 ib. [m] Apollod. l. 1. Strabo l. 9. Eusebius in Chronicis. Didymus. ad Homeri Il. μ′. carm. 117. Lexicographi Græci in Ἕλλην. [n] Apollod. l. 1. Euseb. in Chro. Pausan. in Phoc. Suidas & Harpocration in Ἀμφικτύονες. Stephanus in Βοιωτία. Didymus ad Il. Homeri μ. carm. 117. [o] Pausanias in Phocicis. [p] Pausanias in primo Eliacorum. Apollodorus lib. 1. Didymus ad Il. Homeri μ′ carm 117. [q] Pausanias in primo Eliacorum Apollodorus lib. 1. Strabo lib. 9. [r] Scholiastes ad Pindari Olymp. 9. [s] Pausanias in primo Eliacorum. [t] Apollod. lib. 1. Strabo lib. 9. Pausanias in Achaicis. Euseb. in Chronicis Epocha Marmorea 6. [u] Strabo lib. 9. Pausan. in Phocicis. Epocha Marmorea 5.

Bœotiâ Orestheum in Locride Ozolarum, & Ætoliâ pater Deucalion, cum hæc regna per [x] 53 annos tenuisset, post obitum suum habuit successores. Deucalion [y] Athenis, Pyrrha [z] Cyni in Locride Opuntiorum sepulti fuerunt, in iisque urbibus usque ad Strabonis & Pausaniæ tempora illorum monumenta perhibentur mansisse.

[x] Compara Epocham 2. & Epocham 6. [y] Pausanias in Atticis. Strabo lib. 9. p. 425. [z] Strabo lib. 9. pag. 425.

Deucalionis Genealogia.

- Οὐρανὸς seu Cœlus antiquissimus in Heroum Genealogiis à Græcis memoratus uxorem habuit Titeam, à qua omnes nati filii Titanes, & filiæ Titanides vocabantur.
  - Cœus uxorem habuit Phœbē sororem suam
    - Latona, Jovis pellex.
      - Apollo —Æsculapius, &c.
        - Machaon.
        - Podalirius, à quo decimus sextus Hippocrates Cous Medicorum maximus.
      - Diana.
    - Asterea.
  - Crius.
  - Hyperion.
  - Saturnus uxorem habuit Rheam, quæ & Ops, & Cybile, & mater deorum appellatur,
    - Jupiter genuit ex
      - Junone
        - Vulcanum.
        - Martem.
        - Heben.
      - Dione——Venerem.
      - Themide Cœli filiâ——Horas, & Parcas.
      - Eurynome, Oceani filiâ——Gratias.
      - Semele——Bacchum.
      - Alcmena——Herculem.
      - Europa —Minoem & Rhodomanthum.
      - Niobe —Pelasgum. &c.
    - Pluto
    - Ceres————Proserpina.
    - Neptunus————
      - Belus.
      - Agenor.
      - Triton.
      - Eryx, &c.
  - Oceanus
    - Nereus, Doris. — Nereides, inter quas insignissima Thetis mater Achillis.
    - Asia.
  - Japetus uxorem habuit Clymenen.
    - Prometheus. (ex Asia) — Deucalion.
    - Epimetheus uxorem habuit Pandoram — Pyrrha.
      - (Deucalionis & Pyrrhæ liberi)
        - Hellen.
          - Æolus, à quo Æoles.
          - Dorus, à quo Dores.
          - Xuthus
            - Achæus, à quo Achæi.
            - Ion, à quo Iones.
        - Amphictyon.
        - Orestheus.
        - Protogenia Locri uxor.
          - Opus, à quo Opuntii.
          - Aethlius, à quo Elei.
          - Pæones & Ætoli.
    - Mœnetius.
    - Atlas.
      - Hesperus, à quo Italia, & Hispania Hesperia dicebantur.
      - Maia Jovis Pellex. Mercurius.
      - Celæno
      - Electra, Jovis Pellex
        - Dardanus, à quo Dardani.
        - Jasion.
      - Taygete, Jovis Pellex——Lacedæmon, à quo Lacedæmonii.
      - Merope, Sisyphi uxor.
      - Halcyone, Neptuni Pellex—Halcyone Ceycis Trachiniæ, Regis uxor.
      - Asterope, Martis Pellex—Oenomaus.
  - Ceteri Tetanes, qui omnes numero erant 45. Diodor. Sic. lib. 3.
  - Mnemosyne, Jovis conjux,
    - Erato.
    - Calliope, Apollinis Pellex.
      - Orpheus.
      - Linus.
    - Terpsichore.
    - Thalia, Apollinis Pellex.—Corybantes.
    - Clio, Pieri Pellex.—Hyacinthus.
    - Polihymnia.
    - Melpomene, Acheloi Pellex.—Sirenes.
    - Euterpe, Strymonis Pellex.—Rhesus.
    - Urania.
  - Tethys.
  - Themis.
  - Ceteræ Titanides.

Ep. 3. Ἀφ' οὗ δίκη Ἀθήνησι ἐγένετο Ἄρει καὶ Ποσειδῶνι] Martem ob cædem Hallirothii, [a] quem vim filiæ suæ Alcippæ inferentem occiderat, à Neptuno patre ejus coram duodecim Diis in jus vocatum fuisse, ab iisdemque absolutum, & locum, ubi causam dixerat, ab illius nomine deinde Ἄρειον πάγον appella-

[a] Pausanias in Atticis. Suidas in Ἄρειος πάγος. Stephanus Byzantinus. Etymologici autor, & Phavorinus ad eandem vocem. Libanius orat. 22. & 23. Isidor. Pelusiota. l. 2. Ep. 92.

tum fuiſſe, multi narrant [b] autores. [c] Æſchylus autem ab his omnibus diſſentiens, nomen loco impoſitum dicit, quod Amazones, cum regnante Athenis Theſeo arcem obſiderent, in eo caſtra ſua ponentes, ibi Marti bellorum Deo hoſtias immolaſſent. [d] Euſtathius non propter ſacrificia ab Amazonibus facta, ſed quod illæ Martis filiæ fuiſſe crederentur, locum poſtea, ubi caſtra poſuerunt, Ἄρειον πάγον ſeu Martiam rupem potius putat appellari; [e] quam eandem etiam Etymologici autor habet Etymologiam: ſed utraque hæc frivola ratio, nec alterutra illarum mihi ſuadet, ut non potius approbem primam, quæ cum non tantum in noſtro Marmore antiquiſſimæ autoritatis Chronico, ſed etiam apud tot probatiſſimos habeatur autores, longe potior videtur Etymologia, cum ſive Mars, qui pro Deo poſtea colebatur, ob cædem in Areopago cauſam vere dixerit, ſive, quod multo probabilius eſt, tantum dixiſſe fingeretur, utraque ratio æque valet, ut locus inde Ἄρειος πάγος diceretur.

Hic autem locus Ἄρειος πάγος dictus, non vicus aut Platæa aliqua Athenis, ut plerique credunt, Etymologiâ vocis decepti, ſed collis, ſeu potius rupes alta & prærupta, in medio fere urbis ſita; πάγος enim apud Græcos, non ut pagus apud Latinos vicum, ſed ὄχθον, βουνὸν, λόφον, ſeu πέτραν, i. e. collem, clivum, tumulum, ſeu rupem ſignificabat. Sic [f] doctiſſimi Græci Grammatici, & Lexicographi; ſic [g] Theophylactus, [h] Oecumenius, [i] Iſidorus Peluſiota; ſic [l] Demetrius Triclinius Scholiaſtes Sophoclis, & Stephanus Byzantinus, multique alii autores vocem interpretantur; qui iidem etiam Areopagum talem βουνὸν ſeu λόφον fuiſſe omnes teſtantur: Atque ideo Areopagum ab [m] Æſchylo, & [n] Euripide Ἄρειον ὄχθον, [o] ab Ovidio, Mavortis ſcopulum, [p] ab Herodoto τὸν κατάντιον τῆς Ἀκροπόλιος ὄχθον, ab [q] Interpretibus Anglicanis Novi Teſtamenti Mars-Hill vocari invenimus. Quod igitur de Areopago dicit Dominus Owenus, [r] in libro ſuo de Progreſſu Idololatriæ, quaſi eſſet vicus ſeu Platæa aliqua Athenis à columna, quam vult apud Græcos πάγον vocari, in ea erectâ & Marti conſecratâ ſic dicta, hinc ſcias contra Græcæ linguæ analogiam, & ſcriptorum omnium fidem ab eo traditum fuiſſe. Cum autem vici ſeu oppidula [s] in tumulorum & collium verticibus, ut incolæ ibi eſſent à furibus tutiores, apud antiquos plerumque conderentur, obtinuit inde, ut tandem ipſa etiam oppida ſic in alto condita, & poſtea quæcunque mœnibus non munita, apud Latinos recentioreſque Græcos πάγοι, ſeu Pagi dicerentur. (ſs) Atque ideo cum Conſtantius Imperator, anno Chriſti 351, contra Magnenſium rebellem profecturus, Ethnicos omnes exautoraſſet, & ab exercitu in hos pagos dimiſiſſet, ab eo tempore obtinuit, ut Ethnici omnes apud Chriſtianos tam Græcos quam Latinos Pagani dicerentur. Talis autem pagus Areopagus non fuit, nullos enim incolas ibi habitaſſe, aut oppidum, aut ædificium aliquod præter Areopagitarum Curiam, & Templa vicina conditum fuiſſe memoratur; ſed, ut ſupra dixi, collis ſeu rupes fuit, quæ prius ſimpliciter πάγος audiebat, eoque nomine ob eminentiam ſuam ſatis nota fuiſſe videtur; poſtea autem cum Mars hic cauſam dixerit, aut dixiſſe crederetur, ab eo deinde Ἄρειος πάγος, i. e. Martia rupes, ſeu Martius collis dicebatur. Rupi Tarpeiæ apud Romanos ſimilis fuiſſe videtur, & ab arce non longe diſtabat,

[b] Pauſanias in Atticis Demoſthenes in orat. contra Ariſtocratem. Ariſtides in Panathenaicâ. Æſchines Epiſt. 9. Scholiaſtes Juvenalis, Sat. 9. Simeon Metaphraſtes in Martyrio Dionyſii Areopagitæ, & Michael Singelus in vita ejuſdem. Oecumenius Theophylactus, & Beda ad Acta Apoſtolorum, cap. 17. Lactantius lib. 5. cap. 3. Iſidorus Peluſiota, lib. 2. Epiſt. 91. & 92. Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 18. cap. 10. Stephanus, Suidas, Etymologici Autor, & Phavorinus in Ἄρειος πάγος. Servius ad Georg. Virgil. lib. 1. Maximus, & Georgius Pachymerius in Dionyſium Areopagitam. [c] In Eumenidibus. [d] In Dionyſium ad verſ. 655. [e] In Ἄρειος πάγος. [f] Heſychius in πάγος. Etymol. in Ἄρειος πάγος. Phavorinus in πάγος. & Ἄρειος πάγος. Suidas in Ἄρειος πάγος. [g] Ad Act. Apoſt. cap. 17. com. 19. [h] Ad eundem Textum. [i] Lib. 2. Epiſt. 91. [l] Εἰς τὸ Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ δρᾶμα, & εἰς τὸ τριγωνίας δρᾶμα. [m] In Eumenidibus. [n] In Electra. [o] Metamorph. lib. 6. Fabula 2. [p] Lib 8. [q] Act. Apoſt. cap. 17. com. 22. [r] Lib. 3. cap. 11. p. 261. [s] Dionyſius Hal. lib. 1. & lib. 4. (ſs) Vide Theodoretum lib. 3. cap. 3. & Baronii Annal. Eccleſiaſt. ad An. Dom. 351.

extra

extrà autem illam positam fuisse non tantum autoritate [t] Valerii Maximi, & Luciani, qui arcem, & Areopagum plane sejungunt, sed eo maxime, quod [w] Amazones, & postea [x] Persæ in Areopago dicuntur castra habuisse, quando arcem obsidebant, contra [y] Hesychium aliosque, quorum contraria est sententia, satis mihi probatum esse videtur. Quod autem arcem obsidentibus, unde eam oppugnarent, sic Areopagus semper maxime idoneus videbatur, indicat hoc loci altitudinem, & cum ab illo [z] Persæ in ipsam arcem sagittas suas potuissent immittere, indeque etiam in totam urbem [a] prospectus capi posse dicatur, constat inde Areopagum altitudine arci quoad minimum æqualem, ceteris autem omnibus urbis locis multò superiorem fuisse; & ob hanc rationem quando [b] Epimenides è Creta Athenas accersitus, urbem tunc peste laborantem ob Cylonium piaculum lustraverit, iisdem, quibus [c] Judæi in magno expiationis die, usus ritibus, eodem modo Athenienses ab hoc scelere ove nigrâ & albâ, quo illi semetipsos hirco ἀποπομπαίῳ, expiabat; eodem etiam modo, quo illi hircum ab alta rupe [d] צוק, sic oves suas hic ab altissima Athenis Martiâ rupe populi scelera secum ablaturas demittebat.

In vertice [e] hujus rupis, seu collis Areopagi dicti, Tribunal, ad quod Mars causam suam dixisse traditur, in areâ septo undeque munitâ [f] sub dio positum fuisse perhibetur. In illud sedentes Areopagitæ, ab hoc Martis judicio originem habuisse existimati, de cædibus capitalibusque aliis criminibus quam sanctissime dicuntur judicasse. Coram Tribunali erant [g] duo scabella ex argento facta formam lapidum habentia, atque ideo satis improprie lapides Argentei dicti; alter, Lapis ὕβρεως, alter, Lapis ἀναιδείας vocabatur; in hunc reus, in illum actor insistentes causas suas, quoties ab Areopagitis de crimine aliquo habebatur judicium, coram iisdem alternis vicibus dicebant. Prope hos lapides [h] Epimenides ὕβρει καὶ ἀναιδείᾳ aras etiam posuit, ejusdemq; suasu [i] mox Templum superstruxere Athenienses, in quo videntur sedisse Areopagitæ, cum ob pluviam, aut cœlum minus serenum sub dio non poterant judicare. Et hæc domus est, quæ à Vitruvio Areopagus dicta, obdurato luto tecta, in monumentum antiquæ Architecturæ usque ad suum tempus mansisse [k] ab eodem perhibetur: cum enim Areopagitæ tenerentur sub dio judicare, nulla illis Curia ut aliis judicibus, condita fuisse memoratur. Juxta hoc templum ὕβρεως καὶ ἀναιδείας aliud erat in Areopago, multo prius post judicium de Oreste ibi habitum [l] Eumenidibus consecratum, in quo aræ etiam his deabus ponebantur, ad quas sacra faciebant [m] quotcunque dictâ in Areopago causâ absolvebantur. Ibi etiam [n] signa horum Deorum ceterorumque infernalium numinum posita erant, quæ nihil horribile præ se ferentia, illâ solâ, quam apud antiquos habuerunt, spectabantur formâ. Æschylus enim Tragœdus, circa tempus primi & secundi belli Persici, Athenis insignissimus, infernis deabus horribiles vultus, & serpentinos crines primus dedisse memoratur. Has autem Deas prope tribunal suum Areopagitæ ideo posuisse dicuntur, ut easdem [o] in judiciis ad coarguendum facinus, si quid lateret, semper haberent adjutrices: atque ideo [p] Sacerdotes illis, inter quos [q] Demosthenes narrat se tertium fuisse, ex ipsis eligebantur Areopagitis, ut illi pro semetipsis ceterisque judicibus sacra facientes, easdem inde ad auxilium ferendum in omnibus judiciis haberent paratas. Hæ, cum severissimæ scelerum ultrices crede-

[t] Valerius Maximus, lib. 5. cap. 3. Lucianus in Piscatore. [w] Æschylus in Eumenidibus. Etymol. in Ἄρειος πάγος. Eustathius in Dionysium, ad vers. 654. [x] Herodotus lib. 8. [y] Hesychius in Ἄρειος πάγος. [z] Herodotus lib. 8. [a] Lucian. in Piscatore. [b] Diogenes Laertius, in vita Epimenidis. [c] Leviticus cap. 16. com. 21, &c. [d] Bab. Joma, fol. 66. [e] Pausanias in Atticis. [f] J. Pollux, lib. 8. c. 10. [g] Pausanias in Atticis. [h] Diogenes Laertius, in vita Epimenidis. Clemens in Protreptico. [i] Cicero de Legibus, lib. 2. [k] Vitruvius lib. 2. cap. 1. [l] Pausanias in Atticis, Aristides in Panathenaica sua. Dinarchus orat. in Demosthenem. Scholiastes Thucydidis, ad lib. 1. Ulpianus in Commentario in orat. in Midiam. Pausanias in Achaicis. [m] Pausanias in Atticis. [n] Pausanias in Atticis. [o] Ulpianus in Commentario ad orationem Demosthenis in Midiam. [p] Ulpianus ib. [q] In oratione in Midiam.

rentur, apud Athenienses inde [r] σεμναὶ θεαὶ dicebantur. Has Epimenides ut placaret, cum urbem lustrasset, illarum templum & aras de novo consecrasse [s] memoratur. Extra hæc Templa in eâdem Areâ, quâ Tribunal Areopagitarum, sub dio erat [t] ara Minervæ Ariæ ab Oreste consecrata, quo tempore, coram Areopagitis ob matris cædem causam agens, Deæ calculo, ut dicunt, absolvebatur. Ab illa autem in eadem area non longe distabat [u] Oedipodis Tumulus, cujus ossa huc à Thebis translata fuere. Prope autem judicum Tribunal, quod βῆμα dicebatur, positæ erant [x] columnæ, in quibus leges, secundum quas Areopagitæ judicare tenebantur, inscriptæ fuerunt, è quibus [y] Seleucus Locrensis perhibetur transcripsisse suas. Cum autem minoribus causis [z] pauciores è ceteris sorte electi darentur judices, qui de iisdem seorsim à magno Senatu judicarent, suppono ideo etiam minora βήματα, ubi de his causis judicium haberetur, in eadem areâ fuisse.

A loci Nomine Senatus, qui in hac curiâ sedebat, [c] Areopagus, & Senatores Areopagitæ dicebantur: qui ex præstantissimis electi civibus [d] supremum Athenis in rebus criminalibus [e] præstantissimumque totius Græciæ constituebant concilium, de [f] omnibusque fere delictis, [g] ut de furtis, [h] insidiis, [i] vulneribus voluntariis, [k] veneficiis, [l] incendiis, præcipue vero de [m] homicidiis judicasse memorantur. [n] Religionis etiam curam habuerunt, &, ut omnia recte secundum eandem fierent, in [o] conventus sacrificiorum aut nuptiarum gratiâ habitos inquirebant, deprehensisque novorum rituum introductoribus, aut Deorum contemptoribus, de iisdem quam severissimas sumebant pœnas; atque ideo ab his secundum nonnullos condemnatus [p] Socrates, ob contemptos Deos cicutam bibit. Ab his etiam ob eandem causam ad idem supplicium condemnatus fuit Theodorus [q] Atheus, aut secundum alios condemnandus esset, nisi illum Demetrius Phalereus Athenarum tunc Tyrannus judicio liberasset: atque ideo etiam [r] Divus Paulus, cum Atheniensibus Evangelium primo annunciasset, ab Epicureis & Stoicis ad Areopagitarum Tribunal attractus, novi introducti numinis accusabatur, qui cum ibi patefecisset se non novi Dei, sed illius, ἀγνώστου τοῦ Θεοῦ, cujus aras in urbe viderat antiquitus consecratas, cultum suasisse, judicium ideo videtur evasisse; nisi verisimilius videatur, illum, non ut causam diceret, sed ut doctrinam suam explicaret, in Areopagum, ut in locum publicum, à Philosophis ductum fuisse. Penes hos etiam [s] cura Ædificiorum, & viarum, & morum [t] censura fuisse perhibentur: juventuti igitur [v] præfectos dabant, qui illorum morum rationem deposcerent, eosque in bonis moribus recte instituerent; [x] & in vitas civium, qui aut suspectæ improbitatis, aut malæ famæ fuerant, tam severe inquirebant, ut quamdiu horum integra fuisset autoritas, vix aliquis Athenis aut contra bonos mores, aut civiles leges impune poterat peccare. Graviora crimina morte, leviora mulctis puniebant, quas in ærario reponentes, ex eo rursus [b] bonorum civium insigniora renumerabant merita, totique reipublicæ deficiente publicâ pecu-

[r] Diogenes Laertius, in vita Epimenidis. Pausanias in Atticis, & Achaicis. Demosthenes in orat. contra Midiam. Scholiastes Thucyd. ad lib. 1. Dinarchus in orat. contra Demosthenem. Aristides in Panathenaicâ suâ. [s] Diogenes Laert. in vita Epimenidis. [t] Pausanias in Atticis. [u] Pausanias in Atticis. [x] Lysias in oratione de cæde Eratosthenis, & in Andocidem. [y] Strabo lib. 6. pag. 260. [z] Lucianus in bis Accusato. [c] Plutarch. in Solone, Pericle, Cimone, &c. Pausanias in Atticis, Messenicis, &c. [d] Plut. in Solone. Maximus in Prologo ad Dionysium Areopagitam. [e] Aristides in Panathenaicâ. [f] Maximus in Prologo ad Dionysium Ariopagitam. [g] Cicero de Divinatione, lib. 1. [h] Harpocration in Βουλεύσεως. Suidas in eadem dictione. [i] Demosthenis orat. in Aristocratem. Lucianus in Anacharside. Pollux lib. 8. cap. 10. Lysias in orat. contra Andocidem. Æschines de falsa legatione, & in Ctesiphontem. Lucian. in Timone. [k] A. Gellius, lib. 12. c. 17. Demosthenes in orat. contra Aristocratem. Pollux lib. 8. cap. 10. [l] Demosthenes ib. Pollux ib. Lucianus in Anacharside. [m] Demosthenes, Pollux, & Lucianus ib. Heladius apud Photium in Bibliotheca. Demosthenes in Leptinem. Lysias de cæde Eratosthenis. Hesychius in Δικασήριον. Demosthenes in Theocritem, & Cononem. Pollux, lib. 8. c. 9. sect. 3. [n] Demosthenes in Neæram. Harpocration in ἐπιθέτους ἑορτάς. Justin Martyr in Exhortatione ad Gentiles. [o] Athenæus lib. 6. [p] Meursius, De Areopago, cap. 5. [q] Diogenes Laertius, in vita Aristippi. [r] Acta Apostolorum, cap. 17. [s] Heraclides de Rebus Publ. [t] Isocrates in Areopagiticâ. Valerius Maximus, lib. 2. cap. 6. Athenæus lib. 4. Plut. in Solone. [v] Æschines Philosophus in Axiocho. [x] Isocrates in Areopagitica. Valerius Maximus, lib. 2 cap. 6. [b] Athenæus lib. 4.

niâ ſæpe præbebant ſubſidia, præſertim in ſecundo bello [c] Perſico, in quo Areopagitarum pecuniâ armatâ claſſe, quæ ad Salaminem pugnavit, inſigniſſimam ibi partam victoriam, defenſamque ideo libertatem tota Græcia illis maxime videtur debuiſſe. Areopagitis etiam [d] à Solone commiſſa eſt legum Cuſtodia, ideoque, ut omnia ſecundum eaſdem fierent proſpiciebant, [e] autoritatemque habuerunt, ſi aliquis alius judicum conſeſſus, ſive Heliæum, ſive Palladium, ſive generale totius populi concilium perperam aliquid judicaſſet, cauſam iterum reſumendi, de eâque juſtiorem ferendi ſententiam. Sæpe igitur injuſtitiæ, & temeritati populi reſtitiſſe, ſæpe eorum decreta reſcidiſſe memorantur, [f] & ſine eorum approbatione nihil omnino majoris momenti Athenis, ante diminutam eorum per Ephialtem autoritatem, de republica unquam decernebatur. Totam [g] igitur, ut paucis dicam, regebant rempublicam, tamque neceſſarium ad illam recte inſtituendam eorum ſemper videbatur conſilium, ut de illis dicat [h] Cicero, Athenienſium Rempublicam non magis poſſe ſine Areopagi concilio, quam mundum ſine providentiâ Dei, adminiſtrari.

Cum igitur hujus Senatus tanta fuerit autoritas, tanta etiam erat illius dignitas, tantaque ei ab omnibus præſtita reverentia, ut coram [i] eo ridere Athenis habebatur illicitum; omnibuſque aliis Græcis tam venerandum ſemper videbatur concilium, ut vix unquam ab aliquo autore memoratur, quin etiam ab eodem aut [l] religioſiſſimum judicium, aut [m] honoratiſſimum totius Græciæ Tribunal, aut [n] ſanctiſſimum concilium appellari, aut [o] aliquo alio titulo æque auguſto honorari inveniemus. Hanc autem reverentiam ut ſibi integram ſemper conſervarent, tantam gravitatem, tantamque ſeveritatem præ ſe ferebant, ut [p] Comœdias ſcribere, aut ob quæcunque merita [q] coronari, quod aliis civibus gloria fuit, illis ſemper inhoneſtum, eorumque moribus indignum putabatur; ideoque eſt, quod [r] qui in vita & moribus ſeveriores fuiſſe obſervati fuerunt, Ἀρεοπαγῖται inde proverbio dicebantur. Ab his etiam tam [s] ſanctiſſime ſemper judicatum fuiſſe memoratur, ut de ſententiis ab illis latis nec actor, nec reus unquam merito quæri poterat; ideoque alio enato proverbio, qui juſtiſſimum in aliquo judicio obtinuerat ſententiam, εἰς Ἄρειον πάγον κριθῆναι inde dicebatur.

Hic Senatus in initio [u] tribus tantum ultimis diebus uniuſcujuſque menſis ad jus dicendum conveniebat, in ſoloque Areopago habuit Tribunal; poſtea autem [x] ſingulis diebus habitis judiciis, ab iiſdem non in ipſo [y] Apaturiorum ſanctiſſimo Athenis feſto, priuſquam publico prohibebatur decreto, abſtinuiſſe memoratur. Atque ideo cum ſic multiplicatis cauſis ob difficultatem aſcenſus incommodum eſſet quotidie in Areopago convenire, ad Porticum etiam [z] Regiam habuit Tribunal, ubi de levioribus cauſis quocunque die ferebat ſententiam, de gravioribus autem non niſi in ipſo Areopago iiſdem, quibus antiquitus, diebus videtur ſemper judicaſſe. Utrumque [a] ſub dio poſitum habuit Tribunal: & ne cognitis illis, qui cauſam dicebant, illorum gratiâ minus juſte ageret, [b] in tenebris ſemper judicaſſe memoratur. Cum Judices in Curia conveniſſent, ſubſelliaque ſinguli occupaſſent ſua, [c] per præconem indicto ſilentio, [d] qui datis pro numero cauſarum ſortibus primam obtinuerant,

[c] Plutarchus in Themiſtocle. [d] Plutarchus in Solone. Andocides in Oratione de Myſteriis. [e] Demoſthenes in orat. de Coronâ. Philoſtratus in vita Æſchinis, Sophiſt. lib. 1. Plutarchus in vita Æſchinis. [f] Demoſthenes in orat. contra Androtionem. [g] Suidas in Ἄρειος πάγος. Lyſias in oratione de probatione Evandri. [h] De Natura Deorum, lib. 2. [i] Æſchines in Timarchum. [l] Seneca de Tranquillitate, cap. 3. [m] Ariſtides in Panathenaicâ. [n] Valerius Maximus, lib. 2. cap. 6. Lyſias in Andocidem [o] Æſchylus in Eumenidibus. Demoſthenes in Ariſtocratem. Iſocrates in Areopag. [p] Plutarchus de Gloria Athenienſium. [q] Æſchines in orat. de Coronâ. [r] Suidas in Ἀρεοπαγίτης. Diogenianus Cent. 2. Proverb. 91. [s] Iſocrates in Areopagitica. Demoſthenes in orat. contra Ariſtocratem. Ariſtides in Panathenaica. Lycurgus in orat. in Leocratem. Xenophon Memorab. lib. 3. [t] Michael Apoſtolius, Cent. 7. Proverb. 80. [u] Pollux lib. 8. cap. 10. [x] Lucianus in bis accuſato. [y] Athenæus lib. 9. [z] Demoſthenes in orat. prima contra Ariſtogeitonem. [a] Pollux lib. 8. cap. 10. Antiphon de cæde Herodis. [b] Lucianus in Hermotemo, & de domo. Athenæus lib. 6. [c] Æſchylus in Eumenidibus, & Scholiaſtes illius ad eum locum. [d] Lucianus in Bis accuſato.

primi

primi in judicium ferebantur, quos ille ex Archontibus, qui [e] Βασιλεὺς dicebatur, ad Tribunal sistens, [f] ipse postea depositâ coronâ inter Judices sedebat, cum illisque pariter de acta causa ferebat sententiam. Primo autem [g] Apro, Tauro, & Ariete rite mactatis, tam actor, quam reus coram Tribunali eorum carnibus insistentes per Eumenidas, aliosque item Deos [h] jurabant, reus se crimen non admisisse, actor se falso non accusasse, sibique, si pejurarent, totique familiæ [i] imprecabantur, [k] & tum reus in Lapidem ἀναιδείας, actor in Lapidem ὕβρεως ascendentes, causas suas [l] alternis vicibus per seipsos, aut patronos suos agebant: [m] illis autem prooemiis, aut Oratoriis artibus ad conciliandos sibi Judices, movendosve illorum ad misericordiam animos, uti non omnino licuit. Quamdiu causam agentes ad causam dicebant suam, placide audiebant Judices; si vero ab hac aberrarent, Præco [n] imposito silentio non sinebat coram tam venerando nugari concilio. [o] Judices interim nihil dicebant, nihil interponebant, nihil interrogabant, sed audito quodcunque pro se reus, vel contra reum actor dicere poterat, immissis in urnas, quas post actam causam Præco circumferebat, calculis, sententiam de acta causa tacite ferebant: atque inde est quod apud Juvenalem [p] dicitur--Occulta teges ut Curia Martis Athenis; ideoque etiam qui taciturni fuerunt [q] Ἀρεοπαγίτων σιωπηλότεροι proverbio dicebantur. [r] Calculi nigri condemnabant, albi [s] absolvebant reos, qui ut etiam in tenebris distinguerentur à judicibus in tenebris judicantibus, [t] hi integri, illi perforati fuere, nigri & perforati in urnam [u] Θανάτου dictam: albi & integri in urnam [x] ἐλέου immissi fuerunt, inde iterum extractis, & per [y] præconem numeratis, si ille plures albos calculos in urna ἐλέου, quam nigros in urna Θανάτου invenerit, in tabella cera obducta lineam breviorem, si plures nigros in urna Θανάτου, quam albos in urna ἐλέου, lineam longiorem ungue faciebat, [z] linea brevis absolvebat, linea longa condemnabat reum. [a] Si vero calculi in utraque urna fuerint pares, alium in urnam ἐλέου injiciebat Præco, qui Minervæ calculus ideo dicebatur, quod cum Orestes coram Areopagitis causam dixerit, pariaque condemnantium & absolventium fuerint suffragia, [b] Minerva suo adjecto calculo reum liberasse credebatur, atque ideo tam in hoc, quam in aliis omnibus Atheniensium curiis, quoties paria fuerint judicum suffragia, absolvebatur reus. Condemnatus autem statim in vincula conjectus ad pœnas rapiebatur; ante enim latam sententiam in vinculis non detinebatur reus, ita ut, antequam hæc ferebatur, si de sua causa desperaret, è Curia poterat se proripere nemine prohibente, exilioque [c] judicium evitare: [d] urnam ἐλέου esse æneam, urnam Θανάτου ligneam, & hanc etiam [e] ἄκυρον, i. e. impropriam illam κύριον, i. e. propriam appellatam fuisse, memoratur. Calculi olim è marinis conchis facti [f] Χοιρίναι vocati fuerunt, postea vero ad horum similitudinem ex ære formati σπόνδυλοι dicebatur. Ante judicium singuli Judices duos horum à Præcone accipientes eo-

[e] Pollux lib. 8. cap. 9. [f] Pollux, ib. [g] Demosthenes in Aristocratem. Antiphon de cæde Herodis [h] Pollux lib. 8. c. 10. Dinarchus in orat. in Demosthenem. Demosthenes & Antiphon, ib. ubi sup. Lysias in orat. in Theomnestum. 1. [i] Antiphon de cæde Herodis. Dinarchus in Demosthenem. Demosthenes in Aristocratem. [k] Pausanias in Atticis. [l] Lucian. in Anacharside. [m] Lucianus in Anacharside. Sextus Empiricus adversus Mathematicos, lib. 2, Pollux lib. 8. cap. 10. Themistius orat. 16. Apuleius Miles. 10. Quintilianus Institut. orat. lib. 2. cap. 16. & lib. 6. cap. 2. Pollux lib. 8. cap. 6. Aristot. Rhet. lib. 1. cap. 1. Lycurgus in oratione adversus Leocratem. Julianus in oratione de Rebus Gestis Constantii Imperatoris. [n] Scholiastes Hermogenis. Apuleius Meles. 10. Quintilian lib. 6. c. 2. Lucianus in Anacharside. [o] Demosthenes in Aristogeitonem, orat. 1. Macrobius, Saturn. lib. 7. cap. 1. [p] Sat. 9. [q] Themistius in orat. 1. [r] Plutarch. in Alcibiade, & in Apothegmatibus. Ovid. Met. lib. 15. Ulpianus in orat. Demosthenis contra Timocratem. [s] iidem Autores, ib. [t] Ulpian. in orat. Demosthenis contra Timocratem. Pollux lib. 8. c. 10. Æschines in Timarchum. Scholiastes Aristophanis ad Vesp. Lucian. in Bis accusato. [u] Scholiastes Aristophanis ad Vespas. [x] Scholiastes Aristoph. ib. [y] Scholiastes Aristophanis ad Vespas. [z] Scholiastes Aristophanis ad Vespas. [a] Philostratus in Aristocle. Aristides in orat. in Minervam. Julianus in Eusebiæ Encomio, orat. 2. Cantacuzenus Hist. lib. 2. c. 19. [b] Aristides in rat. in Minervam. [c] Demosthenes in Aristocratem. Pollux lib. 8. c. 10. Dinarchus in orat. in Demosthenem. [d] Aristophanis Scholiastes ad Equites. [e] Scholiastes Aristophanis, ib. & ad Vespas. [f] Pollux lib. 8. c. 5. Hesychius in Χοιρίναι. Scholiastes Aristophanis ad Equites, & Vespas.

rum

rum unum post actam causam in alterutram urnarum ab eodem cogebantur immittere, qui cum hanc g judicum cogendi habuerit potestatem, omniaque in curia ceteris tacentibus solus direxerit, judicibus ipsis nec autoritate nec dignitate videtur fuisse inferior.

In initio actor & reus per se ipsos h solos causas agebant; postea autem i decem sorte electi constituebantur hujus Curiæ patroni, in eaque pro quocunq; reo k drachmam pro mercede accipientes poterant perorare: tandem vero l cuicunq; pro quocunq; reo causam agere concessâ libertate, patroni deinde diminutâ mercede m dimidium tantum drachmæ, i.e. tres obolos (qui nostræ monetæ Anglicanæ tres tantum denarios, & tres quadrantes conficiunt) pro acta causa accipiebant. Si causæ leviores essent, quæ ad Senatum ferebantur, pauciores n Judices, aliquando tantum tres, aliquando quinque, aliquando plures, secundum causæ gravitatem sorte electi de illis seorsim judicabant; singulique Judices pro singulis, de quibus judicabant, causis, sive uno die, sive pluribus absolvebantur, o eandem semper, quam patroni, accipiebant mercedem, cum hac sola differentia, quod his à clientibus, illis à republica solvebatur.

Hi Judices olim ante Solonis tempora promiscue ex omnibus civibus, modo ceteris probitate anteirent, eligebantur, illius autem latis legibus, per easdem p sancitum fuit, semperque in republica observabatur, ut illi soli, qui Archontes fuissent, post exactum Magistratus annum, illiusque bene acti coram Logistis datam rationem, in Curiam Areopagitarum deinde cooptarentur, illiusque constituti perpetui Senatores, non nisi ob gravissimum aliquod crimen ab eadem unquam moverentur. Cum igitur novem quotannis (tot enim annui Archontes fuerunt) ceteris adderentur, incertusque omnium sit vitæ terminus, Areopagitarum numerum inde constat etiam incertum fuisse. Quod igitur Nicephorus dicat illos r esse tantum novem, aut, ut solet, mentitur, aut de illis tantum intelligendus est, qui quotannis electi ceteris addebantur. Quod Scholiastes s Æschyli dicat esse triginta, erravit forte ideo, quod, cum legerit apud t Isocratem, Lycurgum ad Areopagi exemplar γερουσίαν suam Lacedæmone instituisse, putavit etiam Senatorum numerum, ad numerum Areopagitarum constitutum fuisse; concludebatque inde, cum u 30 tantum Senatores in Senatu Lacedæmoniorum invenerit, plures in Areopago non fuisse: sed fallitur inde, quod Lycurgus, quamvis cetera in Senatu suo, non tamen Senatorum numerum ad imitationem Areopagi instituerat, x sed cum in Legibus ferendis suis 28 ex præstantissimis civibus habuisset adjutores, ex illis igitur solis, duobusque regibus Senatum, quando primum instituerat, voluit constare. Quod vero y Maximus, ad Dionysium Areopagitam Scholiastes, dicat Areopagitas esse numero 51, illos cum Ephetis plane confundit, z qui tot numero à Dracone constituti, ab eoque in 5 Curias distributi, de cædibus aliisque criminibus eodem modo, quo Areopagitæ, judicabant. Qui Socratem in Areopago condemnatum fuisse volunt, Areopagitas plusquam trecentos fuisse ex historia illius condemnationis apud a Diogenem Laertium, necesse est ut concludant, condemnatus enim fuit διακοσίαις ὀγδοήκοντα μιᾷ πλείοσι ψήφοις τῶν ἀπολυουσῶν, i.e. ducentis octaginta uno suffragiis, quæ plura fuerunt suffragiis absolventium, sic enim locus intelligendus est, ut inter Diogenem & Platonem fiat conciliatio, b qui dicit illos, qui Socratem condemnarunt absolventibus tribus tantum suffragiis prævaluisse: cum igitur 281 condemnarent, 278 absolvebant, qui simul juncti efficiunt numerum 559

g Aristophanes in Vespis, & Scholiast. ad illam Comœdiam. h Sextus Empericus adversus Mathematicos, lib. 2. i Scholiastes Aristophanis ad Vespas. Harpocrat. in Συνήγοροι, & Suidas, & Etymologici autor. k Aristophanes in Vespis, & Scholiastes ad illam fabulam. l Lucianus in Anacharside, & in Bis accusato. m Lucianus in Bis accusato. n Lucianus in Bis accusato. o i.e. In initio drachmam postea tantum dimidium drachmæ. Lucianus in Bis accusato. p Plutarch in vita Solonis. Pollux lib. 8. cap. 10. Plutarchus in vita Periclis. Demosthenis Scholiastes in argumento Orationis adversus Androtionem. Demosthenes in orat. in Neæram. Demosthenes in orat. in Timocratem, & in Aristogitonem orat. 2. r Nicephorus Callistus. Ecclesiast. Histor. lib. 2. cap. 20. s Ad Eumenidas. t In Areopagitica. u Plutarchus in vita Lycurgi. x Plutarch. ib. y Ad Dionysium Areopagitam. z Plutarchus in vita Solonis. Pollux lib. 8. cap. 10. a In vita Socratis. b Plato in Apologia Socratis.

judicum, qui in causa Socratis suffragia sua tulerunt. Cum autem non omnino verisimile sit, tot ex illis qui Archontes fuerunt, simul superstites fuisse, dicendum est, aut præter hos Archontes, alios etiam in hanc Curiam cooptatos fuisse, quod ex nullo constat autore, aut Socratem non in Areopago, sed potius in Heliæo causam dixisse, ubi vel [c] 1500, vel 1000, vel 500 secundum causarum gravitatem, vel tot eorum, quot adesse voluerunt, de allatis in judicium causis ferebant sententias; quod verisimilius ideo videtur, quia Anaxagoras, & Aspasia Periclis uxor ejusdem cujus Socratis impietatis accusati, [d] coram hoc concilio in judicium vocati fuisse memorantur. Et profecto cum Socrates tam injuste condemnaretur, in illiusque condemnationis historiâ tumultum judicum, detractumque ab iisdem Platonem, cum Magistri causam dicturus suggestum ascendisset, narret [e] Diogenes Laertius, tam hæc, quam multa alia, quæ in Apologiis pro Socrate à Platone, & Xenophonte scriptis extant, ex supra dictis satis constat Areopago non omnino posse convenire.

Senatum Areopagiticum antiquissimum esse totius Græciæ concilium, primumque de cæde judicium coram eo habitum fuisse apud multos habetur [f] autores: quando autem primum inceperat pauci explicant. [g] Demosthenes incertum fuisse profitetur: sed hanc incertitudinem nostrum tollit Marmor, quod & causam institutionis, cædem scil. Hallirrhothii, & ipsum Originis tempus, annum scilicet Epochæ Marmoreæ, 1268. Annus autem Epochæ Marmoreæ, 1268. erat primus annus regni Cranai, Cecrops enim incepit regnare anno Ep. Mar. 1318. regnavitque annos [h] 50, ab anno igitur Ep. Mar. 1318. si demas annos 50, relinquetur annus 1268. qui primus erat regni Cranai successoris illius. [i] Eusebius autem novem annos prius, anno Cecropis 41, Marianus vero Scotus [k] tres posterius, anno Cranai 4°, hanc causam de cæde Hallirrhothii actam fuisse dicunt. Hæc differentia in re tantæ antiquitatis non magna est. Cum autem Alcippe, cujus pudicitiam Hallirrhothius tentaverat, quando occisus fuerat, [l] Cecropis à Marte è filia illius Agraulo genita neptis fuerit, nostrum assensum contra Eusebium Marmor ideo videtur mereri, quod non omnino verisimile sit Hallirrhothium aut quemcunque alium à vi Alcippe inferendæ regnante adhuc avo tanto injuriæ vindice non deterreri. Cum autem defuncto Cecrope [m] Cranaus nullâ illi affinitate conjunctus in regno successisset, quodnam tempus magis opportunum inferendis regiæ domui injuriis poterat haberi, quam quo illa rege nudata suo inceperat vivere sub alieno? Cum autem Marianus Scotus sit modernus autor, & de Eusebii Chronico fere totum transcribat, quod de his rebus habet in suo, quando ab Eusebio dissentit, nisi meliorem proferat autoritatem, tantam apud nos, ut fidem mereatur, non habet. Post hoc de Marte habitum judicium [n] Cephalus regnante Erectheo ob occisam uxorem Procridem, & [o] Dædalus regnante Ægeo ob cædem discipuli & ex sorore nepotis suis Tali, quem, quod ab eo in arte suâ superaretur, ex invidiâ [p] occiderat, in Areopago condemnati fuisse memorantur. Regnante Demophoonte [q] Orestes hic ob matris cædem causam dicens absolvebatur. Hic etiam [r] Dorici, quot Athenis post occisum Codrum inventi fuerunt, nisi ad Eumenidum aras confugissent, condemnandi essent. Huic etiam Senatui [s] Messenii Polycharem, qui ob cædem Lacedæmoniorum circa Olympiadem nonam belli Messeniaci præbuit causam, si ipsi annuissent Lacedæmonii, tradidissent judicandum. Et diu ante initium belli Messeniaci [t] Lycurgus ad imitationem Areopagi Senatum Lace-

[c] Pollux lib. 8. [d] Plutarchus in vita Periclis: [e] In vita Socratis. [f] Plinius lib. 7. c. 57. Etymologici autor in Ἄρειος πάγος. [g] In oratione in Aristocratem. [h] Eusebius in Chronicis. [i] In Chronicis. [k] In Chronico. [l] Apollodor. lib. 3. [m] Apollodorus lib. 3. [n] Apollodorus lib. 3. Johannes Tzetzes, Chil. 1. cap. 20 Scholiastes Euripidis ad Orestem. [o] Apollodorus lib. 3. Scholiastes Euripidis ad Orestem. [p] Pausanias in Atticis. [q] Pausanias in Atticis. Aristides in Panathenaica. Euripides in Oreste, & Scholiastes ad illam Tragœdiam. Isaacius Tzetzes in Lycophrontem. Eusebius in Chronicis. Athenæus lib. 10. [r] Pausan. in Achaicis. [s] Pausan. in Messenicis. [t] Isocrates in Panathenaica.

dæmone constituisse memoratur. Longe igitur ante Solonis tempora, qui Olympiadis 46, anno 3. leges suas tulit, institutus fuit hic in Areopago Senatus: quod vero [u] ille depositis Ephetis, quos [x] Draco supremos Athenis de cædibus aliisque rebus criminalibus constituerat Judices, Areopago antiquam restituisset autoritatem, in illumque [y] Archontes solos coaptandos fuisse primum sanxisset, multi ideo Solonem hujus Senatus institutorem putabant fuisse. Contrarium autem satis evidenter probant ea quæ de Judiciis in Areopago actis longe ante Solonis tempora supra narravi. Quinetiam cum [z] Solonis leges exules omnes revocassent, exceptis illis qui ab Areopagitis, Ephetis, aut Archontibus illis qui Reges dicebantur, in aperta curia condemnati fuerunt, Areopagum ante Solonis tempora plane supponunt extitisse. [a] Ab illo autem hic Senatus maximam obtinuit autoritatem; qui ab Atheniensibus tunc gravi seditione laborantibus ad instituendam recte Rempublicam Legislator constitutus, [b] penes duos Senatus voluit esse Reipublicæ regimen. Primus erat Areopagus, quem Plutarchus ideo τὴν ἄνω βουλὴν appellavit. Secundus Quadringentorum, quem postea [c] Clisthenes post expulsos Pisistratidas, additis aliis centum, Quingentorum fecit esse Senatum; hunc in rebus Politicis, illum in Criminalibus voluit esse supremum. Areopagus autem, cum legum custodiam [d] à Solone etiam sibi demandatam habuisset, obtinuit inde illam quam supra descripsimus autoritatem; quâ cum populi temeritatem in plebiscitis, juventutis in moribus licentiam, omniumque judicum in judiciis injustitiam reprimeret, maxime ideo usq; ad initium belli Peloponnesiaci [e] florentem reddidit Rempublicam. Circa illud autem tempus, cum Pericles, quod curiæ illius Senator non esset, utpote qui Archontis magistratum nunquam gesserat, operâ [f] Ephialtæ Oratoris in hac re usus, Areopagi autoritatem, cum circa annos 135 integra mansisset, primo imminuisset, Athenienses [g] inde, & in Plebiscitis & in moribus, nullâ repressi autoritate, inceperunt ea facere, ob quæ non tantum totius Græciæ diutius non tenuerunt imperium, sed etiam [h] à Lacedæmoniis ad deditionem redacti libertatem amisere suam. Semper tamen de cædibus aliisque criminibus [i] judicabat Areopagus: hanc Ciceronis, hanc [k] Dolobellæ, hanc [l] Luciani temporibus habuit autoritatem. Primum quo non habuit [m] Theodoretus, qui sub Theodosio secundo Cypri fuit Episcopus, tempus memorat suum: quo cum non tantum Areopagus, sed etiam omnia alia ex antiqua politia desiissent Athenis, Senatus idem fere, quod ipsa Atheniensium Respublica, habens initium, postquam duraverat circa annos 1800, non nisi cum eâdem videtur periisse.

Ib. Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κραναοῦ.) Cecrope sine masculis liberis defuncto successit [a] Cranaus indigena ex Actæi forte cognatione, qui Regnum adeptus, eodem modo quo Actæus Acticam & Cecrops Cecropiam, ipse etiam à suo nomine Regionem hanc, cui imperaverat, [b] Cranaen, Athenas [c] Cranaas, & populum [d] Cranaos appellavit. Postea vero mortuâ filiâ Atthide quam maxime dilexerat, in ejus honorem mutato nomine totam Regionem [e] Atticam voluit appellari, quod nomen illi per multa secula usque ad Turcicum Imperium permansit immutatum. [f] Mutatis etiam Tribuum nominibus, Primam à seipso Κραναΐν, Secundam, à nomine filiæ Ἀτθίδα, Tertiam, quia Mediterra-

[u] Plutarch. in Solone. [x] Pollux lib. 8. cap. 10. [y] Plutarch. in Solone. [z] Plutarch. in Solone. [a] Plutarch. in Solone. [b] Plutarchus in Solone. [c] Herodot. lib. 5. [d] Plutarch. in Solone. [e] Isocrates in Areopagitica. Aristoteles Politic. lib. 5. c. 4. [f] Plutarchus in Pericle & Cimone. Pausanias in Atticis. Aristoteles Politic. lib. 2. cap. 10. Plutarchus in Præceptis de gerenda Republica. Diodorus Sic. lib. 11. ad Olymp. 80. an. 1. [g] Isocrates in Areopagitica. Plutarch. in vitâ Periclis. [h] Plutarch. in Lysandro, Alcibiade, &c. [i] Demosthenes in orat. contra Aristocratem. [k] Aulus Gellius, lib. 12. cap. 7. Valer. Max. lib. 8. c. 1. Ammianus Marcellinus, lib. 29. [l] In Bis accusato, &c. [m] Theodoret. Therapeut. lib. 9. [a] Euseb. Chron. lib. 1. & lib. 2. Justin. lib. 2. Apollodor. lib. 3. [b] Stephanus in Κραναά. Eustathius in Dionysium, ad vers. 423. [c] Pindar. Olymp. Od. 7. & Nem. Od. 8. Aristophanes in Avibus, & Acharnensibus. Hesychius in Κραναήν. Suidas in Κραναοί. [d] Strabo lib. 9. Herodot. lib. 8. [e] Justin. lib. 2. Apollodorus, lib. 3. Pausanias in Atticis. Strabo lib. 9. Eusebius in Chronico. Philoponus in Technicis. [f] Pollux lib. 8. c. 9. sect. 31.

nea fuerat, Μεσόγαιαν; Quartam, quia Montana, Δίακριν vocavit. Præter Atthidem ex uxore [g] Pediade filia Menetis Lacedæmonii, suscepit etiam filium [h] Rharum (qui Triptolemi aut [i] pater, aut [k] Avus fuerat, [l] Eleusineque Regnans [m] Campo Rhario nomen dedit) & [n] duas filias, Cranaen & Chranecmen, [o] quarum unam cum Amphictyoni Deucalionis filio in uxorem dedisset, ab illo regno pellitur, cum regnasset [p] annos novem. Hujus [q] Monumentum apud Lamprenses populum Atticæ, ad quos fugerat, suo tempore extitisse memorat Pausanias, inter quos etiam divinos honores obtinuisse videtur, cum ex Charidarum familia Sacerdotes illi consecratos fuisse [r] apud Hesychium inveniamus.

Ep. 4. Ἀφ' οὗ κατακλυσμὸς ἐπὶ Δευκαλίωνος ἐγένετο, καὶ Δευκαλίων τοὺς ὄμβρους ἔφυγεν ἐγ Λυκωρείας εἰς Ἀθήνας πρ...ον καὶ τοῦ Διο...υο..δ...μτυ τὸ ἱρ..ον ιδ..ο καὶ τὰ σωτήρια ἔθυσεν ἔτη ΧΗΗΗΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κραναοῦ. Lacunas Palmerius sic supplet, καὶ Δευκαλίων τοὺς ὄμβρους ἔφυγεν ἐγ' Λυκωρείας εἰς Ἀθήνας πρότερον, καὶ τοῦ Διὸς παυομένου δι' ἑαυτοῦ τὸ ἱρὸν Ἀπόλλωνι δομήσαι, καὶ τὰ σωτήρια ἔθυσεν. i. e. Deucalion imbres effugit ex Lycoria Athenas primum, & Jove cessante per seipsum Templum Apollini ædificavit, & ob salutem sacra fecit. De conjecturæ suæ ratione sic dicit. Nunc conjecturæ nostræ firmandæ sunt & earum ratio explicanda, & de voce ΠΡΟΤΕΡΟΝ nihil est credo dubii: nam ea sæpe usus est autor Marmoris in eo usu. ΔΙΟΣΠΑΥΟΜΕΝΟΥ optime dicitur pro ὄμβρων παυομένων: cuilibet enim notum est Græcis Δία, & Latinis Jovem sæpissime sumi pro imbre. In ΔΙΕΑΥΤΟΥ monendus est lector literam Μ, quæ est in Marmore immediate ante Τ, ibi descriptam fuisse vel errore quadratarii, vel exscriptoris, vel operarum in antigrapho. Non enim patitur Hellenismus litteram Μ ante Τ unquam poni. Nam in una voce non possunt sic copulari, & Τ quidem ante Μ aliquando ponitur, ut in voce τμῆμα; nunquam autem invenietur vox Græca in antiquo Hellenismo, in qua Μ ante Τ immediate ponatur. Nec in duabus vocibus, quarum primæ Μ esset finalis, sequentis vero prima litera foret Τ, id fieri potest: litera enim Μ nunquam est finalis in Hellenismo, nisi aliquando in Ionica dialecto, quando Ν finalis mutatur in Μ ob sequentem Β, vel Μ, vel Π, vel Φ, ut supra hoc eodem Marmore, ἐμ Πάρῳ pro ἐν Πάρῳ. Aliter nunquam invenietur Μ in fine dictionis. His positis necesse est mutare eam literam, quæ vel errore quadratarii posita est in Marmore, vel tractu temporis quodam accidente mutata, vel ab exscriptore male excepta, vel denique Typographorum incuria male excusa, & excogitare, quæ litera præcesserit ΤΟΥ. Ea meo judicio fuit Υ, quæ impactis duabus fissuris mutata fuerit in Μ, & ideo supplevi ΔΙΕΑΥΤΟΥ, id est, suis manibus, per se ipsum, nullo ministerio usus vel ex voto, vel quod verius videtur, eo quod omnes opifices diluvio perierant, quod censet Ovidius, dum canit Metamorph. 1.

> Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
> Et superesse videt de tot modo millibus unum,
> Et superesse videt de tot modo millibus unam.

ΤΟΙΡΟΝΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΜΗΣΑΤΟΚΑΙΤΑ, &c. aliquis forte id supplementum non admittet, eo quod τὸ ἱρὸν vox est Ionica. At licet sæpius utatur dialecto communi Marmor, sæpe etiam Ionicam dialectum sectatur, sive id fecerit autor Chronici, sive quadratarius, qui ut ratio suadet, fuit Ion,

[g] Apollodorus l. 3. [h] Hesychius in Κρανάε. [i] Hesychius in Ῥάρος. Pausanias in Atticis. [k] Suidas in Ῥάρος. [l] Apollodorus lib. 1. vocat Celeum Eleusinis Regem. [m] Pausanias in Atticis. [n] Apollodorus lib. 3. [o] Pausanias in Atticis. [p] Eusebius in Chronico. Cedrenus lib. 1. [q] Pausanias in Atticis. [r] In Χαρίδαι.

quando ea Marmorum fragmenta inventa sunt Smyrnæ, quæ civitas erat inter Ionicas insignis. Sic supra dixit ἀὼς Ionice pro ἕως, & ἐμ Πάρῳ pro ἐν Πάρῳ, & ἐγ Λυκωρείας, pro ἐκ Λυκωρείας. Unum restat; quod cum non inveniatur apud ullum antiquum autorem, Deucalionem Apollini Templum ædificasse, id illi nullo autore per meum supplementum tribuo, cum inveniatur Deucalionem Jovi Φυξίῳ aram posuisse, non Apollini. Id fateor. Sed Φυξίῳ Jovi aram posuit Athenis ob fugam tempestivam & evitatum diluvium. Nam Δία Φύξιον interpretatur Tzetzes ad Lycophronem, τὸ δυνάμενον ποιῆσαι φυγεῖν τὸ κίνδυνον. Qui potest facere, ut periculum fugiamus. Et postea: φεύγων γάρ τις ἐπικαλεῖται Φύξιον Δία. Fugiens vero aliquis invocat Jovem Phyxium. Sic Phryxus novercam fugiens, postquam Colchos pervenit, Διὶ φυξίῳ τὸ δέρος ἀνιέρωσεν, Jovi Phyxio pellem sacravit. Ut ait Pindari Schol. ad Pythiorum 4. & ita cogunt supplere Marmoris reliquiæ, quæ ONIΔ habent. Nam Κρονίωνι & Κρονίδῃ voces sunt poeticæ & periphrasticæ, quibus non utitur Marmor, sed vocibus in soluta oratione usurpari solitis: & fuit magis rationi consentaneum, ut Deucalion reversus Apollinem veneraretur, qui nubes discutit, & serenitatem facit, quam Jovem, qui νεφεληγερέτης dicitur nubium coactor & adunator, & imbres mittit, quibus sedatis post multos dies Sol non visus serenitate reducta tanquam salvator & sospitator apparuit. Ideo non tam Jovi debuit rem sacram facere Deucalion, quam Soli vel Apollini. Quod si nullus antiquorum id dixit, cogita, quam pauci libri ex antiquis illis usque ad nos ex immensa copia pervenerint, quam fuerint variæ veterum in tanta antiquitate opiniones: adde, quod cum non inveniatur apud antiquos, quis primus Delphicum Templum ædificaverit, cujus fuit tanta antiquitas, ut dicatur primum ex Lauri ramis implexis ædificatum fuisse casulæ pastoritiæ more (quod ait Pausanias in Phocicis) cui melius tribuetur id subitaneum ædificium, quam Deucalioni antiquissimo, & qui solis suis manibus usus non poterat illud ex materia, quæ magis ad manum esset & faciliori struere, &, ut credere est, ex eo tempore Deucalion Parnassum suum Apollini dicavit, qui antea vel Terræ, vel Themidis dicebatur esse. Nec mirum, si in re tam antiqua conjecturis ago, quando nullus autor dixit, quis primus eum montem Apollini dicaverit, & ara & templo ædificato consecravit ei numini. Itaque non sine multis probabilibus conjecturis supplevi Ἀπόλλωνι δομήσατο, augmento ε in ἐδομήσατο Ionice abjecto.

Hactenus Palmerius, sed Lacunarum spaciola tot vocibus nimis angusta hæc supplementa non possunt recipere: ipsaque Palmerii conjectura, ut penes lectorem est facile judicare, tam insulsa est, & argumentis confirmata plane frigidis, ut mihi non omnino videatur admittenda. Πρότερον seu prius nunquam inseritur sine relatione ad posterius, illud autem in hac Epocha nec exprimitur, nec bene intelligi potest. Διὸς παυομένου pro pluvia cessante est Phrasiologia raro usitata. Templum Apollini à Deucalione Athenis conditum fuisse (ibi enim, si de Templo Apollinis in hac Epocha agatur, condi necesse est) nunquam dicitur, nec hoc, cum illius vestigia aliqua ibi extitisse nunquam memoretur, dici potest. Ἱερὸν δομήσατο sunt voces in Prosa nunquam lectæ, nec mihi videntur proprie connecti posse. Quod Deucalion σωτήρια ἔθυσε, plane eo indicatur de Jove Phyxio hic agi, * cui Deucalion post finitum diluvium ob vitam præservatam hostias dicitur immolasse. Palmerii igitur conjecturâ totâ rejectâ, Lacunæ meo judicio multo melius sic possunt suppleri. Καὶ Δευκαλίων τοὺς ὄμβρους ἔφυγεν ἐγ Λυκωρείας εἰς Ἀθήνας πρὸς Κραναον, καὶ Διὸς Φυξίου δ....μου ἱερὸν ἱδρύσατο, καὶ σωτήρια ἔθυσε. In Marmore enim tanta antiquitate exeso pro I in Φυξίου Υ, & pro E

* Apollodorus lib. 1. Didymus Scholiastes ad Homeri Iliad *ɑ*. carm. 10. Pausanias in Corinthiacis.

in

in ἱερὸν P facili errore à Seldeno legi poterant. Deucalionem autem Jovi ob præservatum in paucis humanum genus à diluvii aquis non tantum sacrificia Eucharistica obtulisse, sed Templum etiam Athenis condidisse testatur [b] Pausanias, quod cum tandem ob magnificentiam structuræ, & spatiis quod occupabat amplitudinem, non tantum Græciæ, sed fere totius etiam orbis evasisset [c] insignissimum, Chronographum nostrum, qui de rebus Atticis tam diligenter scribit, hujus primam dedicationem velle omisisse non videtur verisimile; nec voces, quæ in hac Epocha manent integræ, nisi cum Palmerio ab omni receptâ Historiâ decedentes fingamus inaudita, ut de aliqua alia re hic agi credamus, omnino patiuntur. Hoc Templum [d] prope Delphinium, eumque locum, quo olim Palatia sua habuerunt antiqui Atheniensium Reges, in insignissima urbis Regione situm fuit. Per annos circiter 950 usque ad Olympiadem quinquagesimam antiquum Jovis Phyxii nomen videtur semper retinuisse; tunc autem [e] Pisistratus Athenarum Tyrannidem adeptus, antiquo Templo aut diruto, aut vetustate collapso, novum in eodem loco Jovi Olympio dicatum, operam ei navantibus quatuor peritissimis Architectis Antistate, Callæschro, Antimacide, & Porino, tantâ magnificentiâ condere incepit, ut [f] Dicæarchus structuræ tantum delinationes sine stupore spectari non potuisse, [g] Livius unicum in terris opus pro magnitudine Dei inchoatum fuisse dixerit, ad quod cum tot opifices adhibendi fuissent, Pisistratus eodem consilio, quo [h] Tarquinius Cloacas & Capitolium Romæ, [i] Polycrates opera Samia, & Ægypti Reges Pyramidas, ut subditi tantâ operâ impediti & exhausti contra Tyrannum nihil molirentur, tam stupendum opus [l] perhibetur suscepisse. Sed cum ejus [m] Tyrannis duplici exilio fuisset interrupta, hoc opus, cum moreretur, valde imperfectum reliquit; [n] continuarunt autem filii Hippias & Hipparchus: sed cum, altero horum [o] ab Harmodio & Aristogitone occiso, altero Athenis pulso, Athenienses Democratiam & antiquam libertatem iterum recuperassent, opus hoc populo ob tam grave illis in eo exstruendo à Tyrannis impositum onus semper invisum, quamdiu libera fuit Respublica, nemo iterum aggrediebatur, nec privati alicujus opes tam magnificæ structuræ unquam fuerunt pares. [p] Diu igitur imperfectum mansit, donec tandem post annos circiter 350 [q] Perseus Macedonum Rex, & post eum [r] Antiochus Epiphanes Syriæ Rex, qui Templũ Hierosolymitanũ vastaverat, & Judæos tantâ afflixerat crudelitate, iterum ad extruendum opus manus admoverunt: sed quod hi addiderunt, [s] Sylla expugnatis Athenis iterum destruxit, & columnas inde in Capitolinas ædes avexit. Imperante autem Augusto, [t] in ejus gratiam varii Reges socii, & amici, cum singuli in suis regnis urbes Cæsareas condidissent, cuncti simul hanc Jovis Olympii ædem perficere communi sumtu destinaverunt, & ejus Genio dedicare; sed aut Augusti obitu, aut aliquo alio casu iterum interruptum opus usque ad Adriani tempora imperfectum mansit; qui Imperium adeptus, inter cetera ea magnifica, quæ exstruxit & Diis dedicavit opera, hujus etiam Ædis structuram, à tot Regibus toties frustra susceptam, [u] anno tertio 227 Olympiadis circa sex & septingentos annos, postquam à Pisistrato primum inchoatum fuerat, [x] ingenti sumtu perfecit, illiusq; encœniis multis sacrificiis & hymnis, [y] quos inter alios accinebat Polemon Sophista, celebratis Jovi Olympio iterum dedicavit, & [z] Draconem ex India

[b] Pausanias in Atticis. [c] Vide Dicæarchum in descriptione Græciæ, ubi de Athenis agit, Livium. lib. 41. & Pausaniam in Atticis, & Vitruvium in Præfatione libri septimi. [d] Pausanias in Atticis [e] Vitruvius in Præfatione, lib. 7. [f] In descriptione Græciæ ubi de Athenis agit. [g] Lib. 41. [h] Dionys. Halicar. lib. 4. Liv. lib. 1. [i] Herodotus lib. 3. Aristoteles Politic. lib. 5. c. 11. [l] Aristoteles Politic. lib. 5. c. 11. [m] Herodot. lib. 1. [n] Aristot. Politic. lib. 5. c. 11. [o] Herodot. lib. 5. Thucyd. lib. 1. Pausanias in Atticis. [p] Plutarch. in vita Solonis in fine, Dicæarchus ubi supra. Lucianus in Icaromenippo. Hesychius in Ὀλύμπιον. [q] Livius lib. 41. [r] Vitruvius in Præfatione libri septimi. Velleius lib. 1. Athenæus lib. 5. [s] Plinius lib. 36. c. 6. [t] Suetonius in Augusti vita, cap. 60. [u] Anonymus Author, ἀνεπίγραφος, Olympiadum à Scaligero in Eusebianis suis editæ, ad Olymp. 227. an. 3. [x] Pausanias in Atticis. Xiphilinus in vita Adriani, Spartianus in vita Adriani. [y] Philostratus Sophist. lib. 1. in Polemone. [z] Xiphilinus in vita Adriani.

allatum

allatum in eo consecravit. Sed cum, prævalente contra impios Paganorum ritus Christianâ veritate, Constantini Maximi & Theodosii primi temporibus [a] omnia Deorum Templa & Fana per totum Romanum Imperium eorum edictis destruerentur, hoc etiam tot Seculorum opus, in cujus structuram tot Reges totos suos expenderunt Thesauros, per alterutrum illorum dirutum usque ad Tricentesimum annum à dedicatione suà non videtur permansisse. Templum sane permagnificum erat omnibus Architectorum artibus adornatum. Quoad ædificii genus [b] Hypæthrum fuit, quod omnium apud antiquos Templorum quoad figuram maximum, & quoad formam præstantissimum fuisse perhibetur. Circumcirca enim habuit ingentem porticum duobus ordinibus columnarum [c] Corinthiacarum sustentatam, quæ in Pronao & Postico Decastylum fecerunt; [d] mendum enim plane est in Vitruvii editionibus, in quibus Templum Jovis Olympii Athenis Octastylum fuisse legitur. Cum enim ibi formationem Hypæthri Decastyli Vitruvius describat, quis dubitat, quin Templum Jovis Olympii, quod post illam descriptionem pro exemplari affert, Decastylum fuisset, qui totum caput attentius perlegit, & autoris methodum & Sententiarum connectiones accuratius considerat, plures inveniet rationes, ob quas à recepta lectione omnino est discedendum. Illud autem Templum [e] Decastylum dicitur, quod in fronte & postico decem columnas habuerat, Octastylum, quod octo. Intra parietem, quem porticus circuibat, erat Cella, ad quam & in pronao, & in postico per valvas patebat aditus. Hæc tantæ [f] magnitudinis fuit, ut tota tegi non poterat, [g] atque ideo intus etiam peristylium, seu porticum circumcirca habuit uno ordine columnarum in altitudine duplicium sustentatam. Medium autem eodem modo, quo medium [h] Templi Apollinis apud Milesios sub [i] Dio seu æthere sine tecto fuerat apertum, & ob hanc rationem tam hæc, quam omnia alia Deorum Templa secundum hanc formam ædificata Hypæthra dicebantur; cujus generis fuisse Templum Hierosolymitanum [l] Dion Cassius, cum illud ἄχανὲς καὶ ἀνόροφον fuisse scribat, nisi Atrium, in quo erat ara Holocausti, pro Templo accipiat, magno errore, utpote qui multos annos post illius destructionem temporibus [m] Alexandri Severi vixerat, videtur existimasse.

Ad exteriores [n] columnas porticus externæ ponebantur simulacra earum urbium, quæ Atheniensium Coloniæ fuerunt, in Tabulis æneis delineata. Extra autem Templum [o] in area circumcirca erant innumeræ statuæ, quæ à civitatibus Græciæ, in Adriani honorem ei ibi dedicatæ fuere, omnes autem longe superarunt Athenienses, qui prope Templi posticum Colossum, nec Romanis, nec Rhodensibus inferiorem Imperatori erigentes, dignum Templi magnificentiâ obtulerunt donarium. Spatium, quod hoc Templum occupabat, tam amplum fuit, ut in ambitu suo [p] quatuor stadia continens inter omnes Deorum Ædes, quarum mensuræ ab aliquo scriptore nobis traditæ fuerunt, magnitudine solam Ædem [q] Beli Babylonici, quæ duplo major erat, habuit superiorem. Celeberrimo illi [r] Templo Hierosolymitano ad amussim erat æquale. Tam ingens, & tot seculorum opus sine ingenti sumtu perfici non poterat. In illud, & Propylæum arcis [s] plusquam decies Talentorum millia impensum fuisse perhibetur, in [t] Propylæum autem, cujus structuræ historia apud Plutarchum in vita Periclis habetur, duo tantum & duodecim millia erogata fuere, remanent igitur octo millia Talentorum, quorum impensa hoc ædificium perfectum fuerat. Cum autem singula Talenta Attica con-

[a] Eusebius in vita Constantini, lib. 3. Theodoret. lib. 5. cap. 21. Socrates lib. 1. c. 18. & lib. 5. c. 16 Sozomenes lib. 2. c. 5. & lib. 7. c. 15. & 20. Eunapius in vita Ædesii. Cedreni l. 1. & cæteri. Byzantini in vitis Constantini & Theodosii. [b] Vitruvius lib. 3. cap. 1. [c] Vitruvius in Præfatione, lib. 7. [d] Lib. 3. c. 1. in fine capitis. [e] Vitruvius lib. 3. cap. 1. [f] Pausanias in Atticis. [g] Vitruvius lib. 3 cap. 1. [h] Strabo lib. 14. [i] Vitruvius lib. 3. cap. 1. [l] Lib. 36. [m] Illius enim Temporibus Bis Cos. fuerat & præfectus Pannoniæ, Xiphilin. in vita Alexandri. [n] Pausanias in Atticis. [o] Pausanias ib. [p] Pausan. ib. [q] Herodotus lib. 1. [r] Josephus Archæologiæ, lib. 15. c. 14. Middoth. Per. 2. Hal 1. [s] Dion Chrysostomus de Regno, Orat. 2. [t] Autor Anonymus ἀναγραφῆς Olympiadum à Scaligero cum Eusebianis suis Editæ ad Olympiadis 85. annum quartum. Harpocration in Προπύλαια.

tincant

tineant [u] 6000 drachmas, quarum unaquæque est octava pars unciæ, seu Coronæ Anglicanæ, octo millia eorum efficiunt nostræ monetæ 1500000 libras, quæ Athenis, ubi [x] tres drachmæ erant Bovis pretium, ingens summa fuerat, & si reducatur ad valorem nostræ monetæ in Anglia, ubi Bos minori pretio, quam sex libris, raro venit, sexagies & quater multiplicanda est, efficietque 96000000 librarum, summam plane mirandam, & si uno seculo expensa fuisset, fere incredibilem. Ut vero melius intelligatur qualis fuerat hujus Templi forma, illius *ἰχνογραφίαν* subjecimus, qua magis dilucide indicabitur.



A. Porticus duobus ordinibus columnarum sustentata. B. Pronaos Decastylus. C. Posticum. D. Aditus ad Cellam in Pronao. E. Aditus ad Cellam in Postico. F. Paries Templi. G. Porticus interior uno ordine columnarum in altitudine duplicium sustentata. H. Medium sub Dio sine tecto. I. Colossus Adriani.

In hoc Templo festum, quod in memoriam universalis diluvii instituerat Deucalion, Athenienses quotannis [y] primo die Anthesterionis celebrantes [z] in hiatum, qui in eo loco, quo diluvii tempore aquas defluxisse memorant, deducto ad cubiti instar solo factus fuerat, polientam è melle & triticeâ farinâ oblationis loco solebant projicere.

Quid sit ....Δ....ΜΤΟΥ non possum divinare, cum Palmerio autem supponere Deucalionem tam potentem Regem propriis manibus Templum Athenis ædificasse est plane ridiculum. Forsan Seldenus male legit in exeso Marmore Δ pro Α, & Τ pro ΠΙ, deletis ex utroque latere lineolis, atque igitur sic Lacuna supplenda est, *καὶ Διὸς Φυξίου, καὶ Ὀλυμπίου ἱερὸν ἱδρύσατο.* Qui hanc lectionem non approbat, inveniat meliorem. De diluvio Deucalionis prius dixi. De Tempore quo dicunt illud accidisse, consule Notas Chronologicas Lydiati ad hanc Epocham.

Ep. 5. Α.....*κτυων Δευκαλίωνος ἐβασίλευσεν ἐν Θερμοπύλαις, καὶ συνήγ...υς περὶ τὸν ὅρον οἰκοῦντας, καὶ ω...ασεν Ἀμφικτύονας, καὶ π......ν υ... καὶ νῦν ἔτι θύουσι Ἀμφικτύονες,* ἔτη ΧΗΗ𐅄ΠΙΙΙ, *βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος.* In prima Lacuna suppleo *Ἀφ' οὗ Ἀμφικτύων*, in secunda *λαοὺς*, in tertia *ὠνόμασεν*, in quarta

[u] Pollux lib. 9. cap. 6. [x] Plutarch. in Solone. [y] Plutarchus in Sylla. [z] Pausanias in Atticis. [a] Ad Epocham primam.

Πυλαίαν,

Πυλαίαν, in quinta ὕπερ, quæ ſupplendi ratio ob voces, quæ relinquuntur integræ, tam obvia eſt, ut omnibus, qui in his rebus mediocriter verſantur, facile appareat, deletas in exeſo Marmore eaſdem omnino fuiſſe, quas reſtituimus, voces. Hunc Amphictyonem Deucalionis filium, qui Thermopylis regnavit, eundem fuiſſe cum Amphictyone, qui in hac eadem Epocha Rex Athenienſium dicitur, [a] apud Apollodorum extat opinio eorum, qui negant. Sed aſſentiendum eſt pluribus, [b] qui aſſerunt contrarium. An vero Amphictyon fuiſſet primogenitus Deucalionis filius, ſeu Hellene junior, non tanti eſt, ut inquiramus; [c] Autores ſunt, qui tradunt utrumque. Quomodo hic Amphictyon impiâ fraude expulſo Cranao ſocero ſuo Athenarum regnum invaſerat, [d] ſupra dixi. Non diu poſtea Bacchum Athenas venientem [e] à Semacho ibi hoſpitio exceptum fuiſſe, & ab Amphictyone [f] ad Epulas vocatum ei miſcendi vini modum indicaſſe, ab eoque tempore divinos honores, & aram in Horarum fano Nympharum aræ adjunctam Athenis habuiſſe dicunt Mythologici; ſed [g] Oſiris, qui verus Dionyſus ſeu Bacchus fuerat, Amphictyone multis annis vetuſtior, Cadmi vero nepos, qui fictus, multis [h] recentior fuit. Fabula autem originem inde habuit, quod, cum Amphictyon [i] uſum vini diluti à Semacho forte inventum ad epulas introduxiſſet, ab eoque tempore homines recti & ſobrii à compotationibus deceſſiſſent, qui prius e poto meraco ebrietate incurvati fuerant, Baccho Recto [l] Aram ponebat, quam prope Nympharum aram [m] ideo collocavit, ut de diluendo vino, ſi qui uti vellent, admoneret. Hoc idem dicet Euſtathius, in Scholiis ad Odyſſ. Homeri ρ', ſed in Scholiis ad Il. ζ', & λ'. primum diluti vini uſum ad tempora Lycurgi refert, qui Oſiridi coævus in Thracia regnabat, fabulamque illam de bello Bacchi cum Lycurgo, illiusque ad Nymphas fugâ, à quibus ſervatus fuit, ex eo, quod Lycurgus, cum vidiſſet vino inebriari homines, ejus uſum in toto regno ſuo ſeveriſſimis legibus prohibuiſſet, eumq; poſt inventam diluendi artem iterum admiſiſſet, ortam fuiſſe. Amphictyon cum Regnum male partum [n] decem annos tenuiſſet, Athenis eodem modo, quo ab eo prius Cranaus, ipſe [o] viciſſim ab Erichthonio expulſus fuerat; Regna autem, quæ à patre acceperat, ſemper tenebat, in iiſque [p] Itonum filium habuit ſucceſſorem, præter Itonum unicam etiam cujus nomen non traditur habuit filiam, [q] quæ Rharo Cranai filio nupta Triptolemi & Cercyonis mater fuiſſe perhibetur. [r] Itono nati fuere Bœotus & Chromia, à Bœoto Bœotia nomen habuit, Chromia autem [s] nupta Endymioni [t] filio Athlii, Protogeniæ Deucalionis filiæ nepoti, qui expulſo Clymeno in Eleâ prope Olympiam regnavit, ei peperit [u] Pæonem, Epeum, & Ætolum, quibus juſſu Endymionis, in Olympia de imperio curſu certantibus, victoriam obtinuit [x] Epeus, atque ideo patri in regno ſucceſſit, quod male ferens Pæon [y] à Peloponneſo deceſſit, regionemque circa Axium fluvium in confiniis Thraciæ & Macedoniæ occupans, ibi genti Pæoniæ nomen & originem dedit. [z] Ætolus autem cum fratre manſit, eique ſine maſcula prole defuncto in regno ſucceſſit, [a] ſed ob cædem Apidis filii Jaſonis, quem imprudenter occiderat, è Peloponneſo fugere coactus ad Curetas venit, qui regionem circa fluvium Acheloum incolebant, ubi cum, occiſis Doro, Laodoco, & Polypœte, à quibus receptus fuerat, regnum adeptus eſſet, ab eo deinde regio Ætolia, & incolæ Ætoli dicebantur. Ejus filii fuere Calydon, & Pleuron, à Calydone urbs & ſilva Calydonia, à Pleu-

[a] Apollodorus lib. 3. [b] Pauſanias in Phocicis. Euſebius in Chronicis. Suidas. Harpocration. & Phavorinus in Ἀμφικτύονες. Didymus ad Il. Homeri μ'. v. 117. Stephanus in Βοιωτία. [c] Stephanus ib. Didymus ib. [d] In notis ad Epocham tertiam [e] Euſebius in Chronicis. [f] Pauſanias in Atticis. Athenæus lib. 2. [g] Prometheo enim Amphictyonis avo fuerat coævus. Diodorus Sic. lib. 1. Phavorinus in Πέρμηθεύς. [h] Vide Notas ad Epocham ſecundam. [i] Athenæus lib. 2. & lib. 4. [l] Athenæus lib. 2. & 4. [m] Athenæus lib. 2. [n] Euſebius in Chronicis. [o] Pauſanias in Atticis. Tzetzes Chil. 5 cap. 18. [p] Stephanus in Βοιωτία. Pauſanias in primo Eliacorum, & in Bœoticis. [q] Pauſanias in Atticis. [r] Stephanus in Βοιωτία. Pauſanias in Bœoticis in initio. [s] Pauſanias in primo Eliacorum. [t] Apollodorus lib. 1. Pauſanias in primo Eliacorum. [u] Apollodorus & Pauſan. ib. [x] Pauſanias in primo Eliacorum. [y] Pauſan. ib. [z] Pauſan. ibid. [a] Apollodorus lib. 1. Pauſanias in primo Eliacorum.

rone urbs Pleuron nomina habuerunt. A Pleurone tertius erat Oeneus pater [b] Meleagri, [c] Tydei, [d] Deianiræ Herculis uxoris, & [e] Gorges matris Thoantis, qui Ætolis tempore belli Trojani imperavit. Thoantis filius fuit [f] Hæmon, Hæmonis [f] Oxylus, qui Heraclidas in Peloponnesum duxerat. Ætolo autem in Eleâ successit [g] Eleus illius ex sorore Eurycyde nepos, à quo Elei, qui prius ab Epeo dicebantur Epei, nomen primo dicuntur habuisse. Epeus filium habuit Augeam, ob agrum suum ab Hercule stercoribus purgatum celebrem, Augeas genuit Agasthenem, Agasthenis filius fuit Polyxenus, qui [h] Bello Trojano interfuit, Polyxeni nepos erat Epeus ejus nominis secundus, quem [i] Oxylus ex Ætoli posteris Eleâ pellens ejus regnum occupavit, cujus posteri (è quibus fuit Iphitus, qui ludos Olympiacos instauravit) donec Regimen Monarchicum dissolveretur, in Elide dicuntur regnasse.

Καὶ συνῆγε λαοὺς περὶ τὸ ὄρος οἰκοῦντας, καὶ ὠνόμαζεν Ἀμφικτύονας, &c.] Amphictyonicum concilium ab Amphictyone de communibus Græciæ rebus consulturum primum congregatum fuisse, ab eoque Amphictyonicum vocatum, communi fere omnium scriptorum [l] constat autoritate. Cum primo institutum fuisset, ex illis solis gentibus, quibus Amphictyon, & fratres illius imperabant, videtur constitisse, nondum enim Dores, Iones, aut ulla Peloponnesiaca gens ad illud conveniebat. Dores enim & Iones ab Hellenis posteris [m] ortum habentes Amphictyonis temporibus non nati erant, Peloponnesii nondum Hellenici fuere, aut cum Hellenicis linguam aut mores habebant communes, [n] sed antequam Xuthus, & illius filii Ion & Achæus ad illos commigrassent, omnes erant [o] Pelasgi, qui cum [p] Deucalioni acerrimi hostes fuissent, utpote ab eo Thessaliæ totiusque Græciæ, quæ extra Isthmum est, imperio exuti, non omnino videtur verisimile, eos cum Deucalionis filiis aliquam societatem aut fœdus velle iniisse. Soli igitur ii populi, qui Deucalioni olim parebant, & à filio illius Hellene postea Ἕλληνες dicebantur, hujus concilii participes fuere. Cum enim Regnum Deucalionis, quem hoc ipso anno, quo institutum est concilium, supponimus occubuisse, inter filios illius dividendum esset, illi timentes, ne sejuncti hostibus suis essent impares, aut ex aliqua lite inter se belligerarent, hoc commune instituerunt concilium, quod ab Amphictyone ideo, quod fratrum forsan natu maximus esset, Amphictyonicum dicebatur, ut dum per illud omnes lites inter civitates sine bello componerentur, communique illius decretis provideretur saluti, semper essent [q] sibimet invicem amici & hostibus terribiles. Communi igitur sumtu [r] Templo Cereri condito in Thermopylarum angustiis prope [s] ostium fluvii Asopi (qui locus utpote in limitibus Regnorum Hellenis & Amphictyonis, in medioque earum Regionum, quibus imperabat Deucalion, situs conventui maxime erat opportunus) decreverunt, ut bis quotannis [t], in initio scilicet veris, & autumni, Senatores à singulis populis electi ibi convenirent, sacrisque Deæ factis pro communi salute, de eadem postea consultarent. De Thermopylis postea ad Epoch. 52. dicturi sumus, illæ autem cum insignissimæ totius Græciæ angustiæ fuissent, plerumque simpliciter [u] πύλαι dicebantur, [x] abeaque voce consessus hic celebrari solitus πυλαία, & Senatores πυλαγόραι vocabantur.

[b] Apollodorus ib. Pausanias in Phocicis, & Messenicis. Homerus Il. 9. Ovidius Metamorph. lib. 8. &c. [c] Homeri Il. ζ. Apollodor. lib. 1. Pausanias in Corinthiacis. [d] Apollodor. lib. 1. Pausan. lib. 2. [e] Pausanias in primo Eliacorum. [f] Pausanias in primo Eliacorum. [g] Pausanias ib. [h] Homerus Iliad. β'. [i] Pausan. in primo Eliacorum. [l] Eusebius in Chronicis. Pausanias in Phocicis. Harpocration in Ἀμφικτύονες. Antiquum Scholion ad Demosthenis orationem de pace, in fine Edit. Bas. Alexander ab Alexandro, lib. 5. c. 7. Phavorinus in Ἀμφικτύονες. Suidas ad eandem vocem. Dionys. Hal. lib. 4. [m] Pausanias in Atticis, & Achaicis, &c. Strabo lib. 8. & lib. 9. Apollodorus lib. 1. Vitruvius lib. 4. c. 1. [n] Apollodorus lib. 1. &c. Pausanias in Achaicis. Strabo lib 8. [o] Dionys. Hal. lib. 1. [p] Dionys. Hal. ib. [q] Dionys. Hal. lib. 4. [r] Strabo lib. 9. Herodot. lib. 7. [s] Herodot. lib. 7. Strabo lib. 9. [t] Strabo lib. 9 Alexander ab Alexandro, lib. 3. c. 28. & lib. 5. cap. 7. [u] Herodot. lib. 7. Pausan. in Phocicis, & in Atticis. Strabo lib. 9. Harpocration in πύλαι. Æschines in orat. contra Ctesiphontem, & Demosthenes in orat. pro Ctesiphonte. Hesychius in πυλαγόραι. [x] Strabo lib. 9. Hesychius in πυλαγόραι. Harpocrat. in πύλαι.

Cum

Cum autem Acrisius Argivorum Rex [y] ob timorem Persei nepotis sui, quod ex oraculo audivisset se ab eo occidendum esse, in Thessaliam decedens observasset multa desiderari in hoc concilio, ut recte & cum felici successu haberetur, sive quod processu temporis labefactatum esset, sive quod in initio satis prudenter institutum non fuisset, [z] illud circa [a] 230 annos, postquam ab Amphictyone primo congregatum fuit, de novo ordinavit, & scriptis legibus, [b] secundam quas de causis ad Concilium latis judicaretur, assignatisque populis, qui illius participes essent, quot suffragia singuli haberent, & quo tempore & loco convenirent, omnia de hoc concilio sancivit, quæ in illius celebratione à Græcis postea semper fuerant observata. Ab illius igitur temporibus non tantum Templi Cereris in Thermopylis, sed Apollinis [c] etiam Delphici procurationem habuerunt Amphictyones; in utrisque igitur Templis alternis vicibus, in Templo Apollinis Delphici scilicet initio Veris, in Templo Cereris Thermopylis initio Autumni conventus suos habuerunt. Populi vero, qui Acrisii decretis concilii participes fuere, [d] duodecim numerantur, Thessali, Phthiotæ, Magnetes, Perrhœbi, Ænianes, Malienses, Dolopes, Locrenses, Phocenses, Bœoti, Iones, Dores. Septem priores [e] Thessalicæ gentes fuere, & extra Pylas habitabant, & cum Thessalia in quatuor partes dividatur, scilicet [f] in Phthiotin, Thessaliotin, Æstiæotin, & Pelasgiotin, Dolopes & Perrhœbi Æstiæotidis, Thessali, Thessaliotidis, Magnetes Pelasgiotidis sub montibus Pelii & Ossæ, Phthiotæ, Malienses, & Ænianes Phthiotidis incolæ fuerunt, Malienses in ipsis Pylis ad Sinum Maliacum habitabant, Ænianes sub montibus Oetæis, atque ideo ab Æschine [g] Oetæi dicebantur. Locrenses erant, qui in triplice Locride, Bœoti, qui in Bœotia, Phocenses, qui in Phocide, Iones, qui in Atticâ, Eubœâ, Maris Ægei insulis, & Ionia Asiana, Dores, qui in Doride sub Pindo monte, & in Peloponneso habitabant. Hi olim populi ad Concilium conveniebant, [h] singulique eorum duo suffragia habentes Amphictyonatus jus sine ullâ immutatione usque ad Regnum Philippi Macedonis retinuerunt, tunc autem, Olympiadis scilicet centesimæ octavæ anno tertio, [i] Phocensibus, quod expilato Templo Delphico sacrilegium commisissent, & è Dorica gente [k] Lacedæmoniis, quod sacrilegis auxilia tulissent, concilio motis, jus Amphictyonatus duplicisque suffragii, quod prius habuerunt Phocenses, ad [l] Macedones, qui Sacrilegos vicerunt, fuerat translatum. Sed cum Phocenses post annos 67, Olympiadis scilicet 125 anno secundo, contra Gallos Delphos direpturos fortissime pugnantes, illud Templum, quod prius expilaverant, jam ab expilatione liberassent, his meritis priora scelera compensasse judicati, [m] in concilium communi Græcorum decreto, eodem modo quo amoti fuere, iterum recipiuntur, in eoque illa, quæ olim Dolopum fuerunt, [n] qui sub Macedonico imperio, eodem tempore quo Perrhœbi, libertate & nomine amissis interierant, forte habuerunt suffragia. Perrhœborum autem loco Delphi, qui ante Templi expilationem [o] suffragia cum Phocensibus habuerant communia, ne qui sacrilegio [p] maxime obstabant cum sacrilegis mulctarentur, & à Templi participatione excluderentur, qui illius perpetui Curatores fuerunt, in concilium cum pleno Amphictyonatus jure non diu post exclusos Phocenses videntur fuisse cooptati. Cum enim [q] Pausanias Delphos, eodem modo quo Bœoti, Thessali, Macedones, & aliæ gentes, quæ ad concilium convenie-

[y] Apollodorus lib. 2. Pausanias in Corinthiacis. [z] Strabo lib. 9. [a] Compara Eusebii Canonem de Regibus Argivorum cum hac Epocha. [b] Strabo lib. 9. [c] Strabo lib. 9. Pausanias in Phocicis. Plutarchus in Solone; Æschines in orat. contra Ctesiphontem. Pausanias in Achaicis. Herodot. lib. 5. Plutarchus in Sylla. [d] Æschines in orat. περὶ παραπρεσβείας. Harpocration, Suidas, & Phavorinus in Ἀμφικτύονες, Michael Apostolius lib. 3. Prov. 4. Alexander ab Alexandro, lib. 5. c. 7. Pausanias in Phocicis. [e] Strabo lib. 9. [f] Strabo ib. [g] In orat. περὶ παραπρεσβείας. [h] Æschines in orat. περὶ παραπρεσβείας. [i] Diodorus Siculus, lib. 15. Pausanias in Phocicis. [k] Pausanias, & Diodorus, ib. [l] Demosthenes in orat. de Pace, & antiquum Scholion ad illam orat. in fine Edit. Bas. Pausanias in Phocicis, & Diodorus Siculus, lib. 15. [m] Pausanias in Phocicis. [n] Strabo lib. 9. [o] Vide Æschinis orationem περὶ παραπρεσβείας. [p] Diodor. Sic. lib. 15. Pausan. lib. 10. [q] Lib. 10.

bant, bina suffragia tradit habuisse, quæ [r] penes eos ab initio non fuere, illique etiam ab [s] Harpocratione, [s] Suida, [t] Michaele Apostolio & [u] Alexandro ab Alexandro inter gentes Amphictyonicas numerantur, quonam tempore probabilius est, eos hoc jus primo consecutos fuisse? Post victoriam Actiacam [x] Nicopolis etiam, quam Augustus prope eum locum, quo Antonium superaverat, [y] in victoriæ monumentum condidisset, Imperatoris decreto facta est Amphictyonica, & Magnetes, Ænianes, Phthiotæ, & Malienses [z] jussi se Thessalis conjungere, ab eo tempore non nisi cum illis participarunt bina ea, quæ prius singuli habuerunt, suffragia. Pausaniæ igitur tempore, qui Imperante Antonino Pio circa medium secundæ post Christum Centuriæ [a] maxime floruerat, qui Concilii participes fuere hi populi [b] recensentur, Thessali, Macedones, Nicopolitani, Delphi, Phocenses, Locrenses, Bœoti, Dores, Iones. [c] Harpocration, [c] Suidas, [d] Michael Apostolius, & [e] Alexander ab Alexandro, inter eos etiam numerant Achæos: sed de his nihil Pausanias: non omnino tamen videtur verisimile, quin hi, cum sub Arato, Philopœmone, & Lycorte Polybii patre fortissimis ducibus Græciæ [f] domini evasissent, Amphictyonatus jus tunc fuissent consecuti, quod olim etiam ante Heraclidarum in Peloponnesum descensum, cum Acrisius, qui gentes Amphictyonicas ordinavit, [g] Achæus fuisset, videntur habuisse. In initio suffragia Amphictyonica penes solas Gentium Metropoles fuerunt, atque ideo [h] Strabo Amphictyonici concilii duodecim civitates primo participes fuisse tradit, postea aliis etiam civitatibus erant [i] communicata, & tandem, cum Dores & Iones plures habuissent urbes insignissimas, ut hæ etiam in concilium admitterentur, ultra justum numerum multiplicata fuere, cautum tamen est, ut in nullo conventu, plura quam viginti quatuor, duo scilicet pro singulis gentibus, secundum antiquum institutum haberentur: atque ideo cum Pausaniæ temporibus [l] penes urbes Amphictyonicas triginta essent suffragia, soli Delphi, Athenienses, & Nicopolitani omnibus conventibus, ceteri non nisi vicibus suis interfuerunt.

Senatores ad concilium missi ἀπὸ τ͂ εἰς τὰς πύλας ἀγείρεσθαι [m] Πυλαγόραι dicebantur: penes hos erant civitatum suffragia, quot vero à singulis delegati fuere incertum est, Athenienses in eo concessu, quo Phocenses ob excultum agrum Girrhæum Apollini sacratum condemnarunt, [n] quatuor habuerunt Pylagoras (delirant enim, qui lectâ oratione Æschinis contra Ctesiphontem: præter Æschinem, Midiam Anagyrasium, & Thrasiclem Lesbium, Demosthenem etiam in illo conventu supponunt non fuisse Pylagoram.) Videtur igitur numerus eorum esse ex arbitrio civitatum, quæ eligebant: quotcunque vero ab eadem mittebantur, si penes eam esset unum tantum suffragium [o] plura in conventu non habuerunt. Quam subito conveniebant Pylagoræ, Amphictyonum juramento omnibus proposito, eo & semetipsos & civitates, à quibus missi fuere, obstrinxerunt [p] Μηδεμίαν πόλιν τῶν Ἀμφικτυονίδων ἀνάστατον ποιήσειν, μηδ' ὑδάτων ναματιαίων εἴρξειν, μήτ' ἐν πολέμῳ, μήτ' ἐν εἰρήνῃ· ἐὰν δέ τις ταῦτα παραβῇ, στρατεύσειν ἐπὶ τοῦτον, καὶ τὰς πόλεις ἀναστήσειν, καὶ ἐάν τις ἢ συλᾷ τὰ τοῦ Θεοῦ, ἢ συνειδῇ τι, ἢ βουλεύσῃ τι κατὰ τῶν ἐν τῷ ἱερῷ, τιμωρήσειν, καὶ ποδὶ, καὶ χειρὶ, καὶ φωνῇ, καὶ πάσῃ δυνάμει, i. e. urbem nullam Amphictyonicam se eversuros, neque aqua profluente se prohibituros, sive pace, sive bello; si quis contra fecisset, se bellum illaturos, & urbes excisuros, & si quis Apollinem spoliaret, vel conscius esset illius injuriæ, vel consilium daret contra

[r] Vide Æschinis orat. περὶ παραπρεσβείας. [s] In Ἀμφικτύονες. [t] Lib. 3. Prov. 4. [u] Lib. 5. c. 7. [x] Pausan. in Phocicis. [y] Dion Cassius, lib. 51. Strabo lib. 7. [z] Pausanias lib. 10. [a] Meminit enim belli Judaici confecti in Atticis, & Antonini in Corinthiacis. [b] Pausanias lib. 10. [c] In Ἀμφικτύονες. [d] Lib. 3. Prov. 4. [e] Libro 5. c. 7. [f] Vide Polybium lib. 2. 3. 4. 5. Plutarchum in Arato, Cleomene, Philopœmene, & Tito Quintio, & Livium. Decad. 4. [g] Argivorum enim Rex fuit, Argivi autem ante Heraclidarum descensum Achæi fuerunt. & sic plerumque ab Homero vocantur. [h] Lib. 9. [i] Themistoclis temporibus 31. civitates Amphictyonicæ fuerunt. Plut. in vita ejus. [l] Pausan. lib. 10. [m] Harpocration, Suidas & Hesychius in πυλαγόραι. Strabo lib. 9. [n] Æschines in orat. contra Ctesiphontem: [o] Pausan. in Phocicis. [p] Æschines in orat. περὶ παραπρεσβείας.

Tem-

Templum, eum se ulturos, & pede, & manu, & voce, & omnibus viribus. Juramento diram execrationem addiderunt contra eos qui violaverint, & deinde [q] sacris factis, sive Delphis, sive Thermopylis convenissent, primo de rebus [r] Templi in quo sedebant, & cujus procuratores erant, scil. de donariis, Thesauris, Sacrificiis, an omnia circa ea rite sancteque facta fuissent, & deinde de publicis Græciæ rebus, an commune jus ab omnibus inviolatum servaretur, inquirebant: & si aliqua civitas, aut tota Gens circa hæc peccasse accusaretur, ad conventum [s] citabant, ut causam dicerent, deprehensæque circa hæc peccasse, si sacrilegium aut impietatem contra Deum admisissent, dicto Anathemate, exclusione à Templi participatione, & à concilio, si Amphictyonicæ fuissent; si autem injuriæ tantum contra aliquam Græcam civitatem, ob violatas aut in pace, aut in bello Gentium leges reæ fuissent, pecuniâ quanta læsis faceret satis pro injuriâ, communi decreto mulctabantur. [t] Posteriori modo Lacedæmonii ob occupatam tempore pacis arcem Cadmeam, [u] priori modo Phocenses, & iidem Lacedæmonii paulo postea ob expilatum Templum Delphicum fuerunt condemnati. Quando in concilio aliquid majoris momenti agebatur, [x] quicunque ex aliqua Græca civitate, aut ob oraculum, aut ob sacrificia forte aderant, ad illud convocati fuere. Conventus, qui ex his constabat, [y] Ἐκκλησία, qui ex solis Pylagoris, [z] Συνέδριον dicebatur. De privatis litibus, aut privatorum criminibus judicare infra concilii dignitatem habebatur, nec unquam privatus aliquis, si excipias [a] Ephialtem Trachinium, qui Xerxi per montes Oetæos, cum à Lacedæmoniis occlusæ fuissent Thermopylarum angustiæ, in Græciam monstravit viam, in hoc concilio unquam fuerat judicatus. Sed si aliquis talis, aut impietatis contra Deum, aut injuriæ contra Græcos accusaretur, contra Gentem, seu civitatem, cujus civis erat, si non ab eadem fuisset punitus, intendebatur actio. Si condemnati sententiæ non submitterent, bellum indicebatur rebellibus: hoc autem Amphictyonum decreto duobus solis Græciæ populis, [b] Cirrhæis scilicet & [c] Phocensibus unquam fuit illatum, tam sanctum hujus concilii decretis parere à ceteris semper habebatur. Cirrhæis autem Duce Solone, Phocensibus Duce Philippo Macedone debellatis, priores deleti posteriores miserè mulctati fuere.

Omnia Amphictionum Decreta [d] summi Sacerdotis Templi Delphici, eodem modo quo acta publica apud Romanos Consulum, & apud Athenienses Archontum nomine signabantur, eaque incisa in columnis Marmoreis sub hac forma promulgata fuere, Ἐπὶ Ἱερέως Κλειναγόρου ἐαρινῆς Πυλαίας ἔδοξε τοῖς Πυλαγόραις καὶ τοῖς Συνέδροις τῶν Ἀμφικτυόνων ἐπειδὴ Ἀμφισσεῖς, &c. Totum hoc decretum, & aliud ejusdem formæ in oratione Demosthenis de Coronâ legi potest.

Omni Pylaico conventui cum Pylagoris etiam [e] interfuerunt Hieromnemones: apud Græcos autem duplicis generis & officii fuerunt Hieromnemones, alii enim erant civiles Magistratus, apud quos in scripta redigebantur [f] contractus & judicum sententiæ, atque hi non omnino differebant ab iis, qui simpliciter Μνήμονες, i. e. notarii dicebantur, nisi quod forte in hoc munus electi, ut sanctius ab iis præstaretur, etiam Sacerdotes fuerint, atque ideo ἱερομνήμονες vocabantur, Μνήμονα autem scribam seu notarium fuisse interpretatur [g] Eustathius ad Homerum. Alii autem Hieromnemones, qui per hunc vocem magis proprie significabantur erant Sacerdotes, qui ideo, quod

[q] Dionys. Hal. lib. 4. Strabo lib. 9. [r] Æschines contra Ctesiphontem. Plutarch. in Solone, &c. [s] Demosthenes in orat. de Coronâ. [t] Diodorus Sic. lib. 15. [u] Pausanias in Phocicis. Diodorus lib. 15. [x] Æschines in orat. contra Ctesiphontem [y] Æschines ib. [z] Suidas & Harpocration in Ἀμφικτύονες. [a] Herodot. lib. 7. [b] Plutarchus in Solone. Æschines in orat. contra Ctesiphontem. [c] Pausan. lib. 10. Diodorus Sic. lib. 15. Æschines in oratione contra Ctesiphontem, & Demosthenes in orat. de Coronâ. [d] Demosthenes de Coronâ. [e] Suidas, Harpocration, Phavorinus & Hesychius in ἱερομνήμονες. Scholiastes Aristophanis ad Neubes. Æschinis orat. contra Ctesiphontem. [f] Henricus Stephanus in ἱερομνήμων. pro hac vocis significatione citat Aristotelem. [g] Ad Odyss. θ'. vers. 163.

circa

circa res ſacras & deorum cultum docti & periti fuerint, memoriâque tenuerint, quo ritu, & quibus ſacris quiſque eorum colendus eſſet, [h] ἀπὸ τοῦ μνήμονας εἶναι τῶν ἱερῶν nomen ſortiebantur, iidemque omnino fuere cum illis, qui apud Ægyptios Ἱερογραμματεῖς, & apud Judæos Ἀρχιερεῖς dicebantur. Sacerdotes enim, qui apud Ægyptios in Sacris Mercurii libris, & Ægyptiaca Theologiâ verſati fuere, [i] Ἱερογραμματεῖς, qui apud Judæos in libris Moſis, & Judaicâ Theologia, [l] Ἀρχιερεῖς vocabantur; & ſecundum hanc vocis ſignificationem, & non de capitibus Ephemeriarum, aut familiarum interpretandus eſt locus, ubi Herodes dicitur congregaſſe, [m] Ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ: cum enim docti apud Judæos, & legis periti, quales erant Synedriorum aſſeſſores, erant vel Levitici, vel Laici, Laici γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, Levitici ſive eſſent è familia Aharonis, ſive tantum Levitæ, Ἀρχιερεῖς dicebantur, qui cum ideo γραμματεῦσι τοῦ λαοῦ opponuntur, quod è clero fuerint, æque proprie etiam γραμματεῖς τῶν ἱερῶν, ſeu ἱερογραμματεῖς poterant appellari, utrique autem, ſcilicet tam Ἀρχιερεῖς quam γραμματεῖς τοῦ λαοῦ generali voce [n] סופרים i.e. ſcribæ dicebantur. Hieromnemones qui cum Amphictyonibus conveniebant utriuſque generis fuere, & non tantum Sacerdotum, ſed etiam ſcribarum ſeu notariorum præſtabant officia, cum enim ad omnem conventum Pylaicum mitterentur, [o] συνεδρεύσαντες καὶ θύσαντες, Pylagoræ συνεδρεύσαντες, Hieromnemones θύσαντες fuerunt, [p] hi igitur in eo ſolenni conventu ſacra Deo peragebant, omniaque ad ea peragenda neceſſaria ſinguli parabant pro civitatibus ſuis, atque ideo etiam [q] ἐπίσκοποι τῶν ἀναλισκομένων ἐν ταῖς θυσίαις dicebantur. [r] Iidem in conſeſſu ſcribæ ſeu notarii fuere, omniaque ea, quæ decreverunt Pylagoræ in Tabulas referebant, curabantque ut inde in [s] columnas Marmoreas tranſcripta tum in Templo Apollinis Delphici, tum in Templo Cereris in Thermopylis promulgarentur, atque ideo cum Amphictyones in Templo Apollinis Delphici ſedentes contra Phocenſes decreta feciſſent, juſſerunt Hieromnemonas, ut illi [t] πρὸ τῆς ἐπιούσης πυλαίας, ad Pylas cum illo decreto convenirent, ut ibi ſcilicet etiam in columnis Marmoreis inciſa, quæ contra illam gentem decreta fuerant, in utroque conſeſſus loco in publico proponerentur.

Qui Acriſium primum hujus concilii inſtitutorem fuiſſe tradunt, illud Amphictyonicum appellari volunt [u] ἀπὸ τοῦ περιοίκους εἶναι τῶν Δελφῶν τοὺς συναχθέντας, κτίσαι enim dicunt antiquam vocem fuiſſe uſurpatam pro οἰκῆσαι, & pro exemplis afferunt illa Homeri ἐϋκτίμενον πτολίεθρον καὶ ἐϋκτιμένην κατ' ἀλωήν, vociſque ἐϋκτίμενον, quæ bene habitatum ſignificat, ab εὖ bene & κτίσαι pro οἰκῆσαι deducunt originem. Sed ſi hæc admittenda eſſet Etymologia, & Ἀμφικτύονες eſſent quaſi περικτίονες, ut vox cum litera ι ſcriberetur, & non cum υ, omnino requireret originis ratio. His Etymologicis ſimiles ſunt etiam ij, qui hunc conventum non ἀπὸ τῆς πύλης, quia in Thermopylarum anguſtiis conveniebat, ſed quia [x] Pylades ob Clytemneſtræ cædem coram eo primus cauſam dixerat, Πυλαίαν volunt appellari. Sed approbatæ autoritatis hiſtoricis, qui tradunt contrarium, potius quam inſulſis Grammaticis adhibenda eſt fides.

Vir apud noſtrates [y] inſigniſſimus exiſtimavit duos & diverſos fuiſſe Amphictyonicos conventus, qui Delphis, & Thermopylis conveniebant, & unum ab Amphictyone, alterum in hujus ſimilitudinem ab Acriſio fuiſſe in-

[h] Etymolog. in ἱερομνήμονες. [i] Lucian in Macrobiis. Porphyrius lib. 4. ſect. 8. Suidas in ἱερογραμματεύς. [l] Vide Clariſſimum *Lightfoot*, in Horis Hebraicis. ad Matth. cap. 2. ver. 4. [m] Matth. cap. 2. v. 4. [n] Bab. Beracoth fol. 45. 2. & apud Talmudicos paſſim. [o] Scholiaſtes Ariſtophanis ad Nubes. Phavorinus in ἱερομνήμονες. [p] Etymolog. in ἱερομνήμονες. Phavorinus, Suidas, & Harpocration ad eandem vocem. Scholiaſtes Ariſtoph. ad Nubes, Æſchines contra Cteſiphontem. Diodorus Siculus, lib. 15. [q] Scholiaſtes Ariſtophanis ad Nubes. Phavorinus in ἱερομνήμονες. [r] Æſchines contra Cteſiphontem, & Demoſthenes pro Cteſiphonte. Phavorinus & Heſychius, & Suidas in ἱερομνήμονες. [s] Diodorus Siculus, lib. 15. [t] Æſchines in orat. contra Cteſiphontem. [u] Phavorinus. Etymolog. Harpocration & Suidas in Ἀμφικτύονες. Pauſanias in Phocicis. Strabo lib. 9. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Nubes. Phavorinus in Πυλαγόραι. Scholiaſtes Sophoclis ad Trachinias. [y] Dominus Johannes Marſhamus, in libro ſuo nuper edito, pag. 116.

ſtitutum;

stitutum. Sed cum Strabo, ubi agit, de Amphictyonico conventu ab Acrisio instituto, [z] dicat illum Πυλαίαν appellari, quia etiam ad Pylas seu Thermopylas conveniebat, ideoque etiam assessores Pylagoras vocatos fuisse, eosque Cereri in Thermopylis sacrificasse, ex nullo loco mihi evidentius apparet, conventus Delphis & Thermopylis celebrari solitos unum eundemque fuisse, quam ex hoc, unde ille probavit fuisse diversos. Nec differentias, quas inter hos conventus ponit vir clarissimus, quod unus scilicet ex 12 civitatibus, alter ex tot gentibus constaret, & quod unus publicas Græciæ, alter tantum Templi res procuraret, omnino agnosco. Cum enim Amphictyones Delphis conventus suos celebrarent, cum contra [a] Cirrhæos, & postea cum contra [b] Phocenses bellum decrevissent iis communibus Græciæ armis inferendum, & iidem etiam Delphis, ut [c] Diodorum Siculum legenti facile patebit, Lacedæmonios ob turbatam publicam pacem, occupatamque Cadmeam arcem condemnassent, conventumque ideo eo in loco celebrari solitum, [d] Plinius publicum totius Græciæ vocet concilium, quis dubitat, quin ibi etiam de publicis rebus consultatum fuisset? Et profecto illuc non tantum 12 civitates, sed tot gentes convenisse, easdemque omnino fuisse cum illis, qui conventum in Thermopylis celebrabant, ab [e] Æschine & [f] Pausania ita disertis verbis asseritur, ut ipsi qui asserit contrarium, si hos tantum inspexisset autores, non poterat non evidentissimum apparuisse. Quare autem Strabo dicit hoc concilium olim ex 12 tantum civitatibus constare, supra monui. Præterea cum dicat Pausanias Achæos Conventum Ægii celebrasse, [g] καθότι εἰς Θερμοπύλας, καὶ εἰς Δελφοὺς Ἀμφικτύονες, & in decreto [h] Amphictyonum à Demosthene lato sancitur, τοὺς Πυλαγόρους παρεῖναι εἰς πύλας, καὶ εἰς Δελφοὺς ἐν τοῖς τεταγμένοις χρόνοις, & ex eadem Æschinis oratione constet conventum, in quo hoc decretum fuerat Delphis, proximum vero in Thermopylis, & illum in initio veris, hunc igitur in initio Autumni celebratum fuisse, inde ulterius probatur, concilium quod in utrisque locis habitum fuerat unum idemque fuisse, & in hoc tantum differre, quod illius Senatores, qui in initio veris Delphis, in initio Autumni, ut ex loco ultime citato conjecturam sumimus, Thermopylis semper conveniebant.

Cum Macedones, & postea Romani obtinuissent Græciæ Imperium, valde diminuta erat Amphictyonum autoritas, nec ulla, nisi umbra illius, quam olim habuerunt, penes eos deinde fuisse videtur, hanc autem diu retinuerunt; quando vero primo desinebant convenire incertum est. [i] Pausaniæ temporibus conventus suos semper celebrabant, sed cum in illis tantum res sacras & Idololatricos deorum cultus curarent, Constantini temporibus, cum hi interdicti fuissent, cum Templo & Religione suâ videntur omnino periisse.

Ep. 6. Ἀφ' οὗ Ἕλλην ὁ Δευκ......ώτιδος ἐβασίλευσε καὶ Ἕλληνες ὠνομάσθησαν τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι, καὶ τὸν ἀγῶνα Παναθ..ναι.......... ἔτη ΧΗΗΔΠΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. In prima lacanâ suppleo, Ἀφ' οὗ Ἕλλην ὁ Δευκαλίωνος Φθιώτιδος ἐβασίλευσε, Hellenem enim Deucalionis filium & Phthiotidis Regem fuisse quis ignorat? In secunda & tertia suppleo, καὶ τὸν ἀγῶνα Παναθηναικὸν συνεστήσαντο ἔτη. De Festo Panathenaico hic agi ex literis quæ relinquuntur integræ manifeste apparet, sed illud nondum celebratum fuisse indicat Epocha decima. Hic igitur secundum [m] Lydiatum innuitur Hellenem non instituisse, sed Erichthonico postea persuasisse, ut institueretur. Sed inimicitiæ, quæ necessario supponendæ sunt intercessisse Helleni

[z] Strabo lib. 9. [a] Plutarch. in Solone. [b] Æschines in orat. contra Ctesiphontem, & Demosthenes in orat. pro Ctesiphonte, [c] Lib. 15. [d] Lib. 35. cap. 9. [e] In orat. περὶ παραπρεσβείας. [f] In Phocicis. [g] Pausanias in Achaicis. [h] Æschines in orat. contra Ctesiphontem. [i] Pausan. in Phocicis. [m] Vide illius notas ad hanc Epocham.

& Erich-

& Erichthonio, qui Amphictyonem Hellenis fratrem [n] regno expulerat, hoc non admittunt. Præterea instituti ratio à Chronographo nostro in omnibus aliis Epochis observata, ut res ad illum annum referantur, sub quo de illis agitur, omnino requirit: atque ideo lego potius in plurali numero συνεςήσαντο, & verbum illud ad Athenienses referens, opinor hic innui, eos Festum Panathenaicum in imitationem conventus Amphictyonici, ut hujus beneficio inter Atticæ δήμους, eodem modo quo illius inter Græciæ gentes pax & amicitia inviolatæ præservarentur, decretis suis constituisse, quamvis ob aliquem casum, forte [o] ob bellum inter Amphictyonem & Erichthonium de regno ortum, primam illius celebrationem usque ad annum regni Erichthonii nonum, & Epochæ Marmoreæ [p] 1242. distulissent. Si vero potius velis, quod illud Epochæ decimæ Παναθηναίοις τοῖς πρώτοις γινομένοις, quod dubium movet, de Panathenæis absolute primis non intelligatur, non refragor, cum sic etiam ne Chronographus noster dicat repugnantia æque verisimiliter possis cavere.

Καὶ Ἕλληνες ὠνομάσθησαν τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι] Ut melius intelligatur, quando Græciæ incolæ Γραικῶν, quando Ἑλλήνων, aliaque, quæ antiquitus habuerunt, nomina primo adepti fuerunt, & quinam erant qui his nominibus vocabantur, liceat ab illis, qui primo Græciam incoluerunt, exordiri. Post confusionem Babylonicam, & dispersiones Gentium, multæ elapsæ sunt ætates, priusquam aliquis populus fixam in Græcia sedem obtinuerat. Recentes enim incolæ, priusquam urbes aliquas condidissent, aut semetipsos in nova colonia satis firmiter munivissent, à potentioribus advenis, & illi rursus ab aliis diu semper [q] pellebantur, nec aliquis ante Inachum (Sycioniorum enim Reges, ut ficta nomina, merito rejiciunt [r] doctissimi) in hac Regione regnum stabilivit: ille vero Peloponnesum occupans, & natura loci munitus, utpote ad quem nullus, nisi per angustum Isthmum, patebat aditus, ibi Argivis [s] 300 annos priusquam Cecrops in Attica regnaverat, circa annum ætatis Patriarchæ Isaaci vigesimum primum, per annos 50 [t] primus imperasse perhibetur. Hujus [u] filius erat Phoroneus, cujus temporibus [x] Æzius, & post illum filius illius Lycaon in Arcadia primi regnabant, Phoroneus autem genuit [y] Nioben, quæ [z] prima omnium mortalium secundum Mythologicos Jovi mista peperit Pelasgum, qui [a] ductâ Deianirâ Lycaonis filiâ, illi in Regno Arcadiæ successit, & [b] Regionem illam, [c] quæ prius ab Æzio, & Lycaone, Æzia, & Lycaonia dicebatur, totamque Peloponnesum à suo nomine Pelasgiam, & incolas Pelasgos appellavit, [d] quod nomen usque ad Danai tempora, qui mutato nomine eos Danaos vocavit, per 300 annos semper retinuerunt. [e] Cum Pelasgi temporibus homines solis radicibus & herbis vescerentur, easque sæpe quæ perniciosæ erant incaute comedissent, ille glandium esum apud Poetas toties decantatum, utpote multo salubriorem, primus introduxit, quibus Arcades etiam post inventas fruges diu vescebantur: atque ideo in Responso non diu ante Olympiadum initium Lacedæmoniis dato, qui tum Arcadibus bellum illaturi Oraculum Delphicum consulebant, Pythia dixit,

> [f] Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι,
> Οἵ σ' ἀποκωλύσουσι.

[n] Vide notas nostras ad Epocham quintam. [o] Vide notas nostras ad Epoch. 5. [p] Vide Epoch. 10. [q] Thucydides lib. 1. [r] Dominus Johannes Marshamus in προοιμίῳ, ad librum suum nuper editum; Salmasius de lingua Hellenistica, part. 2. cap. 1. & alii. [s] Eusebius in Chronicis. [t] Eusebius ib. Pausanias in Arcadicis. Apollodorus lib. 2. Herodotus lib. 1. [u] Pausanias in Arcadicis. Apollodorus lib. 2. Euseb. in Chronicis. [x] Dionys. Hal. lib. 1. [y] Dionys. Hal. ib. Pausanias lib. 8. Apollodorus lib. 2. [z] Dionys. Apollod. & Pausan. ib. Diodorus Siculus lib. 4. Nonnus lib. 32. Scholiastes ad Statii Theb. l. 4. [a] Dionys. Hal. lib. 1. [b] Pausan. lib. 8. Dionys. ib. Apollodorus lib. 2. [c] Dionys. Hal. lib. 1. Eustathius in Dionysii περιήγησιν, ad vers. 415. [d] Strabo lib. 5. p. 221. [e] Pausan. lib. 8. in initio. [f] Herodot. lib. 1. Pausan. in Arcadicis.

Hujus

Hujus Pelasgi filius erat [g] Lycaon ejus nominis secundus, qui Jovem Lycæum humanis sacrificiis primus coluit, & Lupercalia instituit. Lycaonis aut filius aut nepos erat Piasus, [h] qui filiâ suâ Larissa vi vitiatâ ex ea genuit alium [i] Pelasgum, Phthium, & Achæum, qui (cum, ut vitiatæ honor illæsus præservaretur, apud [l] antiquos semper in more esset, si femina insignioris fuisset notæ, fingere eam ab aliquo Deo compressam fuisse) [m] Neptuni filii dicebantur. [n] Hi non multos annos, postquam [o] Oenotrus filius Lycaonis ex eâdem regione in Italiam transierat, eodem modo agri inopiâ coacti Peloponnesum tunc incolis suis nimis angustam sextâ ætate, i. e. circa annos 125 (ætas enim Dionysio Halicarnasseo qui hæc tradit [p] ex 25 annis constat) postquam hæc Regio à Pelasgo ibi regnante primo Pelasgia dicebatur deseruerunt, magnoque secum educto exercitu Thessaliam, totamque fere Græciam, quæ extra Isthmum est, occuparunt, & à gentis nomine etiam [q] Pelasgiam appellarunt, ita ut tota ea Regio quæ postea Græcia, ab hoc tempore usque ad Deucalionis regnum per annos circa 125 Pelasgia dicebatur. [r] Partes autem illius, quas singuli fratres obtinuerunt, Pelasgiotis, Phthiotis, & Achæa ab eorum nominibus vocabantur. [s] Pelasgiotis & Phthiotis notæ erant in Thessalia provinciæ, utpote quæ ea nomina usque ad Augusti Imperium, [t] qui primus jussit omnes Thessalicas gentes eodem nomine Thessalos appellari, apud antiquos semper retinuerunt. Regio, quam Achæus à suo nomine Achæam denominavit, inter Oetæos montes, & Isthmum Corinthiacum sita fuit: illa autem non diu postea à diversis populis occupata in minores Regiunculas dividebatur, scilicet in Atticam, Megaridem, Bœotiam, Phocidem, Locridem, & Ætoliam, quæ ab incolis suis diversa obtinentes nomina uno communi & sibi proprio nunquam iterum vocabantur, donec Romani eas omnes in unius Provinciæ formam redigentes antiquam, utpote à Pelasgis orti restituerent nomen, & Achæam iterum appellarent. Potentissimus autem fratrum erat Pelasgus, qui in septentrionali Thessaliæ parte regni sedem habens multas ibi condidit civitates, tres autem insignioris notæ, quarum duas, [u] unam scilicet ad fluvium Peneum, alteram ad mare sitas, in matris honorem Larissas, aliam autem ab urbis Argivæ nomine, è qua coloniæ partem eduxerat, [x] Argos appellavit: ut autem ab ea distingueretur, hoc [y] Pelasgicum Argos, illud [z] Achaicum ab incolis suis postea dicebantur. Argos Achaicum ob eminentiam suam sæpe simpliciter Argos, illud vero semper Pelasgicum apud scriptores vocatur, atque ideo in Homero est, --- [a] ὅσσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἔναιον. Pelasgi filius & successor erat [b] Chlorus, Chlori [c] Æmon, Æmonis [d] Thessalus, Thessali [e] Græcus. Hi omnes Pelasgis per quinque ætates, hoc est circa annos [f] 125, priusquam Cecrops in Attica regnaverat, imperasse perhibentur. Ab Æmone [g] Æmonia, à Thessalo [h] Thessalia, à Græco [i] Græcia regio, cui imperaverant, primo vocabatur. [l] Eusebius non Thessalum Græci, sed è contrario Græcum Thessali patrem fuisse scribit. Sed cum plures sint, qui tradunt Thessalum Æmonis filium fuisse, cum Doctissimo [m] Scaligero potius assentiendum est [n] Stephano Byzantino, in quo habentur hi Pelasgorum Reges eodem, quo à me recensentur, ordine.

[g] Dionys. Hal. lib. 1. Pausanias lib. 8. [h] Strabo lib. 13. [i] Dionys. Hal. lib. 1. Eustathius in Scholiis ad Homeri Il. β'. [l] Diodorus Siculus lib. 1. part. 1. [m] Dionys. Hal. lib. 1. Eustathius in Scholiis ad Homeri Il. β'. [n] Dionys. Hal. ib. [o] Pausanias lib. 8 Dionys. Hal. lib. 1. Servius ad Virgilii Æn. lib 3. [p] Dicit enim 432 annos ab excidio Trojæ ad Romam conditam esse 17 ætates, lib. 1. & lib. 2. [q] Dionys. Hal. lib. 1. Didymus in Scholiis ad Homeri Il. β'. vers. 681. Eustathius ad eundem locum. Didymus ad Homeri Il. π'. vers. 233. [r] Dionys. Hal. lib. 1. Eustathius in Scholiis ad Homeri Il. β'. vers. 681. [s] Vide Strabonem lib. 9. aliosque. [t] Pausanias in Phocicis. [u] Strabo lib. 9. [x] Strabo lib. 5. & lib 8. [y] Strabo ib. Eustath. & Didym. ad Il. Hom. β'. v. 681. [z] Eustathius in Scholiis ad Dionys. περιήγησιν, ad ver. 413. Strabo lib. 8. p. 365. [a] Hom. Il. β'. ver. 681. [b] Stephanus Byzantinus in Αἱμονία. [c] Stephanus, ibid. [d] Rhianus Poeta. Stephanus in Αἱμονία, & Θετταλία. [e] Stephanus Byzantinus in Γραικός. [f] Scilicet quinque ætates priusquam à Deucalione victi fuerant. Dionys. Hal. lib. 1. [g] Strabo lib. 9. in fine libri. Dionys. Hal. lib. 1 Rhiani Poetæ fragmentum. Stephanus in Αἱμονία. [h] Euseb. in Chronicis. Strabo l. 9. in fine libri. Eustathius in Scholiis ad Dionysii περιήγησιν, ad vers. 427. Rhiani Poetæ fragmentum. Stephanus Byzantinus in Θετταλία. [i] Eusebius in Chronicis. Stephanus Byzantinus in Γραικός. [l] In Chronicis. [m] In notis ad Eusebii Chronica. [n] In Αἱμονία, & Γραικός.

Ultimus autem Pelaſgis in Theſſalia imperavit Græcus, quò à Deucalione [o] victo Pelaſgi Theſſaliâ expulſi in varias regiones diſſipati fuere, nonnulli enim in Peloponneſum iterum remeabant, alii in Epirum, alii in Bœotiam, & inde poſt multos annos in Atticam commigrabant ad cognatos ſuos; qui enim Epirum olim incolebant [p] teſte Strabone, & qui Atticam teſte [q] Herodoto Pelaſgi fuere, quorum hi ab Achæo, illi à Pelaſgo in iis regionibus videntur fuiſſe collocati, atque ideo hæ gentes, utpote ab antiquiſſimis Græciæ incolis originem deducentes, ſemetipſos [r] αὐτόχθονας vocabant. Maxima vero Pelaſgorum pars per multas regiones ciconiarum more diu vagati fuerunt, priuſquam aliquam fixam ſedem iterum obtinuerant, atque ideo ab Athenienſibus [s] per convitium Πελαργοὶ, i. e. ciconiæ dicebantur: tandem vero [t] in Aſiam tranſeuntes totam illius maritimam partem, quam poſtea Æoles, Iones, & Dores eos expellentes occuparunt, vicinaſque inſulas dicuntur incoluiſſe, multaſque ibi condidiſſe civitates, quarum inſigniores à Lariſſæ Pelaſgi Matris nomine, [v] Lariſſas appellabant; omnes enim, quæ aut in Aſia, aut in Græcia Lariſſæ erant, à Pelaſgis conditæ fuerunt. Plurimæ autem Lariſſæ ſunt in Aſia, quæ indicant in ea potiſſimum regione prævaluiſſe Pelaſgos; ibi [x] vero potentiſſimi fuere circa tempus belli Trojani, cui interfuiſſe Pelaſgos ſub ducibus Hippothoo & Pylæo Priamo & Trojanis auxilia ferentes indicat [y] Homerus. Illo autem bello maxime attriti [z] inceperunt deinde viribus decreſcere, donec ex hac etiam regione à Græcorum colonis expellerentur. Nec meliori uſi ſunt fortunâ, qui in Atticam commigrabant: [a] cum enim ibi regionem, quæ ſub Hymetto monte fuerat mercedem pro navatâ operâ in extructione muri Pelaſgici, quo antiquas cingebant Athenas, accepiſſent, eamque ſterilem prius & neglectam ita excoluiſſent, ut fertilis deinde fieret, & amœna, ab Athenienſibus, à quibus eâ donati fuere, cupidine agri potiundi captis, inde iterum ejiciebantur, qui cum in Lemnum tranſeuntes conati eſſent hanc injuriam in eos per feminarum rapinas ulciſci, ab iiſdem duce Miltiade tandem omnino delebantur. [b] Qui vero in Epirum ad Dodonæos ſe recepere multo fuerunt feliciores, ab iis enim in partem agri recepti religione loci ab omnibus aliis belli injuriis tuti reddebantur, [c] cum illius Regionis incolæ, eodem modo quo poſtea Delphi, ſacri exiſtimati, ſine impietatis reatu judicio eorum, qui tunc fuerunt, hominum non poterant bello vexari. Templum enim Jovis Dodonæi apud eos ſitum, quod commune erat Pelaſgorum Templum, eodem modo quo poſtea Templum Delphicum Græcorum, quamdiu perduraverat Pelaſgorum Imperium, [d] ſanctiſſimum totius Græciæ ſemper habebatur; illis autem ab Hellenibus devictis, Templi Delphici ab iis conditi prævaluit religio: Templum tamen Dodonæum diu etiam retinuerat ſuam, [e] & ibi à quercu, eodem modo quo Delphis à Tripode, dabantur Oracula per feminas vaticinatrices, Πελειάδας dictas: quæ vox [f] cum ambigua eſſet, & non tantum has fatidicas, ſed columbas etiam apud Græcos ſignificaret, inde originem habuit fabula, Oracula Dodonæ à Columbis quercui inſidentibus data fuiſſe. Hoc antiquiſſimum Græciæ Templum, & à Pelaſgis conditum fuiſſe, teſtantur [g] Strabo & [h] Euſtathius, atque ideo Homerus habet,

[i] Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικὲ ----

Et Heſiodus. Δωδώνην φηγόν τε Πελασγῶν ἕδρανον ἦκεν.

Cum autem hi Pelaſgi [k] ſenſiſſent ſe cognatis ſuis à quibus recepti fuerant, quod omnibus ager non ſufficeret, tandem graves eſſe, inde in Italiam tranſ-

[o] Dionyſ. Hal. lib. 1. [p] Lib. 5. [q] Lib. 1. [r] Thucydides lib. 1. Strabo lib. 9. Pauſanias lib. 2. p. 110. [s] Strabo lib. 5. pag. 221. [t] Dionyſ. Hal. lib. 1. Strabo lib. 13. Didymus in Scholiis ad Homeri Il. κ'. ver. 429. [v] Strabo lib. 13. [x] Strabo lib. 13. [y] Il. κ'. ver. 429. [z] Strabo lib. 13. [a] Herodot. l. 6. Pauſanias lib. 1. Strabo l. 9. [b] Dionyſ. Hal. lib. 1. [c] Dionyſ. ib. [d] Euſtathius in Scholiis ad Homeri Il. π'. v. 233. [e] Herodot. lib. 2. Strabo lib 7. p. 328. Pauſanias in Atticis, p. 30. in Arcadicis, p. 490. & in Achaicis, pag. 438. & in Phocicis, p. 631. [f] Vide Voſſium de Idololatria. lib. 1. cap. 7. [g] Lib. 7. p. 327. [h] In Scholiis ad Homeri Il. π'. ver. 233. vide etiam Herodotum, lib. 2. [i] Il. π'. v. 233. [k] Dionyſ. Hal. l. 1.

euntes,

euntes, se conjungebant iis Pelasgis, Aboriginibus tunc dictis, quos diu ante ex Arcadia in hanc regionem duxerat [m] Oenotrus, cum iisque in unam gentem coalescentes Tyrrhenicæ, Latinæ, & Romanæ genti præbuerunt originem.

Pelasgis, qui antiquissimi fuere Græciæ domini, sic victis & dissipatis, Græciam deinde [n] Deucalion, & posteri illius, [o] à Pelasgis & moribus & linguâ diversi tenuerunt, utrisque enim plane barbari fuere Pelasgi, nec in iis aliquid cum Hellenibus habuerunt commune: quænam autem fuerat quâ hi antiquitus utebantur lingua, à nullo autore indicatur. [p] Herodotus opinatur eandem esse, quâ postea loquebantur Crotoniatæ ad lacum Thrasymenum in Italia habitantes: sed cum Latina Gens, exceptis paucis iis, qui cum Ænea à Troja venerant, [q] ex solis Pelasgis tribus Coloniis, prima scilicet ex Arcadia Duce Oenotro, secunda è Dodona, tertia è Pallantio urbe Arcadicâ Duce Evandro in Italiam ductis constitisset, quid prohibet quo minus asseramus, illam quâ antiquitus utebantur Pelasgi Latinam linguam fuisse, eamque quoad voces pure Latinas linguâ Græcâ ideo longe fuisse antiquiorem? Græca enim [r] lingua à Deucalione in Græcia prima habuit primordia, à quo, cum Græciæ Imperium expulsis Pelasgis adeptus esset, & à posteris illius ad devictas gentes propagata, sic tandem apud easdem obtinuit, ut omnes per totam Græciam, qui prius aliis utebantur linguis, hâc receptâ diu ante bellum Trojanum dedidicere suas, omnes enim, qui isti bello interfuerunt, eâdem linguâ utebantur.

Defuncto Deucalione, ejusque imperio inter filios diviso, illi in Thessaliâ successit [s] Hellen, ubi cum magnam adeptus esset potentiam, eam regionem à Græco ultimo Pelasgorum Rege prius Græciam, & deinde à Pyrrha Deucalionis uxore [t] Pyrrhæam dictam, à suo nomine Helladem & incolas Hellenes appellavit. Græcos autem prius vocatos fuisse, qui ab Hellene Hellenes postea dicebantur, [u] Apollodorus iisdem fere, quæ in nostro Marmore habentur, testatur verbis. Hoc idem etiam tradunt [x] Aristoteles, & [y] Plinius: & [z] Isaacius Tzetzes in Scholiis ad Lycophronem dicit, Γραικοὶ πρότερον οἱ τῆς Ἑλλάδος ἐκαλοῦντο, ὕστερον δὲ ἀφ' Ἕλληνος ἐκλήθησαν Ἕλληνες. Delirat igitur [a] Salmasius, qui contra tantam autoritatem ineptis tantum nixus conjecturis asserit contrarium. Aristotelis verba, quæ habentur in primo libro Meteorologicorum, hæc sunt, ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοὶ, νῦν δὲ Ἕλληνες. [b] Σελλοὶ Dodonæi erant prope fluvium Acheloum habitantes: οἱ δὲ τότε (scilicet Deucalionis temporibus, ut ex præcedentibus apud Aristotelem patet) καλούμενοι Γραικοὶ Pelasgi fuere, qui à Deucalione victi [c] ad Dodonæos confugiebant, cum iisque eandem regionem incolebant, ibique, quod à Rege suo Græco habuerunt, τῶν Γραικῶν retinebant nomen; qui cum postea inde in Italiam transvecti Aboriginibus se conjunxissent, qui Latinæ genti præbuerunt originem, Regionemque, à qua profecti fuerant, retento semper antiquo nomine, quod illi ab eorum Rege Græco inditum fuerat, Græciam appellassent, inde obtinuit, ut tota ea Regio, quæ ab incolis Ἑλλὰς, à Latinis Græcia semper vocaretur. Nec antiquum hoc Græcorum nomen in ipsa Græcia omnino abolitum fuit: qui Parium enim incolebant, Γραῖες vocabantur. [d] Γραῖες autem & Γραικοὶ teste Stephano Byzantino, eodem modo quo Græci & Graii apud Latinos, iidem fuere. [e] Oropus etiam Euboica urbs, quod ab antiquis Græcis forsan

[m] Pausanias lib. 8. Dionys. ib. [n] Dionys. Hal. lib. 1. [o] Herodot. lib. 1. [p] Lib. 1. [q] Dionys. Hal. lib. 1. [r] Vide Salmasium de lingua Hellenistica, part. 2. cap. 1. [s] Strabo lib. 9. Eustathius in Scholiis ad Il. Homeri β', ver. 681. Dicæarchus, ἐν βίῳ Ἑλλάδος. Thucydides lib. 1 Diodorus Sic. lib. 4. Conon apud Photium narrat. 27. Rhiani Poeta fragmentum, quod extat in Scholiis ad vers. 1085. tertii libri Apollonii Rhodii. [t] Strabo lib. 9. [u] Lib. 1. [x] De Meteoris libro 1. in fine libri. [y] Lib. 4. cap. 7. [z] Pag. 84. Vide etiam Eusebium in Chronicis, & Servium ad secundum librum Æneid Virgilii. [a] De Linguâ Hellenisticâ, part. 2. cap. 1. [b] Strabo lib. 8. Eustathius in Scholiis ad Homeri Il. π'. vers. 233. [c] Dionys. Hal. lib. 1. [d] Stephanus Byzantinus in Γραικός. [e] Vide Eustathium ad Homeri Il. β'. pag. 266, & Stephanum Byzantinum in Ὠρωπός.

conderetur, teste Aristotele Γραῖα vocabatur. Homerus etiam habet [f] Θέσπειαν Γραῖάν τε--- Duæ priores appellationes, non dubito, quin ab antiquis Græcis ortæ fuerint: postremæ autem, quæ Tanagræ urbis Bœoticæ fuerat, aliam rationem tradit Pausanias, dicitq; illam urbem sic vocatam fuisse, quod Tanagra Æoli filia ejus conditrix, cum multos annos vixisset, ob longævitatem suam à vicinis Γραῖα etiam i.e. anus dicebatur, & ab hâc forte voce τῶν Γραικῶν nomen, cum eos ideo, quod antiqui fuissent, sic vocatos velint, inepte deducunt [h] Simpsonus & [i] Meursius: nullam enim aliam agnosco, à qua hoc nomen deduci potest, quam ad hanc significationem possis torquere; à Γραῖα autem est Γραϊκός: sed cum hæc vox non antiquos, sed aniles significat, Græcis, nisi putes omnes longævas fuisse feminas, non omnino potest applicari. Et profecto hoc τῶν Γραικῶν nomine pro omnibus Græcis non tantum Latini, sed ipsi etiam Græci, præsertim Poetæ, non raro utebantur. [l] Stephanus enim dicit apud Sophoclem & Alcmanem Γραικοὺς appellari τὰς τῶν Ἑλλήνων μητέρας. Lycophroni Protesilaus est, Γραικῶν ἄριστος. Apud Callimachum legitur, Γραικοὶ καὶ γαίης ἡμετέρης ἀδαεῖς: & apud Alexandrum Ætolum,

> Ἀλλ' ὅγε πολυθρέμμων πάγχυ Γραικοῖσι μέλεσθαι
> Τιμόθεον. ---

Hellenes, & Regionem, quam incolebant, Helladem ab Hellene Deucalionis filio sic vocatos fuisse, [m] apud Autores satis constat: quo tempore vero hoc nomen per totam Græciam primo obtinuit, à nullo scriptore asseritur. Primo enim [n] una tantum urbs in Phthiotide ab Hellene condita Hellas dicebatur, & hæc est de qua dicit Homerus,

> [o] Οἵ τ' εἶχον Φθίην, ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα.

Et rursus [p] Πολλαὶ Ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε
> Κοῦραι Ἀριστήων---

Cum vero in hac urbe Hellenis potentia magna evasisset, inde etiam ad Regionem circumcirca vicinam nomen transiisse perhibetur: de tota enim hac intelligendus est Homerus ubi dicit,

> [q] Ἀνδρὸς τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' Ἑλλάδα, καὶ μέσον Ἄργος.

Latius vero illud per multa secula non extensum fuit: Homerus enim eos solos, qui sub Achille ad Trojam militaverant, Hellenes vocat, quos antiquæ solius Helladis incolas fuisse iisdem versibus sic testatur,

> [r] Οἵ τ' εἶχον Φθίην, ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα.
> Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες, καὶ Ἀχαιοί.

Omnes vero Græcos in toto suo poemate nunquam communi nomine Ἕλληνας, sed Ἀργείους, καὶ Ἀχαιούς, καὶ Δαναοὺς nuncupat: atque ideo [s] Thucydidis est sententia, Homeri etiam ætate solos Thessalos sic audire, eo nomine ceteris Græciæ populis nondum communicato: quod etiam ulterius probat, quia nec apud eum Poetam τῶν βαρβάρων appellatio usquam occurrat, opposita autem & relata sunt βάρβαρος καὶ Ἕλλην, τὸ βαρβαρικόν, καὶ τὸ Ἑλληνικόν, si ergo Barbaros ignoravit Homerus de ceteris gentibus, quæ Græcæ non essent, nec Hellenes novit de omnibus Græcis. Sed utrisque his Thucydidis argumen-

[f] Il. β'. vers. 498. Pausanias in Bœoticis. [g] Pausanias lib. 9. [h] In Chronico Catholico ad annum Mundi 2500. [i] In notis ad Lycophronem, p. 225. [l] In Γραικός. [m] Vide Dicæarchum ἐν βίῳ Ἑλλάδος. Thucydidem lib. 1. Strabonem lib. 9. aliosque. [n] Strabo lib. 9. [o] Il. β'. ver. 681. [p] Il. β'. ver. 395. [q] Odyss. α'. ver. 344. vide Pausaniam in Laconicis, pag. 201. lin. 48. [r] Il. β. ver. 681. [s] Lib. 1. in initio libri.

tis opponit [t] Strabo, primo Hesiodum & Archilocum meminisse Πανελλήνων, de Græcis universis, secundo [u] Homerum βαρβαροφώνους vocasse τοὺς Κᾶρας. Sed hujus postremi argumenti vim satis eludit ipse Strabo, dum [x] quæ alibi habet, satis innuunt Cares ab Homero non generali nomine, & omnibus aliis gentibus, quæ Græcæ non fuerant, communi, sed particulari & proprio, quod linguam Græcam male pronunciassent, secundum vocis significationem antiquam & magis propriam βαρβαροφώνους appellari. Nec quoad Archilochi autoritatem valet primum argumentum, quia ille Homero multo recentior erat: cum vero Hesiodus secundum [y] nostrum Chronographum, & plerosque alios Homero vetustior esset, si ex Hesiodo probasset illius Poetæ temporibus Græcos generali nomine Ἕλληνας vocatos fuisse, vicisset Strabo. Sed Hesiodi verba, quæ contra Thucydidem affert, hoc non probant, ea enim hæc sunt, [z] τὸ μὲν (scilicet Hesiodum) περὶ τῶν Προιτίδων λέγοντα ὡς Πανέλληνες ἐμνήστευον αὐτάς, i. e. Hesiodum de Prœtidibus dixisse, universos Græcos eorum connubia ambivisse. Quis autem hic probatum videt, Hesiodi temporibus omnes Græciæ incolas uno communi nomine Ἕλληνας appellari? Πανέλληνες enim non omnes eos significat, qui regionem postea Ἑλλάδα dictam incolebant, sed qui tunc Hellenes dicebantur. An vero Hesiodi temporibus illi soli, qui antiquam Ἑλλάδα incolebant, an vero omnes Græciæ populi Hellenes dicebantur, quoad hanc autoritatem æque manet incertum. Nos vero [a] Thucydidis gravissimi scriptoris autoritatem secuti, neutrum verum putamus. Qui antiquam enim Helladem incolebant ipsius Hellenis temporibus, Hellenes dicebantur: cum autem illius filii & nepotes multi essent, & potentes, atque ideo in omnes fere totius Græciæ civitates eduxissent colonias, (ut mox de singulis ostendam) inde factum est, ut per totam Græciam dispersi fuerint, qui, quod ex genere Hellenico essent, communi privatorum sermone Ἕλληνες dicebantur, publice autem diversa habuerant gentium nomina, inter quas habitabant, atque ideo ab Homero Athenienses, Elei, Argivi, Bœoti vocabantur Græci, Hellenes vero nunquam: & sic intelligendus est [b] Thucydidis locus, ubi dicit, Ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας, i. e. ut interpretatur Scholiastes Græcus, οὐκ ἀπὸ κοινῆς δόξης ἁπάντων, ut vero hi Ἕλληνες ceteris Græciæ incolis immisti magis magisq; prævaluissent, sic hoc τῶν Ἑλλήνων nomen magis magisque inceperat prædicari, donec tandem circa primam Olympiadum celebrationem pro communi omnium Græciæ incolarum agnosceretur. Cum enim Iphitus, quando hos ludos instauraverat, totius Græciæ incolas, qui tunc omnes aut Hellenici, aut sub Hellenicorum imperio fuerant, ad illos convocasset, iisque solis, [c] ceteris lege prohibitis, concessisset certandi jus, eo tempore, quo communem primo celebraverant conventum, commune nomen primo videntur accepisse, & semetipsos generali appellatione Ἕλληνας, & omnes alios barbaros appellasse. Vox enim βάρβαροι non, ut ætatibus recentioribus, rudes & moribus feros tunc significabat. Secundum [d] Strabonem enim ii soli, qui blæsi erant, & geminatis sæpe syllabis voces vitiose pronunciabant, nomine per onomatopœiam facto primo βάρβαροι dicebantur; deinde vero, voce pro omnibus iis, qui asperâ crassâ aut quocunque modo vitiosâ utebantur pronunciatione, acceptâ, apud Græcos tandem omnes alienigenæ, quia illi, utpote à cunabulis aliis assueti linguis pronunciatione aliena & iis insuavi utebantur, βάρβαροι appellati fuere, & secundum hanc solam significationem Ἕλληνες & Βάρβαροι primo fuerunt oppositi. Posterioribus vero seculis, cum Græci politiâ & Philosophiâ celebres esse inceperint, ex eorum fastu, quod solos suos doctos, civiles, aut bene moratos existimabant, factum fuit, ut tandem apud eos alieni-

[t] Lib. 8. pag. 370. [u] Il. β'. ver. 867. [x] Strabo lib. 14. pag. 662. [y] Epoch. 29. [z] Strabo lib. 8. p. 370. [a] Lib. 1. [b] Lib. 1. [c] Herodot. lib. 5. Alexander Macedo prohibitus erat in iis ludis certare, priusquam probasset se Græcum fuisse. [d] Lib. 14. pag. 662.

genæ

genæ omnes, & moribus rudes eodem nomine dicerentur. Ut vero Hellenes à Barbaris ob diversam pronunciationem, sic etiam Hellenes inter semetipsos [e] ob diversas dialectos in Æoles, Dores, & Iones, illique rursus in multos alios, qui in ejusdem dialecti usu discrepabant, dividebantur. Quinam erant, & quam Græciæ partem incolebant, qui Æoles, Dores, & Iones dicebantur, lecturis Græcam historiam valde utile existimo, ut cognoscant; atque ideo operam adhibebo, ut in sequentibus, quinam ex his erant singuli Græciæ populi, & quo modo à Deucalione & Hellene communibus eorum omnium patribus deducebant originem, ubi nobis non deficit antiquitas, breviter & dilucide ostendam.

Hellen Deucalionis filius, dum in Phthiotide regnavit, [f] tres genuit filios, Æolum, Dorum, & Xuthum. Dorus & Xuthus eductis coloniis regna in aliis regionibus sibi acquirebant. [g] Æolus vero, utpote fratrum natu maximus, patri in Phthiotide successit, à quo Regio cui imperaverat, [h] ea scilicet quæ fluviis Asopo & Enipeo terminata ab Hellene prius Hellas vocabatur, [i] Æolis, & incolæ quique ab iis ortum habuerunt Æoles, & Dialectus apud eos usitata Æolica, dicebantur. [l] Hic ductâ Enarate Deimachi filiâ, ex eâ suscepit numerosam sobolem, illius enim decem filii, & sex filiæ numerantur. Filiæ erant Pisidice, Canache, Tanagra, Perimide, Halcyone, & Calice; filii autem Athamas, Mimas, Circaphus, Dioneus, Salmoneus, Magnes, Perieres, Sisyphus, Macedon, & Critheus. Cum ab his & à posteris eorum, quod Phthiotis omnibus non sufficeret, multæ in omnes fere Græciæ partes educerentur coloniæ, multaque ibi nova conderentur regna, per eos maxime effectum fuit, quod Hellenum appellatio & lingua per Græciam ita innotescerent, ut utræque tandem omnibus illius regionis incolis fierent communes.

Pisidicen duxit [m] Myrmidon, illiusque jure post Achæum Xuthi filium, qui defuncto Æolo [n] regnum obtinuerat, in Phthiotide regnavit, eosque quibus imperaverat, ab Achæo prius [o] Achæos dictos, mutato iterum nomine [p] Myrmidones appellavit: atque ideo Homerus de Phthiotidis incolis dicit,

[q] Μυρμιδόνες δ' ἐκαλεῦντο, καὶ Ἕλληνες, καὶ Ἀχαιοί.

Myrmidonis & Pisidices filius erat [r] Actor, qui patri in regno successit, ductâque [s] Æginâ Asopi filiâ, è quâ prius à Jove, ut dicunt Mythologici, vitiatâ [t] Æacus nascebatur, [u] Menætium multosque alios filios genuisse perhibetur, quos cum jam adultos regni sui avidos esse, & de eo adipiscendo conjurasse deprehendisset, omnes perpetuo exilio damnatos Phthiotide [x] expulit, [y] filiâque suâ Philomelâ Peleo in uxorem datâ, illum in regno successorem, & in omnibus bonis solum hæredem constituit. Hic autem [z] Peleus Æaci filius erat, qui in Ægina insula regnavit, è qua cum ille, & frater Telamon ob cædem Phoci, [a] quem Æaco ex alia matre natum, quod in omnibus certaminibus præstantior esset, ex invidia occidebant, à patre expulsi ob tam impium scelus perpetuo exilio damnarentur, [b] hic in Salaminem ad Cychre-

[e] Strabo lib. 8. in initio. [f] Conon apud Photium narrat. 27. Apollodorus lib. 1. Strabo lib. 8. Diodorus Siculus lib. 4. Pausanias lib 7. in initio. Scholiastes Apollonii Rhodii, ad lib. 1. ver. 143. [g] Conon apud Photium, narrat. 27. Strabo lib. 8. p. 383. Apollodorus lib. 1. Apollonii Rhodii Scholiastes, ad lib. 3. ver. 1093 [h] Apollonii Schol. ib. [i] Apollonii Schol. ib. Strabo lib. 8. p. 383. Eustathius in Dionysii περιήγησιν ad ver. 820. Diodorus Siculus lib 4. [l] Apollodorus lib. 1. [m] Apollodorus ib [n] Pausanias lib. 7. in initio. [o] Strabo lib. 8. & 9. Eustathius ad Homeri Il. β'. v. 684. Apollonius Rhodius Thessaliam, per totum fere suum Poema Achaidem appellat, cujus Scholiastem vide ad lib. 1. v. 143. [p] Eustathius ad Homeri Il. β'. v. 684. Servius ad Virgilii librum 2. ver. 7. [q] Il. β'. v. 684. [r] Eustathius ad Homeri Il. β'. ver. 684. & ad Il α'. v. 337. Scholiastes Apollonii, ad lib. 1. & lib. 4. Hunc Apollodorus lib. 1. vocat Actonem sed omnes alii Actorem, atque ideo forte mendum est in libro impresso. [s] Eustathius ad Hom. Il. β'. v. 684. [t] Apollodorus lib. 3. Diodor. Sic. lib. 4. Pausanias lib. 1. & 2. Stephanus in Αἴγινα. [u] Eustathius ad Homeri Il. α'. v. 337. & ad Il β'. v. 684. Scholiastes Apollonii, ad lib. 1. v. 71. Apollodorus lib. 1. [x] Eustathius ad Homeri Il. β'. v. 684. [y] Eustathius ib. Scholiastes Apollonii ad lib. num. 1. & 4. [z] Apollodor. lib. 3. Diod. Sic. lib. 4. Scholiastes Apollonii, ad lib. 1. &c. [a] Pausanias lib. 2. Diodorus Sic. lib. 4. Apollodorus lib. 3. Scholiastes Pindari, ad Nem. Od. 5. [b] Pausan. Diod. & Apollodor. ib.

um insulæ Regem, ille [c] in Phthiotidem ad Actorem, qui post natum Æacum [e] Æginam avam illius duxerat, profugiebant, à quibus expiati, & iisdem generi facti in regnis etiam, Telamon scilicet Salaminis, Peleus Phthiotidis jure uxorum [f] successere, ibique hic Achillem, ille Ajacem, uterque filium fortissimum, susceperunt. [g] Telamon autem Ajacem non ex Glauce Cychrei filia, cujus jure regnavit, sed è Peribœa Alcathoi Megaridis regis filiâ Pelopis nepte, quam post Glauces obitum duxerat, genuisse dicitur. [h] Achillis vero Philomela Actoris filia mater erat, illum enim è Thetide deâ marinâ natum esse, fabula est, de cujus origine sic dicit doctissimus Scholiastes, [i] ad librum quartum Apollonii Rhodii. Chiron vir sapiens, & Astronomiæ peritus, cum cuperet Peleum gloriosum reddere, Philomelam Actoris filiam Myrmidonis neptem ad se arcessivit, & rumorem in vulgus disseminavit, fore ut Thetin Jove concedente Peleus in uxorem acciperet, deosque ad nuptias cum imbre & tempestate venturos: hanc famam ubi sparsisset, tempus observabat, in quo imbrium copiam futuram & ventorum flatus inusitatos præviderat, tum Peleo dat uxorem Philomelam; atque hinc invaluit opinio, quod Peleus Thetin duxerat. Post mortem autem Achillis, [l] qui in bello Trojano occubuit, Peleus jam ætate provectus, & Myrmidonibus suis, qui ad Trojam militabant, nudatus ab Æolibus, qui non æquo animo ferebant exterum in Æoli eorum patris regno successisse, facile pellebatur, & [m] in Co insula paupertate & exilio oppressus vitam dicitur finiisse. Pyrrhus igitur Achillis filius, [n] quem è Deidamia Lycomedis Scyri insulæ Regis filiâ genuerat, [o] post excidium Trojæ vatis Heleni monitu, omisso in Thessaliam reditu in Epirum decessit, ductâque ibi Andromache Hectoris viduâ ex ea suscepit Molossum, Pielum, & Pergamum. [p] Pergamus cum matre Andromache, defunctis Pyrrho & Heleno, quibus utrisque post Hectorem ea nupta fuerat, in Asiam rediit, ibique Teuthraniæ regnum occiso Ario Rege adeptus, duas eas condidit civitates, quarum una matris Andromaches, altera sub Attalicis Regibus, [q] utpote his regnantibus totius Asiæ metropolis satis nota ipsius Pergami nomen referebant. [r] Molossus paternum regnum adeptus in Epiro regnavit, eamque à suo nomine Molossiam & incolas Molossos appellavit. Cum autem hujus progenies deficeret, ad [s] Pieli posteros regnum venit, ab eoque [t] Tharrytas, Alcetas, Arymbas, Æacides, & Pyrrhus, qui Romanis bellum intulit, omnesque, qui post Pyrrhum in Epiro regnabant, deducebant originem.

Menœtius Actoris filius à patre expulsus cum omnibus iis, quos conjurationis conscios habuerat, ad [v] Opuntios in Locridem migrasse, eosque primum Æolidarum imperio subjecisse perhibetur. Menœtio, dum Opuntiis imperabat, natus erat Patroclus, [x] qui occiso per ludum astragalorum Cleonymo, seu ut aliis placet Æante Amphidamantis filio, solum vertere coactus in Phthiam venit, ibique à Peleo ob generis proquinquitatem susceptus, Achillis deinde Pelei filii amasius, & in omnibus comes fuerat.

Calyce Æoli filia [y] Aethlio Protogeniæ filio nupta ei peperit Endymionem, qui eductâ è Thessalia Æolensium coloniâ Elidem occupavit, [z] ibique è Chromia Itoni filia genuit Pæonem, Epeum, & Etolum, de quibus supra dixi.

[c] Eustathius ad Il Homeri β'. ver. 684. Apollodorus lib. 3. Diodorus Sic. lib 4. [e] Eustathius ad Homeri Il. β'. v. 684. [f] Eustathius ib. Diodorus Sic. lib. 4. Apollodorus lib. 3. [g] Pausan. lib. 1. Apollodorus lib. 3. [h] Eustathius ad Homeri Il β'. v. 684. Scholiastes Apollonii Rhodii, ad lib. 1. ver. 558. & ad lib. 4. v. 816. [i] Ad ver. 816. [l] Homeri Odyss. ι'. & ω'. Servius ad lib. 3 Æneid. Virgilii. Philostratus in Heroicis. Pausanias in Atticis. Pindar. Pyth. 3. [m] Scholiastes Pindari, ad Pyth. 3. quod etiam innuit Homerus in Odyss. λ'. [n] Servius ad Virgilii Æneid. lib. 2. Pausanias in Atticis. Plutarch. in Pyrrho. Apollodorus lib 3. [o] Pausan. in Atticis. Virgilius lib. 3 Æneid. & Servius Scholiastes, ad illum librum. [p] Pausanias lib. 1. [q] Pausanias ib. Strabo lib. 13. Justinus, Livius, Appianus, Polybius, aliique. [r] Pausanias lib 1. Servius ad Virgilii. Æneid. lib. 3. Strabo lib. 7. p. 326. [s] Pausanias lib. 1. [t] Plutar. in initio vitæ Pyrrhi. [v] Eustath. ad Il. Homeri α'. & β. Didymus ad Homeri Il. π'. v. 14. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 1. [x] Didymus ad Homeri Il. μ'. v. 1. & ad Il. π'. v. 14. [y] Apollodorus lib. 1. [z] Pausanias in primo Eliacorum.

Tana-

Tanagra Æoli filia [a] Pœmandro Tanagræ conditori nupta illi urbi prius Pœmandriæ dictæ nomen indidisse traditur.

Canache alia Æoli filia [b] peperit Aloeum, & Triopem. [c] Aloeus ex Iphimediâ fratris Triopis filia genuit Otum & Ephialtem, qui [d] Ascram sub Helicone condidere, illumque montem Musis primi consecrarunt. Viri fortes fuere, & cum in expilando [e] Templo Delphico Phlegyæ Minyarum Regis adjutores forte fuissent, inde orta fuit fabula apud Poetas, eos contra Deos bellum gessisse. Triops Dotium agrum in Thessalia possidebat, ubi cum sacro [f] nemore exciso ad Regiæ structuram abusus esset, atque ideo populi odium incurrisset, [g] in Cnidiam profugiens Triopium, urbem ob ludos [h] à Doriensibus ibi postea celebratos satis celebrem, condidit, indeque profectus totam Chersonesum, & magnam Cariæ partem suæ ditionis fecit. [i] Alii autem Triopium à Tropa Argivo Phorbantis filio potius conditum fuisse volunt. De ceteris Æoli filiabus nihil memoriâ dignum apud scriptores invenitur.

Perieres Æoli filius [l] post extinctos posteros Polycaonis, qui sextâ retro ætate in Messenia primus regnavit, à Messeniis in regnum accersitus duxit Gorgophonem Persei filiam ob Gorgonem à patre occisam sic dictam, ex eaque peperit Aphareum, & Lucippum, qui patri in regno successerunt, autoritate autem superior erat Aphareus, qui urbem Arenem condidit, & Neleum à fratre Pelia Iolco expulsum domo recepit, & parte agri donavit. Leucippi filia erat Arsinoe, quæ Æsculapium peperit medicorum Deum, [m] cujus filii Macaon & Podalirius bello Trojano interfuere, in eoque [n] Machaon ab Eurypylo Telephi filio interfectus occubuit, Podalirius autem salvus evasit: qui, cum deleto Ilio reditum in patriam tentasset, tempestate [o] Syron in Cariam delatus ibi consedit, [p] à quo Hippocrates Cous medicorum peritissimus sedecim generationibus ab eo remotus originem dicitur habuisse. [q] Apharii filii fuere Lynceus ob visum perspicuum celebris, & Idas, quibus utrisq; sine liberis defunctis eorum regnum ad Nestorem Nelei filium delatum fuit.

Salmoneus è Thessalia [r] in Elidem coloniam duxit, parteque illius regionis occupatâ urbem Salmoneam condidit, ubi [s] condito ponte æneo equis per eum actis, & facibus jaculatis tonitrua & fulmina imitatus fuisse, atque ideo à Jove in Tartarum vero fulmine detrusus dicitur. Hujus Salmonei etiam meminit [t] Nazianzenus, dicitque illum coriis siccis, & lebete currui adaptatis hanc tonitrus imitationem fecisse. Sed cum Homerus hunc Salmoneum [u] ἀμύμονα, i. e. inculpatum vocet, [x] Eustathius dicit Salmoneum expressisse fulmina, non ut esset in Jovem impius, sed ut artifex egregius, quemadmodum Archimedes finxit urentia fulgura ex spiculis, & alius quidam terræ motus est imitatus. Hujus Salmonei filia erat [y] Tyro, quæ à noverca, quam illi pater Salmoneus superinduxit, male tractata ad Cretheum patruum suum, qui Iocli regnabat in Thessaliam fugiebat, à quo, postquam ad Enipium fluvium à quodam vitiata, quem Neptunum fuisse dicunt Mythologici, Peliam & Neleum peperisset, pro uxore accepta Amythaonis etiam Æsonis & Pheretis mater fuisse dicitur. Pelias post Crethei obitum [z] Iocli regnabat, & Jasonem fratris Æsonis filium, quod de eo cavere ab Oraculo monitus fuisset,

[a] Pausanias in Bœoticis. [b] Apollodorus lib. 1. [c] Apollodor. ib. Didymus ad Homeri Il. ί. ver. 385. [d] Pausan. in Bœoticis. [e] Pausan. ib. [f] Scholiastes in Lycophronem. Ælian. var. hist. lib. 1. cap. 27. [g] Diodorus Siculus, lib. 5. [h] Herodot. lib. 1. [i] Eusebius in Chronicis. Diodor. Siculus, lib. 5. [l] Pausanias in Messenicis. Apollodor. lib. 1. [m] Pausanias in Messenicis, & Laconicis. Homerus hoc sæpe testatur, & in illum Eustathius, & Didymus. [n] Pausanias in Laconicis. [o] Pausan. ib. [p] Suidas in Ἱπποκράτης Tzetzes Hist 7. Chil. 155. [q] Pausan. in Messenicis. [r] Apollodorus lib. 1. Eustathius & Didymus ad Homeri Odyss. λ'. v. 235. Servius ad Virgilii Æneid. lib. 6. [s] Virgilius lib. 6. & Servius ad illum locum. Didymus ad Odyss. Homeri λ'. v. 235. Valerius Flaccus lib. 1. Suidas in Σαλμωνεύς. [t] I secunda oratione contra Julianum, cujus Scholiasten Nicephorum etiam vide ad illum locum. [u] Homerus Odyss. λ'. ver. 235. [x] Eustathius ad Odyss. Homeri λ'. v. 235. [y] Apollodor. lib. 1. Didymus ad Odyss. Homeri λ. Eustathius ad Odyss. Homeri λ'. Homerus Odyss. λ'. v. 235. [z] Apollodor. lib. 1. Didymus & Eustathius ad Odyss. Homeri λ'. Apollonius Rhodius, & Scholiast. illius. Pausan. in Messenicis.

peri-

periculosam in Colchidem navigationem jussit suscipere. Huic à filiabus [a] dolo Medeæ occiso successit filius Acastus, cujus filiæ erant Sthenele & Laodamia, [b] quarum hæc Protoselai, illa Menœtii Patrocli patris uxoris fuere.

Neleus autem à fratre [c] Pelia, postquam cum eo de regno diu certasset, Jolco expulsus cum omnibus suæ partis fautoribus in Peloponnesum commigravit ad Aphareum cognatum suum, qui in Messenia regnabat, à quo eâ regione donatus, quæ in confiniis Elidis & Messeniæ ad mare sita erat, ibi Pylum condidit, [d] ductâque Chloride Amphionis Orchomeni Regis filiâ, insignissimæ pulchritudinis fæminâ, ex ea genuit Periclymenum, Chromium, & Nestorem, [e] ex aliis vero fæminis multos alios habuit filios. [f] Hos autem omnes, excepto solo Nestore, occidit Hercules, cum Pyliis, quod Augeæ Elidis Regi in bello contra eum gesto misissent auxilia, bellum intulisset. Nestor autem, quod à Pylo aberat, hanc cladem evasit, ob pueritiam enim suam adhuc Gereniæ manserat, ubi natus & enutritus fuit, atque ideo apud Homerum sæpius Γερήνιος dicitur. Hic patri in regno succedens post defunctos sine prole Idam & LynciumApharii filios [g] Messeniæ etiam regnum obtinuit, [h] indeque cum filiis Antilocho & Thrasymede ad bellum Trojanum profectus est, in quo Antiochum [i] à Memnone occisum amisit, [l] ipse autem Troja deleta cum Thrasymede altero filio, qui ei in regno successit, salvus rediit. Thrasymedis filius erat [m] Sillus, Silli [n] Alcmæon, [o] cujus temporibus Messeniâ ab Heraclidis tunc duce Oxylo in Peloponnesum reversis occupatâ, [p] ille cum Pœone Antilochi filio, & Melantho Codri patre Medontis avo, qui è posteris Periclymeni erat, Athenas fugiebant, ibique illis celeberrimis familiis Medontidarum, penes quos fuerat urbis imperium, & Pœonidarum & Almæonidarum præbuerunt originem.

Macedonem unum è decem Æoli filiis fuisse, ab eoque Macedoniam, quod hæc Regio sub illius auspiciis à Græcis primo fuisset habitata, nomen habuisse testatur [q] Eustathius. Nec quod [r] alii tradunt, Macedonem scilicet è Thya Deucalionis filia natum fuisse, omnino prohibet, quin Æoli etiam filium fuisse dicamus, Græcos enim in ducendis uxoribus ad generis propinquitatem non omnino respexisse Crethei & Tyrus, de quibus dixi, & [s] Cimonis, & sororis Elpinices nuptiæ satis ostendunt.

Magnes [t] Regionem, quæ sub montibus Pelio & Ossâ sita est occupavit, à suoque nomine totam eam Regionem, & primariam illius civitatem à se conditam Magnesiam appellavit. Hujus filii fuere, [v] Alector, [x] Pierus, Dictys & Polydectes. [y] Dictys & Polydectes insulæ Seriphi Reges fuere, a quibus Perseus educatus fuisse dicitur. Fabulas, quæ de iis, & Perseo narrantur, apud Apollodorum lib. 2. & ceteros Mythologicos videas. [z] Pierus in regione Magnesiæ è parte septentrionali vicinâ regnavit, eamque à suo nomine Pieriam appellavit, de novem filiabus illius, quæ Musarum nominibus vocabantur, & Orpheo & Lino, qui ab iis nati fuere prius diximus ad Epocham secundam. Alector patri in regno Magnesiæ successit, ejus filius erat [a] Hæmon, Hæmonis Hyperochus, Hyperoch Tenthredon, Tenthredonis [b] Prothous, qui Magnetibus ad Trojam militantibus imperavit. [c] Hic post Trojæ excidium cum decimam prædæ partem ex voto Delphis Apollini consecrasset, assumtis

[a] Apollodorus lib. 1. Pausan. in Arcadicis. Ovid. Metamorph. lib. 7. Diodorus Sic. lib. 4. [b] Apollodor. lib. 1. Eustathius ad Homeri Iliad β' ad ver 700. [c] Diodor Sic. lib. 4. Pausanias in Messenicis. Didymus ad Odyss. Homeri λ ver 280. Eustathius ad Homeri Odyss. γ'. pag. 1454. & ad Odyss. λ'. p. 1681. & p 1684 [d] Pausanias in Bœoticis, & Phocicis. Didymus ad Homeri Odyss. λ'. v. 280 Eustathius ad eundem locum. Homerus Odyss λ'. v. 280. [e] Didymus ad Homeri Odyss. λ'. v. 285. Eustathius ad eundem locum, p. 684. Diodor. Sic lib. 4. [f] Homerus Il λ'. v. 690. Eustathius & Didymus ad illum locum. Pausanias in Messenicis. [g] Pausanias in Messenicis [h] Homeri Il. β'. [i] Homeri Odyss. δ'. & Eustathius ad Odyss. λ' p 1697. [l] Homeri Odyss. γ. [m] Pausanias in Corinthiacis. [n] Pausan. ib. [o] Pausan. ib. & in Laconicis, & Messenicis. [p] Pausanias in Corinthiacis & Messenicis. [q] In Scholiis ad Dionysii περιηγησ. ad ver. 427. [r] Pausanias, Stephanus in Μακεδονία. [s] Plutarchus in vita Cimonis. [t] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag 338. [v] Eustathius ad Homeri Il. β'. p. 338. [x] Apollodorus lib. 1. & 2. [y] Apollodorus ib. Strabo lib. 10. pag. 487 [z] Pausanias in Bœoticis. [a] Eustathius ad Homer. Il. β'. pag. 338. [b] Homeri Il. β'. v. 756. & Eustathius ad illum versum. [c] Conon apud Photium, narrat. 29.

ſecum Delphorum non paucis naves iterum conſcendebat, & in Cretam tranſiit, ſed inde vi repulſus in Aſiam navigavit, ibique ad fluvii Meandri ripas celeberrimam illam condidit civitatem, quæ ab urbis nomine, è quâ primi illius conditores illuc migrabant Magneſia dicebatur: circa quam cum plurimi eorum lapidum, qui ferrum trahunt, naſcerentur, illi inde Magnetes dicebantur. De iis ſic dicit [d] Euſtathius, Ἰστέον, ὅτι ἐκ τῶν Ἀσιανῶν Μαγνήτων ἡ Ἡράκλεια λίθος ἦν, φησὶ γοῦν Αἴλιος Διονύσιος οὕτω, Ἡράκλεια ἡ καὶ Μαγνησία, δεκαοκτὼ δὲ πόλεις Ἡράκλεια, ἐξ ὧν μία Λυδίας, ὅθεν Ἡρακλειώτης λίθος, ὁ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενος Μάγνης ὁ ἐπισπώμενος τὸν σίδηρον. i. e. ſciendum eſt, è Magnetibus Aſianis Heraclius lapis fuit, dicit igitur Ælius Dionyſius ſic, Heraclia etiam eſt Magneſia, octodecim autem urbes ſunt Heracliæ dictæ, è quibus una in Lydia eſt, unde lapis Heraclius à nobis Magnes vocatus, qui ferrum trahit. De differentiis autem, quæ ſunt inter lapidem Heraclium & Magnetem, & quot ſunt genera & lapidis Heraclii ſeu Lydii, & Magnetis digniſſima lectu ſunt, quæ apud Salmaſium habentur in doctiſſimis illius exercitationibus, in Solinum pag. 1102.

Deïoneus Æoli filius in Phocide regnavit, ſic dicit [e] Apollodorus. [f] Simſonus autem ibi pro Φωκίδος legendum ſuſpicatur Φθιώτιδος: ſed receptam lectionem confirmat, quod Oeneum Cephali filium Deïonei nepotem Phocidis regem fuiſſe teſtatur [g] Diodorus Siculus. Deïonio è [h] Diomeda Xuthi ejus patrui filiâ naſcebantur [i] Cephalus, Ænetus, Phylacus, Actor, Dia, & Philonis. Cephalus [l] Procridem Erecthei filiam duxit, quam cum in ſilvis, ubi Zelotypia acta ſe occultaſſet, ut maritum venantem obſervaret, putans feram eſſe emiſſo jaculo [m] occidiſſet, ab Areopagitis ob eam cædem condemnatus Thebas in exilium abiit, [n] indeque in inſulam ſinui Corinthiaco oppoſitam coloniam ducens expulſis Telebois eam totam occupavit, & à ſuo nomine Cephalleniam appellavit. Hujus filii erant [o] Celeus, & [p] Oeneus. [q] Celeus poſt patrem in Cephallenia regnavit, hujus filius & ſucceſſor erat Arceſius pater Laertæ, cujus filius erat Ulyſſes, qui cum [r] Cephalleniis, Zacynthiis, & Ithacenſibus, quibus imperabat, ad Trojam profectus, omnium Græcorum, qui illi bello interfuerunt, habebatur ſapientiſſimus. [s] Oeneum alterum Cephali filium avo Deïoneo in Phocidis regno ſucceſſiſſe, & Evadnem Peliæ filiam duxiſſe tradit Diodorus Siculus. [t] Phylacus alter Deïonei filius in Theſſaliam rediens Phylacem urbem condidit, & Regioni circumcirca vicinæ imperavit. [u] Hujus filius erat Iphiclus, [x] qui genuit Philacum Iphicli ſecundi & Pœantis patrem, [y] quorum Iphiclus Proteſilaum & Podarcem, Pœas Philoctetem, qui profecti ſunt ad bellum Trojanum, filios habuerunt. [z] Proteſilaus & Podarces Theſſalis, qui Philacem, Pyrrhaſum, Itonem, Antronem, & Pteleum; Philoctetes, qui Methonem, Thaumaciam, Melibœam, & Olizonem incolebant, dicuntur imperaſſe. Philoctetes poſt reditum à Melibœis per ſeditionem exactus in Italiam tranſiiſſe, & Petiliam primariam Lucanorum civitatem condidiſſe perhibetur, Strabo lib. 6. p. 254. De Æneto & Actore ceteris Deïonei filiis nihil in ſcriptoribus invenio, niſi quod nonnulli moderni hunc Actorem Pelei ſocerum fuiſſe nomine decepti exiſtimarunt. [a] Diam Deïonei filiam duxit Ixion Lapitharum Rex, qui cum

[d] Euſtathius ad Homeri Il. β'. ver. 756. [e] Apollodor. lib. 1. [f] In Heroicis ad annum Mundi, 2596. [g] Lib. 4. [h] Apollodor. lib. 1. [i] Apollodor. ib. Pauſanias in Atticis, & Phocicis. Euſtathius ad Homeri Il. β'. & ad Odyſſ. λ'. v. 320. Strabo lib. 10. [l] Apollodor. Euſtathius, & Didymus, & Pauſan ib. [m] Didymus ad Odyſſ. Homeri λ'. v. 320. Euſtathius ad eundem locum, & ad Il. β'. pag. 308. & ad Odyſſ. α. pag. 1396. Ovid. Metamorph. lib. 7. [n] Pauſanias in Atticis. Euſtathius ad Homeri Il. β'. v. 631. & ad Odyſſ. α. pag. 1396. Strabo lib. 10. [o] Euſtathius ad Homeri Il. β'. pag. 307. [p] Diodorus Siculus lib. 4. [q] Euſtath. ib. [r] Homeri Il. β'. ver. 631. [s] Diodor. Sic. lib. 4. [t] Apollodorus ib. Didymus ad Homeri Odyſſ. λ'. ver. 289. Euſtath. ad Homeri Il. β'. v. 700. & ad Odyſſ. λ'. v. 289. Stephanus in Φυλάκη. [u] Euſtathius ad Il. Homeri β'. pag. 323. & ad Odyſſ. λ'. p. 1685. Didymus ad Homeri Odyſſ. λ'. v. 289. Apollodor. lib. 1. [x] Euſtath. ad Homeri Il. β'. p. 323. [y] Iidem Autores qui ad literam v. Pauſanias lib. 4. in fine. Homerus Il. β'. v. 705. [z] Homerus Il. β'. ver. 700. & v. 716. [a] Pindari Scholiaſtes ad Pyth. 2. Euſtathius ad Homeri Il. β'. pag. 101. Diodor. Siculus lib. 4.

à socero acrius admoneretur, ut pro more illius temporis ei munera matrimonialia penderet, illum ad convivium invitatum in foveam igne plenam dejecit, primusque in Græcia fuisse à [b] Pindaro arguitur, qui cognatum sanguinem effuderat. Hic ex Dia genuit [c] Pirithoum Thesei amicum, cujus [d] filius Polypœtes Lapithis in bello Trojano imperavit. [e] Pirithoi frater Centaurus fuisse dicitur, & Centauris nomen dedisse, [f] qui cum equitandi artem in Thessalia primi exercuissent, ἱπποκένταυροι etiam dicebantur, & inde fabula de duplici eorum naturâ habuit originem. [g] His equitibus subditis suis filius Centaurus aggressus est fratrem Pirithoum regno deturbare, atque inde ortum est bellum Lapitharum cum Centauris à Poëtis toties decantatum. De origine & etymologia nominis Κένταυρος postea in notis ad aliud Marmor dicturi sumus. [h] Philonis altera Deïonei filia Dœdalioni nupta ei peperit Autolycum, [i] qui locis circa Parnassum imperavit, cujus filia [l] Anticlea Ulyssis mater fuit, quæ cum in Ithacam iter suscipiens in via à latrone quodam [m] Sisypho dicto vitiaretur, priusquam cum Laerte novo marito concubuerat, inde orta est suspicio, Ulyssem, qui primogenitus illius filius erat, non à Laerte, sed à Sisypho genitum fuisse, quod ei exprobrat Ajax apud Ovidium, [n] cum eum dicit sanguine cretum Sisyphio, & Philoctetes apud Sophoclem, ubi dicit,

[o] --- ἀλλ' οὐχ ὁ Τυδέως γόνος.
Οὐδ' οὑμπολητὸς Σισύφου Λαερτίου.
Οὐ μὴ θάνωσι ---

Cercaphus filius Æoli [p] genuit Ormenium, qui Ormenium sub Pelio monte condidit, ibique regnans [q] Amyntorem & Euæmonem genuit, quorum [r] hic Eurypyli, qui Ormeniis, Asteriis, Hypereis, & Titaniis, [s] ille Phœnicis Achillis tutoris, qui Dolopibus in bello Trojano imperarunt, patres fuere.

Athamas Æoli filius, postquam [t] per multas Græciæ partes vagatus esset, tandem in Bœotiam venit [u] ad Andreum Penei filium, qui Orchomeniis tunc à suo nomine Andreis dictis primus imperavit, à quo Regionem, [x] quæ erat circa montem Laphystium, accipiens in ea regnavit, & post mortem Themistûs Hypsei filiæ, [y] è qua genuerat Ptoum, Schœneum, & Leuconem, [z] duxit Ino Cadmi filiam, quâ non diu post nuptias repudiatâ, tertiam uxorem habuit Nephelen, è qua genuit [a] Phrixum & Hellen: eâ vero insaniâ correptâ, Ino iterum recepit, & ex ea genuit [b] Learchum, & Melicertam. [c] Hæc ob odium, quo Nepheles filios habuerat, iis insidias struens persuasit rusticis mulieribus, ut clam maritis triticum, quod serendum erat, torrerent, & eos, quos sequente anno ob frugum defectum, quod ager tostum triticum accipiens proventum suum non reddidisset, Athamas ad consulendum oraculum Delphicum miserat, ad id induxit, ut responsum referrent, Phrixum & Hellen Jovi immolandos esse: sed hos periculo abstulit [d] Chrysomallus Athamantis famulus & Phrixi tutor, cum iis trans Hellespontum fugiens, in cujus tranatione Helle è navicula in aquas delapsa [e] periit, indeque illi freto nomen Hellesponti datum fuit. [f] Phrixus autem ad Ætam Colchidis Re-

[b] Pyth. 2. [c] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 101. [d] Hom. Il. β'. ver. 740. Eustath. & Didym. ad illum locum. [e] Diodorus Siculus lib. 4. Pindar. Pyth. 2. [f] Diodorus Siculus lib. 4 Servius ad 3 librum Georgicorum Virgilii. [g] Diodor. ib. [h] Pausanias in Arcadicis. Didymus ad Odyss. Homeri τ'. ver. 432. [i] Didymus ib. Pausan. ib. [l] Homer. Odyss. λ'. ver. 85 Didymus & Eustathius ad illum locum [m] Scholiastes Sophoclis ad Philoctetem. [n] Lib. 13. [o] In Philoctete. [p] Strabo lib. 9. Eustath. ad Homeri Il. ι. pag. 762. [q] Strabo & Eustathius ib. [r] Homer. Il. β'. ver 735. [s] Homer. Il. ι. ver. 448. & Didym & Eustath. ad illum locum. [t] Urbem enim à se in Thessalia conditam διὰ τὴν αὐτοῦ συμβᾶσαν ἄλην, Alum appellavit. [u] Pausan. in Bœoticis. [x] Pausan. ib. Apollodor. lib. 1 [y] Apollodor. lib. 1. Pausan. in Bœoticis. Didymus ad Il. Hom. β'. v. 497. [z] Apollodor. Pausan. ib. & in Atticis. Didymus ad Homeri Il. ή. v. 86. Eustathius ad Homeri Il. ή. pag. 667. & ad Odyss. ι. pag. 1543. Ovid. Met. 4. [a] Apollonius Rhodius, & Scholiastes Apollonii sæpius in omni libro. Eustathius ad Homeri Il. ή. v. 86. & ad Odyss. ι. pag. 1543. Apoll. lib. 1. Ovid. Met. lib. 4. Pausan. in Bœoticis. [b] Iidem Autores ib. [c] Apollodor. lib 1. Pausan. in Atticis sub fine. Eustathius ad Homeri Il. ή. pag 667. Didymus ad Homeri ή. v. 86. [d] Scholiastes ad Apollonii lib. 1. v. 256. Eustathius ad Il. Homeri ή. pag. 667 [e] Eustathius & Didymus ad Homeri Il. ή. v. 86. Apollodor. lib. 1. [f] Pausan. in Bœoticis. Apollodor lib 1. Apollonius Rhodius, & Scholiastes illius sepius in omni libro. Eustathius & Didymus ad Homeri Il. ή. v. 86.

gem salvus evasit. Hâc fraude tandem detectâ, [g] cum Ino vidisset maritum suum adeo irâ excandescentem, ut per eam mentis non satis compos Learchum filium, quod matri forte opem tulerat, occidisset, cum alio filio [*] Melicerta ad rupes Moluridas fugiens, inde eum & semetipsam in mare præcipitasse dicitur. Quibus postea pro diis marinis habitis, [h] Ino Leucotheæ, Melicerta Palæmonis nominibus à Corinthiis colebantur, & iis [i] Ludi Isthmici [l] à Glauco primo celebrati fuere, quos postea omissos [m] Theseus in Neptuni honorem iterum restauravit. Athamas ob hanc Tragœdiam, exosus locum in quo acta fuit, [n] regnum suum Corono & Haliarto fratris Sisyphi nepotibus tradidit, & in Thessaliam [o] rediens condidit Alum ἀπὸ τῆς συμβάσης αὐτῷ ἄλης sic dictam, cujus [p] cives sub Achille Trojæ dicuntur militasse. Schœneus, [q] quem Athamas è primâ uxore susceperat, [r] urbem Schœnum in Bœotiâ condidit, filiamque ibi genuit [s] Atalantam, quam aureis pomis in cursu vicit Hippomenes. A Ptoo [t] Templum Apollinis Ptoi ob oraculum celebre, quod in monte Ptoo prope Thebas conditum fuit, nomen habuit. [u] Leucon ante patrem obiit, illius autem filia Euippe ab avo Athamante Andreo Orchomeniorum regi pro uxore data ei peperit Eteoclem, qui Andreo in regno succedens [x] Gratiis templum primus condidisse dicitur: illo sine liberis defuncto, Sisyphi posteri in ejus regno usque ad Orchomenum successerunt, quo etiam sine filiis defuncto, regnum venit ad Phrixi posteros. [y] Hic enim ex Æetæ filia genuit Presbonem, aliosque filios, ad quos & Phrixi tutorem Chrysomallum reducendos (Phrixus enim ante eam navigationem [z] in Colchide diem obierat) mittebantur Argonautæ, indeque, quod χρυσόμαλλος aureum vellus significat, fabula de aureo vellere ab iis repetito habuit originem. Presbon autem ab Argonautis reductus, [a] à Corono & Haliarto avi Athamantis regnum recepit, in eoque successorem habuit filium Clyminum, qui Orchomeno defuncto Orchomeniis etiam imperavit, frater Clymeni erat Aspledon, qui Aspledonem urbem Bœoticam condidit, cujus incolæ sub Ascalapho & Jalmeno cum Orchomeniis Trojæ Militarunt. Eustath. & Didymus ad Homeri Il. β'. ver. 510. De Clymeni successoribus infra, ubi de Sisyphi posteris dicturus sum, potius placet differere.

Sisyphus Æoli filius [b] Corinthum [c] ab Ephyra Epimethei filia, quæ eam primo condidit circa annum [d] 37 Regni Cecropis in Attica, tum Ephyram dictam occupavit, quam sic auxit, munivit, & quasi de novo condidit, ut pro primo urbis conditore [e] apud plerosque autores habeatur. Cum secunda post hunc ætate alius esset in Græcia Sisyphus ob latrocinia sua & vim Anticleæ Ulyssis matri illatam celebris, nominis convenientia effecit, ut omnia, quæ ab isto latrone commissa fuerunt, scelera Sisypho Corinthiorum regi attribuerentur, atque ideo à Poetis à Jove in Tartarum detrusus fuisse, gravissimasque ibi pœnas saxum insuperabile volvendo subiisse fingitur. [f] Sed autoritate eorum, qui fide digniores sunt, constat Sisyphum Regem justum, & omnium Græcorum sui temporis præsertim in vita medicinis & temperantia præservanda sapientissimum fuisse. Hujus quatuor numerantur filii [g] Ornytion, Glaucus, Thersander, & Halmus. Ornytion patri successit, duosque habuit filios [h] Phocum, & Thoantem. Phocus in regionem, [i] quæ circa Parnassum

[g] Pausan. in Atticis, Apollodor. lib. 3. Didymus, & Eustath. ib. & Eustathius ad Odyss. ί. p. 1543. Ovid. Met. lib. 4. [h] Eustathius Odyss. Homeri ί. pag. 1543. Pausanias in Atticis in Corinthiacis. Didymus ad Homeri Il. ί. v. 86. Plutarchus in libro de Quæstionibus Romanis. [i] Clemens Strom. lib. 1. Pausanias in Atticis, & Corinthiacis. Schol. ad Apollon. lib. 3. Plutarchus in Theseo. [l] Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. [m] Plutarchus in Theseo. [n] Pausan. in Bœoticis. [o] Apollodor. lib. 1. Stephanus in Ἄλος. [p] Homerus Il. β'. [q] Apollodor. lib. 1. Scholiastes ad Apollonii Rhodii lib. 2. ver. 1147. [r] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 265. Didymus ad Homeri Il. β'. ver. 497. Pausanias in Arcadicis. [s] Didym. & Eustath. ib. Ovid. Met. lib. 10. Pausan. in Arcadicis. [t] Pausan. lib. 9. [u] Pausan. ib. [x] Strabo lib 9. pag. 414. Pausan. lib. 9. [y] Pausan. ib. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 2. ver. 1095. & v. 1125. [z] Pausan. ib. Apollonius Rhodius lib. 2. & Scholiastes illius. [a] Pausan. lib. 9. [b] Pausanias lib. 2. Eusebius in Chronicis. Apollodor lib. 1. [c] Scholiastes Apollonii lib. 4. ver. 1212. [d] Euseb. in Chronicis. [e] Apollodor. lib. 1. & alii. Vide Scal. in notis ad Euseb. Chron. [f] Eustath. ad Homeri Il. ζ. pag. 631 & ad Odyss. λ. p. 1701. & 1702. [g] Apollodor. lib. 1. Pausan. lib. 2. [h] Pausan. lib. 2. 9. & 10. [i] Pausan. lib. 2. & 10.

&

& Tithoream erat, duxit coloniam, eamque à suo nomine Phocidem appellavit, in quam cum una ætate posterius [l] Phocus Æaci filius cum nonnullis Æginæ insulæ incolis commigrasset, eamque regionem quæ circa Cirrham & Crissum ad sinum Corinthicum sita erat occupasset, hoc nomen latius fecit patere, totamque eam regionem Phocidem appellavit, quæ eo nomine apud Græcos semper cognoscebatur. [m] Thoas patri in regno succedens Corinthi mansit, cujus filius forte erat Creon, quo regnante Jason Corinthum venit, & illi sine liberis defuncto successit frater [n] Demophon. Creontem enim Sisyphi filium fuisse prohibet temporis ratio. [o] Demophontis filius erat Propidas, cui in Regno Corinthi successerunt filii illius Doridas, & Hyanthidas, [p] quibus ab Alete Heraclida victis & regno exutis, Sisyphidæ qui ex pactis pacis conditionibus [q] in urbe mansere, in ordinem deinde redacti, Corinthi imperium, cum ultra ducentos annos tenuissent, omnino amisere. [r] Glaucus, quem secundum diximus Sisyphi filium, dum in ludis funebribus, quos Acastus patri suo Peliæ celebraverat bigis certaret, à suis equis discerptus interiit. Filius illius erat [s] Hipponous, qui postea cum Bellerum magnatem quendam Corinthium occidisset, [p] inde Belleriphontes, i. e, Belleri occisor dicebatur. Ob hanc autem cædem Corintho exulare coactus, [q] ad Prætum Argivorum regem fugiebat, à quo cum ab illius uxore Antæâ tentati adulterii, quod ei ad illud sollicitanti non auscultasset, falso accusaretur, ad socerum illius Jobatem Lyciæ regem cum literis, ut occideretur missus fuit, ubi cum omnia pericula quibus ut interiret expositus fuerat, ingenti fortitudine superasset, Jobates ejus virtutem admiratus datâ ei filiâ suâ, generum suum & regni hæredem fecit. Ex hâc Jobatis filiâ [r] Bellerophonti nascebantur Isander, Hippolychus, & Laodamia. [s] Isander contra Solymos Pisidiæ incolas (quos [t] nonnulli Hierosolymitanos fuisse ridicule supponunt) pugnans occubuit. [u] Hippolocho Glaucus, Laodamiâ Sarpedon, qui Lyciis Priamo & Trojanis auxiliantibus imperarunt, nati fuere. Thersandri [x] filii fuere Haliartus & Coronus, [y] qui ab Athamante, quod putasset Phrixum occubuisse, adoptati eo in regno successere, & Haliartum, & Coroneam urbes Bœoticas condidere, quarum Haliartus [z] ob mortem Lysandri præstantissimi Lacedæmoniorum ducis, qui in illius obsidione occisus fuit, postea evasit insignissima; sed hi cum [a] Presbon Phrixi filius à Colchide ab Argonautis reductus esset, regnum quod iis ab Athamante concreditum fuit, nepoti illius iterum tradidere. Halmus, quem postremo loco diximus Sisyphi filium fuisse, [b] ad Eteoclem Orchomeni, tunc Andreidis dictæ, Regem profectus ab eo agri partem accepit, ubi Halmones vicos condidit. Hujus filiæ fuere Chrysogenea & Chryse. Chryses filius erat Phlegyas, à Phlegya, [c] Ixionis fratre, & Gortyniorum Rege diversus, qui defuncto Eteocle [d] illi in regno successit, urbemque in qua regnabat, ab Andreo illius conditore prius Andreidem dictam, à suo nomine Phlegyas appellavit. Hic fortissimus [e] bellator erat, & quamdiu vixerat totius Græciæ terror: [f] sed cum Templum Apollinis Delphici diripuisset, ob illud sacrilegium in Tartarum detrusus [g] gravissimas pœnas à Poetis ibi fingitur subiisse. [h] Huic sine liberis defuncto successit Chryses è Chrysoneâ alterâ Halmi filia natus, cujus filius & successor erat Minyas, à quo Phlegyæ deinde mutato nomine [i] Minyæ dicebantur. Hic poten-

[l] Pausan. lib. 9. Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 274. [m] Pausanias lib. 2. [n] Pausanias lib. 2. [o] Pausan. ib. [p] Pausanias in Corinthiacis. Pindari Scholiastes ad Nem. 7. Conon apud Photium, narrat. 26. Zenobius in Parœmiis. Syncellus in Chronicis. Velleius Paterculus lib. 1. [q] Pausan. lib. 2. [r] Pausanias lib. 6. [s] Apollodor. lib. 2. Homer. Il. ζ. v. 150. Didymus & Eustathius ad illum locum, Pausanias l. 2. [p] Didymus ad Il. Homeri ζ. ver. 155 Eustathius ad Homeri Il. ζ'. p. 632. [q] Homer. Didymus, & Eustath. ib. [r] Homerus, Didymus, & Eustath. ib. & Apollodorus lib. 3. [s] Homer. Il. ζ. ver. 203. [t] Vide Bochartum, Salmasium, aliosque. [u] Homer. Il. ζ. ver. 199. & 206. Eustathius ad illum librum. [x] Pausanias lib. 9 Eustathius ad Il. Homeri β'. pag. 268. [y] Pausanias lib. 9. [z] Plutarchus in vita Lysandri, & in Xenophonte de rebus Græcis. [a] Pausanias in Bœoticis. [b] Pausanias lib. 9. [c] Strabo lib. 9. Eustath. ad Il. β'. pag. 333. [d] Pausan. lib. 9. [e] Pausanias lib. 2. & lib. 9. [f] Pausan. lib. 9. Didymus ad Il. ν'. v. 302. [g] Virgil. lib 6. [h] Pausanias lib. 9. [i] Pausan. in Bœot. Eustath. ad Il. Hom β'. p. 272. Stephan. in Μινύα.

tissimus

tiſſimus & ditiſſimus omnium Græcorum fuit, primuſque memoratur, qui ærarium ad pecunias ſervandas in Græcia ædificaverat. [l] Minyæ filius erat Orchomenus, à quo cum patri in regno ſucceſſiſſet, urbs quæ prius Andreis, Phlegyæ, & Minyæ dicebatur, [m] Orchomeni appellationem adepta nomen iterum non mutabat, retento tamen antiquo nomine Orchomenus Minyea ideo dicebatur, ut ab Orchomeno, quæ in Arcadia eſt diſtingueretur, atque ideo habet Homerus,

[n] Οἳ δ' Ἀσπληδόνα ναῖον, ἠδ' Ὀρχομενὸν Μινύειον.

Orchomeno ſine liberis defuncto, [o] ad Clymenum Presbonis filium Phrixi nepotem regnum veniebat, quo à Thebanis dum Neptuni feſta Oncheſti celebrabat occiſo, Erginus, qui filiorum illius natu maximus in regno ſucceſſit, cum fratribus Azeo, Arrhone, Pyleo, & Stratio Thebas adortus urbem cepit, [p] & Thebani pro cæde Clymeni annuum deinde tributum Ergino pendebant, donec ab Hercule, qui iis in auxilium venit, Orchomeniis viciſſim victis, eo iterum liberarentur. [q] Hoc bello Erginus maxime attritus cum deinde hoc unum ſolum omni ſtudio agebat, ut vaſtatam patriam ad priſtinas opes & felicitatem iterum reſtitueret, matrimonium uſque ad extremam ſenectutem diſtuliſſe dicitur, tunc cum multa congeſtâ pecuniâ de ſuſcipiendis liberis cœperit eſſe ſollicitus, oraculi monitu adoleſcentulam uxorem duxit, quæ ei peperit Agamedem & Trophonium, qui celeberrimi Architecti & omnium fere veterum, quæ in Græcia erant, Templorum conditores fuere: de ceteris quæ de Trophonio & Agamede narrantur, & de inſigniſſimo Trophonii antro & oraculo, vide Pauſaniam in Bœoticis, & Plutarchum in libro de Socratis dæmone. [r] His fratribus mortuo patre ob ætatem regno inidoneis, Orchomeniis poſt Erginum imperavit frater illius Æzeus, cujus filius erat Actor, qui genuit Aſtyochem matrem Aſcalaphi, & Jalmeni, [s] qui Orchomeniis in bello Trojano imperarunt, in quo Aſcalapho [t] à Deiphobo occiſo, [v] Jalmenus cum ſuis delatâ Trojâ in Pontum proficiſcebatur, à quibus deducebant originem, qui in ea regione Achæi dicebantur. Poſt bellum Trojanum quinam Orchomeniis imperarunt incertum eſt, hoc à nullo autore indicato, illi autem à Phlegyæ temporibus uſque ad reditum Bœotiorum è Theſſalia omnium Græcorum potentiſſimi, [x] & ditiſſimi ſemper fuere, atque ideo apud Homerum dicit Achilles,

[y] Οὐδ' εἴ μοι δεκάκις τε καὶ εἰκοσάκις τόσα δοίη,
Οὐδ' ὅσ' εἰς Ὀρχομενὸν ποτινίσεται, οὐδ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας ----

[z] à Bœotis autem poſt eorum reditum circa 80 annos poſt bellum Trojanum victi Thebanis deinde ſubditi fuere, & Orchomenus, quæ adhuc ſejuncta erat, ceteræ Bœotiæ addebatur.

Scholiaſtes Apollonii ad librum illius 3. ver. 1238. dicit Corinthum, à quo urbs nomen habuit, etiam Siſyphi filium fuiſſe, & ludos Iſthmicos in honorem Melicertæ inſtituiſſe; ſed de hoc Corintho nihil ceteri antiquarum rerum ſcriptores. Pauſanias in Corinthiacis nonnulla narrat de Corintho quodam Marathonis filio, à quo Corinthus dicta; ſed cum ibi Æetam Colchidis Regem Aloëo coævum, & Siſyphum Jaſone & Medeâ recentiorem facit, omnibus iis, quæ ibi narrat de Corinthorum origine, temporum ratio & aliorum ſcri-

[l] Pauſan. lib. 9. [m] Pauſanias ib. Euſtath. ad Il. Homeri β'. pag. 272. Stephanus in Ὀρχομενός. Didymus ad Homeri Il. β'. ver. 511. [n] Homeri Il. β'. ver. 511. [o] Pauſanias lib. 9. [p] Diodorus Sic. lib. 4. Pauſanias lib. 9. Euſtathius ad Homeri Il. β'. pag. 272. Apollodorus lib. 2. [q] Pauſan ib. [r] Pauſanias in Bœoticis. Euſtathius ad Homeri Il. β'. pag. 272. [s] Homeri Il. β. ver. 501. [t] Homeri Il. ν'. ver. 518. [v] Euſtathius ad Homeri Il. β'. pag. 273. Strabo lib 9. pag. 416. [x] Strabo lib. 9. Pauſanias in Atticis, & Euſtathius ad Homeri Il. ι. ver. 380. [y] Il. ι. ver. 380. [z] Strabo lib. 9.

ptorum

ptorum autoritas omnino repugnant. Clemens Alexandrinus dicit non Corinthum sed Glaucum Sisyphi filium Ludorum Isthmicorum institutorem fuisse; quis igitur ille fuit, qui urbi Corintho nomen dedit, & unde illud nomen habuit originem, hoc à nullo autore satis manifeste indicato, manet incertum.

Mimas [a] Æoli filius Arnæ, quæ urbs Thessalica est, regnabat: hujus filius erat Hippotes, qui genuit Æolum secundum Patrem Arnes, quæ urbi nomen dedit prius alio nomine appellatæ. Hanc è furtivo concubitu gravidam esse deprehensam pater iratus mercatori Metapontino vendidit, qui eam Metapontum in Italiam abduxit, filiosque ex ea natos, qui [b] Æolus & Bœotus dicebantur, adoptatos habuit pro suis, donec ab cædem ab iis commissam urbe expellerentur. Æolus igitur [c] ad Liparum Ausonis filium insularum Liparæarum regem paratâ classe fugiebat, ductâque illius filiâ ei in regno successit: ubi cum artis nauticæ [d] studio multum se dedisset, & Ulyssi ad se venienti carbasis, & ventorum beneficio in navigando uti docuisset, inde orta est fabula apud Poetas illum ventorum promum fuisse, & Ulyssi utrem ventis plenum, quo felicius navigaret, dedisse. [e] Hujus filii fuere Astyochus, Xuthus, Androcleus, Pheremon, Jocastes, & Agathyrsus, quorum Astyochus in Liparæis insulis, Jocastes in regione circa Rhegium post patris obitum regnarunt; ceteri à Siculis & Sicanis Siciliæ incolis, ut bellum, quod contra se invicem diu gesserant, ab iis componeretur, Reges electi fuerunt, eique & posteri eorum, donec Dorienses huc deduxissent Colonias, hujus insulæ tenuerunt imperium, quæque in Siciliâ loca Xuthia & Agathyrsis vocantur, [e] à Xutho & Agathyrso Æoli filiis dicuntur nomina habuisse. [f] Bœotus alter Arnes filius cum matre in Thessaliam reversus patri Æolo in regno successit, quo regnante [g] Bœoti tempore belli Trojani, cum eorum copiæ Trojæ abfuissent, à Pelasgis & Thracibus Bœotiâ expulsi ad Arnam venerunt, qui ab Arnensibus in partem agri recepti cum iis in unam gentem coalescebant, & tunc primum [h] secundum nonnullos uterque populus Bœoti dicebantur; sed longe antiquius fuit Bœotorum nomen, bello enim Trojano interfuerunt, qui Bœoti dicebantur. Alii igitur [i] ἀπὸ τῦ βοὸς, quo duce ex oraculi monitu Cadmus in Bœotiam venit; alii autem [l] multo verius à Bœoti Itoni filio Amphictyonis nepote, qui secundâ post Cadmum ætate Bœotis imperavit, illius nominis deducunt originem. Non igitur Bœoti ab Arnensibus; sed è contrario Arnenses à Bœotis nomen sortiebantur, eodemque modo Bœoti, quo Athenienses Iones, ab iis quos recipiebant, fuerunt appellati, ab eoque tempore pro Bœotis reputati cum iis circa [m] 60 annos post bellum Trojanum, quo tempore utraque gens à ceteris Thessalis Arnâ expulsa fuerat, Bœotiam quasi terram suam repetivere, eamque pulsis in Atticam Pelasgis eodem jure quo ii, qui inde expulsi fuere, sibi vindicantes agrum, qui circa fluvium Cephissum est & locum Copaidem, occupabant, ibique urbem condidere, quam in memoriam illius, è qua profecti sunt, Arnam appellarunt, quæ postea [n] Chæronea dicta, [o] ob cladem ibi Atheniensibus à Philippo Macedone illatam, & ob civem suum Plutarchum multum fuerat celebrata.

Cretheus quem decimo loco numeravimus, Æoli filium fuisse [p] è Tyro fratris Salmonei filia genuit Pheretem, Amythaonem, & Æsonem. Æson cum Peleâ fratre uterino Jolci manens [q] è Polymede filia Autolychi genuit

[a] Diodorus Siculus lib. 4. [b] Diodorus Siculus lib. 4. & Eustathius ad Homeri Odyss. κ'. pag. 1644. [c] Diodor. Sic. lib. 4 & 5. [d] Diodorus Siculus lib. 5. Eustathius ad Homeri Odyss. κ'. pag 1645. Strabo lib. 1. [e] Diodor. lib. 5. [f] Diodor. ib. [g] Strabo lib. 9. pag. 401. Diodorus lib. 4. & lib. 19. p 700. [h] Diodor. Sic. lib. 4. Nicocrates & Euphorion apud Stephanum Byzantinum in Βοιωτία. [i] Vide Stephanum Byzantinum in Βοιωτία. [l] Pausanias lib. 9. Stephanus in Βοιωτία. [m] Thucydidis lib. 1. Strabo lib. 9. Diodor. Sic. lib. 4. & lib. 19. p. 700. [n] Pausanias lib. 9. Strabo lib. 9. Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 270. Stephanus Byzantinus in χαιρωνεία. [o] Plutarch. in vita Demosthenis, & in vita Phocionis. & Diodorus Siculus lib. 16. [p] Homeri Odyss. λ'. v. 252. Didymus & Eustathius ad illum locum Homeri. Apollodorus lib. 1. Pausan. lib. 4 & 5. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 1. [q] Apollodorus lib 1. Apollonius l. 1. & Scholiastes illius.

Jasonem

Jasonem, qui ad Colchidem navigavit. [r] Pheres urbem Pheras, ob Alexandrum Pherarum Tyrannum celebres, à suo nomine sic dictam in Thessalia condidit, hujus filii fuere [s] Admetus & Lycurgus. [t] Lycurgus circa Nemeam regnum habuit, ibique Opheltem Archemorum etiam dictum genuit, [u] quem cum à nutrice Hypsipile in herbâ relictum, dum ea Argivis ad bellum Trojanum proficiscentibus fontem iverat indicatum, serpens intermisset, in ejus honorem Argivi Nemeæa certamina instituerunt, quæ postea ab Hercule quod ibi leonem Nemeæum occidisset, Jovi Nemeæo dicata singulis bienniis, eodem modo quo Isthmica, quamdiu apud Græcos manebat Jovis honor semper fuerant celebrata. [x] Admetus patri successit, ductâque Alceste Peliæ filia Eumelum genuit. Fabulas, quæ de Admeto & Alceste narrantur, legas apud Apollodorum lib. 1. & Eustathium ad Homeri Il. β'. p. 326. Eumelus tum patri in Pherarum tum avunculo Acasto Peliæ filio in Jolci regno successit, [y] utrisque enim earum urbium incolis in bello Trojano imperasse dicitur. [z] Amythaon cum Neleo fratre uterino in Peloponnesum commigravit, [a] ibique genuit Biantem & Melampodem. Melampus insignissimus [b] Augur erat, atq; ideo avium voces intellexisse dicitur. Hic in Ægyptum profectus [c] multos Ægyptiorum ritus circa Bacchi & Cereris cultum, & obscœnissimam Phalli Pompam in Græciam primus introduxit, præcipuusque post Orpheum fuit Græciæ Theologiæ Autor; ob magiam etiam & medicandi artem, quas ab Ægyptiis didicit, omnium sui temporis Græcorum fuit insignissimus. Hæc ab Anaxagora Megapenthis filio Argivorum Rege accersitus, ut feminas [d] Argivas insaniâ correptas ad mentis sanitatem restitueret, tertiam regni partem pro mercede postulavit, quam cum Anaxagoras non concederet, secundâ vice cum feminæ magis insanirent, accersitus tertiam partem sibi & tantundem fratri Bianti postulavit. Veritus igitur Rex, ne si tempus longius protraheret, mercedem ille peteret ampliorem, postulatis assensus est, ab eoque igitur tempore, feminis Argivis [e] Helleboro nigro, inde Melampodio dicto, seu secundum alios [f] lacte caprarum, quæ Helleborum pastæ fuissent à Melampode sanatis, Melampus & frater illius Bias & posteri eorum regno tripartito Argivis imperarunt. Fabulas, quæ de Melampode & Biante narrantur, legas apud Apollodorum lib. 1. & Didymum, & Eustathium ad Homeri Odyss. λ'. v. 289. [g] Melampodis filius & successor erat Antiphates, Antiphatis Oïcles, Oïclis Amphiaraus, qui omnes fuere Magici & vates insignissimi. [h] Amphiaraus contra Adrastum Talai filium Biantis nepotem seditionem movens eum Argis expulit, ille autem ad Polybum Sicyoniorum regem avum suum maternum secedens illi in regno Sicyonis successit, indeque, sorore suâ Euriphyle Amphiarao in uxorem datâ, Argos iterum reversus [i] Tydeum Oenei filium & Polynicem Oedipodis filium à patria exulantes domo recepit, & generos fecit, & [l] cum eodem Amphiarao, & fratre suo Mecisteo, aliisque ducibus primum bellum gratiâ Polynicis Thebanis intulit, in quo omnes præter Adrastum periere. Amphiarai filii fuere [m] Alcmæon & Amphilochus [n] Alcmæon in secundo bello, quod Thebanis filiis eorum, qui in priori interierant, Ἐπίγονοι dicti Euryalus scilicet Mecistii filius, Diomedes Tydei, Sthenelus Capanei, Ægialeus Adrasti, Polydorus Hippomedontis & Promachus Par-

[r] Apollodorus lib 1. Eustathius ad Il. Homeri β'. [s] Apollodorus lib. 1. [t] Apollodor. ib. [u] Apollodor. lib. 3. Pausan. lib. 2. [x] Apollodor. lib. 1. Homeri Il. β'. ver. 713. Didymus & Eustath. ad illum locum. [y] Homerus Il. β'. v. 712. [z] Apollodor. lib. 1. Diodorus Siculus lib. 4. [a] Apollodor. lib. 1. Eustathius & Didymus ad Homeri Odyss. λ'. v. 289. Pausanias lib. 2. [b] Didymus & Eustath. ad Homeri Odyss. λ' ver. 289. & ad Odyss. ο ver. 225. Pausan. in Messenicis. Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus lib. 1. & 4. Apollodorus lib. 1. [c] Herodotus lib. 2. Diodorus Sic. lib. 1. part. 2. [d] Pausan. lib. 2. Herodotus lib 9. Eustathius ad Homeri Odyss. δ'. pag. 1480. & ad Il. β'. pag. 288. Didymus ad Homeri Odyss. ο. ver. 225. Apollodor. lib. 2. [e] Dioscorides ubi agit de Helleboro. [f] Plin. lib. 25 cap. 5. Philandri annotationes ad Vitruvium, lib. 8. c. 3. Homer. Odyss. ο. vers. 225. & Eustathius ad illum locum. Pausan. lib. 6. [h] Pausan lib. 2. Eustathius ad Homeri Il β'. pag. 288. & pag. 291. [i] Eustathius ad Homeri Il. δ'. p 485. Pausan lib 9. Apollodor. lib. 3. [l] Pausan. lib. 2. & 9. Diodorus Siculus lib. 4. Apollodor lib. 3. Eustath. ad Homeri Il. δ'. pag. 484. [m] Homeri Odyss. ο. v. 225. &c. Eustathius & Didymus ad illum locum. Pausan. lib. 2. & 5. [n] Apollodor. lib. 3. Pausan. lib. 2. Strabo lib. 10. Eustath. ad Homeri Il. δ'. p. 489.

thenopæi

thenopæi in patrum vindictam intulere, dux exercitus fuit, [o] qui, cum post expugnatas Thebas & regnum Thersandro Polynicis filio restitutum Argos reversus matrem Eriphylen, quod acceptis à Polynice donis patri eundi ad illud bellum, quo periit, necessitatem imposuerat, occidisset, conscientiâ illius sceleris tactus relictis [p] Argis in Acarnaniam secessit, in qua regione filius illius Acarnan post patrem regnans illam à suo nomine Acarnaniam, & incolas Acarnanes appellavit. [q] Amphilochus alter Amphiarii filius post deletam Trojam, ad quam cum ceteris Argivis militaverat, omisso in Argos reditu ad fratrem venit, occupatâque Regione, quæ ad fontes fluvii Acheloi sita Acarnaniæ è parte septentrionali vicina fuit, in ea condidit urbem, quam à suo & urbis, è quâ profectus est, nominibus Argos Amphilochicum appellavit, à quo Regio circumcirca vicina etiam Amphilochia, & incolæ Amphilochi dicebantur. Adrasti filius erat [r] Ægialeus, qui in Epigonorum bello Thebanis illato à Laodamante jugulatus interiit, hujus filius erat Cyanippus, quo tempore belli Trojani pubertatis annos nondum consecuto Diomedes Tydei filius, & Euryalus Micestii filius [s] Tutores illius cum Sthenelo Capanei filio, qui è posteris Anaxagoræ regnabat, Argivis ad Trojam profectis dicuntur [t] imperasse. Usque adhuc igitur Argivi, Messenii, Elei, plurimique Peloponnesi incolæ Æoles fuerunt, illi autem [u] circa 80 annos post bellum Trojanum [x] ab Heraclidis Peloponneso expulsi classem Aulide parabant, indeque duce [y] Penthilo Orestis filio in Asiam transiere, primoque [z] Troadem, & deinde Lesbum insulam, & in continente Lesbo vicinâ Larissas, Cumam, Cillam, ceterasque è duodecim civitates, quæ Æolidem Asianam [a] antiquitus constituebant, expulsis Pelasgis occuparunt, eaque maxima est Colonia, quam Æolenses extra Græciam unquam emisisse memorantur. Præter hanc aliæ antiquitus Æolensium emittebantur Coloniæ, post bellum enim Trojanum [b] Philoctetes in Italiam, Prothous in Asiam, de quibus diximus, transiere; circa idem etiam tempus [c] Thoas Ætolorum Dux Tempsam apud Brutios, & Diomedes [d] Argyrippam quasi Ἄργος ἵππιον sic dictam, Canusium, & Beneventum apud Apulos post deletam Trojam in Italiam transvecti condidere, & in eandem regionem è genere Æolico [e] Locri Ozolæ è sinu Crissæo circa Olympiadem [f] 24 transeuntes ibi, quod urbem maritimam ventis ab occasu flantibus expositam incolebant, Locri Ἐπιζεφύριοι dicebantur. Æolicum autem genus maxime propagabant [g] Æolidis Asianæ incolæ, à quibus omnes fere Græci, qui septentrionalis Asiæ partes incoluerunt, deducebant originem, & ab his etiam secundùm nonnullos orti erant, qui Cumam in Italia incolebant, illuc è Cuma Æolica transvecti. Sic enim dicit [h] Strabo, " Cuma Chalcidentium & Cumæorum est opus vetustissimum; " omnium enim Græcorum urbium, quæ sunt aut in Italia, aut in Sicilia, est " antiquissima. Duces Coloniæ Hippocles Cumæus, & Megasthenes Chalci- " densis inter se pepigerunt, ut alterius populi Colonia, alterius Coloniæ ap- " pellatio esset, urbs itaque Cumæ nomen gerit, videtur autem à Chalciden- " sibus condita fuisse. Hic autem Cumam Æolicam non posse intelligi esse Hippoclis patriam, quis non videt? Si enim secundum Strabonem Cuma antiquissima sit in Italia Græcorum colonia, ex ejusdem mente ante Diomedis, Philoctetis, & Thoantis tempora, quos ipse dicit mox post bellum Trojanum urbes in Italia condidisse, necessario fuit educta: Cumam autem Asianam

[o] Apollodor. lib. 3. Pausanias in Arcadicis. Eustathius ad Homeri Odyss. λ'. pag. 1689, & 1697. & ad Odyss. ι. pag. 1780. [p] Pausan. in Arcad. Apollodor. lib. 3. Strabo lib. 10. [q] Thucydides lib. 2. Strabo lib. 10. Apollodor. lib. 3. [r] Pausan. lib. 2. Apollodor. lib. 3. Diodorus Siculus, lib. 4. [s] Pausan. lib. 2. pag. 142. [t] Homeri Il. β'. v. 663. [u] Thucydides lib. 1. Clemens Alexandrinus, Strom. lib. 1. pag. 336. [x] Apollodorus lib. 2. Pausan. lib. 2, 3, 4. [y] Strabo lib. 9. pag. 401, & lib. 13. [z] Strabo lib. 8, 9, & 13. Pausanias lib. 3. pag. 160. [a] Herodot. lib. 1. Strabo lib. 13. [b] Strabo lib. 6. [c] Strabo l. 6. [d] Lycophron & Tzetzes ad Lycophronem. Virgil. lib. 10. Et Servius ad Virgilium. Strabo lib. 6. Justin. lib. 20. Plinius lib. 3. c. 11. Stephanus in Ἀργύριππα. [e] Strabo lib. 6. Virgil. Æneid. lib. 3. & Servius ad illum locum. Eustathius ad Dionysii Periegisin. [f] Eusebius in Chronicis. [g] Vide Strabonem. [h] Lib. 6.

multos annos poſt bellum Trojanum conditam fuiſſe ipſe teſtatur [k] Strabo; ſecundum igitur Strabonem Cuma in Italia Cumæ Æolicæ, utpote eâ multo antiquior, Colonia eſſe non poterat. De vetuſtate Cumæ Italicæ Straboni aſſentit [l] Velleius Paterculus. Fatendum vero eſt [m] ſecundum Euſebium eductionem Coloniæ ſub Hippocle & Megaſthene multo recentiorem fuiſſe, cum tamen ab eo ad annum 131 poſt deletam Trojam referatur, Cuma Italica ſecundum hunc etiam Cumâ Æolicâ eſt antiquior; [n] Herodotus enim dicit 130 annos poſt Trojæ excidium Lesbos cæpit Oppidatim habitari, 20 annos poſt Lesbum habitatam Cuma Æolica condebatur, 19 igitur annos Cumâ Italicâ eſt recentior, atque ideo ei originem præbuiſſe nunquam poterat. Cum ergo apud [o] Stephanum Byzantinum inveniatur in Eubœa etiam fuiſſe urbem Cumam dictam, aſſentiendum eſt magno Caſaubono tam Cumam quam Chalcidem è quibus profecti ſunt qui Cumam in Italia condidere urbes Euboicas fuiſſe, atque ideo dicit Virgilius,

> [p] Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

E Cuma profecti ſunt, qui Neapoli condidere. Quaſnam Græciæ, Italiæ, & Aſiæ partes Æoles incolebant, & quomodo ab Æolo deducebant, originem, hactenus explicavi, De Doribus & Ionibus reſtat dicendum.

Dorus ſecundus Hellenis filius [r] regnum in Eſtiæotide adeptus Regionem Doridem & incolas Dores appellabat. Poſteri autem illius proximâ poſt ejus obitum ætate inde iterum à Perrhæbis [s] pellebantur; illi enim, poſtquam Eſtiæam in Eubœa everterant, hanc regionem occupantes Eſtiæis, quos ſecum ex Eubœa eduxerant, tradidere incolendam, ab eoque primo tempore, quæ prius Doris, Eſtiæotis deinde accepto ab incolis nomine cæpit appellari. Doribus autem patriâ ejectis, nonnulli eorum ad [t] Macedones cognatos ſuos circa Pindum montem habitantes commigrabant. Tectamus autem Dori filius cum maxima Dorum parte Jolcum ad Cretheum ſocerum ſuum & iſtius urbis regem profectus paratâ ibi claſſe cum iiſdem, aſſumtis etiam ſecum è Pelaſgis, qui in Theſſalia relicti erant, & ex Æolibus Crethei ſubditis non paucis, [u] in Cretam tranſiit, totamque eam occupans inſulam in illa primus omnium Græcorum imperaſſe perhibetur. Hujus filius & ſucceſſor erat [x] Aſterius, qui Europam [y] duxit, quæ cum vi rapta è Phænicia in Cretam tranſvecta fuiſſet in navi, quæ [z] taurum in prora παράσημον habuerat, inde ſecundum pleroſque, eam à tauro raptam fuiſſe, ſecundum Doctiſſimum vero [a] Fullerum, quod אלפא apud Phœnices tam taurum quam navem ſignificabat, fabula habuit originem. Aſterii & Europæ filius erat [b] Minos ejus nominis primus, qui in noſtri Chronici Marmorei Epochâ undecimâ temporibus Pandionis primi, Athenarum regis in Creta regnaſſe, & Cydoniam condidiſſe dicitur. Hic inſigniſſimus [c] legiſlator fuit, omneſque eas Cretenſium leges tot laudibus apud antiquos celebratas condidiſſe perhibetur, quas, ut populus majori cum reverentia acciperet, & ſanctius obſervaret [d] ſe à Jove accepiſſe dixit, atque ideo per novem annos, quos in formandis ſuis legibus aſſumſerat, ſæpiſſime in antrum, quod in Idæ montibus erat, aſcendens, ibi, eodem modo quo [e] Numa poſtea cum Nymphâ Egeriâ, ille cum

[k] Lib. 9. & lib. 13. [l] Lib. 1. [m] In Chronicis. [n] In vita Homeri. [o] In Κύμη. [p] Lib. 6. [r] Herodot. lib. 1. Strabo lib. 9. Apollodorus lib. 1. [s] Strabo lib. 9. [t] Herodot. lib. 1. [u] Diodor. Sic. lib. 4. [x] Diod. Sic. lib. 4. [y] Euſebius in Chronicis. Apollodor. lib. 3. Diodorus Sic. lib. 4. Lycophron in Caſſandra. Auguſtinus de civitate Dei, lib. 18. c. 12, Xanthum pro Aſterio nominat. [z] Lycophron, & Scholiaſtes illius Iſacius Tzetzes. Iſidorus originum lib. 8. Julius Pollux lib. 1. cap. 9. ſect. 1. [a] In Miſcellaneis lib. 4. cap. 10. [b] Diodorus Siculus lib. 4. Euſebius in Chronicis. Apollodorus lib. 3. [c] Plato in Minoe, & in primo libro de legibus. Diodorus Siculus in fragmentis. Strabo lib. 10. Ariſtot. Pol. lib. 2 c. 8. & lib. 7. c. 10. Euſtathius ad Homeri Odyſſ. τ. v. 179. Valerius Maximus, lib. 1. cap. 2. [d] Diodorus l. 1 & in fragmentis, Euſtathius ad Homeri Odyſſ. τ'. ver. 179. & Didymus ad eundem verſum. Plato in Minoe. [e] Plutarchus in vita Numæ. Livius lib. 1. Dionyſ. Hal. lib. 2.

Jove se colloquium habuisse finxit, & ob hanc rationem ab Homero [f] ἐννέωρος Διὸς μεγάλου ὀαριστὴς dicitur, verum hæc vox ἐννέωρος [g] Platoni explicatur δι' ἐνάτου ἔτους, i. e. nono quoque anno; atque inde est, [h] quod Valerius Maximus dicit Minoem nono quoque anno leges à Jove accepisse, [i] Strabo vero [k] Eustathius, & [l] Didymus vocem ἐννέωρος per δι' ἐννέα ἐτῶν, i. e. novem annos explicant. [m] Minos ex Itona Lyctii filia suscepit Lycastum, urbis Lycasti conditorem, qui ex Ida Corybantis filia [n] procreavit Minoem secundum, Sarpedonem, & Rhadamanthum; cum enim Sarpedon & Rhadamanthus duabus tantum ætatibus bello Trojano vetustiores essent, Minois primi, qui [o] Pandioni primo Athenarum regi coævus circa 224 annos ante Trojæ excidium in Creta regnaverat, fratres fuisse omnino prohibet temporis ratio. Sarpedon à patre Minoe Cretâ expulsus primum in Cariam appulit, [p] ibique Miletum, (cujus alii [q] Miletum Sarpedonis amasium conditorem volunt) Mileto Creticæ cognominem condidit; ibi autem non diu manens inde ad interiores Asiæ partes transiit, Regionemque tunc [r] Milyada dictam occupavit, quæ postea [s] à Lyco Pandionis filio, qui à fratre Ægeo Athenis pulsus à Sarpedone, ad quem venerat, in regni societatem acceptus fuit, Lycia dicebatur. Sarpedonis filius erat [s] Evandrus, qui ductâ Laodamiâ Bellerophontis filiâ, ex ea genuit alterum [t] Sarpedonem, qui Trojæ contra Græcos militabat. Rhadamantho alteri fratri [u] Minos, cum illum ob ejus justitiæ laudem ex invidia in Creta ferre non poterat, maris Ægei insulas tradidit regendas. Minos enim omnium sui temporis [x] classe potentissimus fuit, atque ideo totius maris, quod circa Græciam est, imperium adeptus, omnes in ea insulas, expulsis latronibus & piratis, quorum prius receptacula fuerant, occupavit. Quomodo hic ob mortem filii Androgei Atheniensibus & Megarensibus bellum intulit, & Dædalum in Siciliam cum classe persequens, ibi fraude filiarum Cocali regis insulæ diem obiit, vide Plutarchum in vita Thesei, [y] Diodorum Siculum, aliosque. Tam hic autem Minos, quam alter, avus illius se à Jove procreatos fuisse gloriabantur, & alterutrius eorum sepulchrum diu in Creta fuit, in quo inscriptum erat, [z] Μίνωος τοῦ Διὸς τάφος, postea autem voce Μίνωος, è Marmore vetustate exesâ solum relictum fuit, τοῦ Διὸς τάφος, atque inde orta est opinio [a] Jovis sepulchrum apud Cretenses fuisse. Rhadamanthi filius erat [b] Thoas, [c] quo in Lemno regnante mulieres Lemniæ omnes viros suos & parentes occidere excepto solo Thoante, quem Hypsipyle filia absconditum servavit, & hinc pessima facinora per totam Græciam deinde [d] Lemnia dicebantur. Hypsipyle à Jasone, dum ad Colchidem navigabat, ad Lemnum appellente compressa peperit [e] Euneum, qui Lemniis tempore belli Trojani imperavit.

Dores, qui ad Macedones commigrabant, quamdiu cum illis habitabant [f] Μακεδνοὶ seu Macedones dicebantur, inde autem profecti Regionem, [g] quæ inter Phocidem & Oetæos montes sita est, occuparunt, ibique quatuor civitatibus Pindo scilicet, Erineo, Bœo, & Cytinio sibi conditis, antiquum recipientes nomen semetipsos iterum Dores & Regionem illam Tetrapolin

[f] Odyss. τ'. v. 179. [g] In Minoe & in primo libro de legibus. [h] Lib. 1. cap. 2. [i] Lib. 10. [k] Ad Homeri Odyss. τ'. v. 179. [m] Diodor. Sicul. lib. 4. Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 313. l. 13. [n] Diodor. Sic. lib. 4. [o] Epocha Marmorea 11. Apollonii Scholiastes. Strabo lib. 14. p. 634. Eustathius ad Homeri Il. β', pag. 313. [p] Apollodorus lib. 3. Pausanias in Achaicis. [q] Herodot. lib. 1. Diodorus Sicul. lib. 5. Strabo lib. 12. p. 573. Apollodorus lib. 3. Eustathius ad Homeri Iliad. β'. pag. 369. Pausanias Lib. 7. [r] Herodot. lib. 1. Diodor. Sic lib. 5. Strabo lib. 12. Eustathius ad Homeri Il. β'. pag 369. Stephanus in Λυκία. Pausanias lib. 1. [s] Diodorus Siculus lib. 5. [t] Diodor. ib. [u] Diodorus Siculus lib 5. [x] Thucydides lib. 1. Diodorus lib. 5. Plutarchus in vita Thesei. Strabo lib. 10. Aristot Politic. lib. 2. c. 8. Herodotus lib. 1. [y] Lib. 4. [z] Scholiastes Callimachi. [a] Cicero de Natura Deorum, lib. 3. Callimachus in Hymn. 1 in Jovem. v. 8. & Scholiastes illius. [b] Diodorus Siculus lib. 5. [c] Scholiastes Apollonii Rhodii, ad lib. 1. Apollodorus lib. 1. Eustathius ad Homeri Il. α. pag. 158. & ad Il. ι. pag. 980. Herodotus lib. 6. [d] Herodot. lib. 6. Eustathius ad Homeri Il. α. p 158. & ad Il. ι. pag. 980. [e] Homerus Il. η. ver. 468. & Il. ψ'. ver. 747. & Eustathius ad illa loca. Apollodorus lib. 1. [f] Herodot. lib. 1. De explicatione Herodoti vide Salmasium de lingua Hellenistica, part. 2. c. 1. [g] Herodot. lib. 1. Strabo lib. 8. & 9. Conon. apud Photium, narrat. 27.

Dorida appellabant. [h] Hic è Dori posteris Ægei & Thesei temporibus regnabat Ægimius, qui à Lapithis regno pulsus in auxilium vocavit Herculem, à quo in regnum iterum restitutus, ut ei pro tanto beneficio gratias referret, [i] Hyllum illius filium adoptavit, & cum filiis suis Pamphylo & Dymante regni hæredem constituit, in quod cum ille post Ægimii obitum cum iisdem æquali jure successisset, ab eo tempore Dores [l] in Hyllenses, Pamphylos, & Dymanes dividebantur, [m] quæ in omni postea Doricâ civitate tribuum nomina fuerunt, & Heraclidæ jure adoptionis Dores facti pro Doribus deinde semper reputati fuerunt. Heraclidæ autem erant Herculis filii, inter quos præcipui erant Hyllus, Antiochus, Tlepolemus, & Ctesippus. Hi post patris obitum sub Jolai tutelâ cum Lycimnii filiis & ceteris Herculis commilitonibus [n] Trachiniæ apud Ceycem regem aliquandiu manebant, cum autem adulti virile robur consecuti fuissent, Eurystheus Mycenarum Rex de iis sibi regnoque suo metuens eos totâ Græciâ pellere constituit, atque ideo Ceyci ceterisque Græciæ Regulis edixit, ne Heraclidis hospitium præberent iis bellum minitans, qui contra facerent, Heraclidæ igitur ceterâ Græciâ pulsi [o] ad Theseum Athenarum regem fugiebant, qui solus Eurysthei minas non timens supplices ob amicitiam, quam cum Hercule habuerat, & in hospitium & in agri partem recepit, & eorum gratiâ etiam bellum contra Eurystheum, qui Atticam eos inde expulsurus invaserat, cum Atheniensibus suis suscepit, quorum auxilio victis fugatique Mycenæis, [p] Hyllus Eurystheum è curru deturbatum occidit, fugatosque hostes in Peloponnesum [q] persequens multas ibi cepit civitates, sed inde peste & oraculi monitu iterum recedere coactus in Atticam rediit. Cum vero jam expulso Theseo [r] Menestheus regnum obtinuisset, illeque Heraclidas, ut quos Thesei partibus favere timuerat, in Attica non ferret, Hyllus inde etiam recedere compulsus cum omnibus suis in Doridem secessit, ibique in tertiam regni partem, quam ei Ægimius legaverat, succedens [s] Heraclidas Doribus conjunxit, quos cum in eandem gentem cum suis fecisset coalescere, eorum copiis adjutus ad bellum Peloponnesiacum quamvis Atheniensibus nudatus satis iterum fuit instructus. [t] Illud autem, quod ab oraculo Delphico monitus esset tertium fructum expectandum esse, triennium dici arbitratus per tres annos distulit, illis vero exactis reditum in Peloponnesum auxiliantibus [u] ei Pamphylo & Dymante Ægimii filiis iterum tentabat, sed cum Atreus Pelopis filius, qui, Eurystheo sine liberis defuncto, in Mycenarum regno successerat, cum magno exercitu in Isthmo Corinthiaco occurrisset, [x] Hyllo & Echemo Tegeatarum Regi bellum singulari certamine dirimendum committebatur iis conditionibus, ut si Hyllus vinceret, Heraclidæ Peloponnesum obtinerent, si vinceretur, per 50 annos reditum in illam iterum non tentarent, victo igitur occisoque Hyllo Heraclidæ in Doridem iterum redierunt, ibique cum Doribus sterilem istam & montanam regionem per centum annos, priusquam cum felici successu reditum iterum tentassent, dicuntur incoluisse. Tlepolemus autem unus ex Herculis filiis post occisum Hyllum cum proavunculo suo Lycimnio [y] ab Argivis receptus Argis habitabat, sed cum Lycimnium forte [z] occidisset inde iterum ob eam cædem fugere coactus exstructâ classe cum suis in Rhodum transiit, ubi cum invenisset incolas in duas factiones divisas contra semetipsos belligerantes, uni parti adjunxit suos, debellatâque alterâ ab iis, quibus auxilium tulerat, totius insulæ obti-

[h] Diodor. lib. 4. Apollodor. lib. 2. Strabo lib. 9. Stephanus Byzantinus in Δυμᾶν. [i] Iidem Autores ib. [l] Stephanus Byzantinus in Δυμᾶν. [m] Herodot. lib. 5. [n] Diodorus Sic. lib 4. Apollodorus lib 2. Pausan. l. 1. [o] Diod. & Apollodor. ib. Isocrates in Panegyrico, & in orat. ad Philippum, & in Helenæ encomio. Pausan. lib. 1. [p] Diod. Sic. lib 4. Apollodor. lib. 2. Thucydides lib. 1. Eustath. ad Homeri Il. β'. pag. 290. Pausan. lib. 1. pag. 61. & 84. Strabo lib. 8. Pindar. Pyth. 9. & Scholiast. illius. [q] Diodor. Sic. lib. 4. Apollodor. lib. 2. [r] Plutarch. in vita Thesei. Pausanias in Atticis. Eustathius ad Homeri Il. β'. [s] Pindarus Pyth. Od. 1. & Od. 5. Diodorus Sic. lib. 4. & Apollodorus lib. 2. Isocrates in Archidamo. [t] Apollodor. lib. 2. [u] Eustathius ad Homeri Odyss. α'. pag. 1644. [x] Herodot. lib. 9. Pausan. in Atticis, & Arcadicis. Diodorus lib. 4. Apollodorus lib. 2. [y] Diodor. lib 4. Apollodor. lib. 2. [z] Homeri Il β'. ver. 663. & Eustathius & Didymus ad illum versum. Apollodor. lib. 2. Diodor. lib. 4. Pindar. Olymp. Od 7. Strabo lib. 14.

nebat imperium, inde autem ad bellum Trojanum cum ceteris Græcis profectus [a] à Sarpedone interfectus fuisse dicitur. [b] Dores vero, quos ille in Rhodum secum abduxerat, ibi semper manebant Lindum, Jalysum, & Camirum incolentes, quibus circa 115 annos post Trojæ excidium alii se jungebant [c] Dores, ex iis qui in Atticam regnante Codro expeditionem suscipientes proposito istius regionis obtinendæ exciderunt, eorumque auxiliis Con insulam occupabant. Post Homeri deinde ætatem [d] Anthes è Trœzenia aliam in Asiam Doriensium eduxit coloniam, & in Chersoneso Rhodo viciná Cnidum, & Halicarnassum condidit, quæ cum aliis quatuor Doricis civitatibus Co scilicet, Lindo, Jalyso, & Camiro fœdus ineuntes cum iisdem in Asia [e] Doridem, Hexapolin constituebant, quæ postea exclusá à fœdere Halicarnasso Pentapolis vocabatur. E Lindo [f] Antiphemus & Lacius fratres circa Olympiadem 26 colonias eduxerunt, eorumque hic Phaselidem in Pamphylia, ille Gelam in Sicilia condidere. Hylli filius erat [g] Cleodæus, quo duce Heraclidæ exactis 50 annis, quibus ex pactis obligati erant à bello Peloponneso inferendo abstinere, tertio in avitam patriam reditum tentant, sed cum nondum venisset tertia post Hyllum ætas, quam Pythia per tertium fructum significabat expectandam, priusquam in Peloponnesum redirent, in hac expeditione non minus infelici successu, quam in duabus prioribus à Peloponnesiis victi repressique in Doridem amisso duce, [h] qui in prælio occubuit, iterum redierunt. Cleodæi filius erat [i] Aristomachus, qui, cum ei Pythia victoriam promisisset, si per viam στενυγρῶν rediret, quarti Heraclidarum in Peloponnesum descensus dux fuit, sed cum ille oraculum non recte intelligens per Isthmum Corinthiacum exercitum duxisset, eodem modo quo pater victis repulsisque suis in prælio occidebatur, Aristomachi autem filii [k] Temenus, Cresphontes, & Aristodemus tandem intelligentes per tertium fructum, quem Pythia dixit expectandum esse, priusquam Heraclidæ in Peloponnesum redirent, tertiam generationem, & per viam στενυγρῶν non terræ, sed maris Angustias significari, classem Naupacti in Ætoliá (quæ urbs [l] ἀπὸ ταύτης ναυπηγίας appellationem sortita est) fretum Corinthiacum transituri parabant, sed dum ibi manebant, quod Hippotes Phylantis filius Antiochi Herculis filii nepos Carnum vatem, qui futura prædicens Doriensium castra intraverat, putans magum esse ab hostibus in exercitus perniciem immissum [m] occidisset, pestis exercitum invadit; ab oraculo igitur edocti mali causam vatis cædam fuisse, Hippotem exilio damnant, & in vatis honorem festa [n] Carnia instituerunt, [o] quæ à Lacedæmoniis ceterisque Doribus in Peloponneso ab eo tempore Apollini, ut pro morte vatis placaretur, quotannis semper quam sanctissime fuerant celebrata. Cum jam parata esset classis Heraclidæ ab oraculo moniti, sibi [p] trioculum ducem constituendum esse, Oxylo Ætolo Thoantis, qui Ætolis in bello Trojano imperaverat, nepoti, quem unoculo equo insidentem obviam habuerant, exercitus imperium commisere, sub cujus auspiciis in Peloponnesum transeuntes, [q] circa 80 annos post Trojæ excidium Elidem, Argos, Messeniam, & Lacedæmonem expulsis Æolibus & Achæis, quorum hi in Joniam postea Achæam dictam duce Tisameno, illi in Asiam duce Penthilo Orestis filiis inde commigrarunt, occupavere, quibus inter Duces divisis [r] Oxylus Elidem, [s] Teminus

[a] Homerus Il. ζ. v. 659. [b] Herodot. lib. 1. Strabo lib. 14. [c] Strabo lib. 14. [d] Strabo lib. 8. pag. 374. & lib. 14. pag. 656. Pausanias lib. 2. pag. 142. [e] Herodotus lib. 1. [f] Eusebius in Chronicis. Pindari Scholiastes ad Olymp. 2. Athenæus lib. 8. Stephanus Byzantinus in Γέλα. Thucyd. lib. 6. [g] Apollodorus lib. 2. Herodot. lib 6. Suidas in Κλεοδαῖος. Ælian. Hist. Animal. lib. 12. c. 32. Tzetzes in Lycoph. Scholiastes Pindari ad Od. 7. Pausanias in Laconicis. [h] Eusebius præp. Evang. lib. 5. pag. 124. [i] Pausanias in Corinthiacis. Apollodor. lib. 2. Herodot. lib 6. Eusebius Præp. Evang. lib. 5. c. 20. [k] Apollodorus lib. 2. Pausan. lib. 2, 3, 4, 5, & 7. Velleius Paterculus lib. 1. Euseb. præp. Evang. lib. 5. c. 20. Thucydides lib. 1. Isocrates in Panathenaico. [l] Strabo lib. 9. p. 427. Stephanus in Ναύπακτος. [m] Apollodor. lib. 2. Eusebius lib. 5. cap. 20. Conon apud Photium narrat. 26. Pausanias lib. 3. [n] Suidas in Κάρνεια. [o] Athenæus lib. 4. & lib. 14. Ælianus var. Hist. lib. 12. c. 50. Anagraphe Olympiadum, cum Eusebianis edita ad Olymp. 26. [p] Pausan. lib. 5. Apollodor. lib. 2. Strabo lib. 8. [q] Clemens Alexand. Strom. lib. 1. Thucydides lib. 1. Velleius Paterculus lib. 1. Tatianus. [r] Pausan. in primo Eliacorum. Strabo lib. 8. Apollodor. lib. 2. [s] Pausan. lib. 2. Strabo lib. 8.

Argos, [t] Cresphontes Messeniam, & [v] Aristodemi filii Lacedæmonem obtinuerunt. [x] Aristodemus enim, dum Heraclidæ adhuc in Ætolia manebant, Delphis à Pyladæ filiis Tisameni consobrinis occidebatur, quod autem illi debebatur occupatâ Peloponneso filii obtinuerunt imperium.

Oxylum, qui Elidem obtinuit, non Dorem sed Æolem fuisse ab Ætolo Æoli nepote ortum [y] supra diximus: [z] quicunque postea in Elide regnabant, ex Oxyli posteris fuerunt, inter quos insignissimus fuit Iphitus, qui circ 274 annos post Heraclidarum discensum Ludos Olympiacos instauravit.

Temenus, qui Heraclidarum primus Argis regnavit, [a] præter Cisum, Phalcem, aliosque filios unam habuit filiam Hyrnethonem, quam cum Deiphonti Ctesippi Herculis filii pronepoti in uxorem dedisset, eoque ob prudentiam illius in bellis Duce, & in omnibus rebus consiliario usus fuisset, filiorum odium incurrit, & ab iisdem tandem, cum timerent ne in Deiphontem etiam regnum transferret, interficitur. Deiphontes igitur cum Hyrnethone uxore suisque fautoribus relictis Argis regionem circa Epidaurum occupavit, [b] illiusque urbis & Æginæ insulæ primus Dorum obtinuit imperium. Phalces secundus Temini filius nocturno impetu [c] Sicyonem occupavit, imperioque illius urbis cum Lacestade Legitimo rege (quem, quod Heraclida fuerat à Phæsto Herculis filio ortus, nec urbe nec regno expulerat) communicato, ibi regnavit, introductisque dialecto & moribus Doricis Sicyonios pro Doribus primo fecit reputari. Hujus filius [d] Rhegnidas apud Phliasios regnum obtinuisse dicitur expulso Hippaso, qui inde cum suis fratoribus profugiens in Samum transiens ibi genuit [e] Euphronem patrem Mnesarchi, qui Pythagoram celeberrimum illum Samium Philosophum dicitur genuisse: sed Diogenes Laertius dicit [f] Cleonium fuisse, qui Phliunte profugit, & Cleonii filium fuisse Euthyphronem, Euthyphronis vero Hippasum, & Hippasi Marmacum, ab eoque genitum fuisse Pythagoram. Secundum utramque genealogiam Pythagoras Numæ Pompilio Romanorum regi, cujus [g] præceptor dicitur fuisse, poterat esse coævus; secundum alios vero, qui illum [h] Polycratis Samiorum Tyranni, [i] & Servii Tullii Romanorum Regis temporibus volunt floruisse, circa 200 annos fuit recentior. Cisus, qui Temeni filius natu maximus erat, [l] post patrem Argis regnavit, cujus filius erat [m] Althæmenes, [n] qui regnante Codro Dores in Atticam duxerat: [o] sed cum morte Codri, quo occiso Athenienses non posse vinci Pythia prædixerat, spe illius regionis obtinendæ omnino excidisset, [p] Megaridem occupat, eamque dirutis illis columnis, quæ usque ad hoc tempus in Isthmo Corinthiaco positæ [q] in scriptum habuerant, eo usque Ioniam seu Atticam pertigisse, Doribus suis tradidit incolendam, inter quos cum captum agrum divisisset, ipse Nicææ paratâ classe cum aliâ exercitus parte in Cretam solvit, ibique decem civitates [r] condidit, totiusque insulæ obtinuit imperium. [s] Post Cisum usque ad tertiam aut quartam generationem Argis regnabant Temenidæ; ab Argivis vero sic in ordinem redigebantur, ut omni autoritate regiâ exuti vix umbram illius retinebant: tandem vero Melta ultimo Timenidarum deposito damnatoque ipsum etiam nomen Regis Argis abolitum fuit, donec Phidon [u] decimus ab Hercule sextus à Temeno illud vi & armis iterum resumsit, [x] qui Argis multisque aliis Græciæ civitatibxs occupatis, tum ob potentiam suam, tum ob nummum argenteum, [y] ab eo circa 120 annos ante Olympiadum initium primo in Græcia ex-

[t] Pausanias in Messenicis, & Laconicis. Strabo lib. 8. Apollodor. lib. 2. [v] Pausan. & Strabo ib. Apollodorus lib 2. Herodot. lib. 6. [x] Pausanias in Laconicis. Apollodorus lib. 2. [y] Ad Ep. 5. [z] Pausanias in primo Eliacorum. [a] Pausanias lib. 2. Apollodorus lib. 2. [b] Pausanias lib. 2. & Apollodorus lib. 2. [c] Pausanias lib. 2. [d] Pausan. ib. [e] Pausan. lib. 2. [f] In vita Pythagoræ. [g] Plutarchus in Numa. Dionys. Hal. lib. 2. Liv. Dec. 1. lib. 1. [h] Dionys. Laertius in vita Pythagoræ. [i] Dionys. Hal. lib. 2. Livius Dec. 1. lib. 1. [l] Pausanias l. 2. [m] Strabo lib. 10. [n] Strabo lib. 10. & 14. [o] Justin. lib. 2. cap. 6. Herodot. l. 6. Strabo lib. 9. Paterculus lib. 1. Cicero Tusc. Quæst. 1. Pausanias lib. 1. & 7. [p] Pausanias lib. 1. Strabo lib. 9. [q] Plutarchus in Theseo. Pausan. lib. 1. Strabo lib. 3. p. 171. & lib. 9 pag. 392. [r]. Strabo lib. 10. & 14. [s] Pausan. lib. 2. [v] Ep. Marm. 31. [x] Strabo lib. 8. Herodot. lib. 6. Scholiast. Pindari, Olymp. 13. Pausan. in secundo Eliacorum. [y] Euseb. in Chron. Epocha Marm. 31. Strabo lib. 8. Pindar. Olymp. 13. & Scholiastes illius. Ælian. var. Hist. lib. 12. cap. 10.

cusum fuit omnium Græcorum sui temporis insignissimus. Phidonis frater erat [z] Caranus, qui ex Argis educto exercitu [a] Macedoniam occupabat, primaq; illius potentissimi Macedonum imperii posuit fundamenta, à quo magnus Alexander [b] cum fuerit septimus decimus, jure materni generis Achille autore paterni Hercule gloriatus est. Cresphontes, [c] qui Messeniæ regnum obtinuit, postquam illud non diu tenuerat, quod plebis nimis studiosus esset, ab optimatibus cum omnibus filiis excepto Æpyto interficitur, & Polyphontes conjuratorum princeps imperio præficitur. Æpytus autem, quod apud Cypselum Arcadiæ regem avum maternum suum puer adhuc educaretur, cladem evasit, & cum ad virilem ætatem adolevisset, auxiliantibus ei Arcadibus, Lacedæmoniis, & Argivis regnum paternum iterum recuperavit, quod cum optime administrasset, omnes, qui post illum in Messenia regnarunt, in ejus honorem Æpytidæ dicebantur. Æpyti filius & successor erat Glaucus, Glauci Isthmius, Isthmii Dotadas, Dotadæ Sybotas, Sybotæ Phintas, Phintæ successerunt filii illius Antiochus & Androches, post illos regnum adiit Euphaes Antiochi filius anno secundo Olympiadis nonæ, quo anno circa 387 annos post Heraclidarum descensum incepit [d] primum bellum Messenicum cum Lacedæmoniis, quod Euphaes usque ad decimum quartum regni annum quam fortissime gessit, tum vero illo sine filiis in prælio defuncto, regnum obtinuit Aristodemus ex Æpyti posteris, qui cum patriam à ruina vindicare non poterat prævalentibus Lacedæmoniis, semetipsum occidit, postquam regnaverat annos sex, & Messenii deinde per 39 annos victoribus servi fuerunt, illis autem exactis anno quarto tertiæ & vicessimæ Olympiadis [e] bellum pro libertate iterum renovarunt, quod per annos octodecim duce Aristomene summâ cum fortitudine & felici sæpe successu usque ad annum primum 28 Olympiadis gesserunt, tunc autem iterum victi & in graviorem servitutem redacti per multos deinde annos, eodem modo quo Helotæ, inter publicos Lacedæmoniorum servos numerati fuerunt. Qui vero exilium tum gravi servituti præferebant, ad Anaxilam Rhegii Tyrannum, cujus proavus [f] Alcidamidas circa initium primi belli Messenici, cum per seditionem Messeniâ expulsus fuisset, Messeniorum & Chalcidensium coloniam in Italiam ducens istius urbis primus conditor fuit, duce Gorgo Aristomenis filio transeuntes istius auxilio victis Zanclæis eorum urbem anno primo Olympiadis vicessimæ nonæ occuparunt, eamque ob falcis, quam habuerat, similitudinem [g] prius Zanclen dictam à nomine Regionis, è qua expulsi fuerunt, deinde [h] Messenen appellarunt. De tertio bello Messenico; & quomodo Messeni eo iterum victi patria expulsi fuerunt, ab eâque omnes per multos annos exularunt, donec à Thebanis iterum reducti fuerunt, legas [i] Xenophontem, [l] Diodorum Siculum, [m] aliosque. Eurysthenes & Procles Aristodemi filii, qui post Heraclidarum descensum Lacedæmonem obtinuerunt, [n] quod gemini essent, & forma adeo simillimi, ut à se invicem distingui non poterant, oraculo Delphico jubente ibi utrique æquali jure simul regnabant, ab iisque duæ Regiæ familiæ, è quibus bini Reges erant, qui Lacedæmone simul regnabant, originem habuerunt. [o] Cum autem hi fratres impuberes adhuc essent, cum Haraclidæ Peloponnesum occupassent, Theræ Thebano Autesionis filio Tisameni nepoti Thersandri Polynicis filii pronepoti, è cujus sorore Augeâ nati fuerunt, eorum tutela committebatur; illis autem adultis Theras, qui tam diu regni administratio-

[z] Euseb. in Chronicis. [a] Euseb. ib. Paterculus lib. 1. Suidas in Κάρανος. Julius Solinus cap. 15. Julianus Imp. in Encomio Eusebiæ Imperatricis. Justin. lib. 7. Pausan. in fine lib. 9. [b] Velleius Paterculus lib. 1. [c] Pausanias in Messenicis. Apollodor. lib. 2. [d] Strabo lib. 6. & lib. 8. Pausan. in Messenicis, & Laconicis. Justinus lib. 8. Orosius lib. 1. cap. 21. [e] Pausanias in Messenicis. Justinus lib. 3. [f] Strabo lib. 6. pag. 257. Pausanias in Messenicis. [g] Siculi enim falcem ζάγκλον vocabant. Thucydides lib 6. Eustath. ad Homeri Odyss. μ'. p. 1716. [h] Pausanias in Messenicis. Strabo lib. 6. Eustath. ad Homeri Il. β'. pag. 294. & 295. & ad Odyss. μ'. p. 1716. & in Scholiis ad Dionys. Περιήγησιν v. 411. Herodot. lib. 7. [i] Lib. 7. [l] Lib. 11. & 15. [m] Justinus lib. 3. cap. 6. Thucydides lib. 1. Plutarchus in Cimone & Pelopida. Isocrates in Archidamo, &c. [n] Herodotus lib. 6. Pausanias in Laconicis. [o] Herodotus lib. 4. Pausanias in Laconicis.

nem habuerat, aliis parere nesciens [p] coloniam è Lacedæmoniis & Minyis, qui à Pelasgis Atticâ expulsis Lemno ejecti Lacedæmonem venerunt, in Callistem insulam duxit, in eaque sibi regnum condidit, & tam colonis suis, quam antiquis insulæ incolis, qui Cadmei fuerant, imperans eam deinde à suo nomine Theram appellavit. Ex hujus Theræ posteris erat Battus, [q] qui Oraculi Delphici monitu educta è Thera coloniâ [r] Olympiade primâ & quadrigessimâ 513 annos post Heraclidarum descensum, paulo ante initium captivitatis Babylonicæ Cyrenas in Lybia primus condidit, [s] quæ urbs postea illuc ex omni Græcia novis colonis confluentibus in tantum crevit, ut Cyrenæi tandem ipsis Ægyptiis divitiis fere æquales, bello sæpe superiores evasere. Ex ipsa autem Lacedæmone duæ tantum coloniæ felici cum successu unquam educebantur, quorum primæ dux erat Phalanthus, [t] qui Parthenias, eos scilicet, qui tempore primi belli Messenici [u] promiscuo concubitu nascebantur, cum ob originis ignominiam Lacedæmone non sustinuissent diutius manere, in Italiam duxit, ibique Tarentum expulsis Peucetiis occupans illam civitatem iis tradidit incolendam, à quibus sic munita & amplificata fuit, ut inter celeberrimas Italiæ urbes deinde cæperit numerari. Secundam coloniam, [x] quæ ex 3000 Lacedæmoniis & 6000 Peloponnesiis constabat, [y] voto vere sacro, anno sexto belli Peloponnesiaci Trachiniam transtulerunt, eamque civitatem, quæ tum in ruderibus jacebat, de novo conditam Heracleam deinde appellarunt. Ver sacrum erat, [z] quando aliquis populus omnem unius anni proventum deo vovens eidem pecudes in eo natas immolando, liberos, cum adoleverint, in coloniam emittendo consecrabat, atque ideo de Gallis dicit [*] Justinus, quod trecenta millia hominum ad novas sedes quærendas, velut ver sacrum, miserunt.

Non diu postquam Heraclidæ Peloponnesum obtinuerant [a] Aletes Hippotæ illius filius, qui ob cædem vatis Carni exulaverat, victis Sisyphidis Corinthum occupavit, in eamq; introducens Dores suos promoto pomœrio sic auxit, ut pro Corinthi [b] conditore à nonnullis habeatur, tantamque adeptus est potentiam, & tam firmiter regnum suum stabilivit, ut ille posterique illius usque ad annum tertium tricesimæ Olympiadis, quo Cypselus Tyrannidem invasit, [c] per 444 annos Corinthi semper regnarunt. Quartus ex Aletæ posteris, qui Corinthi regnabat, erat [d] Bacchis, à quo, cum magnâ adeptâ potentiâ majoribus suis valde illustrior evasisset, Corinthi reges, qui post illum regnabant, & posteri illorum neglecto Heraclidarum nomine deinde Bacchiadæ dicebantur. Ultimus Bacchiadarum regnabat Telestes [e] cujus regni anno quinto [f] Corinthi primum ex omni Græciâ Trieres fuerunt ædificatæ. Teleste vero altero ante Olympiadum initium anno [g] à gentilibus suis occiso, plures deinde Bacchiadæ numero ducenti pro Regimine monarchico Aristocraticum introducentes æquali autoritate rempublicam administrabant, electoque quotannis Prytane è Bacchiadarum familia, qui, eodem modo quo Archon Athenis, senatui & judiciis præsideret, multo sævius quam Reges Corinthiis per annos 121 imperarunt. Anno vigesimo primo postquam hi imperium adepti fuerant, [h] Archias Euageti filius, qui secundum nostrum

[p] Herodotus lib. 4. Pausanias in Laconicis in initio. Strabo lib. 8. Apollonius Rhodius lib. 4. ver. 1760, & seq. & Scholiastes illius ad illud locum. [q] Herodotus lib. 4. Solinus cap. 30. Salustius Jugurth. cap. 19. Heraclides de Polit. Justin. lib. 13. Eustathius ad Dionysii περιηγήσεως, ver. 213. Pausan. lib. 3, & 10. Pindar. Pyth. 5. Strabo lib. 1. & 17. Apollonius Rhodius lib. 4. ver. 1760. & seq. & Scholiastes illius ad illum locum. [r] Solinus cap. 30. [s] Herodot. lib. 4. [t] Justin. lib. 3. Strabo lib. 6. Pausanias in Phocicis. Servius ad Virgilii. Æneid. lib. 3. [u] Justin. lib. 3. Strabo lib. 6. Eustathius ad Dionysii περιηγήσεως. Suidas & Hesychius in Παρθενίαι. Servius ad Virgilii Æneid. lib. 3. Lactantius autem Historiam de Partheniis aliter narrat. lib. 1. c. 20. [x] Thucydides lib. 3. Diodorus Siculus lib. 1. Strabo lib. 9. [y] Eusebius in Chronicis. [z] Dionysius Hal. lib. 1. & 2. Livius lib. 22, & 34. Plinius lib. 3. Strabo lib. 5. [*] Lib. 24. [a] Pausanias in Corinthiacis. Pindari Scholiastes ad Nem. 7. Conon apud Photium, narrat. 26. Syncellus pag. 179. Velleius Paterculus l. 1. [b] Velleius Paterculus ib. [c] Vide Eusebium & Syncellum. [d] Eusebius in Chronicis. Syncellus ex Diodoro, pag. 179. Pausanias in Corinthiacis. [e] Eusebius in Chronicis. [f] Thucydides lib. 1. de qua re lege notas Scaligeri ad Eusebii Chronica, pag. 66. [g] Diodor. Sic. apud Syncellum, pag. 179 & Eusebii Chronica. Pausanias in Corinthiacis. [h] Epocha Marmor. 32. Thucydides l. 6. & 8. Pausanias lib. 5. Scholiast. Pindari ad Pyth. 2. Plutarch. in narrat. Amatoriis.

Chro-

Chronographum decimus à Temeno Argivorum rege, secundum alios vero à Bacchiadarum familia fuit, ob cædem Actæonis pueri venustissimi, quem vim ei inferre tentans occidisset, Corintho jubente oraculo Delphico coactus exulare, educto secum magno exercitu primo [k] Corcyram insulam Thesprotiæ vicinam [l] prius Phæaciam & Scheriam dictam expulsis Liburnis occupavit, eamque colonis suis tradidit incolendam, qui ibi quamvis Corinthiis primo subditi fuissent maxime [m] sub Cypseli & Periandri imperio, tantam tamen postea præsertim in mari adepti sunt potentiam, ut [n] circa initium belli Peloponnesiaci, cui illi originem præbuerunt, ipsis Corinthiis multo superiores evaserunt. Archias autem Corcyræ non diu mansit, sed coloniæ regimine [o] Chersocrati Heraclidæ tradito, ipse Oraculi Delphici monitu inde in Siciliam solvit, expulsisque Siculis sub idem tempus, quo Megara & Naxus in eadem insula conditæ fuerunt, anno tertio quintæ Olympiadis, qui vicesimus primus annus erat regni Æschyli Athenis, & sextus ante jacta Romæ fundamenta [p] Syracusas condidit, duasque ibi genuit filias [q] Ortygiam & Syracusam dictas, quarum hæc urbi, illa insulæ urbi vicinæ nomina dederunt. Syracusæ autem ab Archia conditæ sic brevi creverunt, ut regnantibus ibi Gelone & Hierone, [r] opinione Scaligeri omnium non tantum Siciliæ, sed totius etiam Europæ urbium longe maximæ fuerunt, multisque aliis urbibus tum in Sicilia, tum in magna Græcia præbuerunt originem. Cum autem Aristocratia Corinthi à Bacchiadis constituta usque ad annum tertium trigesimæ Olympiadis durasset, Cypselus Eetionis filius [s] abolito eo Regimine Tyrannidem invasit. Bacchiadis igitur Corintho pulsis & in varias Græciæ partes profugientibus, [t] Damaratus, qui inter eos & divitiis, & honore valde excelluit, in Italiam decedens inter Tarquinios in Etruria habitabat, ibique genuit Lucium Tarquinium, qui post Ancum Martium Romæ regnavit. Quomodo Cypselus & filius illius Periander Tyrannidem Corinthi exercuerunt narrat [u] Herodotus. Post Cypseli autem & Periandri obitum, qui utrique 74 annos regnarunt, Corinthi deinde eodem modo quo in ceteris Græciæ urbibus Regimen penes plebem fuit.

Corintho vicina erat Megara, quam Doricam civitatem fuisse ab Althæmene Temeni nepote post Codri obitum primo occupatam, supra diximus. Hæc cum postea potentia crevisset, [x] Chalcedoni & [y] Byzantio ad ripas Hellesponti conditis, & [z] Megaræ aliisque in Sicilia urbibus originem præbuisse perhibetur.

Tertius Hellenis filius erat [a] Xuthus, qui, quod [b] paternos Thesauros depeculatus esset, à fratribus Thessaliâ pulsus, [c] cum fautoribus suis in Atticam commigravit, ubi cum Erichtheo Atticæ regi [d] contra Chalcidenses Eubœæ incolas belligeranti auxilia tulisset, illiusque virtute insignis parta esset victoria, [e] regionem quæ postea (cum in ea Oenoën, Marathonem, Probalynthum, & Tricorythum condidisset) Tetrapolis vocabatur, in præmium fortitudinis allatique auxilii accepit, & dignus insuper habitus, qui Regis gener esset, [f] Creusam illius filiam duxit, ex eaque genuit [g] Ionem & Achæum, quorum

[k] Scholiast. Apollonii Rhodii ad lib. 4. ver. 1212. Strabo lib. 6. [l] Strabo ib. Eustath. ad Dionys. περιήγησιν, ad ver. 494. [m] Herodot. lib. 3. [n] Thucydides lib. 1. Diodorus Siculus lib. 12, & 13. [o] Strabo lib. 6. Scholiastes Apollonii ad lib. 4. v. 1212. [p] Thucydides lib. 6. Cron. Marm. Ep. 32. Strabo lib. 6. Pausanias lib. 5. Scholiastes Pindari ad Pyth. 2. Plutarch. in narrationibus amatoriis. [q] Plutarch. ib. [r] In notis ad Eusebiana. [s] Diodor. apud Syncellum pag. 179. Eusebius in Chronicis. Herodot. lib. 5. Pausanias in Corinthiacis. [t] Dionys. Hal. lib. 3. Liv. lib. 1. [u] Lib. 1. 3 & 5. [x] Strabo lib. 12. Pomponius Mela. lib. 1. [y] Marcianus in περιηγήσει, & Eustathius ad Dionysii περιήγησιν, ver. 804. [z] Thucydides lib. 6. Strabo lib. 6. [a] Pausanias in Achaicis. Apollodor. lib. 1. Conon apud Photium narrat. 27. Strabo lib. 8. pag. 383. Pausanias in Achaicis. [c] Strabo lib. 13. Pausanias in Atticis & Achaicis. Apollodor. lib. 1. [d] Euripides in Ione. [e] Strabo lib. 8. Pausanias in Atticis. Conon apud Photium, narrat. 27. [f] Euripides in Ione. Vitruvius lib. 4. c. 1. Pausan. lib. 1. & 7. Scholiastes Aristophanis ad aves. Harpocration in Ἀπόλλων πατρῷος. Strabo lib. 8. Aurelius victor de origine gentis Romanæ. Conon apud Photium, narrat. 27. [g] Pausan. lib. 1. & 7. Strabo lib. 8. Euripides in Ione. Herodot. lib. 7. Eustathius ad Dionys. ver. 423. & 822.

Ione, cum vir fortissimus esset, Erichtheus in omnibus bellis duce utebatur, præsertim in eo, quod contra Eumolpum & Eleusinios gessit, cui [h] cum Ion insignissimâ partâ victoriâ ipsoque Eumolpo occiso finem felicissime posuisset, tantam deinde consecutus est apud Atticos potentiam, ut defuncto Erichtheo, qui in bello contra Immaradum Eumolpi filium [i] occubuit, totius regni [l] administrationem adeptus, mutatâ gentis appellatione [m] Atticos deinde à suo nomine Iones, & regionem à Sunio promontorio usque ad Isthmum Corinthiacum Ioniam jussit appellari. Et hinc Ionum nomen & origo; & non à Javan, ut sciolis & dilirantibus potius placet. Postea autem Ion ab Erichthei filiis [n] Atticâ exactus cum patre Xutho & fratre Achæo in Peloponnesum commigravit, ibique ductâ Helice filiâ Salinuntis Ægialiæ Regis ab eo in agri partem accipiebatur, in eaque, quâ donatus erat, Regione urbem Helicem ab uxoris nomine sic dictam condidit, quæ, [o] priusquam anno quarto centesimæ primæ Olympiadis miraculoso eo, qui totam Peloponnesum concusserat, terræmotu destrueretur, maxima inter omnes Achaiæ urbes habebatur; in qua cum Ion, ut pote omnibus administrandæ reipublicæ & gerendi belli artibus instructus, potentiâ maxime crevisset, ab eo deinde [p] illa etiam Regio, quæ prius Ægialia, postea Achæa, usque ad Heraclidarum descensum Ionia dicebatur. Achæus autem Ionis frater, acceptis ab Ione & Atheniensibus auxiliis [q] Thessaliam invasit, ibique post Æolum regnum Phthiotidis obtinuit, ab eoque illa Regio [r] Achaia etiam & incolæ Achæi dicebantur. Filii autem illius [s] Archander & Architeles ab Æolidis iterum pulsi in Peloponnesum redierunt, quorum cum alter Argis, alter Lacedæmone habitasset, tantam in iis urbibus adepti sunt potentiam, ut utriusque incolæ ab iis deinde [t] Achæi seu Achivi dicerentur, eoque nomine apud Homerum plerumque vocantur. Eos enim Danai filias duxisse, (ut tradit Pausanias) cum Danaus in Græciam venisset cum filiabus suis [u] circa 140 annos ante Erichthei obitum, qui Achæi avus fuerat, omnino prohibet temporis ratio. Sed cum Argos & Lacedæmon ab Heraclidis occuparentur, expulsi ab illis civitatibus [x] Achæi in Ioniam duce Tisameno Orestis filio commigrarunt, eamque regionem & duodecim illius civitates, pulsis in Atticam Ionibus, occupantes illam deinde, abolito Ioniæ nomine, Achaiam appellarunt, ibique nunquam iterum mutatis sedibus primo sub Tisameni nepotum postea vero sub Strategi, [y] quem quotannis eligebant, imperio semper habitabant; auctique deinde divitiis, potentiâ, & multitudine incolarum duabus celeberrimis in Italia civitatibus Crotoni scilicet & Sybari, eodem tempore, quo Archias Syracusas condidit, præbuerunt originem. [z] Myscellus enim Achæorum coloniæ dux, & Archias eodem tempore ad consulendum de novis sedibus oraculum Delphos venerunt, ubi cum datâ optione Myscellus urbem saluberrimam, Archias ditissimam elegissent, Pythiæ monitu hic ditissimas Syracusas, ille saluberrimam Crotonem condidere. Conditâ autem Crotone Myscellus cum parte Coloniæ emisit [a] Iseliceum, qui Sybarin condidit, quæ utræque urbes sic brevi creverunt, ut ducentis & decim annis postquam conditæ fuerant, [b] Sybaritæ contra Crotoniatas belligerantes, quamvis trecenta militum millia in aciem produxissent, hostes tamen viribus tanto superiores habuerunt, ut ab iis prælio victi amissâ deletâque urbe omnino interiere.

[c] Iones autem, qui ab Achæis pulsi ad Athenienses commigrarunt, ab iis

[h] Harpocration in Βενδίδεια. Aristides in Eleusinia. Strabo lib. 8. Pausanias lib. 1. [i] Pausanias ib. [l] Conon apud Photium, nar. 27. Vitruvius lib. 4. c. 1. Strabo lib. 8. [m] Eustathius ad Dionysii περιήγησιν. ad v. 423. & v. 822. Strabo lib. 8. Pausanias lib. 1. Herodot. lib. 8. [n] Pausan. in Achaicis. [o] Diodorus Siculus lib. 15. [p] Pausan. in Achaicis. Herodot. lib. 1. & 7. Diodor. Sic. lib. 15. Strabo lib. 8. p. 383. & alibi. [q] Pausan. lib. 7. Didymus ad Homeri Il. α. v. 2. [r] Eustathius ad Homeri Il. β'. v. 321. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 1. v. 243. Didymus ad Homeri Il. α. ver. 2. [s] Pausanias lib. 7. [t] Pausan. ib. [u] Compara Eusebii Chronica, & Chronicon Marmoreum. [x] Pausanias lib 7. Strabo lib. 8. [y] Vide Polybium & Plutarchum in vitis Arati & Philopœmenis. [z] Strabo lib. 6. pag. 269. [a] Strabo lib. 6. [b] Diodorus Siculus lib. 12. Herodot. lib. 5. Eustathius in Scholiis ad Dionysii περιήγησιν, ad ver. 373. Ælian. de animalibus, lib. 16. c. 23. Athenæus lib. 7. [c] Pausan. lib. 7. Strabo lib. 3. p. 171.

ob

ob cognationem in agri partem, & in jus civitatis accepti ibi per 50 annos permansere iis, autem exactis, [d] Neleus Codri filius, qui Medonte fratre, quod claudus esset, deposito regnum invaserat, jubente oraculo Delphico illud iterum abdicare coactus 130 annos post Trojæ excidium, ductis secum Ionibus & ex aliis Græciæ gentibus non paucis, cum ceteris fratribus, qui multi fuerunt, in Asiam transiit, expulsisque Lelegibus, Pelasgis, & Caribus, eam Regionem, quæ à novis incolis Ionia deinde dicebatur, occupavit, suisq; tradidit incolendam, qui duodecim illius civitates incolentes beneficio maris, cui vicini fuerant, sic brevi creverunt, ut omnes etiam [e] maris Ægæi insulas, multasq; alias & in Thraciâ & in Asiâ maritimas regiones cum Atheniensibus, quorum plerumque socii fuerunt, totiusque maris imperium obtinuerunt; ob quod, & mercaturam, quam cum Phœnicibus & Ægyptiis exercuerunt, cum præ omnibus aliis Græcis orientalibus maxime noti fuissent, inde obtinuit, ut ab omnibus illis tota Græcia [f] Ionia & incolæ Iones, eodem modo quo ab iisdem Europæi occidentales omnes Franci, quod ea gens ob bellum sacrum in oriente gestum illis præ ceteris occidentalibus innotesceret, usque ad hunc diem appellantur. Græcorum enim Gens, apud Arabes, & Persas يوناني & Græcus apud Chaldæos, & Rabbinicos יואני & apud Syros ܝܘܢܝܐ appellantur; Quod notat Scholiastes Aristophanis ad Acharnenses. Totam Ionicæ migrationis Historiam satis prolixam habes apud Pausaniam in Achaicis, de qua etiam consulas [f] Strabonem, & Herodotum. [g] Una è duodecim Ioniæ civitatibus erat Phocæa, cujus incolæ post victum à Cyro Crœsum à Persis patriâ pulsi Veliæ in Italia, & Massiliæ in Gallia conditores fuere.

E Græcis igitur Thessali, ceterique omnes [h] extra Isthmum Corinthiacum habitantes (exceptis Atheniensibus, Megarensibus, & Doridis Tetrapoleæ incolis) Æolidis Asianæ incolæ, & è Peloponnesiis Elei & Achæi Æoles fuerunt. Quamvis enim Achæi ab Æolo originem non habuissent, cum tamen Æolica dialecto utpote è Thessalia in Peloponnesum profecti uterentur, Æolibus etiam annumerati fuere. Qui Atticam, Eubœam, Ioniam Asianam, omnesque maris Ægæi insulas, & Thraciæ maritima incolebant, Iones erant. Ceteri autem omnes Græci nominis pro Doribus reputati fuere. Dialectus primo apud omnes, quamdiu in Thessalia habitabant, una erat, postea vero in Æolicam & Ionicam, & Ionica rursus Ionicam, & Atticam; & Æolica, in Æolicam, Bœoticam, & Doricam dividebantur. [i] Ionica enim & Attica, & tres hæ Æolica, Bœotica, & Dorica eædem antiquitus dialecti fuerunt. Hactenus de primis originibus omnium Græcarum gentium, & insigniorum urbium egimus: quibus explicatis, cum hæc sola ob obscuram antiquitatem aliquid difficultatis habeant, non omnino opus erit ut in ceteris simus prolixi.

Ep. 7. Ἀφ' οὗ Κάδμος ὁ Ἀγήνορος εἰς Θήβας ἀφίκετο .... ἔκτισε τὴν Καδμείαν ἔτη ΧΗΗΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. In Lacuna bene ponit Palmerius, κατὰ χρησμὸν καὶ, atque ideo legendum est εἰς Θήβας ἀφίκετο κατὰ Χρησμὸν, καὶ ἔκτισε τὴν Καδμείαν. [l] Dicunt enim Græci Cadmum ab oraculo Delphico, quod de nova condenda urbe consuluerat, jussum vaccam in utroq; latere habentem signum candidum circulo plenilunii simile, cum in Bœotiam venisset, itineris ducem habere, eo in loco, quo ea defessa primo procubuit, Thebas condidisse. Sed maculam illam candidam in speciem Lunæ superstitionem Ægyptiacam in cultu [m] Apidis denotare, & Cadmum non tam ex oraculo Delphico, quam è patria religione tanta superstitione hanc bovem

[d] Pausanias in Achaicis. Strabo lib. 14. Ælian. var. Hist. lib. 8. c. 5. Herodot. lib. 9. Ammianus Marcellinus, lib. 22. & 28. Harpocratian. in Ἐρυθρά. Tertullian. de Pallio. [e] Herodot. lib. 1, & alibi. Strabo lib. 10. Thucydides lib. 1, & alibi. Plutarch. in vitis Themistoclis. Aristidis, Cimonis, & Periclis. [f] Lib. 14. [g] Herodot. lib. 1. Justin. lib. 43. Athenæus lib. 13. Solinus cap. 8. Pomponius Mela, lib. 2. c. 5. Strabo lib. 6. Isocrates in Archidamo. Ammianus Marcellinus, lib. 15. [h] Strabo lib. 8. [i] Strabo lib. 8 in initio. [l] Pausanias lib. 9. Apollodor. lib. 3. Aristophanis Scholiastes ad Ranas. [m] De Apide vidè Seldeni de diis Syris Sytagma. 1. c. 4. & Domini Johannis Marshami Canonem Chronicon. pag 59.

observasse multo verisimilius videtur. Cadmus enim Ægyptius fuit, qui tamen è Græcia etiam habuit originem, [o] Io enim Jasii Argivi filia erat, quæ ab Ægyptiis rapta Osiridi Ægyptiorum regi nupta fuit, eademque est, quam Ægyptii [*] Isidem vocabant, hujus filius erat [p] Epaphus, qui genuit Libyam matrem Agenoris & Beli, [q] quorum hic Danai & Ægypti, ille Phœnicis, Thasi, Cilicis, & Cadmi patres fuere. [r] Agenore autem & filiis Ægypto aut exactis, aut ultro ad quærendas novas sedes decedentibus, [s] Phœnix & Agenor Phœniciam, [t] Cilix Ciliciam, & Thasus [u] Thasum insulam & vicina Thraciæ maritima occuparunt. [x] Cadmus vero in Bœotiam venit, victisque Hyantibus & Aonibus in eorum regione anno Epochæ Marmoriæ 1255. qui est annus 50 ætatis Mosis Cadmeam condidit. Hyantes igitur Bœotiâ expulsi Hyampolin in Phocide condidere. Aones autem supplices & deprecantes à Cadmo manere permissi sunt, & cum alios sibi adjungentes Bœotos circa Cadmeam habitassent, eamq; multum auxissent, Cadmus promoto pomærio urbem suam novo muro muniebat, totamque eam à nomine Thebarum in Ægypto, unde profectus fuerat, Thebas appellavit, & Cadmea deinde Thebis, eodem modo quo Cecropia Athenis, pro arce tantum habebatur. Quæ de Cadmo ad quærendam Europam misso narrantur, omnia fabulæ sunt, secundum enim nostrum marmor Cadmus Helleni & Doro coævus erat, Asterius autem Cretæ Rex, qui Europam rapuit & duxit, Dori nepos fuit, multo igitur veriora dicere videntur, qui Europam non Agenoris, [y] sed Phœnicis filiam volunt fuisse. Plura de Cadmo & de iis quæ post Cadmum Thebis regnarunt legas apud Pausaniam in Bœoticis, Apollodorum lib. 3, Diodorum Siculum lib. 4, Eustathium ad Homeri Il. β'. pag. 269, Johannem Antiochenum MS. in Bibliotheca Bodlianâ non longe ab initio, Chronicon Alexandrinum, & Cedrenum lib. 1. Maxime autem celebratur Cadmus ob literas ab eo in Græciam primo allatas, de iis lege ex antiquioribus Herodot. lib. 5. Diodorum Sic. lib. 4. Eustathium ad Homeri Odyss. ξ'. pag. 1757. Plinium lib. 5. cap. 12. Tacitum lib. 2. & Tatianum: E modernis vero Domini Johannis Marshami, Canonem Chronicum pag. 119. Bocharti Geographiæ sacræ partem secundam lib. 1. c. 20. & Waltoni Prolegomina ad Biblia Polyglotta, cap. 2. Sed instar omnium est Doctissimus Scaliger, in notis ad Eusebii Chronica.

Ep. 8. Ἀφ' οὗ ....νικης ἐβασίλευσε ἔτη ΧΗΗ𐅄ΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. Lacunam Seldenus, & Palmerius sic supplent. Ἀφ' οὗ Ἀγηνορίδης Φοίνικης ἐβασίλευσε, sed quid nostro Chronographo, qui de solis rebus Græcis scribit, cum Phœnicum regibus? multo igitur melius, [z] Lydyatus & Dominus Johannes Marshamus legunt, Ἀφ' οὗ Εὐρώτας, καὶ Λακεδαίμων Λακωνικῆς ἐβασίλευσε. Primus, qui [b] in Laconia regnabat, erat Lelex, qui ex [c] Ægypto in Græciam unâ ante Deucalionem ætate profectus Lelegibus nomen dedit, hujus filii erant Myles & Polycaon. [d] Polycaon ductâ Messene Triopæ Argivorum Regis filia Regionem Laconiæ è parte occidentali vicinam occupavit, eamque ab uxoris nomine Messeniam appellavit, in qua posteri illius per quinque ætates, donec tandem iis deficientibus regnum ad Perierem Æolidam veniebat, regnasse perhibentur. Myles qui in Laconia regnabat genuit Eurotam, qui fluvio Eurotæ nomen dedit, hujus filia erat Sparte, quam cum Lacedæmon duxisset, ab Eurota in regni societatem acceptus cum eo simul anno Epochæ Marmoreæ 1252. i. e. 308 annis ante Trojæ exci-

[o] Apollodor. lib. 2. Pausan. lib. 2. Euseb. in Chron. Syncellus pag. 152. Eusebius in Chronicis. [p] Apollodorus lib 2. Eusebius in Chronicis. Strabo lib. 10 in initio. [q] Apollodor. lib. 2. Johannes Antiochenus liber MS. in Bibliotheca Bodliana non longe ab initio, Chronicon Alexandrinon, & Cedrenus lib. 1, Eusebius in Chronicis. [r] Apollodor. lib. 2. Johannes Antiochenus, Cedrenus, Eusebius, & Chronicon Alexandrinum. ib. [s] Iidem autores, ib. Stephanus in Φοίνιξ. [t] Herodot lib. 7. Apollodor. lib. 3. Johannes Antiochenus, Cedrenus, & Chronicon Alexand. ubi supra. [u] Apollodor. lib. 3. Pausanias lib. 5. [w] Pausanias lib. 9. Apollodor. lib. 3. Strabo lib. 9. [x] Eusebius in Chronicis. Diodorus Siculus lib. 1. [y] Eusebius in Chronicis, part. 1. pag. 27. Syncellus pag. 152. Pausan. lib. 7. pag. 402. [z] In notis ad hanc Epocham. [a] In Canone Chronico, pag. 124. [b] Pausan. lib. 3. [c] Pausan. lib. 1. [d] Pausan. lib. 3. & 4.

dium

dium primo cœpit regnare, & ad fluvium Eurotam Lacedæmonem condidit, quam ab uxoris nomine etiam Spartam appellabat. Lacedæmonis filius & successor erat Amyclas, qui urbem Amyclas condidit, Amyclæ filius erat Cynortas, qui genuit Oebalum patrem Tyndarei, cujus filii erant Castor & Pollux, & filiæ Helena & Clytemnestra, quarum hæc Agamemnonis, illa Menelai uxore fuere.

Ep. 9. Ἀφ' οὗ ναῦς ....η....ων ἐξ Αἰγύπτου εἰς τὴν Ἑλλάδα ἔπλευσε, καὶ ὠνομάσθη πεντηκόντορος, καὶ αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ....ωνη, καὶ Βα...αρειω, καὶ Ἑλικὴ, καὶ Ἀρχεδίκη ἀποκληρωθεῖσαι ὑπὸ τῶν λοιπῶν .... αντ.. καὶ ἔθυσαν ἐπὶ τῆς ἀκτῆς ἐμ παρ..αδι ἐν Λινδῳ τῆς Ροδίας ἔτη ΧΗΗΔΔΔΔΠΙΙ βασιλεύο .... Palmerius in prima & secunda Lacuna aut Αἰγυπτίων, aut Λιβύων inserendam putat, vocem autem Λιβύων præfert, quia Libya Danai regnum erat: Dicit enim [e] Apollodorus, Δαναὸν μὲν Βῆλος ἐν Λιβύῃ κατῴκισεν, Ἄιγυπτον δὲ ἐν Ἀραβίᾳ, ὃς καὶ καταστρεψάμενος τὴν Μελαμπόδων (legit [f] Scaligerus Μελαμβώρων) χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ ὠνόμασεν Ἄιγυπτον. Sed rejectis utrisque mihi potius placet legere, ἀναπλῶν ἐξ Αἰγύπτου, penes tamen lectorem sit aut mea aut Palmerii uti Conjecturâ, aut utrisque invenire meliorem. In tertia lacuna supple Ἀμυμώνη, [g] quæ una erat è filiabus Danai, quarum alia erat, cujus nomen in quarta lacuna quoad medias literas obliteratur, quodnam autem fuerat, cum reliquias illius perlectis omnibus Danai filiarum nominibus, quæ apud [h] Apollodorum extant, eorum nulli possim adaptare, mihi omnino manet incertum. In quinta Lacuna Palmerius ponit ὑδρεύσαντο, quia Danaus Argis deficientibus ob siccitatem aquis, filias suas, narrante [i] Apollodoro, ὑδρευσομένας ἔπεμψε. Sed quod hic de Danai filiabus narratur, non Argis, sed Lindi in Rhodo actum fuit, atque ideo potius lego, ἱερὸν ἱδρύσαντο. Danai enim filias cum patre ex Ægypto profugas ad Lindum in Rhodo appulisse, ibique Templum Minervæ Lindiæ condidisse, & illi sacrificasse [l] Strabo, [m] Diodorus Siculus, [n] Herodotus, aliisque testantur. In sexta Lacuna Palmerius ponit ἐμ παραλίαδι, in ultima Ἀθηνῶν Ἐριχθονίου. Primus enim annus, quo Erichthonius Athenis regnavit secundum Eusebium est Epochæ Marmoriæ 1249, annus igitur Epochæ Marmoriæ 1247. est regni illius tertius.

Ἀφ' οὗ ναῦς πρῶτη ἀναπλῶν ἐξ Αἰγύπτου εἰς τὴν Ἑλλάδα ἔπλευσε, καὶ ὠνομάσθη πεντηκόντορος. De Danao & filiabus 50, passim veteres. Sed de Pentecontori nomine, navis longæ qua ex Ægypto profugêre indito, raro. Ita dictam scribit diserte Apollodorus Bibliothecæ, lib. 2. idque à filiarum numero, uti etiam Eustathius ad Iliados α'. Sed nominis originatio ea mira est. A remorum potius numero seu versus aut ordine unico, qui ex quinquaginta constabat, impositum est, uti & Argonavi. Ita etiam τριακόντορος, τεσσερακόντορος & similiter naves aliæ longæ dictæ. Hanc primam fuisse navem longam scribunt nonnulli. Hyginus Fabula CCLXXVII. "Minerva prima navem bi" proram Danao ædificavit in qua Ægyptum fratrem profugit. Tantundem etiam Fabula CLXVIII. Et Plinius lib. 7, cap. 46. "Navem primus in Græ" ciam ex Ægypto Danaus advexit. Ante, ratibus navigabatur, inuentis in "Mari rubro inter insulas à rege Erythra. Consule item Nonni συναγωγὴν ad Gregorii Nazianzeni invectivam primam numero ζζ'. Erythras autem rex non alius quam Edomus Jacobi patriarcha frater viris doctis, nec immerito, habetur. Adi, si placet Josephum Scaligerum ad Festi Ægyptinos, & Nicolai Fulleri Miscellanea sacra, lib. 4. cap. 20. Postea ad plures remorum ordines deventum est, de quibus visendi quidem Lazarus Baifius, & Grægorius Gyraldus in iis quæ de re navali edidere, sed in primis ante alios, magnus Scaliger ad numerum Eusebiarum MCCXXX, & Willebrodus Snellius in

[e] Lib. 2. [f] In notis ad Eusebii Chronica. [g] Apollodor. lib. 2. Pausan. lib. 2. Scholiast. ad Apollonii Rhodii, lib. 1. ver. 135. [h] Lib. 2. [i] Ib. [l] Lib. 14. [m] Lib. 5. [n] Lib. 2.

præ-

præfatione ad suam Histiodromicen, & Th. Rivius in Historia navali antiqua quam 4 libris edidit Londini, A. D. 1633.

Καὶ αἱ Δαναοῦ θυγατέρες. Danaum fuisse Beli filium & Cadmi patruelem supra diximus. [o] Hic à fratre, cum quo de regno certaverat, Ægypto exactus conditâ nave, quam à filiorum seu potius à remorum numero πεντηκόντορον appellavit, in ea primo in Rhodum, & inde in Argolidem venit, cujus regionis post Stheneli obitum, pulso Galenore legitimo hærede, regnum adeptus illius deinde incolas, qui prius Pelasgi dicebantur, à suo nomine Danaos appellavit. Plura de eo & quinquaginta illius filiabus legas apud Apollodorum lib. 2. Pausaniam lib. 2. & 3. Eustathium & Didymum ad Homeri Il. α'. v. 42. & apud Eustathium in Scholiis ad Dionysii περιήγησιν, v. 805. Diodorum Siculum lib. 5. Herodotum lib. 2. Strabonem lib. 5. pag. 221. & lib. 8. & è Modernis Dominum Johannem Marshamum, in Canone Chronico, pag. 125.

[p] Eusebius, [q] Theophilus, & [r] Josephus è Manethone antiquo rerum Ægyptiarum scriptore Danaum etiam Armaim vocant; illiusque fratrem Ægyptum maximum illum Ægyptiorum regem Sesostrim [s] plerique volunt fuisse; quam vere nesciò, hoc autem certum est Sesostrim valde antiquum fuisse, [t] Aristoteles diu ante Minois primi tempora, [u] Agathias ante Nini & Semiramidis regnum, [x] Valerius Flaccus, & [y] Apollonius Rhodius ante Argonautarum expeditionem, [y] Scholiastes Apollonii 2900 annos ante primam Olympiadem, [z] Strabo vero, [a] Herodotus, [b] Diodorus Siculus, & omnes, qui unquam de Sesostre aliquid scripserunt, ante bellum Trojanum illum dicunt vixisse. Qui igitur Josephi, ut ipsi credunt, autoritatem secuti Sesostrim Sesacum esse volunt, qui 234 an. post Trojæ excidium [c] regnante Rehaboamo Templum Hierosolymitanum expilaverat, ex nimis levi fundamento, si hoc dixisset Josephus, tot autoribus æquali fide dignis contradicunt. Sed nihil tale est apud Josephum, ejus verba enim hæc sunt, [d] ὁ Θεὸς ἐπιπέμπει τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα Σούσακον, περὶ οὗ πλανηθεὶς Ἡρόδοτος τὰς πράξεις αὐτοῦ Σεσώστρι προσάπτει, non igitur secundum Josephum Sesostris idem est cum Sesaco, sed Herodotus male ascripsit ea Sesostri, quæ à Sesaco gesta fuere: qui vero his Josephi verbis contrarium sensum volunt imponere, ex ipso Josepho, [e] qui postea Sethosin seu Sesostrin nominat, eumque Danai fratrem fuisse dicit, satis apparet, eos, quæ scripsit Josephus, non omnino intellexisse; nec si hæc illius scriptoris conjectura pro ea opinione faceret, omnino crederem, de hoc maximo totius orbis rege, qui Asiam atque Europam [f] victoriis suis pervagatus fuit, tam pauca in omni Græcâ Historiâ posse narrari, nisi ab historicis temporibus per multa plura secula fuisset remotus. [g] Hunc Eusebius etiam Rhamesem vocat, atque ideo de eo intelligenda esse omnia ea, quæ de Rhamse Ægypti Rege & totius Asiæ victore [h] à Tacito narrantur, & rerum gestarum & nominum similitudo suadet. [i] Scholiastes Apollonii dicit illum Ori filium & Osiridis nepotem fuisse, ego vero eum eundem esse cum Osiride seu Dionyso credo. [l] De utrisque enim narratur eodem, quo nascebantur, die data esse vaticinia, eos orbis dominos futuros. [m] Utriq; in Æthiopiam, Arabiam, Persiam, Indiam & Scythiam, eodem ordine & successu expeditiones susceperunt; utrique versus occasum [n] Thraciam expeditionis terminum habuerunt; utriusque in ea [o] regione periclitabatur exercitus; u-

[o] Eusebius in Chronicis. Theophilus ad Autolycum, lib. 3. Josephus lib. 1 contra Appionem. Apollodor. lib. 2. Pausan. lib. 2. [p] In Chronicis. [q] Lib. 3. [r] Lib. 1 contra Appionem. [s] Manetho apud Josephum, lib. 1 contra Appianem, &c. [t] Politic. lib. 7. cap. 10. [u] Lib. 2. p. 55. [x] In Argonauticis. [y] Ad lib. 4. ver. 276. [z] Lib 17. [a] Lib. 2. [b] Lib. 1. [c] 1 Reg. 14 v. 25. 2 Chron. 12. v. 2. [d] Josephus Ἀρχαιολογίας, lib. 8. c. 4. pro hac opinione maxime pugnat Dominus Johannes Marshamus in Canone Chronico. [e] Contra Appionem lib. 1. [f] Vide Diodorum Siculum lib. 1. & Syncellum, p 60. [g] In Chronicis [h] Annal. lib. 2. an. 772. [i] Ad lib. 4. v. 276. [l] Plutarch. in Iside. Diodor. Siculus, lib. 1. [m] Plutarch. in Iside. Diodorus Siculus, lib. 1 & 3. [n] Diodor. Sic. lib. 1. & 3. [o] Diodor. ib.

trique

trique [p] Priapis erectis illi obscœno deo originem dicuntur præbuisse; & in reditu [q] utrique fratres habuere rebelles. Qui acuratius examinabunt, quæ de utrisque narrantur, eos in multis aliis invenient convenire, ob eaque, non dubito, quin facile concessuri sint, non omnino verisimile esse, eos, quorum Historiæ in tot circumstantiis conveniunt, diversos fuisse. Sesostris igitur non Danai frater, sed illius abavus fuit, Danai enim [r] pater Belus, cujus mater erat Libya filia Epaphi, quem ex Io seu Iside genuit Osiris, Sesostris etiam dictus, qui [s] Prometheo Deucalionis patri coævus erat. Cum igitur Deucalion anno Epochæ Marmoreæ 1310, qui est annus ætatis Mosis quartus, in Græciam venisset, inde colligitur Osiridem seu Sesostrim circa tempus, quo Israelitæ ab Ægyptiis primo afflicti fuerunt, maxime floruisse; [t] cum igitur hic dicatur ingentes à Nilo usque ad mare rubrum deduxisse fossas, [u] insignissimos eos, quos Romam transtulerunt imperatores Romani, obeliscos è montibus Arabicis excisos in urbe Heliopoli erexisse, multasque civitates, & quam plurima alia ex iis ædificiis & structuris, quæ in Ægypto diu cum stupore videbantur, condidisse, omniaque hæc opera [x] nullo Ægyptio ad laborem adhibito per solos servos perfecisse; tam ex his, quam ex temporis convenientia mihi satis evidenter apparet, illum Ægyptiorum regem, qui Israelitas in servorum censum redactos [y] tam gravi afflixit servitute, Sesostrim fuisse; ab illiusque altero nomine Ramese urbs [z] Rameses una earum, quas pro Ægyptiis Israelitæ condidere, appellationem videtur habuisse.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐριχθονίου. Quomodo Erichthonius expulso Amphictyone Athenarum regnum adeptus sit, supra diximus, maxime vero celebratur ob currus inventionem, & Panathenæa ab eo primo celebrata, de quibus utrisque noster Chronographus agit in sequentibus. Tribuum etiam nomina mutavit, easque, quæ prius, [a] Κεκροπὶς, Ἀτθὶς, Μεσόγαια, & Διακρὶς dicebantur, deinde [b] Διάδα, Ἀθηναΐδα, Ποσειδωνιάδα, &, Ἡφαιστιάδα, voluit appellari. Regnum tenuit 50 annos, illudque moriens filio Pandioni reliquit. Cetera, quæ de eo narrantur, legas in Meursii libro de regno Attico, lib. 2, cap. 1.

Ep. 10. ....θόνιος Παναθηναίοις τοῖς πρώτοις γινομένοις ἅρμα ἔζευξε καὶ τὸν ἀγῶνα ἐδείκνυε, καὶ Ἀθηναίους ....ον ....α.......... θεῶν Μητρὸς ἐφάνη ἐν Κυβέλοις, καὶ Ὕαγνις ὁ Φρὺξ αὐλοὺς πρῶτος ηὗρεν ἐγχ.....αντα.... σφρ................νόμον Φρυγιστὶ πρῶτος ηὔλησε, καὶ ἄλλους νόμους Μητρὸς, Διονύσου, Πανὸς, καὶ τὸν ἐπι.......... ἔτη ΧΗΗΔΔΔΔΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐριχθονίου τοῦ τὸ ἅρμα ζεύξαντος. In prima Lacuna supplet Palmerius. Ἀφ' οὗ Ἐριχθόνιος; in secunda Ἀθηναίους μετονόμασε; sed suspicor Seldenum, cum Chronicon hoc è Marmore transcripserit, hanc vocem Ἀθηναίους, ut plures alias, quoad finales literas non manifestâ lectione sed conjecturâ tantum consecutum fuisse; & etiam in syllaba ον O pro Ω legisse, non enim mihi, ut Palmerio, placet hic Ionismus, quia in ceteris Marmoris Epochis non invenitur; atque ideo potius legerem, καὶ Ἀθηναῖα μετωνόμασε. Panathenæa enim, cum in [c] Minervæ honorem primo instituta fuissent, à deæ nomine [d] Ἀθηναῖα non Παναθήναια dicebantur, eaque tandem in omni fere per totam Atticam vico quotannis celebrata fuere. Postea vero cum [e] Theseus omnes horum vicorum incolas in unam urbem congregasset, pro multisque illis festis instituisset, ut unum commune ab omnibus Atticæ incolis Athenis celebraretur, ab eo tempore quæ prius

[p] Herodot. lib. 2. Diodor. lib. 1. Plutarchus in Iside. [q] Diodor. Sic. lib. 1. Manetho apud Josephum contra Appionem, lib. 1. & Theophilum ad Autolycum, lib. 3. [r] Apollodor. lib. 2. & 3. [s] Diodorus Siculus lib. 1. Phavorinus in Προμηθεύς. Scholiastes Apollonii Rhodii. [t] Diodor. Sic. lib. 1. [u] Plinius lib. 36 cap. 9. Diodor. ib. [x] Diodor lib. 1. [y] Lege Exodi initium. [z] Lege Exodi cap. 1. com. 11. & cap. 12. com. 37. [a] Pollux lib. 8. c 9. sect. 31. [b] Pollux ib. [c] Pollux lib. 1. c. 1. sect. 32. Scholiastes Euripidis ad Hecubam. Theodoret. Therapeut. lib. 8. Libanius Decl. 14. [d] Harpocration in Παναθήναια, & Suidas ad eandem vocem. Pausanias in Arcadicis. [e] Plutarchus in vita Thesei. Pausanias in Arcadicis. Euripidis Scholiastes ad Hecubam.

Ἀθη-

Ἀθηναῖα dicebantur Παναθήναια, quia pro omnibus Athenæis celebrata, appellari, & Theseus pro illorum institutore reputari cœperunt. Vocem autem Ἀθηναίοις ideo vellem rejicere, quia non ab Erichthonio, sed ab [f] Erichtheo Athenarum cives Ἀθηναῖοι, & urbs Ἀθῆναι dicebantur. Quamvis enim Cecrops cum urbem suam primo condiderit [g] Minervæ consecrabat illis, qui Neptuno hunc honorem vellent contribuere suffragiorum numero superatis (de qua contentione lege [h] Meursium) ea tamen ab initio non illius deæ, sed conditoris nomen Cecropia dicta usque ad Erechthei regnum referebat, illo autem regnante, abolito antiquiori nomine, hæc urbs τῇ Ἀθηνᾷ olim consecrata ab illius etiam nomine Ἀθῆναι primo cœpit appellari. De his mihi visum est lectorem monere: sed quia in Seldeni autographo Ἀθηναίοις legitur hanc potius vocem in textu placuit retinere. In tertia & quarta lacuna cum Palmerio & Domino Johanne Marshamo lego, καὶ ἄγαλμα τῆς Θεῶν Μητρὸς ἐφάνη, vox enim ἐφάνη multo potius de simulacro Cybeles, quam de illius Sacris (ut volunt Seldenus & Lydiatus) primo institutis, hic verba fieri suadet. In quinta, sexta, & septima lacunâ bene supplet Palmerius ἐν Κελαιναῖς τῆς Φρυγίας, καὶ τὴν ἁρμονίαν τὴν καλουμένην Φρυγιστὶ πρῶτος ηὔλησεν, literas enim NN in ..αιναι.. pro IN, aut quadratarii aut exscriptoris errore scriptas fuisse non omnino dubitandum est. Celænæ enim in Phrygia Hyagnidis patria fuit, quod Palmerius inde bene probat, quod Marsyas, quem [i] Strabo, [k] Plutarchus, & [l] Nonnus dicunt Hyagnidis filium fuisse [m] Celænis habitasset. [n] Apollodorum autem, qui non Hyagnidem sed Olympum Marsyæ patrem dicit, & supra citati autores, & etiam [o] Pausanias convincunt errasse, ille enim in Phocicis satis aperte innuit Olympum non Marsyæ patrem, sed discipulum fuisse, quod idem in libro de Musicâ sæpius dicit Plutarchus. In septima Lacuna legendum esse, τὴν ἁρμονίαν τὴν καλουμένην Φρυγιστὶ Seldenus, Lydiatus, & Palmerius consentiunt, apud Aristotelem enim, & alios, ἡ Φρυγιστὶ ἁρμονία, & ἡ Δωριστὶ ἁρμονία occurrunt, & Aristoxenus [p] apud Athenæum, quod maxime huic loco quadrat, dicit, τὴν τε Φρυγιστὶ ἁρμονίας εὕρησιν Ὑάγνιδι τῷ Φρυγὶ ἀνατιθέασιν. In ultima Lacuna supplet Palmerius, καὶ τὴν ἐπιχωρείων Θεῶν, καὶ ἡρώων, quæ voces & Lacunæ spacio & iis, quæ præcedunt, maxime mihi videntur convenire.

Παναθηναίοις τοῖς πρώτοις γενομένοις. Panathenæa inter omnia Atheniensium festa [q] maxima fuere [r] ab Erichthonio in honorem Minervæ urbis tutatricis instituta. [s] Duplicia hæc erant majora & minora, minora quotannis [t] die 20 Thargelionis, majora quinto quoq; anno [t] die 25 Hecatombæonis celebrata fuere. In utrisq; certamina equestria, gymnica, & Musica proponebantur. Si de his plura velis cognoscere, consulas Josephum Scaligerum in Eusebianis animadversionibus ad numeros DCCLXXXIX, & MCCCCLIV; in primo de emendatione temporum capite de Periodo Delphorum Pythica; in addendis eidem operi, pag. 739. & in Canonum lib. 3. pag. 224. & 225; Petrum Castellanum in Ἑορτολογίῳ; Cœlium Rhodiginum lib. 2. cap. 27. Eustathium ad Homeri Il. β'. v. 551; & Michaelem Apostolium Centuria 15. Proverb. 80. instar autem omnium est Johannes Meursius, qui omnia, quæ de hoc festo narrantur, in librum singularem summâ cum industria congessit.

Ἅρμα ἔζευξε. Hyginus Poetici Astronomici, lib. 2. "Alii, inquit, anguina crura habuisse Erichthonium dixerunt, eumque primo tempore adolescentiæ ludos Minervæ Panathenæa fecisse, & ipsum quadrigis cucurrisse, pro quibus factis inter sidera dicitur collocatur. Quadrigis igitur in ipsis Panathenæis certavit & victor evasit primus. Virgilius Georg. 3.

[f] Herodotus lib. 8. Marcianus in Periegesi. Eustath. ad Dionysii περιήγησιν, ad ver. 423. Vide Meursium de regno Attico, lib. 1. c. 10. & De Fortuna Atticâ, c. 2. [h] Ibi ubi supra. [i] Lib. 12. [k] In libro de Musica. [l] Lib. 10. [m] Strabo lib. 13. p. 616. Pausan. lib. 10. [n] Lib. 3. [o] Lib. 10. [p] Lib. 14. [q] Scholiastes Aristophanis ad Nubes. [r] Præter Marmor. Harpocration & Suidas in Παναθήναια, Apostolius Cent. 15. Proverb. 80. Apollodor. lib. 3. [s] Suid. & Harpocrat. ib. [t] Proclus in Timæum Platonis comment 1.

Primus

> Primus Erichthonius currus & quatuor ausus
> Jungere equos rapidisque rotis insistere victor.

Dum victorem ait fuisse, celebratos ab eo ludos indicat. Et frigide nimis ibi Servius, cui victor apud doctissimum Poetam sui propositi effector tantum habetur. Eum tria equarum millia, quarum plerisque pulli erant, nutrivisse etiam meminit Joannes Tzetzes Chiliade 3. cap. 43. Quadrigarum etiam inventionem Erichthonio tribuebant plerunque Græci, saltem in Græcia. Eusebius numero DXLIII. Erichthonius primus quadrigam junxit in Græcia. Erat quippe apud alias nationes. Sed numero CCCCXLVII. Trochilus primus fertur junxisse quadrigam. Trochilus ille Callitheæ filius erat, primæ Junonis Argivæ sacerdotis; ut Theon in Commentariis ad Aratum. Callithia Spirantis Filia ea dicitur Africano apud Eusebium, Chronicorum parte priore, pag. 25. At quin Trochili nomen pro Argivo Orsilocho apud Hyginum, in Heniocho, substituendum sit, dubitare non possum. Alibi enim quisnam, Orsilochus dictus, quadrigarum inventor reperitur? Et de ea re, atque depravato apud alios Trochili nomine, optime Paulus Leopardus in Emendationum, lib. 1. cap. 15. Tantum abest ut magno Scaligero assentiam ubi Corippi lacunam, in Eusebianis, hoc nomine supplet. Corippus lib. 1.

> ——referam primum junxisse quadrigas
> Et currus armasse novos, Pelopemque secundum
> In Soceri venisse necem——

Orsilochum referam, legi vult ille; corrupto nomine, ab Hygino desumto. Thomas Dempsterus fidenter ibi Cecropidem, pro Erichthonio, inserit. Sensus placet; sed vocabulum insertum non omnino. Erichthonium junxisse primo quadrigas à Corippo ibi innui, non est cur non plane fateamur. Ea enim vulgo obtinuit opinio; ut scilicet Pelopem secundo, instituto etiam certamine. At vero Cecropidis nomine Erichthonium satis obscure designâsset, neque aliter quam qui nude Romulidis, singularem aliquem Romanorum Imperatorem. Quid dubitemus Heniochum referam primas, &c. legere? Ita res ipsa suadet, & notissimum Erichthonii nomen; notissimum scilicet priscis Astronomis, saltem quotquot eorum eum primum junxisse quadrigas cum plerisque sensêre. Neque ideo est Heniochus magis appellativum quam proprium, quod Aurigam interpretetur. Ita migravit heic in proprium, uti olim etiam Heniochi, à Telchio & Amphito Castoris & Pollucis ἡνιόχοις seu aurigis, ad designandam gentem illam in Sarmatia; de qua Plinius lib. 6. cap. 5. Etiam τὸ Auriga, ut proprium ejus nomen, usurpatur, uti apud Arabas ممسك العنان seu retinens habenas, quod id ipsum cum Heniocho sonat; cum interim figuram huic nomini, ut proprio, interdum pingant Arabes mulum clitellatum erectum, quod ex Scaligeri notis in Manilium discimus. Sed vero & Ophiucus, Sagittarius, Arctophylax, Engonasin, Aquarius, non tam appellativa sunt quam propria in cœlo nomina Æsculapii, Centauri, Arcadis, Herculis, Ganymedis, aut aliorum quos ibi finxit vetustas. Atque ita Heniochus Erichthonii, Corippi lacunæ restituendus.

Ibid. ΕΖΕΤΞΕ. Non licet per operarum formas, omnes archetyporum figuras ubique repræsentare; quod tamen plerunque in universis, sed in prioribus binis exacte, fecimus, exceptis tantummodo Π & Z. de quibus & aliis aliquot ejusmodi rebus minutulis heic simul visum est monere. Τὸ Π tum in Chronologico hoc Marmore, tum in Smyrnæorum Decretis & Fœdere, perpetuo, crus quod ad dextram vergit, habet dimidiatum ad hunc modum Π. In recentioribus Inscriptionibus quas dedimus, utrunque crus æque semper extenditur; & Ζῆτα etiam non aliter quam usitatis Typographorum formis exaratur,

ratur. In vetustioribus autem hisce binis Ζῆτα hac semper figura ⌶ occurrit, quæ ἦτα ὕπτιον sive eta supinum dicitur Alypio. Hanc autem ⌶ formam pro Ξ usurpatam nondum animadvertimus. Imo suspicamur virum doctum qui id ex multis antiquitatum vestigiis à se observatum ait, affini figura deceptum esse. Vide Ortelii Thesaurum Geographicum in Cyzicus & in Sangarius. Et vereor sane ne τὸ Τ in ΚΥΤΙΚΗΝΩΝ (proculdubio pro Κυζικηνῶν) apud Adolphum Occonem in Antonini Philosophi numismatis inde natum fuerit, quod vetus τοῦ ζῆτα seu ⌶ figura eum, qui descripsit, fefellerit. De literarum Græcarum formis vetustioribus, non est cur plura heic adjiciamus. De eis vide eruditissimam V. Cl. Claudii Salmasii diatribam ad Consecrationem Templi in agro Herodis Attici, ubi etiam magni Scaligeri errores de Ionicarum formis, quas ad Eusebium memorat, meritissimo castigat. Τὸ Κ autem in Γ, & τὸ Ν in Μ, cum nempe finales essent, non aliter fere, quam in compositione transiisse (quod à pronuntiationis more fluxisse nemo dubitet) bina illa Marmora legentibus palam est. Adjectum porro τὸ ν plerunque tertiis personis singularibus temporum aliquot & dativis casibus pluralibus, tametsi vocalis non sequatur, legenti observandum est. Neque de eo ita sentiendum ac si aut ab Attico idiotismo aut quadratarii errore manâsset. Certe vetus mos Græce scribendi, ut videtur, id plerumque exigebat. Servatur in Bibliotheca instructissima nobilissimi viri Roberti Cottoni mutilum Geneseos exemplar ante annos M, ni fallor, literis quadratis exaratum, in quo illa scribendi formula obtinet; ut cap. 8. ἐξαπέστειλεν τὴν περιστερὰν ἐκ τῆς κιβωτοῦ, καὶ ἀνέστρεψεν πρὸς αὐτὸν ἡ περιστερά, καὶ εἶχεν φύλλον, &c. Passim in eodem codice eadem scribendi ratio.

Καὶ ἄγαλμα τῆς θεῶν Μητρὸς ἐφάνη. [a] Hoc matris Deorum simulacrum rudis & nullius formæ lapis erat, quem Phryges à cœlo [x] delapsum & Pessinunte in Phrygia primum apparuisse dicunt, eamque urbem, [x] ἀπὸ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ, καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ἐφθῆναι, incolæ volunt nomen accepisse; sed secundum nostrum Marmor non Pessinunte, sed in Cybelis montibus primo apparuit, illinc igitur Pessinuntem delatum fuit; ibi enim in insignissimo [y] templo Deûm Matri exstructo repositum erat, & summâ cum religione colebatur, donec tandem [a] Romani tempore belli Punici secundi in Sibyllinis libris legentes, Pœnos non posse Italiâ pelli, nisi mater Deorum è Phrygiâ Romam allata fuisset, hoc διοπετὲς ἄγαλμα Pessinunte Romam transtulerunt, in qua urbe deinde eodem modo & eâdem superstitione, quibus prius Pessinunte, colebatur.

Ἐν Κυβέλοις Cybeli montes erant in Phrygia, [b] à quibus Deum Mater Cybele, eodē modo quo ab Idæis montibus Idæa, à Dindymenis Pessinunti vicinis Dindymene, ab urbe Sipylo Sipylene, & ab urbe Berycintho Berycinthia dicebatur, in his enim Phrygiæ locis hæc dea maxime colebatur, in quibus Sacerdotes [c] Curetes & Corybantes dicti sacra Bacchi orgiis non dissimilia, ἐνοπλίῳ κινήσει μετὰ θορύβου, καὶ ψόφου, καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ὅπλων ἔτι δὲ αὐλοῦ, καὶ βοῆς insani quodam furore correpti peragebant. De his Sacerdotibus & Dea quam colebant legas plura apud Strabonem lib. 10. Diodorum Siculum lib. 3. Rosinum de antiquitatibus Romanis, lib. 2. cap. 4. & Dempsterum ad illud caput, & Dominum Johannem Marshamum in Canone Chronico, pag. 130. & Vossium de Idololatria, lib. 1. c. 20. & lib. 2. cap. 52, & 53.

Καὶ Ὕαγνις ὁ Φρύξ. Alexander, autor de rebus Phrygiis vetustus, apud Plutarchum libro de Musica testatur item Ὕαγνιν πρῶτον αὐλῆσαι, Hyagnin Phrygem primo tibiis cecinisse. Et Apuleius fusius & eleganter, Floridem 1. " Hyagnis, inquit, fuit, ut fando accepimus, Marsyæ tibicinis pater & ma-

[a] Liv. Dec. 3. lib. 7. sub finem. [x] Herodian in Commodo. Strabo lib. 12. pag. 567. [a] Livius Dec. 3. lib. 9. Valerius Maximus, lib. 8. c. 15. Ovid. Fastorum lib. 4. [b] Strabo lib. 10. [c] Strabo lib. 10. Plutarchus ἐν ἐρωτικῷ.

"gister, rudibus adhuc Musicæ seculis, solus ante alios catus canere; non-
"dum quidem tum flexanimo sono, nec tam pluriformi modo, nec tam mul-
"tiforatili tibia. Quippe adhuc ars ista repertu nova commodum oriebatur.
"Nec quidquam omnium est quod possit in primiordio suo perfici; sed in
"omnibus ferme est ante spei rudimentum quam rei experimentum. Pror-
"sus igitur ante Hyagnim nihil aliud plerique callebant quam Virgilianus o-
"pilio seu bubsequa,

Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

"Quod si quis videbatur paulo largius in arte promovisse, ei quoque tamen
"mos fuit una tibia, velut una tuba, personare. Primus Hyagnis in canen-
"do manus discapedinavit. Primus duas tibias uno spiritu animavit. Pri-
"mus lævis & dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi bombo, concen-
"tum musicum miscuit. Hujusmodi cantum Phrygium biforem nuncupa-
vit Virgilius. Æneidos. 9.

---ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

Ad quem locum, Servius; Bisonum, imparem. Et servavit eis tibiarum suarum, id est, Phrygiarum naturam. Tibiæ, porro, inquit, aut Serranæ dicuntur (Sarranæ; à Sarra quæ Tyrus est) quæ sunt pares, & æquales habent cavernas; aut Phrygiæ, quæ & impares sunt & inæquales habent cavernas. Ergo biforem, dissonum, dissimilemque. Non sunt pari modulatione compositæ. Et, apud eundem, Varro de tibiis maxime quarum inventor Hyagnis, id est, Phrygiis; Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo; quorum unum, acutum sonum habet, alterum gravem. Inde est quod tibiis interdum paribus dextris & sinistris, etiam & Sarranis, ludos actos habemus apud Terentium; interdum imparibus primum, & postea duabus dextris, ut in titulo Heautontimoroumenou. Vide item Julium Pollucem, lib. 4. & observa Midæ Agrigentini tibicinis victoriam in Olympiadis OA, anni tertii ἀναγραφῆς Scaligerianæ, & schemata apud Gruterum in Inscriptionum corpore, pag. 27, & 28. Atqui de tibiarum inventione, vide plura apud Plutarchum de Musica, Strabonem lib. 10, Pausaniam in Corinthiacis, Aristotelem Politicorum 8. cap. 6. Pindarum Pythionicarum 12, & ibi Scholiasten, Martianum Capellam lib. 9, Eustathium ad Iliados σ. Eusebium in Chronico Græce pag. 32. Hyginum, Palæphatum, Ovidium. Adi item Julium Scaligerum Poeticis, lib. 1. cap. 20. Sunt vero qui ab hominum ferme initio tibiarum inventionem petunt. Etenim quæ apud sanctum autorem in Geneseos cap. 4. com. 21. de Jubale habentur, ea de tibiis intelligunt. Ibi כנור ועוגב ei tribuuntur, quod κιθάραν καὶ ψαλτήριον interpretantur Hellenistæ, alii citharam & organa. Sed paraphrasis Chaldæa utraque pro עוגב substituit אבובא Abuba quæ pro tibia etiam sumitur. Et Ambubaiarum collegia apud Horatium explicans Acro, Ambubaiæ, inquit, dicuntur mulieres tibicines lingua Syrorum. Etenim lingua eorum tibia sive Symphonia Ambubaia dicitur. De loco autem illo sacræ historiæ, consule Marinum Mersenium ad Genesim quæst. 61. Ceterum Hyagnidi filii erant Marsyas & Olympus, musici celeberrimi. Sed corrigendus, puto, obiter Hyginus Fabula 165, ubi Marsyas Oeagri filius legitur. Hyagnis filius restituendum videtur. Neque enim Marsiæ, sed Orphei pater erat Oeagrus. De Hyagne, vide porro Cælium Rhodiginum, lib. 9. cap. 8.

.....νμῶνη Φρυγισί. Potius syllabas in versione cauti retinuimus, quam id, quod res est, forte expressimus. Autorem scripsisse puto, τὴν ἁρμονίαν τὴν καλουμένην Φρυγισὶ πρῶτος ηὔλησε. Harmoniam, quæ Phrygia vocatur, tibiis primus

mus cecinit. Athenæus lib. 14, Aristoxenus, inquit, τῆς τῆ Φρυγιςὶ ἁρμονίας εὕρεσιν Ὑάγνιδι τῷ Φρυγὶ ἀνατίθησιν, Harmoniæ Phrygiæ inventionem Hyagnidi Phrygi assignat. Nihil ejusmodi in Harmonicis Aristoxeni quæ extant, reperitur. Sed scripsit etiam ille de Tibiis, & περὶ αὐλῶν τρήσεως seu de Tibiis perforandis, & de Musica opus aliud, quæ omnia, cum aliis summi viri lucubrationibus, interciderunt. In harum, quas nominavimus aliqua hoc de Hyagnide occurrisse dubium non est. Sed singularem nostro heic esse harmoniæ Phrygiæ notionem mox ostendimus.

Καὶ ἄλλυς Νόμυς. Nomos etiam in versione retinuimus, non sine virorum doctorum exemplo. Idem ipsum est vocabulum quod Leges sive Civiles, sive alias quæ ad administrationem publicam attinent, significat. Sed heic ad Musicam spectat. Νόμων autem Musicorum notio plerunque duplex est; alterâ ex alterâ, ut fit, natâ. Interdum, idque primario præscriptæ regulæ sonorum, phthongorum, chordarum, τάσει seu intentioni, ἄρσει, θέσει & diastematis, quas ultra progredi citrave regredi non licuit, Νόμοι dicebantur. Et tum singula instrumenta musica, tum ipsæ cantiones suos habebant præscriptos Nomos, quorum unicuique erat οἰκεῖα τάσις seu intensio propria, ut docet Plutarchus. Citharæ præscripti νόμοι κιθαρῳδικοὶ dicti, tibiis αὐλῳδικοί. Ita νόμοι λυρικοί. Et Musica inde legitima erat, de qua re vide Boetii initium, Athenæum lib. 14, Plutarchum libro de Musica. Atque hujusmodi Nomorum autores præcipui dicuntur qui chordas & tonos adjiciebant. Inde Terpander (de quo plura infra) cum citharam seu Lyram septichordem primo, ut volunt nonnulli, fecisset, Nomos etiam, ut necesse erat, simul fecit chordarum numero accommodos; & κατὰ νομὸν ἕκαςον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτῦ, καὶ τοῖς Ὁμήρυ μέλη περιτιθέντα, secundum quemlibet Nomum, & Homeri, & suis carminibus heroicis modos aptavit, quod ait Plutarchus. Timotheo item Milesio, qui chordas porro auxit, Nomi similiter novi tribuuntur; ut Aulœdici, hoc sensu, Clonæ tibicinum principi. Nec dubitandum etiam nomorum hac notione autorem fuisse Hyagnidem, qui item lyricus Orphei tetrachordo Chorebi quinto nervo aucto, sextum etiam adjecit, ut testatur Boetius de Musica lib. 1. cap. 20. Hoc sensu usurpatur vocabulum in hymno ad Apollinem qui Homeri dicitur, sed Cynætho qui circa 69. Olympiadem floruit ab aliis tribuitur, ut videre est apud Scholiastem in Pindari Nemæorum 2.

Πάντη γὰρ τοὶ Φοῖβε νόμος βεβλήαται ᾠδῆς.

Et Athenæus lib. 14, apud Arcadas, inquit, pueri ab infantia ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμον τὺς ὕμνυς καὶ Παιᾶνας, οἷς ἕκαςοι, κατὰ τὰ πάτρια, τὺς ἐπιχωρίυς ἥρωας καὶ θεὺς ὑμνῦσι. Μετὰ δὲ ταῦτα, τὺς Τιμοθέυ καὶ Φιλοξένυ νόμυς μανθάνοντες, χορεύυσιν κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Διονυσιακοῖς αὐληταῖς ἐν τοῖς θεάτροις, Cantare solent juxta leges, seu Nomos, hymnos & pæanas, quibus singuli, ut mos patrius obtinet, Gentis suæ heroas & Deos celebrant. Dein vero, Timothei & Philoxeni Nomos edocti, saltant quotannis in Theatris ad tibicinum cantum, qui Bacchanalibus inserviunt. Quod autem specimina Nomorum cantiunculis expressa erant, inde varia illa, sive à primis cantiuncularum verbis, sive à metri aut rythmi ratione, sive ab alia ejusmodi causa, nomina Nomis, hac notione, indita puto habemus apud Plutarchum & Pollucem, lib. 4. quos vide. Neque aliter Plutarchum intelligendum sentio ubi νόμυς πάλαι δὲ ἐπῶν συνίςασθαι, Nomos antiquitus ex carminibus heroicis compositos, ait, & Timothei exemplum affert, quam si dixerat Heroicis carminibus maxime expressa fuisse prima Nomorum specimina; quorum libros 18 composuit Timotheus ille; ut testis est Stephanus περὶ πόλεων, in Μίλητος. Ita etiam capienda, quæ de Terpandro atque aliis habet Proclus in Chrestomathia. Et ab

ejusmodi

ejusmodi nomorum varietate tibicinium ἄυρα νομαδαῖολ@ dicitur Telesti Selinuntio apud Athenæum libro jam citato. Neque forsan aliter intelligendum est illud ὀνόμαζεν κεφαλᾶν πολλᾶν νόμον apud Pindarum Pythiorum 12, quam de multiplicibus tibiarum cantui præscriptis legibus. Vide tamen Scholiastem ibidem & Polycephalum νόμον apud Plutarchum. Scribit etiam Plutarchus Timotheum, Nomis carminibus heroicis aptatis, dictionem nihilominus dithyrambicen seu λέξιν διθυραμβικὴν cantasse, ne citius quam par erat videretur veterem musicam innovasse. Quod perpendant qui veterem Musicam callent, & simul morem illum Græcorum, notulas seu figuras, alias ad dictionem, alias ad pulsum denotandum, adscribendi recolant. Nam in cantionum suarum diagrammatis duplices habebant figuras seu notas musicas; alias, quæ inferiores, ad instrumentorum phthongos seu pulsum, alias, quæ superiores, ad Dictionem spectantes: utrasque memorat & exhibet Boetius de Musica lib. 4. cap. 3. Et de eis (quod in eorum gratiam qui fugientia veterum artium vestigia revocare student, obiter liceat adnotare) Alypius in Isagoges præfatione, Σημεῖα, inquit, τὰ μὲν ἄνω τῆς λέξεως, τὰ δὲ κάτω τῆς κρούσεως, Figuræ superiores dictionem indicant, inferiores pulsum. Finitâ autem præfatione, sequitur in codice meo Ms. Λυδίου τρόπου σημεῖα κατὰ τὸ διάτονον γένος, Lydii modi figuræ in genere Musices diatonico. Dein vero, figuræ, minio notatæ, octodecim scilicet figurarum paria Lydii modi, in genere diatonico, phthongos ita signabant, ut inter canendum superior Dictionem, inferior cujusque paris Pulsum denotaret. Primum nempe par, quod ζῆτα ἐλλιπὲς καὶ ταῦ πλάγιον vocabant, προσλαμβανόμενον; atque illud Dictionem, hoc Pulsum. Secundum quod, Γ ἀνεστραμμένον, καὶ Γ ὀρθὸν dixere, similiter τῆς ὑπάτης ὑπατῶν. Atque ita deinceps in phthongorum Systemate. Eadem ratione id genus aliæ figuræ ceterorum modorum & generum, Enharmonici nimirum & Chromatici, phthongos itidem signabant. Quod tamen me satis intelligere profiteri non ausus sum. Autorum verba duntaxat & figuras de hac re adjicio, ut melioris nimirum judicii acumen expectent. Mentem autem heic de Dictione & Pulsu adsequi hactenus (neque fateri pudet) nequivi. Sed vero ita passim intelligendus Alypius, ut figura quæ ei primo nominatur, pro superiore habeatur; tametsi non solum in codice meo, quæ Christophori Longolii erat, ante annos 100 aut circiter manu exaratus, sed etiam in Mss. tam Gaudentii Isagoges Musicæ quam Alypii exemplaribus, tum bibliothecæ Mertonensis, tum Bodleianæ Oxoniis, altera cujuslibet paris figura alteram in porrectum plerunque sequatur, & proprius ille male negligatur omnino situs quo diversa utriusque officia notari debuissent. Nam, in codicibus illis, miniata delineatio figurarum descriptioni illi, quæ sola in vulgatis habetur, accessit. De figuris etiam hisce Gaudentius sub Isagoges finem, ἐχρήσαντο, inquit, οἱ παλαιοὶ ὀνόμασι πρὸς τὴν σημασίαν τῶν ὀκτωκαίδεκα φθόγγων, καὶ γράμμασι τοῖς καλουμένοις Σημείοις, ὧν (lege περὶ ὧν) νῦν ῥητέον. Ἡ τῶν μουσικῶν σημείων ἔκθεσις γέγονε μὲν ἐπὶ σημειώσει τῶν φθόγγων, ὅπως μὴ τὰ ὀνόματα καθ' ἕκαστον γράφοιτο, ἀλλ' ἐνὶ δὲ σημείῳ δύναιτό τις ἐπιγινώσκειν, καὶ ἀποσημειοῦσθαι φθόγγον. Et postea, ἔθεσαν δὲ διπλᾶ καθ' ἕκαστον στίχον τὰ σημεῖα ὧν τὸ μὲν ἄνω τὴν λέξιν ἀποσημαίνει, τὸ δὲ κάτω τὴν κροῦσιν. Id ipsum dicit quod Alypius. Et ad eandem rem Aristides Quintilianus, περὶ Μουσικῆς lib. 1. τοῖς μὲν κάτω τὰ κῶλα καὶ τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς μεσαύλικα ἢ ψιλὰ κρούματα, τοῖς δὲ ἄνω τὰς ᾠδὰς χαρακτηρίζομεν. Codex Aristidis Quintiliani manuscriptus habetur tam in Bibliotheca Magdalenensi Oxoniis quam Bodleianâ. Sed Magdalenensis est vetustior. Scripsit de Musica tres libros ad τιμιωτάτους ἑταίρους Eusebium & Florentium, & compluria habet de figuris Musicis, earum ratione, usu, situ, quæ neque apud Alypium nec Gaudentium reperiuntur. Quæ autem ex Manuscriptis hisce Oxoniensibus huc transtulimus, cum quamplurimis aliis notatu dignissimis, quibus nempe

nempe locus hic non est, ea omnino debemus insigni humanitati V. Cl. & eruditissimi Petri Turneri sodalis Mertonensis qui nobis ea communicare amicissime dignatus est. Fusius hæc explicent qui Musicam callent, & cum Bacchii τοῦ γέροντος, Autoris Græci vetusti, Isagoge comparent. Bacchius habetur integer apud Marinum Mersenium in Genesim pag. 1887. Eundem etiam Marinum de hac re consulant, pag. 1883, 1666, & 1707. Atque hisce quæ obiter indicavimus rite intellectis, cognosci demum, opinor, satis poterit quale fuerit διάγραμμα illud seu σχῆμα ἐπίπεδον τὰς τῶν μελῳδουμένων περιέχον δυνάμεις, seu figura plana vires eorum quæ canuntur continens apud veteres Græcos, uti appellatur Cleonidi in Harmonica quæ Euclidi vulgo tribuitur. Diagrammatum vero seu σημείων hujusmodi (**Tablature** hodie vocamus) primum faciunt nonnulli autorem Stratonicum citharœdum, de qua re consule virum summum Isaacum Casaubonum in Animadversionum in Athenæum, lib. 8. cap. 12. Alius omnino & multo simplicioris generis sunt notulæ recentiores Græcorum quas habet Mersenius in Genesis cap. 4. quæst. 56. pag. 1527. Vide porro eundem quæst. 57. artic. 17. pag. 1694. & quas V. Cl. Jano Rutgersio ostendit Græculus ille de quo lepidissimum habet vir ille doctissimus politissimusque narrationem. Sed ad Nomos redimus, de quibus vide etiam Cœlium Rhodiginum, lib. 9. cap. 3. & Scaligerum Poetices, lib. 1. cap. 19. Et in prima hac notatione usurpari opinor νόμον à Maximo Tyrio Dissertatione 7. ubi ᾠδὴ γὰρ, inquit, ἐν μουσικῇ μελῶν εἰς νόμος· ᾠδὴ εἰς χορός. Id genus alia sunt. Altera τοῦ Νόμου notio est quando pro ipso genere cantici tam ex vocabulorum scilicet metris aut rythmis quam modulis musicis legitimis in honorem Deorum maxime composito sumitur. Hanc à prima defluxisse palam est. Cantica nempe quædam secundum nomos formata etiam ipsa Nomi tandem dicta; ut, in Ecclesiis tam Orientali, quam Occidentali, cantus sacri horæ qui horis Canonicis canuntur. Sed ad ea cantica quæ in Deorum honorem componebantur Nomorum vocabulum etiam restrictum est, non aliter fere quam Versus, Antiphona, Introitus, Psalmus, Hymnus, & id genus cetera, quæ ex origine sua latissime patent, ad sacras in Christianismo cantiones. Etiam in choris præcipue canebantur Nomi, sed sine antistrophis. Nec omnia in choris cantica Nomi dicti. Aristoteles Problemate 19. sect. 15. διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο· αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; Unde factum est quòd nomi sine antistrophis peragebantur, aliæ autem quæ ad choros spectant cantilenæ non item? Vide quæ sequuntur. Et de Nomis hoc sensu consule si placet, præter Plutarchum, Suidam in Timotheo, in Ὄρθιον & in Ἁρμάτειον, & Suetonium in Nerone, cap. 20. Proclus autem in Chrestomathia, diviso in tria genera carmine melico, quorum primum ait ad Deos spectare, secundum ad Homines, tertium εἰς τὰς προσπιπτούσας περιστάσεις, seu ad ea quæ obiter eveniunt, ad Deos spectare ait Hymnum, Prosodium, Pæanem, Dithyrambum, Nomon, Adonidia, Iobacchum & Hyporchemata. Atqui in singulari omnium explicatione Nomon Apollini proprium facit. Ἔχει δὲ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἀπ' αὐτοῦ, quin & ab Apolline nomen sumsit. Νόμιμος γὰρ ὁ Ἀπόλλων ἐπεκλήθη, nam & Apollo Nomimus nuncupabatur. Νόμιμον eum dictum non memini, Νόμιον sæpius, uti & Νομικὸν melopœiæ speciem quæ item νητοειδὴς vocabatur. Martianus Capella lib. 9. Neotoides quæ & νομικὸς consuevit vocari, quæ plures sonos ex ultimis recipit. Nomen utrunque forte à nomi, quam tractamus, notione deductum. Nomos autem Apollini proprios fuisse, nullus omnino credo. Nomus ὄρθιος Palladi sacer erat, uti etiam ἁρματεῖος ut aliqui apud Hesychium; licet etiam hic de Hectore curru seu ἅρματι tracto nonnullis accipiatur. Vide Suidam. Et noster heic plane Proclo adversatur. Quin πρὸς τοὺς θεοὺς Νόμοι, apud Græcos in usu memorantur Plutarcho. Et Polluci lib. 4. Nomi tam Jovi & Palladi quam Apollini tribuuntur.

tribuuntur. Sed vero de vocabuli ratione, Aristoteles Problemate 19. sect. 28. Διὰ τί νόμοι καλοῦνται οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα ᾖδον τοὺς νόμους ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται; ὥσπερ Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι· καὶ τῶν ὑστέρων οὖν ᾠδῶν τὰς πρώτας, τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν ὅπερ τὰς πρώτας. Unde evenit quod Nomos, quos canunt, ita nominantur? anne inde fit, quod, priusquam literas callebant, Leges cantabant, ne scilicet earum obliviscerentur, id quod etiamnum Agathyrsis in usu est? atque ideo recentiorum cantilenarum primarias eo vocabant nomine, quo ipsas primas. Certe memorant alii Græcis in usu antiquitus fuisse Leges & Decreta ad lyram recitare. Harmonia apud Martianum Capellam, lib. 9. "Quid pacis, inquit, munia? nonne nostris cantibus celebrata? Græcarum quippe urbium multæ ad lyram Leges Decretaque publica recitabant. Et de ea re vide quod infra habemus de Terpandro. Nihilo secius, summi philosophi pace, persuasum non possum non habere, primariam vocabuli causam eandem fuisse quam ex Plutarcho supra adtulimus, nec à canendis legibus omnino emanâsse. Duplici hac Nomi notione non animadversâ, plurima de veterum, & Musica, & Poesi loca male capi necesse est. Sed desiit plerunque prima; postquam Musicis legibus, etiam autoritate publica olim subnixis, soluti, pro artificum ingenio ad alios, atque alios Chordarum & phthongorum, tum numeros, tum intensiones, ut hodiernus mos est, transire solebant. Et secundæ usus frequens erat, unde & Marmoreo nostro autori heic ἄλλοι νόμοι. Sed dum ἄλλως dicit, mutilam illam periochæ partem, quæ præcessit, de Nomo etiam intelligendam innuit. Harmoniam illam Phrygiam, quam Hyagnidi tribuit, non Modum duntaxat fuisse Phrygium, non Nomos prima notione modo Phrygio præscriptos sentio, sed cantilenarum ipsarum modulis instructarum genus, seu melica carmina quæ Deûm Matri propria etiam νόμοι Φρύγιοι dicebantur. De eis locutus est, puto, Telestes Selimmtius, ubi Phrygium hujus numinis nomum à Pelopis comitibus in Græciam primum traductum scribit, & hymnum Lydium diserte simul memorat:

Πρῶτοι παρὰ κρατῆρας Ἑλλήνων ἐν αὐλοῖς
Συνοπαδοὶ Πέλοπος ματρὸς ὀρείας
Φρύγιον ἄεισαν νόμον.
Τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς
Κρέκον Λύδιον ὕμνον.

Leguntur apud Athenæum lib. 14. Nam ut hymnus Lydius plane Cantilena heic, ita nomus Phrygius. Sic Νόμος Persicus, eodem libro, Diogeni Tragico memoratur. Ita etiam recte interpretatus est B. Hieronymus Eusebium (modo verbo Citharicorum venia detur) ubi Mesomedem Cretensem sub Antonino Pio, Citharicorum carminum Musicum poetam vocat, quem Eusebius, numero BPΞ, ποιητὴν νόμων κιθαρῳδικῶν appellat; uti ad I. Capitolinum doctissime animadvertit etiam V. C. Claudius Salmasius contra magnum virum, qui non modo, notis ad Eusebium, aliter omnino hallucinatus scripsit, verum etiam inde, memoriæ lapsu, in prolegomenis, D. Hieronymum, quid νόμοι essent λυρικοὶ ne minimum quidem odoratum esse temere satis asserit. Sed error fuit etiam plurium, νόμους pro modis tantum accepisse. Tam autem modorum quam sacrorum carminum ad citharam aptatorum poeta erat Mesomedes; uti & fuerant quamplurimi alii, tametsi sæpius etiam in scena operas suas poetis locarent tibicines & modos faciebant, ut videre est apud Terentium. Certe tam Modos quam Carmina, seu dictionem, sive metricam, sive rythmicam componere ejusdem erat, seculis vetustissimis; unde cantores & ἀοιδοὶ, poetæ passim dicti. Et trajectio est jocularis literarum apud Hesychium, ubi habent vulgati codices Βαρδοὶ αἱ ᾠδοὶ παρὰ Γαλάταις. Quod vir doctissimus

ctissimus & de Græcis præsertim literis maxime meritus, utraque Glossarii editione accepit ac si Bardi vias, quæ ὁδοὶ sunt, Gallis significasset. Dejerare ausim scripsisse Hesychium, Βαρδοὶ ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις, Bardi poetæ, seu cantores sunt Gallis, uti etiam Britannis, quod ex Athenæo, Marcellino, aliisq; scimus. Et Festus diserte, Bardus Gallice cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit. De Bardi porro voce videsis Turnebi Adversaria, lib. 23. cap. 15.

Νόμοι Μητρὸς, Διονύσου, Πανός. Præter Nomos, Deum matri proprios, etiam alios ei, Baccho, Pani, Satyris, communes cecinit primum Hyagnis Phryx. Et modus Phrygius, ante alios, religiosus signanter dicitur Apuleio, Floridorum primo. De communibus horum sacris, unde orta & Nomorum seu cantilenarum communio, consule in primis Strabonem libro 10, ubi de Curetibus agit, & Euripidis Bacchas. In Nomis hisce & qui fuere ceteris diis dicati, mira erat & ridicula theogoniarum, amorum, peregrinationum, fraudum, portentorum seges, & sexcenta tam puerilia quam fabulosa. Neq; aliter fieri potuit. Atque inde recte capiendus est locus Philosophorum principis hactenus à viris alioquin doctissimis alio per tot secula, idque subinde pueriliter nimis, detorsus. In Metaphysicorum 2. cap. 3. de potentissima consuetudinis vi locutus, ἡλίκην δὲ ἰσχὺν inquit, ἔχει τὸ σύνηθες, οἱ νόμοι δηλοῦσιν, ἐν οἷς τὰ μυθώδη, καὶ παιδαριώδη μεῖζον ἰσχύει τοῦ γινώσκειν περὶ αὐτῶν, διὰ τὸ ἔθος. Qualis sit consuetudinis vis etiam ipsi Nomi demonstrant, in quibus fabulosa & puerilia, eo quod eis assueti sumus, plus valent quam vera eorum cognitio. Etiam ratio eadem in loci interpretatione forte obtinebit. Commentariis enim assuevimus plerunque, qui de Legibus sive Civilibus, sive Gentium, Philosophum loqui dictitant, quo nihil fabulosius, aut puerilius. Ubinam amabo habentur, sive apud veteres Græcos, sive alibi, ejusmodi leges? Legum, Imperiis in quibus vim sortiuntur, aliquando nonnullæ ineptæ reperiuntur; Enantiophanῶn in eis cumulus non deest; rabularum forensium sæpe distorquentur vafritie; alia eis insunt & in plerarumque gentium Legibus semper inerant quæ emendatione, explicatione, obrogatione, abrogatione indigent. Sed quam fabulosa & puerilia nihil omnino minus. Etiam perquam puerile est, quod habet heic Alexander Aphrodisiensis de fabula dentium satorum unde homines prognati; ac si inde pro patria pugnandum fore lex exegisset. Et prudentius Petrus Fonseca in explanatione capitis, postquam vulgatam de Legibus Civilibus opinionem tradiderat, fortasse adjicit, tamen nomine τῶν νόμων, intelligit Aristoteles veteres quasdam cantilenas, & ad Problemata lectorem relegat.

Hactenus Cl. Seldenus. Nos quæ de Veterum Nomis, & Diagrammate desiderat Vir summus supplere conabimur. Νόμον Scaliger atque Casaubonus legem vertunt. Casaubonus præterea illud Athenæi, κατὰ νόμον exponit præscriptis numeris, & Terpandri νόμους ibidem modos vocat. Omnino autem retinendum videtur Nomi vocabulum, adhibendumque tum alibi in Musicis, tum apud Strabonem, lib. 10. Ubi Thaletem Lycurgi comitem μελοποιὸν ἄνδρα, καὶ νομοθετικὸν appellat, dicitque illi tribui Pæanas, & τὰς ἐπιχωρίους ᾠδὰς καὶ πολλὰ τῶν νομίμων. Nam & apud Aristidem Quintilianum, νομοθετῆσαι de melopæia dicitur, & ab eodem memorantur συνήθη μέλη ἃ καὶ νόμους προσηγόρευον. Unde & fortasse Proclus loco superius citato Apollinem Νόμιμον appellatum recte dixerit, nisi & apud Strabonem pro νομίμων scribendum sit νομικῶν, quod tamen minus verisimile est, siquidem & apud Platonem νομοθετῆσαι & νομίμων in prædicto sensu occurrunt. Cœlius Rhodiginus in Lectionibus Antiquis. "Sciendum, inquit, in Carmine & cantilena Nomon significare qualitatem "vocis, & moderationem qua vel remissiore vel acutiore utimur: eandem "itaque cantilenam duobus tribusve nomis modulantur Musici. Ubi quod primo dicit non intelligo, posterius falsum est. Eundem enim Nomon pluribus

bus membris distinctum cum Polluce, pluribus strophis modisque varium cum Plutarcho agnoscimus; at eandem cantilenam pluribus nomis modulari nemo unquam Musicorum aggressus est, sed contrarium potius ex pluribus cantilenis unum Nomon componere soliti sunt, ut inferius constabit. Sed pergit, "Ratio autem nominis ea est, quia Græce νόμος lex est, Veteres autem priusquam literas scirent, leges cantabant, ne illas oblivioni mandarent, quod temporibus suis in more Agathyrsis fuisse scribit Aristoteles. Ergo primas posteriorum cantilenarum eodem appellarunt nomine quo omnes vocabantur superiores. Et potuit fateri rationem integram ex Aristotelis Probl. sect. 19. (& pene verbum verbo) redditam. Pro qua etiam facit Carminis apud Romanos intellectus quoque forensis. Nam solennem Juris formulam appellari Carmen ex Cicerone colligimus, & Livio Lex horrendi Carminis appellatur, quam Duumviri in causa Horatii pronuntiarunt. Sed & Charondæ νόμους easque non cantilenas sed leges Athenis cantari solitas ex Athenæo Stephanus agnoscit. Ipse tamen & post eum Seldenus recipiunt potius Plutarchi sententiam, qui in libro de Musica hæc habet: ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἑκάστῳ διετήρουν τὴν οἰκείαν τάσιν, διὸ καὶ ταύτην ἐπωνυμίαν εἶχον· νόμοι γὰρ προσηγορεύθησαν, ἐπειδὴ οὐκ ἐξῆν παραβῆναι καθ' ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως. Quæ si vera sint, erit sane Nomus Veteribus idem quod nostris, **The Tuning**, quæ in Polychordis pro Clavium diversitate (**The Key**, nostri vocant) varia est. Quod si cuilibet Nomo assignata sit sua tensio, quam omnino transgredi esset illicitum, non ita facile videtur intelligere quæ idem scribit inferius, Sacadam scil. Argivum in Nomo suo Τειμελεῖ (sive Τειμερεῖ, nam utroque modo scriptum reperitur) præcepisse choro, ut canerent tres ejus strophas Δωριστὶ μὲν τὴν πρώτην, Φρυγιστὶ δὲ τὴν δευτέραν, Λυδιστὶ δὲ τὴν τρίτην. Neque commode recipient Nomi partitionem ab eodem proxime memoratam quando τούς τε αὐλῳδικοὺς νόμους, καὶ κιθαρῳδικοὺς recenset. Siquidem accurate loquentibus tibiæ τάσις non magis convenit quam chordæ τρῆσις. Neque loca quibus τάσις apud Musicos occurrit contrarium aliquid modo recte intellecta suadebunt; sed nolo cum Grammaticis contendere. Fuisse autem utriusque generis Nomos extra dubium est: Quare ut utrisque, & cantui quoque accommodetur Nomi intellectus, videbitur potius accedere ad solennes illas statasque cantineas, quas Magistri nostrates discentibus primas commendant, ut loquuntur ipsi, **To give a good shape in singing**, & **To make a hand for playing**, ad formandam vocem erudiendosque digitos: iis enim rudimenta totius Praxeos complectuntur, Clavis cujusque indolem aperiunt, docentque quas principalis recipiat sibi cognatas, quas tanquam nimis alienas rejiciat, & qua demum arte felicissime exprimi possint quas admittit. Atque ad hunc fere modum scriptos fuisse credo Nomorum libros 18. quos Timotheum reliquisse Stephanus περὶ πόλεων affirmat. Vocabuli autem originem quod attinet, si (quod nolim) ab Aristotele recedatur, dici potest (sicut cithara qua Nomos modulati sunt, ab inventorum patria Asias dicta est, ita & Nomorum vocabulum) ἀπὸ τῶν νομῶν, vel etiam Νομάδων esse deductum. Nam & apud Athenæum, lib. 14. Duris asserit Λίβυν τὸν αὐλὸν προσαγορεύειν τοὺς Ποιητάς, ἐπειδὴ Σειρίτης ὅς δοκεῖ πρῶτος εὑρεῖν τὴν αὐλητικὴν Λίβυς ἦν τῶν Νομάδων, ὃς καὶ κατηύλησε τὰ μητρῷα πρῶτος. Nomos scil. Cereris, quos & autor noster Marmoreus memorat. Hujusmodi porro Etymologiæ & alibi frequentes sunt; sed ne extra Musicam vagemur, toni ipsi Dorius, Phrygius, Lydiusque, gentium nominibus appellantur: Nobis quoque **an Alman**, vocatur cantilena quam primi omnium invenisse feruntur Alemanni; eademque ratione apud Italos, *Spagnolettas*, *Francescas*, *Græcas*, &c. dici Zarlinus prodidit. Atque hic obiter notandum est, καταυλῆσαι quod hoc loco simpliciter tibia canere, vel modulari significat, apud Athenæum tamen libro eodem, ubi ex Theophrasto dicit Ischiacos sanari siquis καταυλήσοι τὸν τόπον τῇ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ incan-

tationem intelligi, nequis Musicæ tribuat quod Magiæ debetur. Sed nec extra Licentiam Grammaticam esset, si derivatum dixeris nomon à Pronomo illo Thebano, qui ut Athenæus etiam inquit, πρῶτος ηὔλησεν ἀπὸ τῶν αὐλῶν πάσας ἁρμονίας. Nomos autem aulædicos, citharædicis antiquiores fuisse verisimile est, sicut & Tibiam cithara antiquiorem esse Julius Scaliger adnotavit.

Inter eos qui ex professo Musica scripsere, solus (quantum memini) Aristides Nomi mentionem facit, lib. 2. uti superius innuimus; ibidemque originem vocis aliam affert: Ait enim, "Veteres, cantilenas, rythmos, atque "saltationes adhibuisse, tam privatis lætitiis, quam publicis Deorum festis, καὶ συνήθη μέλη τινὰ νομοθετήσαντας ἃ καὶ νόμους προσηγόρευον, firmitatem ipsis inde "machinatos quod in sacris adhiberentur, mansurasque immobiles per appel"lationem bene ominatos, ut vertit Meibomius. Scribit Aristophanis Scholiastes, Nomos quasi primario dici de iis quæ canuntur πρὸς τοὺς Θεούς, quod Stephano displicet, quoniam exemplum desiderat. Esto igitur è multis unum illud Athenei ἀλλὰ μὴν οἱ ἀρχαῖοι παρέλαβον ἔθεσι καὶ νόμοις τοὺς τῶν θεῶν ὕμνους, ut etiam moneamus pro ἔθεσι illic scribendum ἤθεσι; non enim consuetudines legesque intelligit, ut ibidem interpres existimat, sed νόμους atque ἤθη, de quibus statim dicemus.

Aristides, Quintilianus, atque ex illo ut videtur Bryennius, Melopœiæ tres constituunt species Systemate diversas; Hypatoidem, Mesoidem, & Netoidem, uterque (ut aiunt) secundum prædictas sibi vocis proprietates. Modos insuper Melopœiæ tres; Dithyrambicum, qui mesoides, Nomicum, qui netoides, Tragicum, qui hypatoides. Apud Euclidem ceterosque hæc distributio non occurrit: Sed nec apud Aristidem, aut Bryennium, proprietates illæ, quas tamen prædictas dicunt, ut Meibomius adnotavit. Nisi forte Bryennius ad illud comma respexerit; τῶν δὲ ἀνισοτόνων, καὶ ἐμμελῶν φθόγγων οἱ μὲν εἰσιν ὀξεῖς, οἱ δὲ βαρεῖς, οἱ δὲ μέσοι, ἀλλ' ὀξεῖς μὲν οἱ τῶν νητῶν, βαρεῖς δὲ οἱ τῶν ὑπατῶν, μέσοι δὲ οἱ τῶν μεταξύ. Quibus subjungit & alias harum differentias; quartam κατὰ φωνῆς τόπον, quintam κατὰ τὸ εἶδος, ἕτερα γὰρ ἤθη τοῖς ὀξυτέροις, καὶ ἕτερα τοῖς βαρυτέροις ἐπιτρέχει. Gaudentio τόπος ἐστὶ φθόγγου καθ' ὃν τοὺς μὲν βαρυτέρους, τοὺς δὲ ὀξυτέρους ποιούμεθα, & Bryennius ex Euclide verbatim, ubi τόνον quadrifariam accipi dicit, ὡς τόπος, inquit, ὅταν λέγωμεν φωνῆς Δώριον ἢ Φρύγιον, ἢ Λύδιον, ἢ ἄλλων τινά. At tres tantum Tonos Modosve antiquissimos fuisse discimus ex Ptol. Harm. l. 2. c. 10. & Bryennius diserte, τῶν γοῦν τόνοι ἀρχαιότατοι τρεῖς εἰσι· ὁ μὲν Δώριος πρὸς τὰ βαρύτερα τῆς φωνῆς χρήσιμος, ὁ δὲ Λύδιος πρὸς τὰ ὀξύτερα, ὁ δὲ Φρύγιος πρὸς τὰ μέσα. Ceterum de morum differentiis Euclides, "τὸ μὲν διασταλτικὸν, inquit, magnificentiam atque "virile animi robur, actiones heroicas, atque his similia signare; & proinde "illo præcipue uti Tragœdiam, reliquaque quæ ad hunc proxime charact"rem accedunt. Συσταλτικὸν vero, quo animus ad humilitatem atque ἄνανδρον διάθεσιν contrahitur, convenire ideo amatoriis affectibus, lamentis, atq; "id genus aliis. Ἡσυχαστικὸν denique, quem tranquillitas animi sequatur, καὶ "κατάστημα ἐλευθέριόν τε, καὶ εἰρηνικὸν, proinde aptari hymnos, pæanas, laudes, "συμβουλὰς, atque his similia. Neque dubium est quin idem sit hoc ἦθος quod Aristidi & Bryennio dicitur μέσον; Nam διὰ μέσου εἰς ἠρεμίαν περιάγομεν τὴν ψυχὴν ut illi loquuntur, & ἡσυχαστικῷ παρέπεται ἠρεμότης ψυχῆς, ut Euclides: & in ceterorum tam Nominibus, quam charactere consentiunt.

Ex hisce invicem collatis existimo satis constare, Modum illum Tragicum, Hypatoidem, Diastalticum quoque fuisse, & Doristi modulatum. Accedit autem, quod Heraclides Ponticus apud Athenæum, veterem τῆς Δωριστὶ rationem, iisdem pene verbis describat atque Euclides ἦθος διασταλτικόν. Dithyrambicum vero mesoidem, Lydisti modulatum, & ad Systalticum pertinere, & Nomicum denique Netoidem, Phrygisti cantatum, & ad Medium illud

Ethos

Ethos referendum, verisimillimum duco. Sed ut apertius constet, præmittenda sunt nonnulla; nam quæ huc spectant apud Autores multa sunt, sed obscura, sed intricatissime scripta, promiscue habita, quæ & alias, & ætatibus distincta oportuit, nec sibi quisquam satis constat, & ab omnibus aliis dissentit: quo minus mirabitur Lector, siqua hic præter spem, receptæ, & verisimillimæ prima fronte sententiæ adversa invenerit, & ignoscentior erit sicubi erratum senserit.

Heraclides Ponticus apud Athenæum, quum nec Phrygiam debere harmoniam, nec Lydiam dici contenderet, Æoliam substituit, ejusque characterem Systaltico simillimum; habere scil. illud "τῶν Αἰολέων ἦθος superbi aliquid "tumidique, subinanis, & laxi, nihilque magis exprimere quam elatum & "confidentem animum; & proinde illi maxime convenire, τὴν φιλοποσίαν, καὶ τὰ ἐρωτικά; at ejusdem Systaltici ἦθος esse καὶ τὰ ἐρωτικά, καὶ τοὺς θρήνους, &c. Euclides docuit. Modos autem fuisse Lydios videtur multifariam constare: sunt enim tam Lydi quam Æoles Doriensium coloni, & severitatem illam τῆς Δωριστὶ paribus utrosque Flexibus fregisse vetus querela est. Mesoidem fuisse Æolum harmoniam, docet & Pratinas apud Athenæum, τὰν μέσ, inquit, νέων ἄρουραν αἰόλιζε τῷ μέλει. Mesoidem quoque Lydiam, sub persona Socratis apud Aristotelem, Plato ostendit, ubi & illam repudiat inter τὰς ἀνειμένας ἁρμονίας, ὡς μεθυστικὰς λαμβάνων αὐτάς. Denique ut toti Systaltico characteri respondeat ἡ Λυδιστὶ, "Niobes nuptiis accommodavit modos "Lydios Pindarus, negantque ab eo id primum institutum, sed aliorum more "factum; Melanippides contra Lydiis modis Epicedia cecinisse fertur, uti & Scaliger in Poeticis observat. Fuit autem Melanippides διθυραμβοποιὸς celebris, eoque (ni fallor) nomine apud Athenæum laudatur. Illum certe Suidas in Dithyrambicis præcipuum, sed innovasse plurima memoravit, quod & Ion fecisse dicitur, & ex illius Dithyrambis citat nonnulla Euclides carmine elegiaco: illud vero inter ἐγκαινοτομίας fuisse, uti & Phrygiam in illis harmoniam pro Lydia aliquando substitutam, perspicuum videtur. Cum enim Aristoteles de suis temporibus loquens, dicat in Politicis, ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον, idem tamen ab antiquo deflexisse, tam carminibus, quam cantu Dithyrambos in Problematibus queritur. Strabo etiam poëtas, præcipue tragicos, Lydorum Phrygumque tam nomina, quam instituta permiscuisse prodidit; iis autem Plato dial. de Legibus id præcipue imputat, quod (φύσει μὲν ποιητικοὶ ἀγνώμονες δὲ περὶ τὸ δίκαιον τῆς μούσης, καὶ τὸ νόμιμον) inventioni suæ nimium indulgentes, & veræ musices rationis ignari, & nomici cantus imperiti, mutassent τὰ εἴδη, καὶ τὰ σχήματα, (i.e. τὰ ἤθη ut ex Aristide supra didicimus) & permiscuissent θρήνους τε ὕμνοις, καὶ παίωνας διθυράμβοις; Luctibus scil. & Dithyrambis qui Systaltici ἦθους sunt, modos facientes ex More Ἡσυχαστικῷ sive nomico, ut etiam clarius infra constabit. Atque illos secutum existimo Bryennium loco supra citato, ubi perperam dicit, ὁ δὲ Λύδιος πρὸς τὰ ὀξύτερα, ὁ δὲ Φρύγιος πρὸς τὰ μέσα. Nisi credatur potius à librario hic, ut alibi sæpissime, manifestissimeq; peccatum. Certe συσταλτικοῦ ἤθους esse cantum Mesoidem, sive Phrygius sit, sive Lydius, abunde declaratum est. Cumque ex ipsius Bryennii sententia, Systalticum sit δι' οὗ πάθη λυπηρὰ κινοῦμεν, illud modis Phrygiis fieri posse nemo unquam mortalium cogitavit. Neque huic adversatur quod Bryennio μέσον ἦθος effecisse dicitur quod nos modis Phrygiis antiquitus tributum contendimus. Nam *Medium* dici videtur, quod ἠρεμότης illa eadem sit quam Ptolemæus μετρίαν διαγωγὴν vocat. Et si omnes ἠθῶν varietates tripartitio ista complectatur, erit illud τοῦ μέσου ἤρεμον, inter ὑπόχαυνον Systaltici, & Diastaltici δραστικὸν intermedium.

Hisce sic constitutis, relinquitur tertium illum Melopœiæ modum, Nomicum scil. netoidem, ad ἦθος illud ἡσυχαστικόν, sive μέσον omnino pertinere, idem que

idemque res ipsa suadet. Cum enim ab Euclide accenseantur illi Pæanes, Encomia, Hymni, συμβουλίαι, atque his similia, Leges à Veteribus cantatas, ortamque inde Nomorum appellationem, ex Aristotele superius didicimus; Hymnos vero, sive juxta Platonem significent εὐχὰς πρὸς τοὺς Θεοὺς, ex eodem constat Nomos fuisse antiquitus appellatos, sive sumto latius vocabulo, ut in communi sententia, significent generaliter τὰ περὶ τοὺς Θεοὺς, non solum ex antedictis apparet, eo etiam sensu Nomorum appellationem sortitos, sed & multæ eorum species, multa nomina apud Autores occurrunt, & in hoc speciatim Marmore Cereris aliorumque Nomi memorantur. Quod autem Pæanas, sive, ut vulgo audiunt, hymnos in Apollinem attinet, sacros illi præ ceteris Polycephalum, Xynauliam, Trimerē, Pythicum, aliosque bene multos fuisse, ex Plutarcho, Athenæo, aliisque manifestissimum est. Quod si cum Scaligero placeat non ad Deos solum reliquos, sed & Heroas extendere, succurrit uberrimum Athenæi testimonium: quod "Apud Arcadas (παλαιοτάτους "τῶν Ἑλλήνων Ἀρκάδας, ut Strabo, ---solos cantare peritos Arcadas, ut Virgi- "lius dicit, apud eos inquam) pueri ab infantia consuescunt hymnos & Pæ- "anas cantare κατὰ νόμον, quibus singuli ut patrius mos est Gentiles Heroas, & "Deos celebrant; deinde postea cum Timothei quoque & Philoxeni νόμους "perdidicerint, ad tibias in Theatris quotannis saltant per Bacchanalia, pueri "quidem puerili certamine, Juvenes virili, totoque vitæ decursu, &c. quibus omnino convenire videntur quæ Aristides memorat loco superius citato. Nomici autem modos fuisse Phrygios, quanquam ex antedictis liquere videatur, tamen nec illud negligendum est, quod Olympus atque Hyagnis Nomothetarum antiquissimi, Phryges fuerint. Non me fugit posteriore seculo, quum Musica pluribus tonis luxuriaret, alium illis fuisse quam simpliciore ævo characterem; si quis tamen aliter sentiat, fruatur per me licet opinione, etsi non penitus falsa, at certe minus antiqua.

Cæterum ex proxime allatis videtur facillimum definire quomodo intelligendum sit illud Plutarchi, quod perpendant, inquit Cl. Seldenus, qui veterem Musicam callent. Verba hæc sunt L. de M. ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο Τιμόθεος ἐδήλωσε· τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων, διθυραμβικὴν λέξιν ᾖδεν, ὅπως μὴ εὐθὺς φανῇ παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν μουσικήν. Quæ Seldenus ita reddit. "Nomis carminibus heroicis aptatis, "dictionem nihilominus διθυραμβικὴν cantasse, ne citius quam par erat videre- "tur veterem Musicam innovâsse. Ubi notandum, 1. *Dictionem* hic cum Boethio appellari qui cantus est, eadem nempe λέξις quæ τῇ κρούσει opponitur in distributione τῶν σημείων, quorum τὰ μὲν ἄνω τῆς λέξεως, τὰ δὲ κάτω κρούσεως. 2. Illud *nihilominus* temere interpositum, mutasse commatis sensum. 3. *Citius quam par erat*: non bene respondere, τῷ εὐθὺς, quod potius *prima fronte statim, facile,* aut ejusmodi voce aliqua reddidisset. 4. Præterquam quod illud veterem Musicam innovasse non satis congrue dictum sit, vocabulum *innovasse* τῷ παρανομῶν nullo modo respondere. Timotheum vero intelligi Milesium illum, διθυραμβοποιοῖς à Diodoro adnumeratum, & eorum fortasse antiquissimum, qui etiam φιλοκαινίας Spartæ pœnas dedit, admonere supervacaneum est. Sensum igitur commatis existimo hunc esse. Timotheum scil. Dithyrambicum quod canebat dissimulasse admixtis veterum Nomis (qui & heroico carmine conscripti & lege stabiliti erant) ne illum Judices quibus id etiam lege demandatum est, facile deprehenderent contra sancitam legibus harmoniam, cantu ut ita dicam præternomico peccantem. Videtur enim, ex loquendi formula, Plutarchus omnino respexisse ad illum Platonis locum, quem etiam fortasse male reddendo suam Nomi etymologiam invenit. Est autem in dialogo de legibus tertio, in hæc verba, Νόμους τι αὐτὸ τοῦτο τοὔνομα ἐκάλουν, &c. Τούτων δὲ διατεταγμένων, καὶ ἄλλων τινῶν, οὐκ ἐξῆν ἄλλῳ εἰς ἄλλο καταχρῆσθαι μέλους εἶδος. Τὸ δὲ κῦρος τούτων, γνῶναί τι, καὶ ἅμα γνόντα δικάσαι, ζημιοῦν

μῦν τι αὖ τ̃ μὴ πειθόμενον, οὐ σύριγξ ἦν οὐδέ τινες ἄμουσοι βοαὶ πλήθους, καθάπερ νῦν, οὐδ' αὖ κρότοι ἐπαίνοις ἀποδιδόντες, ἀλλὰ τοῖς μὲν γεγονόσι περὶ παίδευσιν, δεδογμένον ἀκούειν ἦν αὐτοῖς μετὰ σιγῆς διὰ τέλους· παισὶ δὲ καὶ παιδαγωγοῖς, καὶ τῷ πλείστῳ ὄχλῳ ῥάβδου κοσμούσης ἡ νουθέτησις ἐγίγνετο. ut & hinc obiter constet, quid sentiendum sit de Virga quam Rhapsodiis (h. e. Nomis) Homericis nomen fecisse vetus sententia est, ut Eustathius tradit. μετὰ δὲ ταῦτα προϊόντος τοῦ χρόνου ἄρχοντες μὲν τῆς ἀμούσου παρανομίας ἐγίγνοντο ποιηταί, &c. In sequentibus vero παρανομία illa declaratur; quod nempe, ut supra diximus, Poetæ ἀγνώμονες περὶ τὸ δίκαιον τῆς μούσης, καὶ τὸ νόμιμον (& ut inferius dicit, "Musicam insci-"ente & imperita vecordia ementientes, quasi certo solidoque fundamento mi-"nime consisteret) miscuerant Threnos Hymnis & Pæanas Dithyrambis. Veritus igitur indictam Paranomiæ mulctam Timotheus φιλοχρηνίαν dissimulavit uti diximus, ὅπως μὴ εὐθὺς φανῇ παρανομῶν, &c. Atque Timothei exemplo verisimile est æqualem illi Philoxenum (Timotheus enim Ol. 83. Philoxenus vero διθυραμβοποιὸς Olym. 85. floruit) conatum ut Aristoteles memorat, ἐν τῇ Δωριστὶ ποιῆσαι διθυράμβους τοὺς μύθους, atqui non potuisse, sed incidisse in τ̃ Φρυγιστί, cujus harmonia, sive εἶδος, ad Dithyrambicum propius accessit.

Nomorum multa extant apud Autores nomina, siquidem appellati sunt ἀπὸ μὲν ἐθνῶν ὅθεν ἦν, αἰώλιος καὶ βοιώτιος, ἀπὸ ῥυθμῶν δὲ, ὄρθιος, καὶ τροχαῖος, ἀπὸ δὲ τρόπων, ὀξὺς, καὶ τετράοιδος, &c. ut inquit Julius Pollux in Onomastico. Apud Plutarchum quoque (ut ceteros mittam) αὐλῳδικοὶ ἦσαν Ἀπόθετος, Ἔλεγοι, Κωμάρχιος, Σχοινίων, Κηπίων τε, καὶ Δεῖος, καὶ Τριμελής. & inferius, Olympum dicit invenisse νόμον αὐλητικὸν εἰς Ἀπόλλωνα τὸν καλούμενον Πολυκέφαλον. Ἀπόθετον quoque & Σχοινίωνα Clonæ tribuit. Τριμελῆ Sacadæ Argivo. Illum ex Plutarcho superius exposuimus; de ceteris non satis constat. Quod enim Scaliger affirmat, Dictum à numerorum frequentia πολυκέφαλον profecto non capio. Multo minus admittendum censeo quod Magister ejus Rhodiginus protulit, "diversum forte non esse à nomo quem Synauli-"am vocant, ea vero est quum tibicines duo incinunt idem, aut certe ubi ci-"thara & tibia concentum faciunt. Desumtum hoc à Scholiaste Aristophanis, qui hunc Ὀλύμπου νόμον vocat. Scholium vero tum ex se ineptum est, tum Athenæo prorsus contrarium. Erat enim ex illo Συναυλία, ἀγών τις συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ, καὶ ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος. Pessime omnium Pindari Scholiastes, scitissimum illud Poetæ commentum, Tibiam scil. invenisse Pallada sibilum illum imitatam, quem ediderant serpentes Medusæ à Perseo obtruncatæ, modosque illis aptatos communicasse mortalibus, & ab anguium multitudine appellasse κεφαλᾶν πολλῶν νόμον, historica fide dignum existimat. Quod si Nomorum ingenium propius intueri libeat, commodissimus videtur locus ille Pollucis supra citatus: antedictis enim subjungit, μέρη δὲ κιθαρῳδικοῦ νόμου Τερπάνδρου κατανενεμηκότος, ἔπαρχα, ἐπαρχεῖα, μέταρχα, κατάτροπα, μετακατάτροπα, ὀμφαλὸς, σφραγὶς, ἐπίλογος. ubi si animi gratia commentari liceat, crediderim Nomon sic distributum illi non absimilem fuisse quem nos **A suit of Lessons**, vocamus, Theatro præcipue destinatum, & antiquissimam Dramatis partitionem secutum; ut fortasse ἔπαρχα, sive ἐπαρχεῖα præcesserit prologum; aut si malis accuratius distinguere, ἔπαρχα illud fuerit quod nos **An Entry**, dicimus, breve aliquod præludii genus, & ut Plutarchus inter Terpandri inventa memorat προοίμιόν τι κιθαρῳδικὸν, quæ primam ariam introducit. Μέταρχα vero Epitasin proxime antecesserit, Κατάτροπα Catastasin, Μετακατάτροπα, Catastrophen, Ὀμφαλὸς Epilogum; totam denique Fabulam clauserit & quasi obsignaverit Σφραγὶς, cujus pars ultima ἐπίλογος fuerit; qualem nos **a Brouch** appellamus. Eodemque ut videtur consilio, Sacadas ille Argivus Nomum suum Πυθικὸν in quinque membra dissecuit: quanquam Πυθικὸς ille Terpandrio aliquantulum provectior sit, pro-

propriusque accedat ad illas Italorum *Operas*, quas nunc Theatra, tam nostra quam Gallica imitantur. Apud Pollucem enim describitur, his verbis. Τοῦ δὲ Πυθικοῦ νόμου αὐλητικοῦ μέρη πέντε. Πεῖρα, Κατακελευσμὸς, Ἰαμβικὸν, Σπονδεῖον, Καταχόρευσις. Δήλωμα δ' ἐστὶ νόμος τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος μάχης πρὸς τὸν δράκοντα. Καὶ ἐν μὲν τῇ πείρᾳ, διορᾶται τὸν τόπον εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ ἀγῶνος· ἐν δὲ τῷ κατακελευσμῷ, προκαλεῖται τὸν δράκοντα, ἐν δὲ τῷ Ἰαμβικῷ μάχεται, ἐμπεριείληφε δὲ τὸ Ἰαμβικὸν, καὶ τὰ σαλπιστικὰ κρούματα, καὶ τὸν ὀδοντισμὸν, ὡς τοῦ δράκοντος ἐν τῷ τοξεύεσθαι συμπρίοντος τοὺς ὀδόντας· Τὸ δὲ Σπονδεῖον δηλοῖ τὴν νίκην τοῦ Θεοῦ, ἐν δὲ τῇ καταχορεύσει ὁ Θεὸς τὰ ἐπινίκια χορεύει. Aliis porro temporibus videtur Nomorum vocabulum indifferenter tributum cuilibet cantilenæ, quæ ut Phavorinus ex Suida inquit, ἁρμονίαν ἔχει τακτὴν, καὶ ῥυθμὸν ὡρισμένον. Nam & in sympofiacis scribit Plutarchus, ubi saliantur equæ Nomon incini solitum quem vocant Hippothorum. Neque credibile est, ita defecisse felicitatem illam Græcorum in nominibus fingendis, ut suis etiam appellationibus caruerint Nomi, quibus, ut inquit Julius Pollux, Οἱ Τυῤῥηνοὶ τῶν Ἀριστοπάλους λόγῳ οὐ πυκτεύουσιν ὑπ' αὐλῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μαστιγοῦσι, καὶ ὀψοποιοῦσι. Et quidem de Nomis hactenus, Superest ut de Diagrammate nonnulla qua possumus brevitate subjungantur.

Est igitur Διάγραμμα secundum Euclidem σχῆμα ἐπίπεδον πᾶσας τῶν μελῳδουμένων περιέχον δυνάμεις, δύναμις δὲ ἐστὶ τάξις φθόγγου δι' ἧς γνωρίζομεν τῶν φθόγγων ἕκαστον. Cl. Seld. supra & D. Chilmead in suis ad Dionysium notis Tabulaturæ nostræ comparant, Causabonum opinor secuti, sed ex intellectu vocabuli illius apud nostrates non satis accurate. Nobis siquidem Tabulatura dicitur, quæ Alphabeti literis designat cantilenas, Instrumentis præsertim Polychordis aptas, cantui vero accommodari nec solet unquam, nec fortasse potest nisi magno & inutili molimine. Opponitur itaque modo communi, qui pentagrammis notisque vulgaribus melodiam vel vocibus, vel etiam instrumentis scribit. At diagrammate antiquo comprehensa sunt duum generum, σημεῖα, quorum τὰ μὲν ἄνω λέξεως, τὰ δὲ κάτω κρούσεως· alter ordo vocibus, alter instrumentis convenit. Διπλῆ δὲ, inquit Aristides, ἡ ἔκθεσις τῶν σημείων γέγονεν ἡμῖν ἐκ τῆς τῶν κάτω γραφομένων ὁμοιότητος, τὴν τῶν ἄνω θεωρουμένων ἀκολουθίαν, καὶ ὅπως τοῖς μὲν κάτω τὰ κῶλα, καὶ τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς μεσαυλικὰ ἢ ψιλὰ κρούματα· τοῖς δὲ ἄνω τὰς ᾠδὰς χαρακτηρίζομεν, καὶ ὅπως τὰ κατὰ τὴν μουσικὴν ἀπόῤῥητα συγκρύπτωμεν δυσκόλως αὐτὴν τῶν ἐν χρήσει γραμμάτων κατὰ τὴν τονικὴν ἔκθεσιν ὑπογεγραμμένα καταπαύοντες· πτέρυγι δὲ τὸ διάγραμμα τῶν τρόπων γίνεται παραπλήσιον, τὰς ὑπεροχὰς, ἃς ἔχουσιν οἱ τόνοι πρὸς ἀλλήλους ἀναδιδάσκον. Ipsum autem Diagramma ejusque σημεῖα Generibus tonisque omnibus, & tam λέξει quam κρούσει propria, exhibuit Meibomius in sua Musicorum editione, rectene an secus Kircherus viderit, qui aliam omnino formam alios Characteres tuetur in sua Musurgia. Nobis res ipsa non videtur tanti, neque operæ pretium Characteres hic apponere: nisi superessent aliqua saltem veteris Musicæ specimina hisce alphabetis expressa, nam ipsum profecto commentum crassius est quam ut in usum denuo revocari possit. Sufficiet igitur adnotare, Veteres cum ignorarent, tactum quod nos *Tempus* Itali *battutam* vocant, illius defectum partim duplici hoc Charactere, partim rhythmis metrisq; aliqualiter supplevisse. Frustra enim se torquent Grammatici, ut putidam suam & impossibilem de Rythmis sententiam tueantur, quibus tam nihil à veteribus tributum est ut Athenæus diserte dicat, Homerum διὰ τὸ μεμελοποιηκέναι πᾶσαν ἑαυτοῦ τὴν ποίησιν, quod ipse Musices uti & scientiarum omnium peritissimus sibi modos faceret, rhythmicam susque deque habuisse, ἀφροντιστεῖ τοὺς πολλοὺς ἀκεφάλους ποιεῖν στίχους, καὶ λαγαροὺς ἔτι δὲ καὶ μειούρους. Xenophanem vero aliosque, τοὺς μὴ προσάγοντας πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν, qui ipsi Musicæ rudes aliorum in Melopœiis utebantur opera, ἐκπονεῖν τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς, καὶ τῇ τάξει τῶν μέτρων, præ igno-

ignorantia, scil. in eo industriam laudemque posuisse, quod Musicorum juxta & Poetarum, Philosophorum quoque atque omnium fortasse hominum sine exemplo maximus consultissime neglexerat. Idemque serio advertentibus adeo res ipsa suggerit, ut autoritate vix sit opus ad convellendam istam opinionem, quæ tam densis laborat absurditatibus ut sit infra confutationem. Sed ista fusius prosequi non est hujus instituti, uti nec cognatum illud antiquorum Musicam cum nostra conferre; neque profecto opus esset si vel nostram intelligerent qui exagitant, vel antiquam qui laudant.

Ep. 11. Ἀφ' οὗ Μίνως ..πρ...... βα....... δ.... αονιαν ᾤκισε, καὶ σίδηρος ηὑρέθη ἐν τῇ Ἴδῃ εὑρόντων τῶν Ἰδαίων Δακτύλων Κέλμιος κ. ....λεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος. In quatuor primis Lacunis suppleo Μίνως ὁ πρῶτος ἐβασίλευσε, καὶ Κυδωνίαν ᾤκισε· De iis vocibus, quas in tribus prioribus Lacunis inserui, nullum est dubium, quin eædem sint, quæ obliteratæ fuere. In quarta Lacuna aut Κυδωνίαν legendum est, aut Ἀπολλωνίαν; literæ enim, quæ relinquuntur integræ nec Lyctiæ, ut placet [a] Lydiato, nec ulli alii antiquæ alicujus Creticæ civitatis nomini possunt adaptari.[b] Apollonia autem & Cydonia ejusdem civitatis nomen est; antiquitus enim Apollonia postea Cydonia dicebatur, [c] quæ cum inter tres celeberrimas Cretæ civitates numeretur, & [d] omnium istius insulæ antiquissima esset, quam optime antiqui istius Regis Minois Regia esse poterat: sed cum Chronographus noster nomina locis, habitâ ad sua tempora ratione, imponat, & Apolloniæ nomen, longe priusquam hoc Marmor exaratum fuit, [e] antiquatum esset, Κυδωνίαν potius quam Ἀπολλωνίαν in lacuna insero, primamque literam Δ, quæ lacunam præcedit reliquias literæ Λ in καὶ, & Λ in ..αονιαν pro Δ, & O pro Ω scriptas fuisse non omnino dubito. In quinta lacuna lego, καὶ Δαμναμένως ἔτη ΧΗΗΔΠΙΙΙ βασιλεύοντος. Celmis enim & Damnaneus inter Idæos Dactylos, qui ferrum invenerunt, insignissimi fuere; atque ideo Clemens Alexandrinus iis solis ferri inventionem attribuit, [f] inquit enim Κέλμις καὶ Δαμναμεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων Δακτύλων πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ (legendum est ἐν Κρήτῃ) Phoronides autem apud Apollonii Scholiastem Celmi & Damnaneo (quem ille eodem modo, quo sæpius Nonnus, Δαμναμενέα vocat) Acmonem jungit his versibus.

Κέλμις, Δαμναμενεύς τε μέγας, καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων,
Εὐπάλαμοι θεράποντες ὀρείης Ἀδρηστείης,
Οἳ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος Ἡφαίστοιο
Εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις, ἰόεντα σίδηρον
Εἰς πῦρ ἤνεγκαν, καὶ ἀριπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν.

Annum Epochæ, qui deletur in Marmore, restitui ex Eusebio, [g] ille enim dicit Minoem, primo anno Pandionis primi Atheniensium Regis trigesimo secundo primum in Creta regnasse, qui annus secundum Eusebii Canonem Regum Atheniensium (cum quo in omnibus convenit nostrum Chronicon) est 1168. Epochæ Marmoreæ.

Μίνως ὁ πρῶτος. Hic Minos Cretensium Rex primus dicitur, ut distinguatur ab altero Minoe illius nepote, qui secundus illius nominis temporibus Ægei Athenarum regis in Creta regnavit, de utrisque satis diximus in notis ad Epocham sextam, pag. 146, & 147.

Καὶ σίδηρος εὑρέθη ἐν Ἴδῃ εὑρόντων Ἰδαίων Δακτύλων Κέλμιος καὶ Δαμναμένως. Ab Idæis Dactylis ferrum in Idæis montibus in Creta primum inventum fuisse notissimum est. [h] Cum enim silvæ istorum montium fortuito conflagrassent, & vi istius ignis ferrum è visceribus montis emissum fuisset, inde hi

[a] In notis Chronologicis ad hanc Epocham. [b] Stephanus in Κυδωνία. [c] Strabo lib. 10. [d] Ejus incolæ enim erant αὐτόχθονες. Strabo lib. 10. p. 475. [e] Cydon, enim à quo urbs Cydonia dicta fuit, Minois primi nepos erat. Stephanus in Κυδωνία. [f] Strom. lib. 1. [g] In Chronicis. [h] Clemens Strom. lib. 1.

utpote iſtius montis accolæ, hoc metallum, eodem modo quo [i] Galli ex tali caſu argentum, igne elaborare, & ad humanos uſus adhibere primi omnium Græcorum didicere. Hi Idæi [l] à monte Ida, cujus accolæ fuerunt, dicebantur, & Dactyli à numero, tot enim erant quot δάκτυλοι in manu, poſtea vero plures fuerunt, & tandem in gentem crevere, è quibus ſemper electi erant, qui Jovis in Creta Sacerdotes fuere. Hi à nonnullis Curetibus & Corybantibus originem præbuiſſe, ab aliis iidem cum illis fuiſſe exiſtimati fuerunt. De iis & ferro ab illis invento ex antiquis ante alios legas Strabonem lib. 10. & Apollonii Scholiaſten ad lib. 1. Conſulas etiam, ſi placeat, Diodorum Siculum lib. 5. & 17. (qui in hoc à ceteris diſſentiens errat, quod Idæos Dactylos Idæ in Phrygia, & non Idæ in Creta accolas dicit) Euſtathium ad Homeri Il. β'. pag. 353. Clementem Alexandrinum Strom. lib. 1: Pauſan. lib. 5. & è recentioribus Dominum Johannem Marſhamum, in Canone Chronico pag. 246. Voſſium de Idololatria, lib. 2. c. 53. & ante alios. Scaligerum ad numerum Euſebianum DXCVIII, & Canonum Iſagogicorum, lib. 3. pag. 249.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος. Pandion [n] quintus erat Athenarum Rex. [o] Hic bello contra Labdacum de finibus excitato, in auxilium vocavit Tereum [p] Thracum, qui Dauliam in Phocide occupaverant, Regem, eique victo hoſte, filiam [q] Prognen in uxorem dedit, de cujus & ſororis Philomelæ infortunio legas Poetas. Cetera, quæ de Pandione narrantur, habes apud Meurſium de Regno Attico, lib. 7.

Ep. 12. Ἀφ' οὗ Δημήτηρ ἀφικομένη εἰς Ἀθήνας καρπὸν ἐφυ..υεν, καὶ πρ....... τεα..........ωτη δ... ειπτολέμου τοῦ Κελέου, καὶ Νεαίρας ἔτη ΧΗΔΔΔΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνησιν Ἐρεχθέως. In prima lacuna obvium eſt ſupplere ἐφύτευεν. In tribus aliis ſupplet Palmerius, καὶ πρίνινον ἐπραυνε τὸν βίον διὰ Τριπτολέμου, i. e. iliceum manſuefecit vivendi genus per Triptolemum. Sed durior eſt expreſſio, quam admitti poteſt, nec lacunæ ſpatio convenit, atque ideo cum notiſſima ſit fabula fruges à Cerere per Triptolemum ad gentes miſſas fuiſſe, lego potius, καὶ πρὸς ἄλλους ἔπεμψε πρώτη διὰ Τριπτολέμου, P enim pro E poſt Π in ἔπεμψε obliteratâ infimâ lineolâ in vetuſto Marmore facile legi poterat A vero in -πρα- eſt dimidia pars literæ M, cujus alterâ parte obliteratâ, ea à Seldeno pro A facile errore accipiebatur.

Δημήτηρ ἀφικομένη εἰς Ἀθήνας κάρπον ἐφύτευεν. Fabulæ, quæ de Cerere Athenas ad quærendam filiam veniente narrantur, ſatis notæ ſunt. Quæ veritati propriora videntur narrat, [r] Diodorus Siculus, "Cum per totum fere orbem terrarum, Ægypto tantum exceptâ ob regionis naturam, omnium confeſſione ingens ſiccitas cum magnâ ſimul frugum hominumque pernicie orta eſſet; Erichtheus ex Ægypto magnam frumenti copiam Athenas ob cognationem advexit, ideoque beneficio affecti cives Regem ſibi virum bene de ſe meritum conſtituerunt, qui principatum ſuſcipiens initia illa Cereris in Eleuſine docuit, & myſteria inſtituit. Per illud igitur, quod hic dicitur de Cerere anno Ep. Marm. 1145. qui eſt annus Erichthei 15, Athenas venienti intelligendum eſt, Cultum & ritus iſtius deæ ex Egypto tranſlatos per Ericheum hoc anno primum Athenis inſtitutos fuiſſe, Δημήτηρ enim, ſeu Ceres Græcorum [s] eſt Iſis Ægyptiorum, de qua re vide Voſſium de Idololatriâ lib. 1. cap. 17.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐρεχθέως. Erichtheus omnium, qui Athenis regnarunt, excepto Theſeo erat celeberrimus, ab eoque, qui poſt illum uſque

[i] Athenæus enim lib. 6. dicit, ἐπὶ τῆς Γαλατίας αὐτομάτως ὕλης ἐμπρησθείσης ἀργύρῳ διαῤῥυῆναι. [l] Strabo lib. 10. Pauſan. lib. 5. Euſtathius ad Homeri Il. β'. pag. 353. [n] Euſeb. in Chronicis. [o] Apollodor. lib. 3. Ovid. Met lib. 6. [p] Thucydides lib. 2. Strabo lib. 7. Conon apud Photium narrat. 31. Pauſanias in Atticis. [q] Thucyd. lib. 2. Ovid. Met. lib. 6. Conon. ib. [r] Lib. 1. [s] Herodot. 2. Diod. lib. 1. Plutarch. in Iſide.

ad Melanthum Codri patrem Atheniensium Reges erant, originem habuere. Omnia, quæ de eo ab antiquis scriptoribus narrata fuere, invenies apud Meursium de Regno Attico, lib. 2.

Ep. 13. Ἀφ' οὗ Τριπτο.............. ἔσπειρεν ἐν τῇ Ῥαρίᾳ καλυμένῃ Ἐλευσῖνι ἔτη Χ..ΔΔΔΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν .... In prima Lacuna Τριπτόλεμος καρπὸν ἔσπειρεν. In secunda Η, In tertia Ἐριχθέως, obvium est supplere.

Τριπτόλεμος καρπὸν ἔσπειρεν ἐν τῇ Ῥαρίᾳ καλυμένῃ Ἐλευσῖνι. Triptolemum à Cerere edoctum fruges serere, easque serpentibus alatis per aerem vectum urbibus distribuisse canunt poetæ. Veritati autem historicæ propius est, Triptolemum fruges ab Erichtheo acceptas in campo Rhario seruisse, productumque in illo campo frumentum quæstus gratiâ ad Græciæ urbes longâ nave apportasse, quod apud [t] Eusebium narrat Philochorus antiquus rerum Atticarum scriptor, indeque secundum [u] Scaligerum, quod illa navis ob longitudinem serpenti similis esset, secundum alios vero, quod Draconem in prorâ παράσημον habuerat, fabula de Triptolemo ab alatis serpentibus vecto habuit originem.

Ἐν τῇ Ῥαρίᾳ καλυμένῃ Ἐλευσῖνι. Prope Eleusinem erat Campus Rharius [x] à Rharo [y] filio Cranai, & [z] patre Celei, à quo natus est Triptolemus, sic dictus, in quo Triptolemum fruges primum seruisse testatur [a] Pausanias; in cujus rei memoriam [b] hic campus ad solum illud hordeum ferendum, quod in Mysteriis Eleusiniis ad molas & liba adhibebatur, destinatus, quamdiu sacra Eleusinia in Græciâ manebant, semper sacer erat.

Ep. 14. ....υιο ... ν..., αὐτοῦ ποίησιν ἐξ..θηκε κόρης τε ἁρπαγὴν; καὶ Δήμητρος ζήτησιν, καὶ τὸν αὐτοῦ ....δος τῶν ὑποδεξομένων τὸν καρπὸν ἔτη ΧΗΔΔΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐριχθέως. De Cerere, Triptolemo, & Proserpina in mutilis hisce periochis egisse autorem liquet. Monemus nos tantum, utcunque Mysteriorum seu Eleusiniorum initia hoc anno collocanda fuerint (de qua re videsis Eusebium numero DCXIX.) tamen vestigia, tam hujus, quam proximæ periochæ, quæ supersunt Græca, sive de Musæo, sive de Eumolpo, sive de utrisque, quibus Mysteria à nonnullis tributa sunt, breviusculam narrationem præ se ferre. Hactenus Seldenus. Palmerio autem æque verisimile est de Pampho, ac de Musæo aut Eumolpo hic agi, ipse etiam addo Orpheum. Deesse enim in prima Lacuna antiquissimi alicujus Poetæ nomen, qui de Proserpinæ raptu & Cereris erroribus scripsisse putabatur, ea quæ relinquuntur satis ostendunt. De his autem Eumolpum, & Musæum [c] Suidas, Pamphum & Orpheum, [d] Pausanias, aliique circa hæc tempora testantur scripsisse. Sed quod de Musæi poematibus agatur in sequentibus, ejus nomen hic restituendum esse non credo; quisnam vero è ceteris tribus, & an necessario unus eorum sit, de quo in hoc loco agitur, è nullo fundamento possum certo affirmare, atque ideo Lacunam semper linquo hiantem. In quarta Lacuna restituo ἐξέθηκε, in fine ultimæ Lacunæ, καὶ μύθους, interposito υ, quod aut à quadratario aut exscriptore omissum fuisse non dubito. Quodnam vero sit, quod in initio illius Lacunæ obliteratur, cum nulla in ea literarum vestigia supersint, mihi non omnino liquet.

Κόρης τε ἁρπαγήν. De Proserpinæ raptu satis multa apud poetas. Erichthei etiam filia erat [e] Proserpina dicta, quam pater accepto oraculo se in bello, quod contra Eleusinios gesserat, hostes profligaturum, si unam è filiabus Diti immolasset, ad aram adductam cædebat, & inde forte fabula de Proserpina à Dite raptâ habuit originem.

[t] In Chronicis. [u] In notis ad Eusebiana. [x] Vide Suidam in Ῥαρὶς. [y] Hesychius in Κραναοῦ. [z] Suidas in Ῥαρὶς. [a] Lib. 1. [b] Pausan. ib. Plutarch. in præceptis conjug. [c] In Μουσαῖος & Εὔμολπος. [d] Lib. 1. & 9. [e] Stobæus Serm. 38.

 Μύθους

Μύθυς τῶν ὑποδεξαμένων τὸν καρπόν. Qui fruges & ſacra Eleuſinia à Cerere dicebantur accepiſſe, teſte [f] Homero erant Celeus, Triptolemus, Eumolpus, & Diocles. [g] Clemens autem Alexandrinus Baubonem, Dyſaulem, Eubuleum, Eumolpum, & Triptolemum nominat, eorumque Eumolpum ſubulcum, Triptolemum paſtorem, Eubuleum bubulcum, tradit fuiſſe. [h] Arnobius autem de iis dicit, "Illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerunt Boum Triptolemus, capellarum Dyſaules cuſtos, Eubuleus pecorum, lanitii gregis Eumolpus.

Ep. 15. ....υυ τὰ μυςήρια ἀνέφηνεν ἐν Ἐλδυσῖνι, καὶ τὰς τῦ..........υ σαιυ ποιησ... σέξέθηκ..............ως τῦ Πανδίον☉. In prima Lacuna ſupplet Palmerius [i] Ἀφ' ὗ Καύκων ὁ Κελαίνυ, quia dicit Pauſanias, παρὰ ταύτην τὴν Μεσσήνην τὰ ὄργια κομίζων τῶν μεγάλων θεῶν Καύκων ἦλθε ἐξ Ἐλδυσῖν☉ ὁ Κελαίνυ τῦ φλύυ. Sed quid hæc ad rem? Caucon in Meſſenia initia magnarum dearum docuit: ſed hic agitur de eo, qui initia Cereris in Eleuſine inſtituit. Suppleo igitur Ἀφ' ὗ Εὔμολπ☉ ὁ Μυσαίυ. Eumolpum enim Muſæi filium myſteria in Eleuſine primum inſtituiſſe [k] plures dicunt; N autem in ΜυΣαίυ pro AI in exeſo Marmore à Seldeno facili errore legi poterat. In ceteris autem Lacunis ſupplendum eſſe, καὶ τὰς τῦ πατρὸς ΜυΣαίυ ποιήσεις ἐξέθηκε ἔτη XH.... βαΣιλδύοντ☉ Ἀθηνῶν Ἐριχθέως τῦ Πανδίον☉, ea quæ relinquuntur integra ſatis oſtendunt: de anno vero ex nullo certo fundamento poſſum conjectare.

Ἀφ' ὗ Εὔμολπ☉ ὁ ΜυΣαίυ. Hic Eumolpus erat adnepos alterius Eumolpi. [l] Eumolpus enim Thracum Rex genuit Cerycem. Cerycis filius erat Eumolpus ſecundus, [m] qui cum Tereo è Thracia profectus, eodem tempore quo ille Daulidem in Phocide, Eleuſiniam in Attica occupavit, ibique filium habuit Antiphemum, qui genuit Muſæum Poetam, cujus filius erat Eumolpus tertius, qui [n] in ſacris Eleuſiniis ab Erichtheo inſtitutis primus ἱεροφάντης ſeu Antiſtes fuit. Cum igitur ſolius antiſtitis ſeu ἱεροφάντυ officium eſſet myſteria Eleuſinia ἀναφαίνειν, ſeu initiatis manifeſtare, quis alius myſteria primo in Eleuſine ἀναφαίνειν præter primum Antiſtitem dici poteſt? Cum autem hæc ſacra magnâ religione inceperint obſervari, & Antiſtitis igitur dignitas magna evaſiſſet, [o] Eumolpus eâ elatus de regno etiam cœpit cogitare, de eoque cum Erichtheo diu bellum geſſit; tandem vero tam Eumolpo quam Erichtheo prælio occiſis, [p] inter ſuperſtites conventum fuit, ut Erichthidæ Reges, Eumolpidæ Antiſtites ſemper eſſent, atque inde eſt quod qui in Eleuſiniis poſtea Antiſtites erant ex Eumolpi omnes genere fuerunt.

Τὰ μυςήρια ἀνέφηνεν ἐν Ἐλδυσῖνι. Hæc myſteria ab Athenienſibus celebrata [q] in honorem Cereris, & in memoriam frugum ſationis ab ea inventæ inſtituta fuere. [r] Majora erant & minora, [s] illaque quotannis Agris, [t] hæc tantum quinto quoque anno Eleuſine celebrata fuere. [u] Minora μυςήρια, majora [x] τελεταὶ ſeu perfectiones myſteriorum fuerunt: qui [y] illis initiati erant μύςαι, qui his ἐπόπται dicebantur. De hoc feſto omnibuſque illius myſteriis & Ceremoniis legas Meurſium, qui omnia quæ de eo traduntur in librum ſingularem ſummâ cum induſtriâ congeſſit.

De Temporibus quibus hæc feſta celebrata fuere monet Seldenus quod ma-

[f] In fragmento apud Pauſaniam in Corinthiacis. [g] In Protreptico. [h] Lib. 5. [i] Pauſan. in Meſſenicis. [k] Tzetzes ad Lycophronem. Scholiaſtes Sophoclis. Oed. Col. Suidas in Εὔμολπ☉. Etymol. in Εὐμολπίδαι. [l] In Scholiis ad Sophoclis Oedipodem in Colono. [m] Strabo lib. 7. [n] Heſychius in Εὐμολπίδαι. [o] Pauſanias in Atticis. Clem. Alex. Strom. lib. 1. Scholiaſtes Euripidis in Phœniciis. Thucyd. lib. 2. Scholiaſtes Sophoclis, ubi ſupra. Iſocrates in Panathenaico. Lycurgi orat. in Leocratem. [p] Pauſan. in Atticis. [q] Juſtin. lib. 2. Ariſtides in Eleuſinia. Diodorus lib. 1. aliique plures. [r] Scholiaſtes Ariſtoph. ad Plutum 2. Stephanus in Ἄγρα. Euſtath. ad Il. Homeri β'. Plutarch. in Demetrio, &c. [s] Stephanus in Ἄγρα. Euſtathius ad Il. β'. Plutarch. in Demetrio. [t] Tertullianus adverſus Valentinianos. [u] Scholia Ariſtophanis ad Plutum 2. Didymus ad Il. ι'. Tzetzes in Lycophron. [x] Clemens Strom. lib. 7. Maximus in Dionyſ. Areopag. cap. 7. [y] Suidas in ἐπόπται. Scholiaſtes Ariſtoph. ad Ranas. Plutarch. in Alcibiade. Harpocration in ἐπωπτευκότ☉. Marinus in vita Procli. Themiſtii orat. in patris obitum.

jora

jora mysteria mense Boedromione seu sub autumnum, Minora Anthesterione seu tempore verno peragi solebant. Et utriusque Festi tempestatum & nominum discriminis rationem à Solis ad æquinoctia accessu & recessu petit Julianus Imperator in Oratione, εἰς μητέρα τῶν θεῶν, idque ac si mysteria utraq; utcunque nomine tenus Cererem & Proserpinam, revera tamen Solem ipsum, quem velut summum, ad Gentilitatis Theologiam, Deum colebant, primario respexissent. Τὸν ἰσημερινὸν κύκλον, inquit ille, ἡ Θεὸς αὐτὴ καταινεῖ. Τελεῖται γὰρ περὶ τὸν ζυγὸν Δηοῖ καὶ Κόρῃ τὰ σεμνά, καὶ ἀπόρρητα μυστήρια, καὶ τοῦτο εἰκότως γίνεται· Χρὴ γὰρ καὶ ἀπιόντι τῷ Θεῷ πλεσθῆναι πάλιν, ἵνα μηδὲν ὑπὸ τῆς ἀθέου καὶ σκοτεινῆς δυσχερὲς πάθωμεν ἐπικρατούσης δυνάμεως. Δὶς γοῦν Ἀθηναῖοι τῇ Δηοῖ τελοῦσι τὰ Μυστήρια· ἐν αὐτῷ μὲν τῷ Κριῷ, τὰ μικρά φασι μυστήρια· τὰ μεγάλα δὲ περὶ τὰς χηλὰς (τὸν ζυγὸν potius legendum) ὄντος Ἡλίου δι' ἃς ἔναγχος ἔφην αἰτίας. Μεγάλα δὲ ὠνόμασται καὶ Μικρὰ νομίζω, καὶ ἄλλων ἕνεκα, μάλιστα δὲ, ὡς εἰκὸς τούτου ἀποχωροῦντος τοῦ Θεοῦ μᾶλλον ἤπερ προσιόντος. Διόπερ ἐν τούτοις ὅσον εἰς ὑπόμνησιν μόνον ἀπὸ δὴ καὶ παρόντος τοῦ σωτῆρος καὶ ἀναγωγοῦ Θεοῦ, τὰ προτέλεια καταβάλλονται τῆς τελετῆς. Εἶτα Μικρὰ ὕστερον ἁγνεῖαι συνεχεῖς καὶ τῶν ἱερῶν ἁγιστεῖαι. Ἀπιόντος δὲ λοιπὸν τοῦ Θεοῦ πρὸς τὴν ἀντίχθονα ζώνην καὶ φυλακῆς ἕνεκα καὶ σωτηρίας αὐτὸ τὸ κεφάλαιον ἐπιτελεῖται τῶν μυστηρίων. Orationem Juliani unde hoc descripsimus. Ms. mecum pridem communicavit, ut solet id genus alia, pro sua humanitate, vir doctrina & morum suavitate insignis Patricius Junius Bibliothecarius Regius; & de hoc loco me monuit. Integram Orationem cum duabus aliis Apostatæ nondum in lucem editis ante sexenium transmisit ad V. Cl. doctissimumque Dionysium Petavium qui eas publici juris facere pollicitus est. Seld.

Μουσαίου ποιήσεις. De Musæi hujus antiquissimi Poetæ carminibus omnibusque aliis illius nominis qui Poetæ fuerunt, legas Doctissimum Meursium Atticarum lectionum, lib. 2. c. 19.

Ἐριχθέως τοῦ Πανδίονος. Erichtheum Pandionis cui successit filium fuisse [a] tradit Apollodorus. Diodorus autem Siculus in loco supra citato eum non Atheniensem sed Ægyptium dici fuisse.

Ep. 16. Ἀφ' οὗ κάθαρμος πρῶτον ἐγένετο .....ου πρώτῳ ιαον ...εαιν............ ...ΔΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος τοῦ Κέκροπος. Lustratio urbis quæ in Thargeliis sev 6 die Thargelionis quotannis celebrari solita est, forsan hic intelligenda. Urbem scilicet immolatis duobus viris, pro viris altero, altero pro sexu sequiori, februabant. Vide Harpocrationem in φάρμακος, Helladium apud Photium cod. CCLXXIX. pag. 1590. Joannem Tzetzem Chiliad. 5. cap. 23. & Chil. 8. cap. 239. Michaelem Apostolium Centuria 16. 3. & Suidam in περίψημα. Adde Meursii Atticarum lectionum lib. 4. cap. 22. & Græciæ feriatæ lib. 4. in Thargeliis: Festum ejusmodi mense Februario Romanis erat. Vide Pompeium in Februario: Et Februa victimis humanis peracta ex veteribus copiose narrat præstantissimus Vir Hugo Grotius in defensione Fidei Catholicæ. Victimas autem humanas seu ἀνθρωποθυσίας plerunque sustulit Adrianus Imperator quod memorat Porphyrius lib. 2. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Hactenus Seldenus. Sed huic Seldeni sententiæ opponit Palmerius temporis repugnantiam, urbis enim lustratio mense Thargelione celebrata non Pandione, sed Ægeo Athenis regnante ob pestem, quæ propter cædem Androgei immissa fuisse putabatur, [b] teste Helladio cœpit fieri; de lustratione igitur ob cædem facta illiusque ritibus primo Athenis institutis hic locus illi potius videtur interpretandus, pro qua opinione facit, quod syllaba ου, quæ relinquitur integra post primam Lacunam, in ea τοῦ φόνου restituendum esse videtur innuere. Sed cum in præcedentibus & sequentibus de Panathenæo-

[a] Apollodor. lib. 3. [b] Apud Photium.

tum,

rum, Eleusiniorum, & Lycæorum initiis, de novo vero ritu introducto nunquam in toto Chronico agatur, suadetur inde præferendam esse Seldeni opinionem hic potius de Festi, quam ritus alicujus primâ institutione verba fieri, Helladii enim Grammatici testimonium, qui dicit ob Androgei cædem urbis lustrationem primo fieri, non tanti est, ut autoritatem nostri Chronographi, qui multis seculis antiquior fuit, & in historicis longe peritior destruat. Ob Androgei cædem, & pestem, quæ eam secuta est, Athenienses forte eadem solemnitate, qua postea [b] Epimenides ob pestem, quæ propter Cylonium piaculum urbem invadere putabatur, Athenas lustrabant; eaque forte lustratio, cum antiquissima esset, de qua in historia scribebatur, Helladio occasionem dedit opinandi, omnes, quæ quotannis postea Athenis fierent, lustrationes ab ea originem habuisse, atque ideo in prima Lacuna lego potius διὰ φόνυ, quia hæc lustratio per cædem immolatis viro & feminâ facta fuit. Literæ numerales ..ΔII quæ relinquuntur integræ, satis ostendunt in ultima Lacuna restituendum est ἔτη XΠΔII, cum enim Pandion inceperit regnare anno Ep. Mar. 1069. & regnum [c] per 25 tantum annos tenuerit, nullus alius per totum illius regnum annus in easdem notas numerales potest desinere. Quæ in ceteris Lacunis obliterantur, mihi non omnino videntur posse restitui.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος τῦ Κέκροπος. Erichthei [d] filii erant Cecrops, Orneus, Pandorus, & Metion. [e] Orneus Orneis nomen dedit. Pandorus in Eubœam [f] coloniam duxit. [g] Cecrops autem regnum obtinuit, illudque moriens filio [h] Pandioni reliquit, qui eo tandem [i] à Metionis filiis pulsus Megaræ in exilio obiit, cum regnasset annos 25. Quæ de Pandione & patre illius Cecrope narrantur, omnia invenies collecta apud Meursium de regno Attico, lib. 2.

Ep. 17. *Ἀφ' ὗ ἐν Ἐλευσῖνι ὁ γυμνικὸς* .... Post vocem *γυμνικὸς* obvium est supplere *ἄγων ἐτέθη*, & in fine *βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος τῦ Κέκροπος* proxima enim Epocha ostendit ejus regnum nondum exiisse.

Ἐν Ἐλευσῖνι γυμνικὸς ἄγων ἐτέθη. Cum Festum Eleusinium per novem dies celebratum fuisset, inter plures alios ritus & Ceremonias, quæ per eos peragebantur, Certamen Gymnicum, de cujus primâ institutione hic agit Chronographus noster, in honorem Cereris, & in memoriam frugum ab ea inventarum [l] septimo Festi die proponebatur, ut [m] homines inter se certantes periculum facerent quantum roboris ex alimento illo mansueto iis accessisset, [n] Ei qui victoriam obtinebat, pro præmio dabatur hordeum; illud enim [o] antiquissimum apud Athenienses frumentum fuit, cujus serendi artem [p] cum à Cerere dicantur accepisse, in ejus solius inventionis memoriam, Tritico, aliisq; frugibus diu postea primo inventis, hoc Festum fuit celebratum. Monet Seldenus hallucinatos esse viros doctissimos qui certamen Panathenaicum idem cum Eleusinio fuisse putarunt. De illo satis ante dictum est. De utroque Aristides in *Παναθηναικῷ Ἐνδοξότατοι πάντων*, inquit, *οἱ κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἀγῶνες· καὶ μὲν τέτων πρεσβύτατος ὁ τῶν Παναθηναίων εἰ δὲ βέλει ὁ τῶν Ἐλευσινίων.* "Celeberrima æstimantur Græciæ certamina. Horum autem vetustissi-"mum est Panathenaicum, aut, si mavis Eleusinium. Nam de tempore " Eleusinii instituti, ne Aristidi quidem ea in oratione constitisse sentio: sententiam saltem eum dissimulasse; unde nata est illa de utriusque vetustate vacillatio, quam male interpretati viri alioquin præstantissimi utrumque certamen confudere. Sed id ipse Aristides in *Ἐλευσινίῳ, ἀγῶνα*, oratorie saltem dixit, *γυμνικὸν τεθῆναι πρῶτον Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς, καὶ*

[b] Diogenes Laertius in vita Epimenidis. [c] Eusebius in Chronicis. [d] Eustathius ad Homeri Il. β'. Apollodor. lib. 3. Pausanias lib. 2. & 10. [e] Pausan. lib. 2. [f] Eustathius ad Homeri Il. β'. [g] Pausanias in Atticis, & Achaicis. Eusebius in Chronicis. Apollodor. lib. 3. Tzetzes Chil. 1. c. 4. & Chil. 5. c. 19. [h] Euseb. in Chronicis. Pausan. lib. 1. Apollodor. & Tzetzes, ubi supra [i] Apollodor. lib 9. Pausanias lib. 1. [l] A Gellius lib. 15. c. 20. [m] Aristides in orat. Eleusinia. [n] Aristides ib. Scholiastes Pindari ad Olymp. 9. [o] Plinius lib. 18. c. 7. [p] Aristides in Eleusinia.

τὸ

τὸ ἄθλον εἶναι τοῦ καρποῦ τοῦ φανέντος, πειρωμένων τῶν ἀνθρώπων, ὅσον εἰς ἰσχὺν ἐκ τῆς ἡμέρου τροφῆς ἐπιδοῖ. "Primum gymnicum certamen Eleusine peractum "esse, cum quidem ex frugibus natis constaret præmium; periculum facien-"tibus hominibus, quantum ipsis ex alimento mansueto roboris accessisset. Sed & aperte distinguuntur apud optimum Pindari Schol. ad Olymp. ᾠδ. 7. De Rhodio pugile; ἤτοι, inquit, τὰ Παναθήναια νενικηκὼς ἢ τὰ Ἡράκλεια ἤτοι Ὀλύμπια, ἢ τὰ Ἐλευσίνια, ἢ τὰ Πανελλήνια. Et diserte in Chrestomathia Helladius, ὅτι πρῶτα μὲν τὰ Παναθήναια συνέστη, εἶτα τὰ Ἐλευσίνια ἐπὶ Πελίᾳ τεθνηκότι προὔθηκαν ἆθλα Θετταλοί, "Primo Panathenæa instituebantur, deinde "Peliæ mortuo Eleusinia certamina instituerunt Thessali. Cetera facit recentiora. Vide Photium, pag. 1590. Adi si placet Petri Fabri Agonisticl, lib. 3. cap. 29. Seld.

Ep. 18. Ἀφ' οὗ ....αι ...τὰ Λυκαῖα ἐν Ἀρκαδίᾳ ἐγένετο, καὶ λ... κκε...... Λυκάονος ἐδόθη .. τοῖς Ἑλλ.. σι .... η...ν... βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος τοῦ Κέκροπος. In prima & secunda Lacuna supplet Palmerius, Ἀφ' οὗ ἀνθρωποθυσίαι καὶ τὰ Λυκαῖα; [q] in Lycæis enim Arcades humanas victimas immolabant. In quatuor ultimis Lacunis legit, ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἔτη XH... de ceteris difficile est aliquid conjectare.

Ἀνθρωποθυσίαι καὶ τὰ Λυκαῖα ἐν Ἀρκαδίᾳ ἐγένετο. Lycæa antiquissima erant inter omnia Græcorum Festa, [r] à Lycaone istius nominis secundo Arcadiæ rege, de [s] quo supra diximus, circa 150 annos priusquam Cecrops in Attica regnaverat instituta. [t] Ille enim postquam Lycosuram primam totius Græciæ urbem in Lycæis montibus condidisset, ibi etiam Jovi Lycæo aram posuit, in quam cum humana sacrificia immolasset, inde orta est fabula, illum Jovi Epulas ex humanis carnibus præbuisse, & ob illam immanitatem in lupum mutatum fuisse. De tempore, quo hæc Festa iterum instaurata quotannis deinde inceperint celebrari, hic agit Chronographus noster. Immania enim hæc sacrificia quotannis ab Arcadibus celebrata fuere, eaque usque ad suum tempus permansisse dicit Theophrastus [v] apud Porphyrium. Et non tantum apud Arcades, sed alios etiam Peloponnesios obtinuit immanis hæc homines immolandi consuetudo: Lacedæmone autem eam sustulit Lycurgus, instituitque, ut abolito hoc ferali ritu, [x] ejus loco pueri tantum, donec sanguinem emitterent, ad aras quotannis cæderentur. Prope Jovis aram in monte Lycæo etiam erat Hippodromus, [y] in quo antiquissimum totius Græciæ agebatur certamen, iique qui victoriam obtinebant [z] ænea arma pro præmio habuere. De hoc Agone & de Lycæis plura legas apud Scaligerum in notis ad Eusebii Chronica, numero DCCCLXVI. Johannem Meursium in Græcia Feriata in Λυκαῖα, & Dominum Johannem Marshamum in Canone Chronico, pag. 275.

Ep. 19. Ἀφ' οὗ Κα...... γ......ησίαι Ἡρακλῆς .....ν...ω....δος..........βασιλεύοντος Ἀθήνησιν Αἰγέως. Herculis labores aliquot sub Ægeo rege collocantur apud Eusebium, numero DCCLXVIII. sed an de his in mutilo Marmore agatur incertum est. [a] Dominus Johannes Marshamus de initiatione Herculis, & parvorum mysteriorum initiis hic agi opinatur, quæ conjectura maxime mihi placet, cum non omnino verisimile videtur, Chronographum nostrum, qui tempora, quibus alia Atheniensium festa inceperant, tam diligenter observat, hoc festum, quod quotannis celebratum post magna Eleusinia omnium insignissimum fuit, velle neglectum prætermisisse: atque ideo hunc mutilum Marmoris locum sic restituo, Ἀφ' οὗ καθάρσια ἐγένετο Ἀθήνησι, καὶ Ἡρα-

[q] Pausanias in Arcadicis. [r] Pausan. ib. [s] ad Ep. 6. [t] Pausan. in Arcadicis. [v] De abstinentia, lib. 2. [x] Pausanias in Laconicis. [y] Pausan. in Arcadicis. [z] Scholiastes Pindari. [a] Can. Chron. p. 188.

κλῆς

κλῆς ἐμυήθη ἐν Ἄγραις πρῶτος, καὶ εἶδος ἐποιήθη ἔτη X.... κ enim ante αι in ποιαι omittit, & T post δος pro E deletis duabus inferioribus lineolis legi facile poterat.

Καθάρσια ἐγένετο Ἀθήνησι, καὶ Ἡρακλῆς ἐμυήθη ἐν Ἄγραις. Hercules enim post [b] Centaurorum cædem, cum ab Erystheo ad alios labores demandatus esset, priusquam eos adiret, & initiari vellet, Athenas venit. [c] Lex autem prohibebat peregrinum initiari, nec tamen hoc Herculi denegare audebant Athenienses: ejus igitur gratiâ minora mysteria in [d] Agris instituerunt, iisque Hercules, postquam ob cædem Centaurorum lustratus fuerat, initiabatur, ab eoque tempore [e] hæc mysteria quotannis celebrata fuere. Qui iis initiati erant, prius [f] ad Ilissum fluvium ob omnes pollutiones prius admissas lustrabantur, & deinde [g] sacris, & votis de futurâ vitâ sanctius agendâ rite factis, præmissoque castitatis exercitio, sine quo nihil prodesse putabatur initiatio, pelle victimæ Jovi immolatæ operti [h] per Daduchum in sacellum, quod Agris erat [i] Sacello Eleusinio multo minus, introducebantur, minoribusque mysteriis initiati, iis [l] præparati erant, ut proximis Eleusiniis, quæ quinto quoque anno celebrata fuere, ad majora etiam admitterentur. Nam ut lustrationes ad minora mysteria, sic minora ad majora initiandos præparabant, ut apud Clementem Alexandrinum habetur, inquit enim, [m] τῶν μυστηρίων, τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. Μετὰ ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ μικρὰ μυστήρια διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων. Τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων, οὗ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινοεῖν τὴν φύσιν καὶ τὰ πράγματα.

Βασιλεύοντος Ἀθήνησιν Αἰγέως. Ægeus [n] adoptivus tantum Pandionis filius erat, naturalibus tamen Lycio scilicet Pallanti & Niso, quod illius fortitudo in expellendis Metionidis qui [o] Pandionem Athenis ejecerant maxime emicuisset prælatus, regnum obtinuit, illudque filio suo Theseo moriens reliquit. Hujus res gestas satis prolixe narratas habes apud Meursium de regno Attico lib. 3.

Ep. 20. Ἀφ' οὗ Ἀθήνησι.....σ τῶν καρπῶν ἐγένετο, καὶ μαντευόμενος ... Ἀθην... ....αλων ενη........σ ὑποσχεν ..α.. ἂμ Μίνως ἀξιώσει ἔτη XΔΔΔI βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Αἰγ.... Omnes has Lacunas Palmerius sic supplet. Ἀφ' οὗ Ἀθήνησι σπάνις τῶν καρπῶν ἐγένετο, καὶ μαντευόμενος τοῖς Ἀθηναίοις Ἀπόλλων ἐνήνοχεν δίκας ὑποσχεῖν ἃς ἂμ Μίνως ἀξιώσειεν ἔτη XΔΔΔI βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Αἰγέως, quæ supplendi ratio tam obvia est, ut ad pleniorem illius explicationem nihil omnino deesse videtur, nisi ut historia, quam hic attigit Chronographus noster, plenius narretur. [p] Eam sic habes apud Diodorum Siculum. "Ex Minois filiis Androgeus quidam regnante Ægeo ad solenne festum Panathenæorum profectus concertantes omnes vicit, unde familiaritatem Pallantis filiorum conciliavit, quam cum suspectam haberet Ægeus, ne forte Minos opem ferens Pallantis filiis eum regno spoliaret, insidias Androgeo struxit, dumque Thebas ad spectaculum quoddam sacrum proficiscitur, dolo eum interfecit operâ popularium ad Oenoem Atticæ. Minos vero cognito filii casu Athenas venit ad exigendam de Androgei cæde pœnam, sed cum nihil impetraret, bello Atheniensibus indicto Jovem precatur, ut immittat siccitatem, atque famem Civitati Atheniensium. Neque mora statim Atticam Græciamque universam siccitas corruptis frugibus infestabat, quâ de causâ

[b] Diodor. Sic. lib. 4. Didymus ad Homeri Il. ζ'. v. 368. [c] Diodor. Didym. ib. Scholiast. Aristoph. ad Plutum 2. Tzetzes ad Lycophrontem. [d] Stephanus in Ἄγρα. Eustathius ad Il. β'. Clemens in Protreptico. [e] Diodor. & Scholiast. Aristoph. & Tzetzes, ubi supra. [f] Polyænus lib. 5. [g] Arrian. in Epictetum lib. 3. c. 21. Schol. Aristophanis ad Plutum secund. Clemens Strom. 5. [h] Suidas in Διὸς κῴδιον. [i] Dion Chrysostomus orat. 12. [l] Marinus in vita Procli. Themistii orat. in patris obitum, & in altera ad Jovianum Imperatorem. [m] Clemens Strom. l. 5. [n] Plutarchus in vita Thesei. [o] Pausan. lib. 1. [p] Lib. 4.

" post-

" poſtquam principes civitatum conveniſſent, deum rogant, quonam pacto " liberari malis poſſent. Ille vero Æacum adire jubet Jovis & Æginæ filium, atque eum convenire, ut pro ſalute omnium vota faceret, qui mandata cum feciſſet, perfecit quidem vota Æacus, ſiccitaſque apud ceteros Græcos deſiit, ſed Athenienſes tamen porro etiam premebantur; itaque cum deum ipſi ſciſcitari cogerentur, quanam poſſint ratione malis iſtis liberari, reſponſum accipiunt dandas eſſe pro Androgeo interfecto Minoi pœnas, quas is exacturus foret, cumque deo morem Athenienſes gererent, juſſit ipſos Minos dare pueros ſeptem ac puellas item totidem, idque ſeptimo quoque anno, quibus datis liberata malis Attica univerſa & à bello Minos deſtitit. His ſimilia etiam habes apud [q] Apollodorum, [r] Plutarchum, [s] Pauſaniam, [t] Theodoretum, [u] Chryſoſtomum, & Servium [x] Virgilii Scholiaſten. De hoc autem Minoe qui ſecundus illius nominis Cretæ regnavit [y] ſatis dixi in præcedentibus.

Ep. 21. Ἀφ' ὖ Θησ..... Ἀθηνῶν τὰς δώδεκα πόλεις εἰς τὸ αὐτὸ συνῴκισεν, καὶ πολιτείαν καὶ τὴν δημοκρατείαν άπρεω............ος Ἀθηνῶν τὸν τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνα ἔθηκε Σίνιν ἀποκτείνας ἔτη ΗΗΗΗΗ ΔΔΔΔΠ. In prima Lacuna obvium eſt ſupplere Θησεὺς, quid ſit ἀπρεω in ſecunda neſcio, nulli enim Græcæ voci adaptari poteſt, ſuſpicor igitur Seldenum omnes has literas ex exeſo Marmore male tranſcripſiſſe, atque ideo in ea Lacuna lego καθέστηκε ἑαυτῦ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν, καὶ τὸν τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνα ἔθηκε, aut enim καθέστηκε, aut aliquam aliam vocem ejuſdem ſignificationis hic inſerendam eſſe ſatis oſtendunt ea, quæ præcedunt, nec, cum in omnibus aliis Epochis illius, qui tunc Athenis regnabat, nomen inſeratur, hic ullo modo omiſſum puto, atque ideo potius lego, ἑαυτῦ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν, quam νομόγραφος, aut πολέμαρχος cum Palmerio, quia quamvis Theſeus nonnihil de ſuo jure populo conceſſiſſet, ſemper tamen & nomen, & dignitatem regis retinebat.

Θησεὺς Ἀθηνῶν τὰς δώδεκα πόλεις εἰς τὸ αὐτὸ συνῴκισε. Hiſtoriam quam hic attigit Chronographus noſter, ſic plenius narrat [z] Plutarchus. " Theſeus " poſt Ægei obitum grande & mirificum opus in animo agitans omnes Atticæ " incolas in unam civitatem collegit, uniuſque urbis unum reddidit populum, " qui adhuc diſperſi erant, & ægre ad agendum in communi de republica convocari poterant, nonnunquam etiam diſſidebant mutuo, belloque certabant. Hos adiit, propoſuitque eam rem ſingulis populis, & familiis, cujus " conſilium privati & inopes cito acceperunt, opulentis vero & potentioribus quum rempublicam regno fore liberam proponeret, in qua omnis penes populum eſſet futura poteſtas, ipſe vero moderator tantum belli, & " legum cuſtos foret, cetera paria omnibus, hæc iis perſuaſit: alii vero opes ejus " veriti jam amplas atque audaciam, malebant ſponte his, quam vi compulſi " aſſentiri. Diſſolvit igitur vicatim Prytanea & Curias, & Magiſtratus, unoque ſtatuto omnibus communi Athenis Prytaneo, & una curia, ubi hoc " tempore conſpiciuntur, Aſty & urbem Athenas appellavit, & Panathenæa, " ut commune eſſet pro omnibus ſacrificium, inſtituit. Celebravit etiam Metœcia, i. e. Feſtum demigrationis ſexto decimo die menſis Hecatombæonis, " quem etiam nunc Feſtum agunt, depoſitoque, ut promiſit, regno, rempublicam ordinavit à Diis auſpicatus.

Καὶ τὴν Δημοκρατείαν καθέστηκε. Adeo ut popularis libertatis oſoribus, ſeu ὀλιγάρχοις ſolenne inde fuerit, Theſeum veluti omnium primum autorem malorum civitati incuſare; quod notat Theophraſtus capite περὶ ὀλιγαρχίας. Videſis Iſocratem in Panathenaica & Sigonium de Republica Athenienſium, lib. 1. c. 5. Seld.

[q] Lib. 3. [r] In vita Theſei. [s] Lib. 1. [t] Therapeut. lib. 19. [u] In Epiſtolam Pauli ad Titum, cap. 1. Hom. 6. [x] Ad lib. 6. [y] Ad Ep. 6. [z] In vita Theſei.

Καὶ

Καὶ τὸν τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνα ἔθηκε Σίνιν ἀποκτείνας. Ludos Isthmicos à Glauco Corinthi Rege in honorem Inûs,& Melicertæ primò institutos [a] fuisse supra diximus. Hos [b] Theseus, eodem modo quo postea Iphitus Olympicos, postquam Sinin occidisset, è voto forte in pugna facto iterum instauravit, & Neptuno consecravit, in cujus honorem [c] singulis bienniis deinde in Isthmo Corinthiaco inde Isthmici dicti celebrati fuere, & victores [d] primo pinu è luco Pineo templo Neptuni Isthmici vicino decerptâ, postea vero in imitationem Nemæorum apio coronati fuere. Post excisam à Romanis Corinthum, [e] Sicyoniis datum est negotium ut hos ludos curarent. Postea vero sub Imperatoribus Romanis restauratâ iterum Corintho ad illius urbis [f] incolas pristinus honor iterum rediit, ab iisque deinde, certaminibus Musicis, gymnicis, & bestiariis seu venatoriis in Theatris immensis sumptibus propositis, multo majori solennitate & vicinorum conventu,quam unquam antea, celebrati fuere.

Ep. 22. Ἀπὸ τοῦ Ἀμμον.................τη....... ΔΔΔΔΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Θησέως. In ultima Lacuna obvium est supplere, ἔτη 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔΙΙ. Sed quid sit, quod hoc anno actum fuit, cum ea, quæ relinquuntur, nullum omnino præbeant conjectandi fundamentum, non possum divinare.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Θησέως. De Theseo hoc celeberrimo & maximo Athenarum Rege legas Plutarchum, qui vitam illius scripsit, & Johannem Meursium, qui tum ea, quæ habet Plutarchus, tum omnia alia quæ de hoc Rege ab aliquo alio antiquarum rerum scriptore narrantur, in librum singularem congessit.

Ep. 23. Ἀφ' οὗ Ἀργειοιν ἐν Ἀδρασ......... βασίλευε, καὶ τὸν ἀγῶνα...ν..α...: ηθ.... αν....... ἔτη 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΠΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Θησέως. In prima Lacuna Palmerius supplet, Ἀφ' οὗ Ἀργείων ἐν Ἄδραστος, καὶ Ἀμφιάραος ἐβασίλευε, sed quid significat illud ευ omnino nescio, nullo enim modo huic loco videtur convenire, suspicor igitur has duas literas esse tantum reliquias alterius vocis, quæ tota legi non poterat, atque ideo mihi videtur locum sic restitui debere, Ἀφ' οὗ Ἀργείων Ἐτέοκλος, Ἄδραστος, καὶ Ἀμφιάραος ἐβασίλευε, omnes enim hos simul Argivis imperasse [g] supra monui, in voce autem Ἐτέοκλος litera Y pro T ob similitudinem earum literarũ in antiquis marmoribus facile legi poterat. Ceteras quas restitui literas, aut Quadratarii, aut exscriptoris errore omissas puto. In ceteris Lacunis rectissime videtur Palmerius restituisse, καὶ τὸν Ἀγῶνα ἐν Νεμέᾳ συνήθλευε πρῶτοι. Hi enim Argivorum reges ad bellum Thebanum profecturi ludos in Nemæa primi celebrabant. Rem sic narrat Apollodorus. [h] "Porro Adrastus cum ducibus septem collectum exercitum in Thebas ductare maturat. Profecti vero in Nemæam, cui Lycurgus Rex præerat, aquam deposcunt, & his ad fontem viæ dux fuit Hypsipyle Lemnia, relicto in herba parvulo infante Ophelte nomine Euridices & Lycurgi filio, cujus nutrix erat. Dum autem ea demonstrat iter ad fontem, relictus puer à Dracone occiditur, Draconem vero Adrasti apparitores interemerunt, ac puerum sepeliunt. Tum Amphiaraus id inquit prodigium futura prænunciat. Sed & hunc puerum Archemorum vocarunt, & in hujus memoriam Nemææ certamen instituerunt, in quo Adrastus equo vicit, cursu vero Eteoclus, Cæstibus Tydeus, cursu & disco Amphiaraus, jaculo Laodocus, lucta Polynices, & arcu Parthenopæus. Cum Hercules Nemæum leonem occidisset, hos ludos interum instaurabat, & [i] Jovi Nemæo

[a] Ad Ep. 6. [b] Plutarch. in Theseo. [c] Pindar. Nem. Od. 6. Aristides Rhetor. [d] Plut. Sympos. lib. 3. prob. 5. Pindarus in Isthmicis Od. 2. Diodor. Sic lib. 16. Julianus in Epistola pro Argivis. [e] Pausanias lib. 2. [f] Julianus in Epistola pro Argivis. [g] Ad Ep. 6. [h] Lib. 2. [i] Schol. Pindar. in vita Pindari.

dicabat,

dicabat, in cujus honorem deinde [l] singulis bienniis celebrati fuere; [m] & victores coronam ex viridi apio pro præmio habuere. Primo eodem modo quo Isthmica singulis bienniis, postea vero Imperatoris Juliani temporibus [n] singulis annis celebrati fuerunt. De his plura vide apud Fabri Agonisticon, lib. 2.

Ep. 24. Ἀφ᾽ οὗ οι.....νες εἰς Τροίαν ἐ..ρατεύ.... ἔτη ΧΗΗΗΗΔΙΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθ........νεσθέως τρεισκαιδεκάτου ἔτους. Ea quæ relinquuntur integra satis ostendunt omnes has Lacunas sic supplendas esse. Ἀφ᾽ οὗ οἱ Ἕλληνες εἰς Τροίαν ἐστράτευσαν ἔτη ΧΗΗΗΗΔΙΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Μενεσθέως τρεισκαιδεκάτου ἔτους. De hac expeditione & tempore, quo suscepta fuerat satis multa tradidere alii, quos vide.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Μενεσθέως. Hic Menestheus [o] erat filius Petei, qui patrem habuit Orneum unum è filiis Erichthei, qui Theseo per seditionem Athenis pulso ejus loco regnavit annos 23. Omnia quæ de eo in aliquo antiquo scriptore narrantur, habes apud Meursium de regno Attico, lib. 3. cap. 5.

Ep. 25. Ἀφ᾽ οὗ Τροία ἥλω ἔτη ΧΗΗΗΗΔΔΔΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν ... ..εως δευτέρου ἔτους μηνὸς Θ......νος ἑβδόμῃ φθίνοντος. Non est dubium quin Lacunæ sic debent suppleri, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Μενεσθέως δευτέρου ἔτους μηνὸς Θαργηλιῶνος. Bene enim monet Seldenus. Alius quam Thargelion mensis esse nequit. Neque enim alius mensis sive à Θ, sive ab aliqua figura huic simili incipit. Attici item scriptores Thargelione mense Trojam captam plerumque tradunt, de qua re postea in notis Chronologicis ad Canonem Chronicum.

Δευτέρου ἔτους. Quadratarii incuria omissum est proculdubio hic εἰκοστοῦ καὶ, ita ut annus Menesthei vigesimus secundus ab autore signatus fuerit. Nam si anno ejus 13. expeditionem fecere, quid hoc est anno 2. Trojam cepisse? Res palam est. Numerorum autem notæ tum de expeditione, tum de Troja capta subobscuræ sunt in Marmore, nec tamen alias, quam quas repræsentamus, credet quisquam, qui optima perspicillorum fide, etiam justa Elementorum alibi in Marmore quantitate nixus, eas denuo elicuerit. Seld.

Ἑβδόμῃ φθίνοντος. Notandum est menses apud Athenienses lunares fuisse. Cum igitur Luna cursum suum Synodicum 29 diebus, & dimidio absolvat, menses unicujusque anni in plenos & cavos dividebantur, sex pleni ex 30 & sex cavi ex 29 diebus constabant, singulique eorum in tres partes dividebantur. Decem enim primi dies mensis ἡμέραι μηνὸς ἱσταμένου, decem proxime ἡμέραι μηνὸς μεσοῦντος, ultimi ἡμέραι μηνὸς φθίνοντος dicebantur. Dies μηνὸς ἱσταμένου, & μεσοῦντος ab initio, dies vero φθίνοντος retro à fine numerati fuere. Ἑβδόμη igitur ἱσταμένου est septimus mensis dies, ἑβδόμη μεσοῦντος est decimus septimus, ἑβδόμη φθίνοντος est septimus à fine, i. e. si mensis sit plenus, vigesimus quartus, si cavus, vigesimus tertius mensis dies.

Ep. 26. Ἀφ᾽ οὗ ὁ Ὀρέστη..... ιοιαι τῆς αὐτο..............γισθου θυγατρὶ....ον....... γίσθου, καὶ αυ........... αο ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἣν Ὀρέστης ἐνίκησεν ....ων,...ἔτη.. ΗΗΗΗΔΔΔ..ΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Δημοφῶντος. In prima Lacuna legit Palmerius, Ὀρέστης ἐν Σκυθίᾳ I enim pro Y, & O pro Θ, in vetusto Marmore facili errore à Seldeno legi poterant. Ceteros vero mutilos locos sic restituit, τῆς ἑαυτοῦ μανιῶν ἰάθη καὶ Ἀγίσθου θυγατρὶ Ἠριγόνῃ τῇ Αἰγίσθου, καὶ αὐτοῦ δίκη ἐγένετο ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἣν Ὀρέστης ἐνίκησεν ἴσων ψήφων οὐσῶν ἔτη ΧΗΗΗΗΔΔΔΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Δημοφῶντος. Cui in omnibus consentio, nisi quod

[l] Juliana Episto'a pro Argivis. [m] Strabo lib. 8. Diodorus Sicul. l. 19. [n] Juliana Episto'a pro Argivis. [o] Euseb. in Chronicis. Pausan. lib. 2. Eustathius ad Il. Homeri β'. Plutarchus in Theseo. [p] Plutarch. in vita Thesei. Pausan. l. 1.

in quarta Lacuna pro τῇ Αἰγίσθῳ mihi potius placeat legere ὑπὲρ Αἰγίσθου, de cæde enim Ægisthei causa acta erat, Αἰγίσθου vero θυγατρὶ Ἠριγόνῃ τῇ Αἰγίσθου, vana & non admittenda est repetitio. Quomodo Orestes ob matris cædem furiis actus fuit, & in Scythiam ad sororem Iphigeniam Dianæ Tauricæ Sacerdotem venit, ab eaque sanatus fuit, satis notæ sunt fabulæ. Eas legas apud Pausaniam, lib. 1, 2, 3, & 8. Sophoclis Electram, & Æschyli Eumenides, & Scholia ad illas Tragœdias, Euripidis Iphigeniam in Tauris, maxime vero prolixus est in fabulis de Oreste narrandis Johannes Antiochenus lib. 5. quæ ipse narrat, eadem contractius habentur omnia apud Epitimatorem illius Cedrenum.

Ἐν Ἀρείῳ πάγῳ. De Areopago, & quomodo coram illud concilium Orestes in jus vocatus ob matris cædem absolutus fuit, satis diximus in notis ad Ep. 3.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Δημοφῶντος. Demophoon Thesei [q] filius erat, qui post Menesthei obitum paternum regnum iterum recuperavit, illudque per triginta tres annos tenuit. Omnia, quæ de eo ab aliquo scriptore narrantur, habes apud Meursium de regno Attico, lib. 3. c. 6, 7, & 8.

Ep. 27. Ἀφ' οὗ .... Κύπρῳ Τεῦκρος ᾤκισεν ἔτη ΡΗΗΗΗΔΔΔΠΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Δημοφῶντος. In Lacuna supplendum, Σαλαμῖνα ἐν Κύπρῳ. [r] Teucer enim cum post reditum à Troja, quod fratris Ajacis obitum non vindicasset, seu secundum alios quod illius cineres secum non reportasset, à patre Telamone non reciperetur, cum iis quos secum à Troja reduxerat in Cyprum solvit, ibique, eodem tempore quo Agapenor [s] cum Arcadibus suis in eadem insulâ Paphum extruxerat, urbem Salaminem ab insulæ nomine à qua exulaverat sic dictam condidit, [t] in eaque urbe posteri illius per multa secula usq; ad Euagoram ob encomium illius ab Isocrate scriptum celebrem, qui circa centesimam [u] Olymp. Salaminis rex fuit, semper regnasse perhibentur. De Colonia à Teucro in Cyprum ductâ Historiam fusius habes narratam apud Stephanum Lysignanum, Cyprium in Cypri Chorographia Italiæ scriptâ.

Ep. 28. Ἀφ' οὗ Νε...ευς ᾤκισ........γ....αλαηχαρ...σι..........αν Ἔφεσον Ἐρύθρεας Κλαζομενὰς Τ..ην καταγεγονον ὑπὸ Κολοφῶνα ...ιυυντα.....α...... Σάμον ....τα...ιωνι... ἐγένετο ἔτ........ ΔΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Μενεσθέως τρεισκαιδεκάτου ....υς. De Ionica migratione & duodecim civitatibus in Asia ab Ionibus Duce Neleo occupatis in mutilo hoc Marmoris loco agi ex iis, quæ relinquuntur integra, satis apparet. Palmerius igitur omnes has Lacunas sic supplet, Ἀφ' οὗ Νηλεὺς ᾤκισε Μίλητον ἐν Καρίᾳ λαὸν ἀγείρας Ἰώνων οἱ ἔκτισαν Ἔφεσον, Ἐρύθρεας, Κλαζομενὰς, Τέων, καὶ Λέβεδον ὑπὸ Κολοφῶνα, Κολοφῶνα, Μυοῦντα, Φωκαίαν, Πριήνην Σάμον, Χίον, καὶ τὰ Πανιώνια ἐγένετο ἔτη. Sed Lebedus non erat sub Colophonem, sed [x] 20 stadia ab illa distabat, nec Lacunæ spacium admittit, ut vox Κολοφῶνα iterum repetatur. Eâdem igitur licentiâ, quâ Palmerius pro καταγεγονον, ponit καὶ Λέβεδον, ego pro ὑπὸ lego καὶ. Ultimam partem hujus loci Lydyatus in notis Chronologicis, quas vide, sic restituit, ἔτη ΡΗΗΗΔΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν μετὰ Νηλέως τρεισκαιδεκάτου ἔτους, atq; ideo mutilus hic Marmoris locus repletis omnibus Lacunis sic legendus est, Ἀφ' οὗ Νηλεὺς ᾤκισε Μίλητον ἐν Καρίᾳ λαὸν ἀγείρας Ἰώνων, οἱ ἔκτισαν Ἔφεσον, Ἐρύθρεας, Κλαζομενὰς, Τέων, καὶ Λέβεδον, καὶ Κολοφῶνα, Μυοῦντα, Φωκαίαν, Πριήνην, Σάμον, Χίον, καὶ τὰ Πανιώνια ἐγένετο ἔτη ΡΗΗΗΔΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν μετὰ Νηλέως τρεισκαιδεκάτου ἔτους.

[q] Justinus lib. 2. Eusebius in Chronicis. Pausan. lib. 1. [r] Servius ad Virgilii Æn. lib. 1. Strabo lib. 14. Tzetzes in Lycophronem p 80. [s] Pausan. lib. 2. [t] Isocrates in Euagora. Pausan. lib. 2. [u] Diodorus Siculus lib. 15. [x] Strabo lib. 14.

Νηλεὺς

Νηλεὺς Μίλητον ᾤκισε. De hac Ionum colonia Duce Neleo in Asiam ducta dixi in præcedeutibus, de qua etiam Pausanias, Ælianus, & Strabo multa tradidere, quos videas iu locis supra, ad Ep. 6. notatis.

Τὰ Πανιώνια ἐγένετο. Panionia [a] communia erant omnium Ionum Festa in Neptuni honorem celebrata, ad quæ duodecim Ioniæ civitatum incolæ quotannis convenientes pro communi salute Deo sacra faciebant, & deinde de eadem inter semetipsos, eodem modo quo in Panbœotiis Bœoti, & in aliis Festis alii ejusdem gentis Græci, consultabant. Hæc Festa antiquitus [b] in loco prope Mycalen Panionio dicto habita fuere, postea vero cum ob crebra bella cum Caribus aliisque Gentibus gesta illic amplius celebrari non poterant, ad locum magis tutum ab Epheso non procul [c] translata fuerunt. Eorum Curatores erant [d] Prienenses, ex iisque quotannis nobilis juvenis electus fuit, qui sacrificiorum & ludorum curæ præpositus Rex Sacrorum dicebatur.

Βασιλεύοντος Ἀθηνῶν μετὰ Νηλέως. Μενεσθέως hic non posse legi omnium Historicorum suadet autoritas, excepto enim illo Menestheo, qui secundum nostri Chronologi computum 154 annos ante Ionicam migrationem Theseo successerat, nullus alius illius nominis Athenis unquam regnasse memoratur. Pro Μενεσθέως igitur restituendum est μετὰ Νηλέως. De ratione emendationis, & tempore quo Neleus Iones in Asiam primo duxit, legas Lydiati notas Chronologicas. Notandum autem est Neleum hic βασιλεύειν improprie dici, quia post Codrum Nelei patrem [e] nemo unquam Athenis regnabat. Postquam enim Codrus in bello Dorico semetipsum pro publica salute devovisset, Athenienses Regi tam optime de se merito nullum alium succedere satis dignum existimantes decreverunt, ut abolito regio nomine Archontes deinde reipublicæ præessent, qui primo perpetui, postea decennales, & tandem annui fuere. Perpetui & decennales erant è sola Codri familia, annui vero è quacunque, modo census habuissent dignitati pares, populi suffragiis eligebantur. De his plura vide in notis ad Chronici proœmium.

Ep. 29. Ἀφ' οὗ Ἡσίοδος ὁ ποιητὴς .....η ἔτη 𐅅Η𐅄ΔΔ.. βασιλεύοντος Ἀθηνῶν..... In prima Lacuna legendum esse ἐφάνη ex iis, quæ in proxima Epocha habentur integra, satis apparet. In secunda Lydiatus 𐅅Η𐅄ΔΔII Seldenus vero 𐅅Η𐅄ΔΔΔ restituunt. Seldeno qui Marmor inspexit potius assentiendum est. In tertia Lacuna Μεγακλεῦς, sive enim annus sit 𐅅Η𐅄ΔΔII, sive 𐅅Η𐅄ΔΔΔ; Megacles Athenis Archon fuit [f] principatum enim anno Ep. Mar. 684 adeptus usque ad an. Ep. Mar. 655 secundum Eusebii computum tenebat.

Ἡσίοδος ὁ ποιητὴς ἐφάνη. Hesiodus [g] Cumæ in Æolide Asianâ nascebatur, indeque puer adhuc à patre Dio & matre Pycimede in Bœotiam deductus in urbe Ascrâ, ubi parentes sedes figebant, educatus fuit, ubi cum sub Helicone monte, cui Ascra vicina erat, oves pascens Poeticæ operam dedisset, [h] inde secundum nonnullos mons ille, quasi musarum sedes esset, Poetis primo cæpit sacer haberi. De Hesiodi operibus hæc apud Pausaniam habentur. [i] " Bœoti " qui circa Heliconem domicilia habent ex opinione quadam à majoribus ac" cepta Hesiodum negant aliud quicquam præter poema, quod ἔργα appellatur, " scriptum reliquisse; quin & ex eo Musarum invocationem, quæ in exordio " est, removent, principium poemati statuentes illud carmen (undecimum " scilicet) à quo de Contentionibus agere incipit. Quin & plumbeam mi" hi tabulam ostenderunt juxta fontem Hippocrenen positam, sed vetustate

[a] Diodorus Siculus lib. 1. Strabo lib. 8. & lib. 14. Herodot. lib. 1. [b] Diodor. Sic lib. 1. [c] Diod. ib. & Dionys. Hal. lib. 4. [d] Strabo lib. 8. & lib. 14. [e] Justin lib. 2. Eusebius in Chronicis. Velleius lib. 1. [f] Euse . in Chronicis. [g] Suidas in Ἡσίοδος. Strabo lib. 9 p. 409. & lib. 13. pag. 622. [h] Vide notas meas ad Ep. 2. [i] Pausan. in Bœoticis.

" magna ex parte vitiatam, in qua Hesiodi Poema ἔργα dictum inscribebatur. " Diversa est ab hac eorum sententia, qui multa alia versuum volumina Hesiodo ascribunt, ea videlicet, quæ in mulieres decantata sunt, & quas Μεγάλας ἠοίας appellant, Θεογονίαν, in Melampodem vatem Carmen, Thesei cum " Pirithoo ad inferos descensum, Chironis præceptionem ad Achillem instituendum, tum quæ operibus & diebus continentur. Iidem Bœoti Hesiodum " divinandi artem ab Acarnanibus tradunt didicisse, & extant sane ejus de divinatione Carmina, quæ ipsi legimus, ac præterea ostentorum enarrationes. De his Hesiodo peribus etiam legas quæ habet Meursius Atticarum lectionum lib. 2. cap. 19. & Heinsii introductionem ad Hesiodi libros. De Hesiodi morte hæc narrantur. [l] Milesius quidam, cum quo hospitii & convictus usus Hesiodo intercedebat, apud Locros hospitis filiam clam vitiabat. Re compertâ Hesiodum ut flagitii conscium puellæ fratres interficiunt, & illius cadaver in mare præcipitant, quod ad Rhium eo tempore, quo Locri publica pro totâ gente eo in loco sacra faciebant, fluctibus devolutum [m] ab omnibus agnoscebatur, quæsiti igitur percussores & ab Hesiodi [n] cane proditi ob cædem tanti viri cum tota familia [o] interfecti fuerunt; Poetæ autem cadaver eo in loco, quo inventum fuit, publicâ totius gentis curâ sepeliebatur. [p] Pausaniæ vero temporibus Hesiodi sepulchrum Orchomeni videbatur, illic illius ossibus oraculi Delphici monitu ab Orchomeniis cum peste laborassent in mali remedium postea translatis.

Ep. 30. Ἀφ' οὗ Ὅμηρος ὁ Ποιητὴς ἐφάνη ἔτη ΠΗΔΔΔΔΙΙΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶ····ιογνήτου. In Lacuna supplendum est Ἀθηνῶν Διογνήτου. Diognetus enim an. Ep. Mar. 657 Athenis principatum adeptus illum per 25 annos ab Eusebio dicitur tenuisse.

Ὅμηρος ὁ ποιητὴς ἐφάνη. Homeri vitam habes ab Herodoto scriptam, de eo etiam apud Strabonem & Pausaniam multa in omni fere libro habentur, de tempore, quo ille & Hesiodus floruerunt, legas notas Chronologicas Lydiati, Seldeni notas ad Canonem Chronicum, & eos Autores, qui à Seldeno citantur, quibus addas etiam Dominum Johannem Marshamum, [q] qui in Canone suo Chronico, multa de utrisque his Poetis è variis autoribus magnâ cum industria congessit.

Ep. 31. Ἀφ' οὗ ....δων ὁ Ἀργεῖος ἐδήμευσ..... ν ευ.......................ἐσκεύασε καὶ νόμισμα Ἀργυροῦν ἐν τῇ Αἰγίνῃ ἐποίησεν ἑνδέκατος ὢν ἀφ' Ἡρακλέους ἔτη ΠΗΔΔΔΙ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν ....υς. In prima Lacuna supplendum est, ἀφ' οὗ Φείδων. Phidonem enim fuisse, qui in Æginâ insulâ nummum argenteum primo excudebat satis notum est. Quid sit ἐδήμευς.. omnino nescio, si legam, ἐδήμευσε vocis significatio nec alicui de Phidone narratæ historiæ, nec ob voces quæ hoc activum verbum debent sequi Lacunæ spacio quadrat. Cum igitur Phidon Rex Argivorum esset, & nostri Chronographi constans methodus sit, quando de aliquo rege agat, ab illius regno incipere, ut in Epocha quintâ, sextâ, & undecimâ, aliisque videas, suspicor hic ἐδήμευς.. aut Quadratarii, aut exscriptoris errore pro ἔδημος scriptum fuisse, atque ideo in secunda & tertia Lacuna suppleo, ἐδημοσίευσεν ἐν Ἄργει, καὶ Μέτρα, καὶ σταθμὰ ἐσκεύασε In ultima lacuna syllaba υς relicta monet supplendum esse Φερεκλῆς, sed tempus repugnat; Phericles enim ante annum Ep. Mar. 626. [r] secundum Eusebium principatum Athenis non obtinuit, Diognetus igitur an. Ep. Mar. 631. adhuc in imperio fuit, atque ideo potius legendum est Διογνήτου, & lite-

[l] Plutarch. in convivio septem sapientum. Pausanias lib. 9. [m] Plutarchus dicit Poetæ cadaver Rhium à Delphinis allatum fuisse. ib. [n] Plutarch. de solertia animalium. [o] Plutarchus in convivio 7 sapientum. [p] Pausan. lib. 9. [q] Pag. 49. & seq. [r] In Chronicis.

ram

ram Σ, aut in Marmore aut in Seldeni ectypo ſuperabundaſſe ſupponendum; niſi eum computum, quo doctiſſimus Meurſius in libro de Regno Attico utitur, potius ſequeris, ſecundum quem fatendum eſt, annum Ep. Mar. 631. ſecundum imperii Phericlis fuiſſe. Sed prior computus ad eum, quem noſter Chronographus ſequitur, multo propius accedit.

Φείδων ἐδημοσίευσεν ἐν Ἄργει. [s] Poſtquam enim Argivi Temini poſteros à regno depoſuiſſent, & reipublicæ regimen ut penes populum eſſet conſtituiſſent, Phidon vi & armis avitum regnum iterum reſumpſit, & non tantum Argivis, ſed ceteris etiam Peloponneſiis imperans omnium in Græcia Regum ſui temporis evaſit potentiſſimus.

Μέτρα καὶ σταθμὰ ἐσκεύασε, καὶ νόμισμα ἀργυροῦν ἐν τῇ Αἰγίνῃ ἐποίησεν. Phidonem pondera & menſuras inveniſſe [t] Strabo, [u] Plinius, [x] Pollux, [y] Scholiaſtes Pindari, [z] Herodotus, [a] Syncellus, [b] Euſebius, aliique, nummum etiam argenteum ab eo primum cuſum fuiſſe iidem autores, eorumq; Strabo & Pollux hoc in Ægina inſula factum fuiſſe cum Chronici noſtri autore conſentiunt. [c] Æginetæ enim inſulæ ſterilitate laborantes in mari negotiari coacti erant, unde ad commercia nummi argentei iis primo à Phidone Argivorum rege cuſi fuerunt, dicit igitur [d] Ælianus de Æginetis quod *πρῶτοι νόμισμα ἐκόψαν*, & hinc Æginææ drachmæ, & Æginæa talenta, eodem modo quo Euboicæ drachmæ, & Euboica talenta, ab Eubœa Argolidis loco, ubi idem [e] Phidon nummum aureum primo excudebat, & non ab Eubœa inſula nomina habuere. De differentiis nummorum apud Græcos, & valore eorum legas Pollucis onomaſticon, lib. 9. cap. 6. & quæ inde tranſcripſit Doctiſſimus Brerewoodus, in libro de Nummis, ponderibus, & menſuris antiquorum. Antequam Phidon hos nummos excudebat narrante [f] Pauſaniâ apud Græcos, « mos fuit, ut ſibi, quæ quiſq; vellet per commutationem bobus, ſervitiis, rudi « auro & argento ultra citroque datis & acceptis compararet, atque ideo illud Homeri ubi de Glauco dicit quod,

> *ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε*
> *Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.*

intelligendum eſt de tot bobus, & non de nummo (ut nonnulli volunt) bove ſignato, quod Didymus ad hunc locum annotat. Dicit enim, *Ἑκατόμβοια ἑκατὸν βοῶν ἄξια, οὐ γὰρ νομίσματι ἐχρῶντο· βοῦς δὲ μετὰ ταῦτα κέκληται νόμισμα Ἀττικὸν, βοὸς ἔχον εἰκόνα.* Euſtathius autem aliter locum interpretatur. Romani [h] Q. Fabio Pictore, & Q. Ogulnio gallo Coſſ. anno U.C. 485, & quinto ante primum bellum Punicum, poſtquam [i] arcem Samniticam, in qua Argenti copia erat, expugnaſſent, nummum argenteum primo excudebant, prius autem ſolis æneis nummis utebantur, Argenteum igitur nummum 625 annos, ante quam Romæ cuſus fuit, Græci habuere.

Ἐνδέκατος ὢν ἀφ' Ἡρακλέους. Phidonem Strabo decimum ab Hercule fuiſſe tradit, & Agonem Olympiacum invitis Eleis ſtatuiſſe; quod idem etiam narrant [m] Herodotus, & [n] Pauſanias, illudque octavâ Olympiade [o] Pauſanias factum dicit. Sed hæc nequeunt conſtare, Hercules enim regnante Athenis Ægeo maxime inclaruit, à morte autem Ægei ad octavam Olympiadem ſunt anni 513, ſi igitur Phidon decimus ab Hercule octavâ Olympiade floruerit, ſingulis generationibus, quæ inter Herculem & Phidonem interceſſerunt, plures quam 50 anni attribuendi ſunt, quod nullo modo admittendum. [p] Lydiatus igitur (quem vide) ut tam Herodoto, Straboni, & Pauſaniæ, quam noſtro Chronico fides conſtaret, duos Phidones diſtinguit, quorum

[s] Pauſanias lib. 2. Strabo lib. 8. Plutarch. in *ἐρωτικῷ*. Herodotus lib. 6. [t] Lib. 8. [u] Lib 7 c. 56. [x] Lib 9. cap. 6. [y] Ad Olymp. 19. [z] Lib. 6. [a] Pag. 198. [b] In Chronicis. [c] Strabo lib 8. [d] Var. Hiſt. lib 12. cap. 10. [e] Julius Pollux. [f] Lib. 3. pag. 181. [g] Il. ζ. ver. 235 [h] Plinius lib 33. cap. 3. [i] Zonaras. [l] Lib. 8. [m] Lib. 6. [n] Lib. 2. [o] Ib. [p] In notis Chronologicis ad hanc Epocham.

primum

primum nummum Argenteum excudiſſe, ſecundum prioris nepotem aut pronepotem Olympiade octavâ ludis præſidiſſe ſupponit, Strabo vero, & Pauſanias utroſque confundunt. [q] Euſebius & [r] Syncellus, cum noſtro Chronographo conſentientes Phidonem undecimum ab Hercule, & ſeptimum à Temeno dicunt, & ad tempus etiam in noſtro Chronico huic Regi aſſignatum, cum eum anno 26 Theſpiei nummum Argenteum primo cudiſſe dicant, multo propius, quam aut Herodotus, aut Strabo, aut Pauſanias accedunt.

Ep. 32. Ἀφ' οὗ Ἀρχίας Εὐαγήτου δέκατος ὢν ἀπὸ Τεμένου ἐκ Κορίνθου ἤγαγε τὴν ἀποικίαν..... Συρακου....................τ@. Ἀθηνῶν Αἰσχύλου ἔτους εἰκοστοῦ καὶ ἑνός. Mutili loci ſic ſupplendi ſunt, ἤγαγε τὴν ἀποικίαν εἰς Συρακούσας ἔτη HHHHꟾΔΔΔΔIIII, Βασιλεύοντ@. Ἀθηνῶν Αἰσχύλου. Secundum [s] Euſebium enim vigeſimus primus annus Æſchyli eſt ſeptuageſimus quartus ante Magiſtratum Cerontis primi annui Archontis. Si igitur ſecundum noſtrum Chronicon annus, quo Creon Athenis primus archon fuit, eſt annus Ep. Mar. CCCCXX, vigeſimus primus annus principatus Æſchyli eſt annus Ep. Mar. 494. De ceteris, quas reſtitui, vocibus nullum eſt dubium.

Ἀρχίας Εὐαγήτου. Hic notat Seldenus, Archiæ, qui etiam ex Heraclidis fuit, patrem aulbi occurrere ſe incompertum habere. Sed de colonia ab eo à Corintho deductâ, Syracuſis conditis aut ampliatis, & Temeno (unde Temenidæ) obſervat ſatis haberi apud Thucydidem in ſexto, Marcianum Heracleotem, Pauſaniam in Eliacorum primo, Strabonem lib. 6. & 8. & Scaligerum ad numerum Euſebianum MCCLXXXIV, quibus ipſe etiam addo Plutarchum in narrationibus amatoriis, & Scholiaſten Apollonii Rhodii, ad lib. 4. & è Modernis Dominum Johannem Marſhamum in Canone Chronico, pag. 466. Videas etiam ſi placeat notas meas ad Ep. 6. ubi omnia ea, quæ de Temeno, Archia, & Syracuſis conditis ab aliquo antiquo ſcriptore narrantur, ſimul congeſta habes.

Ep. 33. Ἀφ' οὗ κατ' ἐνιαυτὸν ηρ.. εν... ρ.. ων ετ.. HHHHΔΔ. Lacunas Seldenus ſic ſupplet, ἀφ' οὗ κατ' ἐνιαυτὸν ᾑρέθη ὁ ἄρχων. Sed literæ, quæ relinquuntur, & Lacunarum ſpacium multo melius Palmerii ſupplementa admittunt, atque ideo cum eo potius lego, ἀφ' οὗ κατ' ἐνιαυτὸν ἦρξεν ὁ Κρέων ἔτη. Creon enim primus Archon annuus fuit. De eo lege Meurſium, De Archontibus lib. 8. Petavium lib. 13. pag. 585. & Sigonium in faſtis Atticis. De Archontis officio, & quot eorum erant quotannis electi, ſatis dixi in notis ad Chronici prooemium.

Ep. 34. Ἀφ' οὗ ......ο....υ.............. ἔτη HHHHΔΠIII Ἄρχοντ@. Ἀθήνησι Λυσία. Cum annus Ep. Mar. 418. incidat in tertium annum 24 Olympiadis ob prælia [t] inter Lacedæmonios & Meſſenios acerrimis animis commiſſa, & Tyrtæum poetam ab Athenienſibus Lacedæmoniis pro duce datum celebrem; Lacunas ſic ſuppleo, Ἀφ' οὗ Λακεδαιμονίοις ὁ Τυρταῖ@. συνεμάχησεν ἔτη. Cum enim Lacedæmonii [u] ab Ariſtomene & Meſſeniis in prælio male mulctati eſſent, de belli eventu Oraculum Delphicum conſulunt, ab eoque jubentur ducem belli ab Athenienſibus petere. Porro Athenienſes cum reſponſum cognoviſſent, in contemptum Spartanorum Tyrtæum poetam altero pede claudum, & mente non ſatis ſanum miſere, qui elegos & anapeſta decantans, ſic Lacedæmoniorum animos ad prælia excitabat, ut illi deinde multo majori fortitudine ferocioribuſque animis bellum gerentes illius carminibus debuere, quod, cum cetera defeciſſent belli ſubſidia, tandem victores evaſere. De his

[q] In Chronicis. [r] Pag. 198. [s] In Chronicis. [t] Pauſanias in Meſſenicis. [u] Pauſan. ib. Juſtin. lib. 3. Suidas in Τυρταῖ@.

plura

Plura videas apud Pausaniam in Messenicis, Strabonem lib. 8. Justinum lib. 3. Suidam in Τυρταῖος, & Plutarchum in Apothegmatibus Laconicis. Pro Λυσίᾳ lege Λυσίῳ; qui vero hic Λυσίας, apud [x] Pausaniam Τλησίας vocatur.

Ep. 35. Ἀφ' οὗ Τέρπανδρος ὁ Δερδενέος ὁ Λέσβιος τοὺς νόμους τυ....α....ων ...δ.. ναθαι αὐλητ..........λησε, καὶ τὴν ἔμπεροθ' ἐμοῦ δίκην μετέστησεν ἔτ.. HHHΗΔΔΔΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δρωπίλου. Omnes has Lacunas Palmerius sic supplet, τοὺς νόμους τοὺς Λύρας, καὶ αὐλῶν ἐδίδαξεν, οὓς καὶ αὐλήταις συνηύλησε, pro θαι, enim ponit καὶ quia ex νάθαι neminem hic credit aliquid, quod Hellenismum sapiat, posse elicere. Sed maximum est dubium, quid sit, καὶ τὴν ἔμπεροθ' ἐμοῦ δίκην μετέστησε, de hac periocha sic dicit Seldenus. De Terpandro hoc dici nemo sanus putet. Quid enim cum Terpandro autori nostro, qui quadringentis aut circiter postea annis vixit? Libenter ἐπέχω heic. Nec tamen quod conjectura suggerit, invidebo. Cum venia id forsan placebit, sine qua placet nihil. Autor heic legitimæ Musicæ, cum Imperio forsan, in Republica sua præfuit, & prehensionem seu in jus vocationem, seu utramque habuit eorum qui, contra quam leges aut mores recepti præscripsissent, Musicam innovassent, atque, inter narrandum Terpandri novationem, alium sibi coævum (ita videri possit) obiter & parenthesi memorabat, qui, Terpandri exemplo fretus, etiam in receptos illos harmoniæ mores commiserat, & in jus demum vocatus absolutus est. Judicium in re hujusmodi latum habes apud Boetium lib. 1 de Musica in Laconico illo Ephororum Decreto in Timotheum Milesium, quod in evulgatis libris misere corruptum habetur. Reperitur etiam tum apud Paulum Leopardum Emendationum, lib. 8. cap. 14. tum in Gregorii Gyraldi Historiæ Poetarum, Dialogo 9. Sed emendatius apud Josephum Scaligerum in Manilianis, pag. 426. Actio in Timotheum instituta est, præcipue quod chordarum lyræ numerum usque ad undecem auxisset, atque ita juvenum animos corrupisset, τὴν πολυφωνίαν εἰσάγων. Sed Artemon apud Athenæum lib. 14. scribit eum, dum in judicio stabat, atque aderat minister, qui, ex Decreto, superfluas chordas præcideret, lyramque ad septem reduceret, Ἀπολλωνίσκον seu minutulum Apollinem indicasse, πρὸς τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἰσόχορδον λύραν ἔχοντα καὶ ἀφεθῆναι, "Cujus lyræ tot erant chordæ "haud diverso situ dispositæ, atque inde absolutum fuisse. Judicium de Timotheo annos C. aut circiter autoris nostri Ἀναγραφὴν antevertit. Sed etiam ejus ævo, hoc est, post initia imperii Græci, seu Seleucidarum, insignes, pro artificum ingeniis, in Musicam receptam irrepsisse mutationes palam est ex iis imprimis quæ apud Plutarchum habet Aristoxenus de Telesia Thebano sibi coævo, & de Aristonico Argivo Menecharmus, & Lysandro Sicyonio Philochorus apud Athenæum lib. 14. Alia ejusmodi sunt. Et ejusmodi quempiam reum coram ipso autore, judicis partes sustinente, absolutum præcedens forte lacuna heic occuparat. Sed Palmerius pro τὴν ἔμπροθ' ἐμοῦ δίκην, scribit, τὴν ἐμπροθέσμου δίκην. De Ratione emendationis & explicatione periochæ sic emendatæ hæc habet. Multum elaboravit, & ingeniose multa excogitavit, ut solet Doctissimus Seldenus, ut aliquem sensum commodum tribueret lectioni, quæ extat in voce ἔμπροθ' ἐμοῦ. Sed incassum se torquebat vir summus: est enim mendosa, & unius literæ transpositione laborat, & proculdubio sanabitur, si legas THENEΜΠΡΟΘΕΣΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ. προθεσμία Hesychio est καιρός, ὅρος (ubi forte legendum καιροῦ ὅρος i.e.) διορία, ὅρισμα. Inde ἐμπρόθεσμος dicitur, qui ad tempus adest, qui ad horam præstitutam aliquid agit. Cum autem de Musica hic agatur, ἐμπροθέσμου δίκη, lex rythmi, quam nos vernacule *Cadence*, *cadentiam*, vocamus, eo quod manus vel pes debet una cum sono quodam cadere. Itaque Terpan-

[x] In Messenicis.

der hoc loco dicitur antiquum rythmi morem mutâsse, & quum olim requireretur, ut exacte ad ἄρσιν vel θέσιν caderent soni, eam antiquæ Musicæ simplicitatem mutasse, & introduxisse alium morem licentiorem, sed gratiorem, & sonos aliquando extendisse vel contraxisse ultra vel citra momenta τ ἄρσεως vel θέσεως (quod nunc Syncopas facere vocant, eo quod vox canentis cum cessat in momento τ θέσεως ubi exspectatur ab audiente, videtur Syncopen pati.) Sic ego puto hunc locum intelligendum. Hactenus Palmerius, sed Lydiatus pro ἐμπροσθ᾽ ἐμῦ, legit ἐμπεσόντ᾽ δῆμον, quæ multo potior est lectio, & omnibus aliis conjecturis præferenda. [y] Terpander enim, cum Lyram, quæ prius ex quatuor tantum nervis constabat, ut ei modos Lyricos [z] à se primo inventos adaptaret, septichordem fecisset, eâque Lacedæmone usus esset, quod antiquam musicam legibus stabilitam mutasset, coram populo in jus vocatus, secundum [a] Plutarchum mulctatus, secundum Marmor absolutus fuit. Marmoris autem autoritas præferenda est, quia septichordem Terpandri Lyram tandem eam solam fuisse, quæ Lacedæmone in usu erat, invenimus. [b] Timotheus enim ab iisdem Lacedæmoniis, quod hac non usus fuisset, sed eâ, quæ ex undecim nervis constabat, postea condemnatus erat. Sola igitur Terpandri Lyra à Lacedæmoniis admissa fuit, quod factum videtur post hoc judicium, quod attigit noster Chronographus, in quo cum tantum evicisset Terpander, ut non tantum ob mutatam antiquam Musicam absolveretur, sed etiam omnibus deinde persuasum esset eam mutationem in melius factam fuisse, inde forte obtinuit, ut legibus sancitum esset, solam Terpandri septichordem Lyram apud Lacedæmonios deinde in usu fore; quam cum tanta semper religione retinuissent, eâque solâ uterentur, non omnino verisimile videtur, illum, qui hanc Lyram Lacedæmonem primo attulit, populi suffragiis condemnatum fuisse. Præterea Terpander magno semper apud Lacedæmonios in honore habebatur: quis igitur credet eum ab iisdem unquam mulctatum fuisse? " [c] Cum " enim Lacedæmonii seditione laborarent, Apollinis Oraculum consulentes " responsum tulerunt, ut Terpandrum Musicum Lesbo accerserent, qui ve- " niens, & Musicâ suâ usus eorum animos composuit, tumultumque sedavit. " Spartani igitur Terpandrum deinde summo in honore habentes, si quando " post hæc Musicum quempiam insigniorem audirent, exclamabant, μετὰ Λέσ- " βιον ᾠδόν, quasi maximæ laudes essent, quæ Musico dari poterant, eum dicere Terpandro secundum. Hic etiam dicitur in festis Carneis in honorem Apollinis, Lacedæmone institutis [d] primo Musico certamine vicisse, tantumque Lyrâ potuisse, ut [e] Boetius dicat eum dulcedine illius solitum fuisse Iones & Lesbios ab eorum morbis liberare.

Τὲς νόμυς, τὺς λύρας. De Nomis antea diximus. In utraque vocabuli notione, Nomorum Lyricorum autor fuit Terpander, etiam, ut volunt aliqui, primus, quem alii tamen Philammonem fuisse malunt. Sed hanc rem dijudicandam puto ex varia Lyræ Chordarum accessione. Nova enim quælibet accessio novos peperit Nomos seu leges Musicas. Tetrachordem aiunt Orphei, cujus Mercurius dicitur inventor, primo auxit Chorebus, secundo Hyagnis, tertio Terpander, septimâ adjectâ. Ita Boetius de Musica, lib 1. cap. 20. ubi Nicomachum affert autorem, Lyram quatuor duntaxat chordis, etiam Orphei ætate, constitisse. Certe Nicomachus Gerasenus diserte Orphei Lyram ait fuisse septichordem, atque, ipso à Mænadibus discerpto, in mare jactam. Ejectam autem ad Antissam Lesbi insulæ urbem. Repertam ad Terpandrum (qui Antissæus) allatam esse. Illum vero secum in Ægyptum portasse ut antistibus sacris ostenderet, ejusque inventorem se primarium seu

[y] Strabo lib. 13. pag. 618. [z] Suidas in Τέρπανδρος. [a] In libro de institutis Laconicis. [b] Legas decretum quo condemnatus fuit Timotheus, quod habes apud Lilium Gyraldum, Hist. Poet. Dial. 9. Paulum Leopardum emendationum, lib. 8. c. 14. & in notis Scalig. ad Manilium de Sphæra. Et apud Boetium. Li. de Musica. [c] Zenobius Centur. 5. prov. 9. [d] Athenæus lib. 14. [e] In libro de Musica.

περιθλρίτlω venditasse. Vide Nicomachum in Harmonicæ Enchiridii, lib. 2. cap. 1. Et Nicephorus Gregoras ad Synesii insomnia septem etiam chordas Orphei Lyræ tribuit, ita alii. Neque sane temporum rationi satis conveniunt quæ habet ibi Boetius. Nam Hyagnis etiam Orpheo vetustior; si nostro & Eusebio fides. Higynus item Mercurium primo, septichordem formasse Lyram memorat. De Terpandro porro, Nomis ejus, Lyra septichordi, atque aliis in Musica ab eo novatis, vide Plutarchum de Musica, Cleonidis quæ Euclidi tribuitur Harmonicam, Athenæum lib. 14. Strabonem lib. 13. Suidam, Anonymum cum Censorino plerumque editum, cap. 19. & veterem hypothesin Pythiorum apud Pindari Scholiasten. Et de Lyræ forma, & Chordis, earumque variatione, consule insuper in primis viros summos Scaligerum patrem Poetices, lib. 1. cap. 48. Filium ad Manilium, pag. 422. & Hugonem Grotium ad Arateorum Phænomenon imagines, pag. 54. Et συναγωγῇ historicâ cum Eusebio editâ, Simonidem Lyricum, nepotem scilicet, τῇ λύρᾳ τὸν τρίτον φθόγγον traditur ad invenisse: vide ibi Olympiade Νϛʹ. Ceterum Clemens Alexandrinus, Stromat. αʹ. de Terpandro; Μέλος πρῶτος, inquit, περιέθηκε τοῖς ποιήμασι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος, quod Hervetus vertit, "Modos Poematibus primus adjecit & La-" cedæmoniorum leges numerosis versibus scripsit. De Poematibus vide quæ supra ex Plutarcho adnotavimus, ubi de Nomis. Sed Νόμους heic Leges denotare mihi persuasum omnino non est. Civiles scilicet; quæ tamen apud veteres Græcos, seculis eorum vetustioribus, ni fallat Capella, canebantur; de qua re etiam nos supra aliquid adduximus. Exprobrat eo in loco Græcis doctissimus ille pater prima artium, quæ tunc in usu, inventa recentiora fuisse, & Ebraicâ antiquitate multo posteriora. Quamplurima enumerat. Inter ea etiam hoc objicit; quo tempore nihil minus in usu fuisse merito existimarit quisquam alicubi omnino Civiles Leges in Græcia, nedum Lacedæmone, sive cantari, sive versibus scribi numerosis. Neque enim ejusce rei exemplum alibi reperire potuit Aristoteles suo ævo præterquam apud Agathyrsos. Ut videre est in Problematum decimo nono. Intempestive igitur nimis neque ad rem, de Legibus Civilibus, hæc scripserat Clemens. Sed vero de Nomis, id est cantilenis sacris tunc temporis Lacedæmone usitatis, appositissime. Notissimum erat, Græcorum Festis Nomos hujusmodi cani, quod scimus ex Plutarcho libro de Musica, ubi Olympo autori tribuuntur, Νόμοι ἁρμονικοὶ οἷς νῦν χρῶνται (quæ ejus verba sunt) οἱ Ἕλληνες ἐν ταῖς ἑορταῖς τῶν θεῶν, "Nomi " harmonici, quibus nunc etiam utuntur Græci in Festis Deorum. Sed nec " ἐμελοποίησεν est Clementi, numerosis versibus scribere, sed Modulis, seu " notis Musicis temperare, aut phthongos aptare, id est ταῖς ᾠδαῖς, etiam μέλη περιτιθέναι: adeo ut id, quod hic dixit, non aliud fuerit quam Terpandrum tum poematis primum modos adjecisse, seu carmina fecisse melica, tum Musicæ sacræ, cujus in Nomis seu cantilenis sacris tunc usus erat Lacedæmone, autorem fuisse. Ita Timosthenes Ptolemæi Philadelphi classis præfectus Nomon Pythicum, cujus usus solennis in certamine Pythico, & partes ejus quinque ἐμελοποίησε, apud Strabonem, lib. 9. De opinionis in hac re Patris veritate, non disceptavimus. Sed aliam fuisse ejus mentem credere nequeo. Lacedæmonios autem signanter nominavit, quia nulla Græcarum civitatum æque ac illi Musicam, sive bello, sive pace, curabant. Testes sunt Athenæus lib. 14. Capella lib. 9. Agellius lib. 1. cap. 11. Joannes Tzetzes Chiliad. lib. 1. cap. 16. Sextus Empericus adversus Mathematicos, lib. 4. alii. Seld.

Ep. 36. Ἀφ' οὗ Ἀ.....ς Λυδ...... σιλδισ...........ΔΔΔΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοκλέους. Lacunas sic supplet Seldenus, Ἀφ' οὗ Ἀλυάττης Λυδῶν ἐβασίλευσεν ἔτη ΗΗΗΔΔΔΙ, De literis numeralibus restitutis vide illius notas ad Cano-

 nem

nem Chronicum, & Lydiatum in notis Chronologicis. Palmerio autem, quia in Autographo habetur Λυδο cum ο, Λύδοις potius quam Λύδων ἐβασίλευσε placet legere. Sed verba imperandi raro regunt Dativum, nisi apud Poetas: nec verisimile est Chronographum nostrum, qui in omnibus aliis locis post verbum βασιλεύω genitivum ponit, illud verbum in hac Epocha contra linguæ Analogiam cum dativo construxisse. Multo igitur melius Doctissimus Seldenus supponit ο in Λυδο aut quadratarii errore pro ω scriptum, aut suo pro ea litera in exeso Marmore lectum fuisse. Hic Alyattes Lydorum Rex erat pater Crœsi. De eo legas Herodotum lib. 1. Diogenem Laertium in vita Biantis, Strabonem lib. 14. & Polyænum lib. 6. & lib. 7.

Ep. 37. Ἀφ' οὗ Σαπφὼ ἐγ Μιτυλήνης εἰς Σικελίαν ἔπλευσε φυγοῦσα ……ολ…… θ…… τος Ἀθήνησιν μὲν Κριτίου τοῦ προτέρου, ἐν Συρακούσαις δὲ τῶν Ὁμόρων κατεχόντων τὴν ἀρχήν. Syllaba τος post ultimam Lacunam monet in ea legendum esse ἄρχοντος. Annum Epochæ, qui in Lacuna eam vocem præcedente obliteratur, supponimus esse 330. Secundum enim [f] Eusebium Sappho & Alcæus duodecimo Alyattis anno floruerunt, qui est annus Epochæ Marmoreæ secundum ipsum Marmor 330. Annus enim 341, ut in præcedente Epochâ patet, erat primus Alyattis. In ultima igitur Lacuna restituimus ἔτη HHHΔΔΔ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν μὲν Κριτίου. Quæ in ceteris Lacunis delentur impossibile est restituere.

Σαπφὼ ἐγ Μιτυλήνης εἰς Σικελίαν ἔπλευσε. Phaon Lesbius, quem misere deperibat Sappho poetria Lyrica, in Siciliam velificaverat, quem demum (ut noster hic innuit) Sappho secuta est, & tædium, quod ob absentem amasium passa est, & patriam fugiens. Ovidius in amatoria Sapphus Epistola ad Phaonem,

> Nunc tibi Sicelides veniunt nova præda puellæ,
> Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse velim.

Sed amoris postea, ac spretæ formæ injuriæ impatiens in Acarnaniam se contulit, ad Leucatem Petram, indeque in amoris remedium se in mare præcipitans occubuit, ab eoque tempore secundum Menandrum apud [g] Strabonem ad hanc Petram è tota Græcia se recipiebant desperantes amatores, ut ab ea saltu se in mare mittentes amoris insania liberarentur. [h] Ipse autem Strabo Cephalum ob amorem [i] Parolæ, Ovidius Deucalionem ob amorem Pyrrhæ, Ptolomæus autem Hephæstion, quem vide apud Photium, Cod. CXC, multos alios dicit ante Sappho in amoris remedium hunc saltum subiisse, quorum plerique fere omnes periere: qui evaserunt, vulneribus, ossium fracturis, aliisque ab eo saltu acceptis damnis forte debuerunt, quod amoris postea non meminere. In Petræ [l] cacumine erat Apollinis Leucadii fanum, in quo isti deo vota & preces faciebant saltum subituri. Et in festis huic deo quotannis eo in loco celebratis Acarnanibus solenne erat reorum aliquem ab hac Petra, ei plumis omnisque generis avibus, quorum volatu saltus sublevaretur, alligatis, averruncandi gratia præcipitasse; infra autem in lembis erant, qui dejectum quantâ poterant celeritate è fluxibus extrahentes, eum, si nullo scopulo allisus cum vita evasisset, extra fines salvum emittebant. De hoc Leucadio saltu lege Strabonem lib. 10. Ovidii Epistolam pro Sappho ad Phaonem scriptam, quæ, nisi cognoscatur quid sit Leucadius saltus, probe intelligi non potest. Ante alios autem legas Ptolomæum Hephæstionem apud Photium Cod. CXC. & quæ ex eo transcripsit Josephus Scaliger in notis ad Ausonium, lib. 2. cap. 18. & Lilium Gyraldum Hist. Poet. Dialog. 9. ubi de

[f] In Chronicis. [g] Lib. 10. pag. 452. Suidas in Σαπφώ. [h] Ib. [i] In Epistola Sapphus ad Phaonem. [l] Strabo lib. 10.

Sap-

Sappho agit. Hic saltus maxime viris proprius erat: quod igitur Sappho eum subiit, inde [m] Criticis placet eam apud Poetas masculam vocari. Duæ autem Sapphoi fuere, utræque Lesbiæ & ob Poeticam celebres, [n] prior vero Eressia, secunda Mitylenæa erat. Quæ Phaonem arsit secundum nonnullos [o] Eressia fuit, sed hos errasse convincit Marmoris autoritas. Sappho Mitylenæa, de qua hic agitur, [p] Scamandronymi filia erat, & soror Caraxi, Rhodopes insignissimæ meretricis amasii, [q] quem ob eum amorem versibus suis sæpe perstringebat. Primo nupta fuit [r] Cercalæ ex Andro insulâ viro ditissimo, ex eoque filiam Cleidem peperit; illo autem defuncto omni lasciviæ generi se dedit, & multis amoribus defamata erat, quos carminibus etiam suis [a] decantabat; [b] eaque, & post illam Anacreon, primi dicuntur fuisse, qui magnam carminum partem in exprimendis amoribus consumsere. Sappho autem postquam multis aliis amoribus implicata esset, tandem [c] Phaonem juvenem Lesbium arsit, quem à Venere, quod, cum nauta esset, eam sub anus specie apparentem sine mercede transfretasset, formosissimum dicunt factum fuisse. Fabulam legas apud Ælianum Var. Hist. lib. 12. c. 18. & Palæphatum περὶ ἀπίστων non longe à fine. Sed [d] Plinius Phaonem amatum dicit propter herbæ radicem, quam nostri centum capita vocant, quæ alterutrius sexus similitudinem refert, unde si viris contigerit mas, amabiles fiunt, quo pacto, inquit, amatus fuit Phaon Lesbius à Sappho. Hæc ob Poeticæ laudem tam celebris fuit, ut [e] Strabo nullam aliam ei similem fuisse, ne in minima quidem Poetices parte asserat: tantoque semper à Mitylenæis in honore habebatur, [f] ut omnibus eorum numismatibus illius imago imprimeretur. Scripsisse dicitur [g] Lyricorum libros novem, & etiam Epigrammata multa, Elegia, Iambos, Monodias, Epithalamium, aliaque multa. [h] Harmoniam mixo-Lydiam invenit, ab eâque hanc didicere Tragœdi, qui eam cum Dorica conjungentes Tragœdiis adaptarunt. [i] Carmen etiam Sapphicum ab ejus nomine dictum primo excogitavit, & [l] plectrum invenit. Ei in Poetices studio maxime socia erat [m] Erynna, & ipsa etiam Mitylenea erat, & maxime celebris ob trecenta carmina ab ea in colum scripta æquali olim laude cum Homeri carminibus celebrata, & quod hæc ante decimum nonum ætatis annum, quo virgo occubuit, scripta fuissent. De hac & Sappho dicit Poeta antiquus apud [n] Eustathium.

> Σαπφὼ δ' Ἠρίννης ὅσσον μελέεσσιν ἀμείνων,
> Ἤριννα Σαπφοῦς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις.

Ἐν Συρακούσαις δὲ τῶν ὁμόρων κατεχόντων τὴν ἀρχήν. Pro ὁμόρων Palmerius, & D[s] Johan. Marshamus, opinantur legi debere Γεωμόρων, & non male; de finitimis enim nullibi, de Geomoris autem apud [o] Herodotum Syracusis rerum potientibus facta est mentio. Hi autem Geomori optimates erant, qui agrum Syracusanum inter se partiti, servis suis, qui [p] Callicyrii dicebantur, elocabant colendum, indeque nomen adepti reipublicæ præerant, donec à Callicyriis servis suis expellerentur. Expulsi autem ad Gelonem Gelæ tunc Tyrannum fugiebant, qui cum eos Syracusas iterum reduxisset, illorum ope obtinuit, ut illius etiam civitatis fieret Tyrannus. Sed quia in Seldeni autographo legitur ὁμόρων, eam potius vocem in textu retinemus.

[m] Vide eos qui notas scripsere in Horatium. [n] Athenæus lib. 13. [o] Athenæus ib. [p] Ælian. V.H. l. 12. c 19. Herodot. l. 2. Suidas in Σαπφώ. [q] Athenæus lib. 13. p. 596. [r] Suidas in Σαπφώ. [a] Athenæus lib. 15. pag 687. Pausanias lib. 1. & lib. 9. [b] Pausanias in Atticis. pag. 44. [c] Suidas in Σαπφώ. Ælian. Var. H. lib. 12. c. 19 [d] Lib 22. c. 8. [e] Lib. 13. p 617. [f] Pollux lib 9. [g] Eustathius ad Homeri Il. β'. p. 327. Suidas in Σαπφώ. [h] Plutarchus in libro de Musica. [i] Diom. Grammat. aliique. [l] Athenæus lib. 14. pag. 635. [m] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 327. [n] Ib. [o] Lib. 7. [p] Herodot. lib. 7. Suidas in Καλλικύριοι.

Ep. 38. ....το ....οντες Κύῤῥαν καὶ ὁ ἄγων ὁ γυμνικὸς ἐτέθη Χρηματίτης ἀπὸ τῶν λαφύρων ἔτη ΗΗ..ΔΔΠΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Σιμ..ος. In prima Lacuna supplet Palmerius. Ἀφ' οὗ Ἀμφικτύονες ἐνίκησαν ἑλόντες Κύῤῥαν, quæ supplendi ratio in Græca historia versato satis obvia est. In ultima Lacuna supplendum est Σίμωνος. In media vero Lacuna, in qua litera numeralis obliteratur, legendum esse ἔτη ΗΗΗΔΔΠΙΙ numerales notæ sequentis Epochæ & eæ quæ in hac integræ relinquuntur satis ostendunt.

Ἀμφικτύονες ἐνίκησαν ἑλόντες Κύῤῥαν. Cum [q] Cyrrhæi ob mercaturam, quam cum Italis & Siculis exercebant, opibus aucti vectigalia acerbius exegissent ab iis, qui ad Oraculum Delphicum proficiscebantur, ipsique etiam Templo injurii essent, Amphictyones sibi duces eligentes Clisthenem Sicyonium, Alcmæonem Atheniensem, & Eurylocum Thessalum, Solonis [r] Atheniensis suasu iis bellum inferunt, ejusdemque [s] astu Cyrrham capientes, in illius expugnationis memoriam, [t] ludos Pythicos in Apollinis honorem quinto quoque anno celebrandos instaurabant, captamque [u] urbem & agrum, illius incolis sub hasta venditis, eidem deo consecrantes Delphis in sacros usus tradidere, ab eoque tempore Cyrrha Delphorum, à quibus circa [x] 70 stadia, seu 9 milliaria distabat, [y] navale fuit. Hæc urbs antiquitus [z] Crissa dicebatur, ab eaque sinus Corinthiacus, [a] Crissæus etiam vocatus fuit, [b] in eo enim Sicyoni è regione ad ostium Plisti amnis in Phocide sita fuit. In eodem latere Cyrrhæ opposita erat [c] Anticyrrha ideo sic dicta, ob Helleborum ibi natum [d] celebris, quæ herba quum in alia Græciæ parte prope sinum Maliacum magnâ copiâ nasceretur, occasionem præbuit, ut urbs ibi condita Anticyrrha inde etiam diceretur. Utriusque urbis nomen plerique apud antiquos non observatâ Etymologiæ origine Anticyram scribebant. Ad utrasque, majori autem cum successu ad posteriorem ob Hellebori præstantiam, navigabant insani.

Καὶ ὁ ἄγων ὁ γυμνικὸς ἐτέθη χρηματίτης ἀπὸ τῶν λαφύρων. De Pythico certamine hic agitur, quod [e] antiquissimum totius Græciæ fuisse perhibetur, ab ipso Apolline, in cujus honorem celebratum fuit, primo institutum; cum enim ille [f] è Delo insulâ, ubi natus erat, cum matre Latona in Phocidem transiisset, in Parnassi montibus in latronem quendam Pythonem appellatum, quem, quia in montium latebris peregrinantibus insidiebatur, Draconem etiam cognominabant, incidisse dicitur; quem in Apollinem irruentem cum Latona prius animadvertisset, exclamabat, [g] ἵε παῖ, ἵε παῖ, Apollo igitur emissa sagitta Pythonem occidebat, & post victoriam [h] composito illo hymno, quem à vocibus, quibus mater eum ad pugnam excitabant, factâ in iis quâdam mutatione ἰὴ παίαν, i.e. Io Pœan dictum Græci in præliis, & maxime post victorias canebant. In memoriam hujus latronis à se occisi [i] certamina Musica, in quibus hic hymnus à citharœdis ad citharas caneretur, singulis octoenniis agenda Delphis instituit, eaque seu à Pythonis, quem occidebat, seu potius ab urbis illius Pythûs, ubi celebrata erant, nomine Pythica appellabat; urbs enim Delphica antiquitus à Pythone, [l] Pytho dicebatur, indeque Apollo, quia in ea maxime colebatur, Pythius, & vates, quæ responsa ab illius oraculo dabat, Pythia dicebantur. [m] In hoc certamine primus vicisse dicitur Chrysothemis Cretensis, cujus pater Carmanor Apollinem de cæde purgasset, & post

[q] Strabo lib. 9. Pausan. lib. 10. Æschines in orat. contra Ctesiphontem. Argumenta Pindari Pythiorum. Plutarch. in Solone. [r] Plutarchus in Solone. [s] Pausanias lib. 10. [t] Pausan. lib. 10. Argumenta Pindari Pythiorum. Strabo lib. 9. [u] Pausanias lib. 10. Æschines in orat. contra Ctesiphontem. [x] Strabo 80 stadia, Pausanias 60 Cyrrham à Delphis distare dicunt, ipse, quo minus ab utrisque discedam, medium eligo. [y] Pausan. lib. 10. Strabo lib 9. [z] Pausanias lib. 10. Eustath. ad Il. Homeri β'. pag. 273. [a] Eustath. ib. [b] Pausan. lib. 10. Strabo lib. 9. [c] Pausan. lib. 10. Strabo lib. 9. [d] Strabo lib. 9. Plinius lib. 25 c. 5. [e] Pausan. lib. 10. [f] Argumenta Pythiorum, Pindari. Strabo lib. 9. [g] Strabo lib. 9. Clearchus Solensis in primo libro proverbiorum. [h] Strabo lib. 9. Eustathius ad Homeri Il. χ'. pag. 1275. vide etiam illum ad Il. α'. pag. 137. & 138. [i] Strabo lib. 9. Pausan. lib. 10. Argumenta Pythiorum Pindari. [l] Eustathius ad Homeri Il. β'. pag. 274. Phavorinus in πυθίς. [m] Pausan. lib 10.

eum Philammon, & deinde Thamyris Philammonis filius, & tandem post multos annos hoc certamen etiam ingressus est Hesiodus Poeta, sed, quod ad cantum citharam pulsare non poterat, repulsam tulit. Postea vero omnino neglecta & diu intermissa fuere certamina Pythica, [n] donec Amphictyones post captam Cyrrham secundum [o] Pausaniam anno tertio quadragesimæ octivæ Olympiadis, secundum Marmor vero anno secundo quadragesimæ septimæ, eodem modo quo Iphitus Olympiaca, de novo iterum instituerunt, & Citharœdis, [p] qui soli antiquitus in his ludis certabant, aulædos etiam adjecerunt, (quos proxima Pythiade, quod minime gratum erat quod ab iis canebatur, iterum sustulerunt) eosque qui cithara ludentes sine cantu modulabantur carmen, quod nomus seu modus Pythius dicebatur. De eo legas Strabonem lib. 9. pag 421. quæque è Strabone transcripsit Julius Scaliger Poetices, lib. 1. c. 23. Et præter hæc Musica certamina [q] Gymnica etiam & Equestria proponebantur, tandemque etiam armatorum cursus, & bigarum certamen, ceteraque ludicra addebantur. Antiquitus hæc [r] certamina enneaterica erant, i. e. post exactos octo annos in initio noni cujusque anni agebantur, post eorum autem instaurationem singulis [s] quadrienniis, eodem modo quo Olympiaca, celebrata fuere. In eo agone, [t] qui post captam Cyrrham proponebatur, pecuniæ ex illius urbis spoliis, in aliis vero omnibus [u] coronæ tantum è lauro factæ victoribus pro præmiis dabantur, atque ideo ille agon Χρηματίτης, ceteri omnes Στεφανῖται dicebantur. Locus certaminis equestris erat [x] Campus Cyrrhæus, cetera vero omnia ipsis Delphis acta fuisse videntur. [y] Ludorum præsides Amphictyones, Curatores vero Delphi fuere. Si de his plura velis, legas ex antiquis Strabonem lib. 9. Pausan. lib. 10. Argumenta Scholiis Pindari Pythiorum præfixa. E modernis vero Julium Scaligerum, Poetices lib. 1. cap. 23. Cœlium Rhodoginum Antiq. Lect. lib. 14. cap. 19. Petrum Fabrum in Agonistico lib. 1. cap. 17. & 25. & lib. 2. cap. 24. & Dominum Johannem Marshamum in Canone Chronico, pag. 619.

Ep. 39 Ἀφ' οὗ ...ανίτης ἀγὼν πάλιν ἐτέθη ἔτη HHHΔΠIIII ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου τοῦ δευτέρου. In Lacuna obvium est supplere Στεφανίτης. Agon enim Pythicus post instaurationem illius ab Amphictyonibus factam [a] primo Χρηματίτης, postea vero Στεφανίτης fuit.

Ep. 40. Ἀφ' οὗ ἐν Ἀθ...αις κωμῳ.....ρ......εθη...σαρι... τῶν Ἰκαριέων ηὑρόντος Σουσαρίωνος, καὶ Δολον...τεθ..ππω τὸ ἰσχαδ...... αρσιχο....οινου....ερ........ος...... priores Lacunas sic supplet Palmerius. Ἀφ' οὗ ἐν Ἀθήναις Κωμῳδία πρῶτον ἐτέθη ἐπὶ σανίσι τῶν Ἰκαριέων εὑρόντων Σουσαρίωνος καὶ Δόλωνος τεθείσης τὸ ἰσχάδων ἄρσιχον πρῶτον οἴνου, quibus ipse addo ἀνέφερον ἔτη HHH..... ἄρχοντος Ἀθήνησι..... de anno & Archontis nomine conjectandi nullum datur fundamentum.

Ἐν Ἀθήναις Κωμῳδία πρώτη ἐτέθη ἐπὶ σανίσι. De Comœdiæ origine & vocis Etymologiâ multa & diversa legas apud Donatum in Prolegomenis ad notas in Terentium, Diomedem Grammaticum lib. 3, Scholiastem Aristophanis in iis quæ Scholiis suis præmisit, Athenæum lib. 2. Aristotelem de Poetica, & Etymologicum in Κωμῳδία. Maxime autem mihi placent, qui Κωμῳδίαν [b] ἀπὸ τῆς Κώμης, καὶ τῆς ᾠδῆς dictam volunt. Comœdiæ enim antiquitus erant Cantelinæ in honorem Bacchi post comessationes & compotationes à pastoribus & rusticis per Atticæ δήμους seu vicos decantatæ, maxime vero in I-

[n] Strabo lib. 9. Pausan. ib. Argumenta Pythiorum, Pindari, Helladius apud Photium. [o] Lib. 10. [p] Pausan. ib. Strabo lib. 9. [q] Pausan. lib. 10. Strabo lib. 9. [r] Censorinus cap 18 [s] Pausanias lib. 10. [t] Pausan. lib. 6 & 10. [u] Pausan ib. [x] Pausan. in Phocicis, in fine fere. [y] Strabo lib. 9. Pausan. lib 6. & 10. Argumenta Pythiorum Pindari [a] Pausanias lib 6. & 10. [b] Donatus in Prolegomenis ad Terentium. Scholiastes Aristophanis in Prolegomenis ad Aristophanem. Etymolog. in Κωμῳδία.

cario

cario oppido, ubi secundum [c] Athenæum, tum Comœdia, tum Tragœdia, ab ebrietate & temulentiâ, [d] τρύγης, i.e. vindemiæ tempore originem habuere, atque ideo utræque communi nomine antiquitus τρυγῳδίαι dicebantur. Et profecto in initio non tantum nomine, sed aliis etiam multis conveniebant Comœdia & Tragœdia, [e] utraque enim tum erat carmen αὐτοσχεδιαστικὸν, & simplex, sine personis aut scenarum ornatu decantatum, utraque erat [f] conviciis plena, & in hoc tantum antiquitus discrepabant, quod Comœdia Mimo, Tragœdia Satyræ propius accedentes, hæc severe, illa ridicule civium primorum vitia perstringebat. Comœdia autem, quæ postea viguit, ab hac longe diversa erat, quatuor enim Athenis numerantur Comœdiæ ætates, in quibus omnibus magnas mutationes subiit, donec eam tandem, quam nunc habet, à Menandro obtinuit perfectionem. Prima illius ætas [g] à Susarione, de quo hic in nostro Marmore agitur, habuit initium; ille enim, quia primus Comœdiam Athenis edidit, pro illius inventore à plerisque habetur. Sed Comœdia longe ante Susarionem (quem inter annum Epochæ Marmoreæ 318, & 297, i. e. inter Olympiadem 50, & 540, quo tempore maximum inclaruit Solon Atheniensis legislator, floruisse indicat mutilum Marmor) per Atticæ vicos [h] videtur decantata fuisse. Susarion autem eam, quæ prius per compita incondite canebatur, primus ἐπὶ σκηνῆς in populi conspectu edidit, & αὐτοσχεδιαστικὸν illud pastorum carmen ita excoluit, ut in urbem ipsasque Athenas deinde recipi dignum videretur. Hæc tamen Comœdia, utpote jam in primis incunabilis, valde rudis erat, [i] ex solo enim choro sine histrionum personis constans nec scenæ ornatum, nec ullius fabulæ argumentum habuit, sed in ea civium res gestæ, cum eorum nominibus qui gesserunt, palam in conspectu populi incondite decantabantur. Comœdiæ fictum argumentum primo addidere, & talari veste in scena usi sunt [l] Epicharmus, & Phormus Siculi, qui eodem tempore, regnantibus Syracusæ Gelone & Hierone, in Sicilia simul floruere, ibique primo circa horum tempora, hæc Dramatis species, habitâ ad originem ratione, quia per Atticæ vicos olim decantata erat, Κωμῳδία dicebatur. Κωμῳδία [m] enim non est Attica, sed Dorica vox; Doricis enim κῶμαι Atticis δῆμοι dicuntur. Cum autem Epicharmus, quod coram Hieronis uxore obscœnum quid protulisset, ab illo solum vertere coactus in [n] Co insula exulasset, inde insignissimæ eæ, quas scripserat fabulæ, cum iisque hoc Doricum earum nomen ad omnes Græcos ipsosque etiam Atticos transiere, apud quos Epicharmi Comœdiæ tanto deinde in pretio fuere, ut [o] Chonnidas, Magnes, & Mullus insignissimi Athenis Poetæ Comici, ad earum exemplar scripsere, quas deinde edidere Comœdias, primique dicuntur fuisse, qui in Comœdiis suis præter civium convitia fictum aliquod argumentum habuere. Sed hactenus è solo choro constabat vetus Comœdia, eaque erat, quæ primâ Comœdiæ ætate Athenis viguit. Postea autem multa alia ei addita fuere, & tunc, eo scilicet tempore, quo Pericles Athenis maxime floruit, secunda Comœdiæ ætas habuit initium. Cum enim sub illius præstantissimi viri administratione [p] Republicâ maxime florente, & urbe in pace constitutâ, populus ex otio scenicis ludis magnopere se dedisset, magnaque victoribus donasset præmia, iis exstimulati Poetæ Comici ad excolendas fabulas suas, ut populo deinde magis placerent, multa invenere. [q] Cratinus histriones induxit, & Comœdiam in actus distribuit; [r] Crates, Plato Comicus, Pherecrates, & Phrynichus alia addidere, donec tandem tempore belli Peloponnesiaci, ab Eupolide, & A-

[c] Lib. 2. [e] Donatus & Scholiastes Aristophanis ubi sup. Aristoteles de Poetica [f] Donatus in Prolegomenis ad Terentium. Scholiastes Aristophanis. Aristot. de Poetica. [g] Diomedes Gram. lib. 3 Scholiastes Aristoph. ib. Clemens Strom. l. 1. [h] Vide Plat. in Minoe. [i] Platonius περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν. Scholiastes Aristophanis in Prolegomenis. Donatus in Prolegomenis ad Terentium. Aristot. Poet. [l] Aristoteles Poetices, cap. 5. Suidas in Ἐπίχαρμος, & Φόρμος. [m] Scholiastes Aristophanis in Prolegomenis. Aristoteles Poetices, cap. 3. [n] Diomedes Gram l. 3. [o] Aristot. Poet Diomedes Gram. lib. 3. [p] Plutarch. in Pericle. [q] In Prolegomenis ad Aristoph. [r] Aristot. de Poet. Diomedes lib. 3. Platonius περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν. Scholiastes Aristophanis in Prolegomenis. Donatus in Prolegomenis ad Terentium.

ristophane omnino perfecta erat. Illa Comœdia, quæ his duabus prioribus Comœdiæ ætatibus Athenis viguit, Vetus Comœdia dicebatur. Mordacissima autem erat hæc [s] Comœdia, & nonnunquam obscœna, & nominatim perstringebat vitam moresque primatum; atque ideo populo maxime placebat, cui ex invidia semper gratum erat convitia de potentioribus imo & melioribus audire. Atque ideo ut infimorum plausum captarent, neutris parcebant Poetæ Comici; sed eâdem licentiâ, quâ Cleonem, Cleophontem, & Hyperbolum seditiosos & improbos, optimos etiam Euripidem & Socratem in scena lædebant, quorum hunc in Nebulis, illum in Equitibus Aristophanes traducebat. [t] Sed cum post captas à Lysandro Athenas totum Reipublicæ regimen abolitâ Democratiâ penes optimates esset, sublata est hæc maledicendi licentia, lege latâ, ut iis licitum esset, qui in scena injuriis affecti essent, Poetam in jus vocare. Ab hoc igitur tempore sublato è Comœdia choro, in quo maxime regnabat maledicentia, incepit tertia Comœdiæ ætas; quæque in ea vigebat, postquam Comœdia nova inventa erat, Media Comœdia dicebatur, cujus generis fabulæ insigniores Athenis editæ [x] 1017, & Poetæ Comici earum scriptores 57 numerantur, quorum Antiphanes & Stephanus fuere celeberrimi. Hæc Comœdia à veteri differebat, quod chorum non habuit, & neminem nominatim lædebat, nisi ipsos Comicos: post enim latam hanc contra convitia legem semper Poetis indulta licentia erat aliorum Poetarum dicta & scripta cavillari; in quibus igitur hoc factum erat, choro παρεκβάζειν succeffere. Sed cum in his Poetæ non tantum suæ professionis hominibus, sed alios etiam è potentioribus civibus celato nomine obscure & ænigmatice læderent, quæque in hos effusa erant convitia, singuli in se dicta fuisse suspicarentur, Temporibus Alexandri Magni, hâc etiam malidicentiâ prohibitâ, omnis deinde reprehendendi potestas è Comœdia sublata est, illiusque ab hoc tempore quarta secuta est ætas, quæque in ea viguit [y] Comœdia Nova dicebatur, quæ prologo etiam donata à Comœdia media differebat, quod hunc loco παρεκβασιων sublatâ omni maledicendi licentiâ habuit; à veteri secundæ ætatis, quod choro etiam caruit; à veteri primæ ætatis, quod illa è solo choro sine personis, hæc è solis personis sine choro constabat. Hujus novæ Comœdiæ scriptores Græci [a] insigniores erant sexaginta quatuor, quorum Philemon, Menander, Diphilus, Philippides, Posidippus, & Apollodorus in Prolegomenis ad Scholia Aristophanis, utpote eorum celeberrimi, nominantur. Omnium autem judicio maxima gloria fuit Menandri, cujus fabulæ numerantur 108, à quo Comœdia ultimam adepta perfectionem, talis primo facta est, qualis à nostræ ætatis Comœdis in scena exhibetur. E Triplici hac Comœdia Romani novam solam imitabantur, primusque qui eam Romæ edidit, erat [b] Livius Andronicus, Marci Livii Salinatoris, cujus & liberos erudierat libertus, qui anno V. C. 514. C. Claudio Centone, & M. Sempronio Tuditano Coss. anno secundo post finitum primum bellum Punicum, tum Comœdiæ, tum Tragœdiæ Romanis exhibendæ primus autor erat. Livii exemplum quinquennio postea secutus est [c] Nævius, qui belli etiam primi Punici, cui interfuit, historiam scripsit. Post illum autem [d] Licinius, Cæcilius, Plautus, Terentius, multique alii Comici Romæ inclaruere: omnium autem insignissimi erant Plautus, & Terentius. Eorum [e] Fabulæ, quoad argumentum, dividebantur in Togatas, & Palliatas; quoad Personas, in Prætextatas, Trabeatas, Togatas, & Tabernarias; quoad actionem in Motorias, Statarias, & Mixtas. Fabula Togata fuit, cujus Argumentum erat Romanum, Palliata cujus Græcum; Toga enim Romana, Pallium Græca vestis erat. Fabula Prætextata erat, quæ è personis primariis, quales erant Reges, Cæsares,

[s] Horat. lib. 1. Sat. 4. Acron Scholiastes Horatii ad illum locum. Donatus in Prolegomenis ad Terentium. August. civit. Dei, lib. 4. c. 9. [t] In prolegomenis Terentianis. Horatius de Arte Poetica, & Acron Scholiastes illius. [x] In Prolegomenis ad Aristophanem. [y] In Prolegomenis Terentii, & Aristophanis, & in Platonio. [a] Prolegomena Aristoph. [b] Livius historicus, lib. 7. Diom. Grammat. lib. 3. Acro in Horat. lib. 2. Epist. ad Aug. Cassiodorus in Coss. Cicero in Bruto, & Tuscul. Quæst. Prol. Valer. Max. lib. 2. cap. 4. A Gellius lib. 17 cap. 21. [c] A Gellius lib. 17. cap. 21. [d] A Gellius lib. 15. cap. 24. [e] Prolegomena Terentiana. Diomedes Gram. lib. 3.

&

& magiſtratus Romani, quorum Toga prætextata erat, conſtabat, quas eaſdem perſonas cum [f] C. Meliſſus Auguſti libertus & Bibliothecarius cum togis trabeatis in ſcenam introduxiſſet, eadem deinde fabula trabeata etiam cœpit appellari. Fabula Togata erat, quæ è perſonis privatis, quæ ſolam ſimplicem gerebant Togam, conſtabat. Fabulæ Tabernariæ ſecundum [g] Scaligerum dicebantur, quarum perſonæ erant ex infimâ plebe, qualis in Tabernis habitabant: ſecundum Feſtum vero mixtæ erant è Prætextatis & Togatis, dicit enim ille in Schedis Pomponii Læti, "Togatarum duplex genus, prætextarum, hominum faſtigio, quæ ſic appellantur, quod togis prætextis Rempublicam adminiſtrent. Tabernariarum, quia hominibus excellentibus etiam humiles permiſti, ut ſunt plagiarii; ſervi denique & Cauponæ è Tabernis honeſte prodeunt perſæpe. Atque ideo bene obſervat [h] Doctiſſimus Voſſius, quod fabula Prætextata & Trabeata plerumque erat Tragœdia, qualis eſt Octavia, quæ attribuitur Senecæ, Fabula Togata Comœdia, & Fabula Tabernaria mixta ex utriſque, quam Tragico-Comœdiam appellamus, cujuſmodi ſunt Amphitryo Plautina, & Græcorum Hercules Lycimnius. Tragœdia enim, cum de rebus grandibus agat, è perſonis nobilioribus, quales erant Reges, Duces & Magiſtratus; Comœdia, cum de rebus jocoſis erat, è privatis & vilioribus: Tragico-Comœdia vero, cum illius argumentum erat mixtum, ex utriſque conſtabat. [l] Motoria Comœdia erat, cujus actio erat turbulentior, ſtataria cujus actio erat quietior, in mixta utraque concurrebat. Motoria eſt Amphitryo; Stataria Ciſtellaria; Mixta Eunuchus & Andria. Comœdia quoad quantitatem dividebatur in Actus; & in Prologum, Protaſin, Epitaſin, & Cataſtrophen. Actus erant quinque, & hi rurſus in ſcenas dividebantur. Actus diſtinguebantur antiquitus chori interventu, choro autem ſublato Tibicinum cantu. Diſtributio Fabulæ in actus ab ipſis Poetis, actus vero in ſcenas à Grammaticis excogitata fuit, eaque è veteribus Plauti & Terentii Codicibus abeſt. Prologus eſt Prooemium Fabulæ à novæ Comœdiæ ſcriptoribus primo excogitatus. Protaſis eſt Dramatis initium, quo quod anteceſſit narratur, & ad reliquam fabulam via munitur. Cataſtrophe eſt exitus Fabulæ, quo exponitur fortuna in Tragœdia in pejus, in Comœdia in melius converſa. Epitaſis eſt quicquid Fabulæ inter Protaſin & Cataſtrophen interceſſit. Tam Comœdiæ quam Tragœdiæ in Theatro agebantur, quod in [m] modum erat Hemicycli, in quo erat ſcena, proſcenium, pulpitum, & oncheſtra. Scena erat frons Theatri ab uno ejus cornu ad alterum cum coopertura; Proſcenium locus erat ante ſcenam porrectus; Pulpitum in Proſcenio erat, in illudque prodibant actores: Oncheſtra fuit ubi apud Græcos ſaltarent, apud Romanos Senatores ſpectarent. Scena erat Pulpito altior, Pulpitum proſcenio, & Oncheſtrâ. [n] Comœdias Romæ edendi quadruplex erat occaſio. Vel enim à Curilibus Ædilibus in ludis Megalenſibus magnis diis conſecratis, vel in honorẽ Apollinis, vel pro ſalute plebis, vel in funere alicujus viri patricii ad retinendum populum, dum pompa funebris inſtitueretur, edebantur. Athenis autem multo frequentius exhibiti fuerunt Ludi ſcenici, præſertim poſt bellum Peloponneſiacum, quo tempore his & diebus Feſtis celebrandis ita deditι fuere Athenienſes, ut [o] eorum gratiâ neglectâ armorum, omnique imperii propagandi curâ, per tam fœdiſſimum otium ſemetipſos & rempublicam Macedonibus in ſervitutem prodidere. De Comœdia plura legas apud Julium Scaligerum Poetices, lib. 1. & lib. 3. Lilium Gyraldum Hiſt. Poet. Dial. 6. & Voſſium Inſtitutionum Poeticarum, lib. 2. Ex antiquioribus autem legas Prolegomena Donati ad Terentium, Platonium, Ariſtotelem de Poetica, quæque Scholiaſtes Ariſtophanis de Comœdia habet in Prolegomenis ad Ariſtophanem.

Τῶν Ἰκαριέων εὑρόντων Σουσαρίωνος, ϗ Δόλωνος. [a] Icaria oppidum Atticæ

[f] Suetonius in illuſtribus Grammaticis. [g] Poet. lib. 1. [h] Poeticarum inſtitutionum lib. 2. [l] Prolegomena Terentiana. Diomed. Grammat. [m] Vitruvius lib. 5. cap. 3. & ſeq. & in Prooem. lib. 7. Tertullianus de ſpectaculis, aliique. [n] Prolegomena Terentiana. [o] Juſtin. lib. 6.

in

in montibus Icariis situm, & Δῆμος Tribus Ægeidis fuit; omnes enim Atticæ villæ Δῆμοι dicebantur. Celebris erat hæc villa [p] ob Hircum ibi, quod vitem læsisset, Baccho primum immolatum, cui cum etiam Icarienses circa aram fumantem αὐτοσχεδιαστικὰ quædam carmina decantarent, in quibus potentiorum mores vitamque perstringebant, ab his sacrificiis, tum Comœdia, tum Tragœdia dicuntur originem habuisse; utræque enim in Icario vico natæ fuerunt, indeque illa à Susarione, hæc à Thespide Athenas primo allatæ; utrique enim hi Icarienses erant. Susarionis Senarii aliquot de Femina citantur Stobæo Sermone 67; Iidem sunt quos dissimulato Stobæi nomine habet Gyraldus de Poetis Dialogo 6, qui nihil aliud de Susarione à se repertum esse ait. Sed præter Stobæum de Susarione habet Diomedes Grammaticus, quod ad rem nostram magis pertinet, [r] eum in Icario vico Comœdiæ inventorem fuisse. Clemens etiam Alexandrinus habet Strom. lib. 1. ἐπενόησεν Κωμῳδίαν Σουσαρίων ὁ Ἰκαριεύς, & in Prolegomenis ad Aristophanem etiam dicitur, τὴν Κωμῳδίαν εὑρῆσθαί φασιν ὑπὸ Σουσαρίωνος. Nonne Sannarion idem fuit, qui Susarion hic dicitur? haud rarum enim est, ut nomina, quæ raro occurrunt, depravatissime à librariis describantur. Sannarionis autem Atheniensis Comici nomen apud Athenæum aliquoties occurrit: habet etiam Suidas, & veteris Comœdiæ autor primus aut inter primos fuisse dicitur, vide Julium Scaligerum Poetices, lib. 1. cap. 7. Vossium institutionum Poeticarum lib. 2. & Gyraldum Poet. Dial. 6. Pro qua re ulterius facit, quod in iisdem Aristophanis Prolegomenis, qui Comœdiæ inventor fuit in uno loco Susarion in alio Sannarion appellatur, nec contra facit, quod Sannarion Atheniensis, Susarion Icariensis dictus fuerit, qui enim Icariensis necessario etiam Atheniensis erat, populus enim Atheniensis in Tribus, & Tribus in Δήμους dividebantur, cum igitur Icarium oppidum esset Δῆμος Tribus Ægeidis, quicunque illius oppidi incolæ erant, necesse est etiam cives Athenienses fuisse.

Οἱ Τετρίππω τῆς ἰσχάδων ἄρριχον πῖθον οἴνου ἀνέφερον. Sic locum restituit Palmerius, de talibus autem præmiis negat se aliquid unquam legisse, sed si Donati Prolegomena ad Terentium, aut [s] Diomedem Grammaticum unquam inspexisset, ibi legere poterat, solenne esse in Bacchi festis cantoribus pro præmio utrem multi plenum accepisse: qui vero antiquitus, i. e. in prima veteris Comœdiæ ætate Athenis in Bacchi festis canebant, [t] Tragœdi & Comœdi fuere. Manifestius dicit Aristophanis Scholiastes, Τρυγῳδίαν εἶπεν ἀντὶ τοῦ Κωμῳδίαν, διὰ τὸ τοῖς νικῶσι κωμικοῖς τρύγα δίδοσθαι, τουτέστι νέον οἶνον, amplioribus autem postea, qui Comœdia vincebat, præmiis donabatur. Temporibus Alexandri legem latam invenimus, autore [u] Lycurgo oratore, ut qui Comœdia vincerent, si Athenienses non essent, jure civitatis donarentur.

Ep. 41. Ἀφ' οὗ Πεισίστρατος Ἀθηνῶν ἐτυράννευσεν ἔτη ΗΗΓΔΔΔΔΠΙΙ Ἄρχοντος .... ιχ..... ν. In prima Lacuna supplendum esse Ἀθήνησι, methodus per totum Marmor observata satis evidenter ostendit. In secunda è [x] Plutarcho, qui dicit Pisistratum Tyrannidem Athenis occupasse, cum Comias Archon esset, restituo Κωμίου. De Pisistrato, & quomodo Tyrannidem Athenis obtinuit, eamque, postquam multos annos tenuerat, filiis reliquit, legas Herodotum lib. 1. & lib. 5. Thucydidem lib. 1. Plutarchum in vita Solonis, quæque ex his aliisq; antiquis autoribus collegit eruditissimus in Græca Historica Johannes Meursius in libro singulari De Pisistrato.

Ep. 42. Ἀφ' οὗ Κροῖσος... Ἀσίας .... Δελφοὺς α.............. ΔΔΔΔΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι τοῦ Δήμου, sic legit Seldenus, ultimaque hujus Periochæ verba

[p] Stephanus in Ἰκαρία. Hesychius in Ἰκάριος. Solinus cap. 17. Plinius lib. 4. c. 7. Harpocrat. in Ἰκαριεύς. [q] Porphyr. περὶ ἀποχῆς. [r] Diomed. lib. 3. [s] Lib. 3. [t] Diomed. ib. [u] Plutarc. in vita Lycurgi oratoris. [x] In vita Solonis.

interpretatur, Archonte Athenis populo, quaſi hoc anno nullo Athenis Archonte electo totum Regimen penes populum eſſet, ſed fœdiſſime erravit vir doctiſſimus, cum enim ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ pro ΕΥΘΥΔΗΜΟΥ legiſſe manifeſtiſſimum eſt, Euthydemus enim, ut notat Autor Anagraphes Olympiadum cum Euſebianis à Scaligero editæ, Archon erat anno primo quinquageſimæ ſextæ Olymp. qui an. eſt Epochæ noſtræ Marmoreæ ΗΗΠ̄ΔΔΔΔΙΙ, quem ipſe Seldenus monet, & literæ numerales, quæ relinquuntur integræ, demonſtrant hic ſupplendum eſſe. In ceteris Lacunis ſuppleo, 'Αφ' οὗ Κροῖσος τῆς 'Ασίας ἐβασίλευσε, καὶ εἰς Δέλφυς ἀπέστειλεν ἔτη. De initio regni Crœſi in mutilo hoc Marmoris loco agi ex Euſebio liquet, ſecundum illum enim Alyattes Crœſi pater 49 annos regnavit, ſi igitur Alyattes an. Ep. Mar. 341 regnare inceperit, annus Ep. Mar. 292 erit primus regni Crœſi.

'Εις Δέλφυς ἀπέστειλεν. Apollinem Delphicum magna ſemper religione coluere Lydorum Reges, maxime vero illum veneratus eſt Crœſus. Sæpius enim ad conſulendum illius oraculum miſit, maximaque, quæ in hujus Dei templo Delphis antiquitus videbantur donaria, ab hoc Rege dicuntur conſecrata fuiſſe. Celeberrimum apud antiquos fuiſſe oraculum Delphicum ſatis notum eſt. Sed quam originem habuit, & quale fuit nemo ſatis explicavit, mihi igitur in animo erat plenam illius hiſtoriam, quanta haberi poterat ex antiquis ſcriptoribus, hic ſubjungere; ſed cum hoc opus nimis longum eſſet, & ipſe monear ad finem properare, à propoſito cogor decedere, atque ideo tibi impræſentiarum hæc de eo ſufficiant, quæ habet Diodorus Siculus Bibliothecæ ſuæ, lib. 16. " Sed quoniam Tripodis mentio hic facta ſit, hiſtoriam antiquitus de " eo traditam hic repetere non intempeſtivum arbitror. Olim à capris hoc o- " raculum inventum fuiſſe memoratur, cujus gratia mactatis ut plurimum ca- " pris ad hunc uſque diem Delphi conſulunt oraculum. Inventionis hunc por- " ro modum tradunt. Terræ hiatus eo loco fuit, ubi nunc adytum, quod vo- " catur, Templi exiſtit, circumque hunc capræ paſcentes oberrarunt, quod " Delphi tunc nondum incolerentur. Ibi frequenter accidit, ut quæcunque " propius ad voraginem accedens deſpiceret mirum in modum exſultaret, & " vocem ab uſitata prius diſſonam emitteret. Id paſtor gregis ut inſolens ad- " miratus quid rei foret exploraturus acceſſit, & ipſe deſpectans eodem modo " quo capræ affectus abiit, nam iſtæ ut divino afflatæ ſpiritu ſe geſſere, hic fu- " turos eventus præcinebat; mox fama ad accolas divulgata tam miris mo- " dis affectos fuiſſe, qui ſpecui approximarunt, plures eo loci convenere; " cumque propter rei novitatem periculum facerent omnes, quicunque pro- " pius adierant furore divino corripiebantur; hinc locus ille, ut fatidicus pro " miraculo habitus, terræque Oraculum credebatur. Duravit ad tempus illud " mos, ut qui divinare vellent, antro propinquantes de futuris alter alteri " reſponſarent. Sed cum multi per exceſſum mentis lymphaticum in ſpe- " cum deſultarent, omneſque è conſpectu hominum auferrentur, conſultius ac- " colis viſum, ne quis alius idem periculum incurreret, unam fæminam omni- " bus vatem conſtituere, quæ fatidicis poſthac effatis præeſſet, machinamque " ei fabricari quâ conſcenſâ citra noxam afflatu divino repleri, & conſulen- " tibus vaticinari poſſit. Machinæ tres erant baſes, unde Tripodis illi nomen " obvenit. Figuram ejus propemodum omnes hodieque conflati ex ære Tri- " podes imitantur: Quemadmodum igitur oraculi ſedes inventa, quibuſque " de cauſis Tripus exſtructus ſit, ſatis jam declaratum arbitror. Oracula à vir- " ginibus olim data fuiſſe fama eſt, quod & naturam haberent incorruptam, & " ob virginitatem Dianæ ſimiles eſſent; adde quod ſervandis oraculorum ſe- " cretis magis idoneæ viderentur; ſed poſterioribus temporibus aiunt Eche- " cratem Theſſalum ad Oraculum profectum viſam fatidicam vatem ob exi- " miam illius pulchritudinem deperire, & ei per vim raptæ ſtuprum intuliſſe, " quod facinus Delphos impulit, ut lege ſancitâ caverent, ne virgo deinceps,

" sed femina quinquagenariâ major, virgineo tamen ornatu, in memoriam an-
" tiqui in vaticinando moris dei responsis præsideret. Hactenus Diodorus. Si plura velis de hoc oraculo, sparsim possis colligere è [a] Strabone, [a] Pausania, [b] Plutarcho, aliisque antiquis autoribus.

Ep. 43. Ἀφ' οὗ Κῦρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς Σάρδεις ἔλαβε, καὶ Κροῖσον ὑπὸ .... ης σφαλ.................................. καὶ Ἱππῶναξ κατὰ τοῦτον ὁ Ἰαμβοποιός. Lacunas sic supple, καὶ Κροῖσον ὑπὸ Πυθίης σφαλλόμενον ἐζώγρησεν ἔτη, ΗΗΠΔΔΠΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι ...... καὶ Ἱππῶναξ, &c. Crœsum enim ab Oraculo Delphico, quod prædixerat eum magnum imperium eversurum, si fluvium Halym transiisset, deceptum Cyro bellum intulisse, ab eoque victum, & postea, expugnatis Sardibus, captum fuisse, satis nota est historia. Eam narrant Herodotus lib. 1. Xenophon in Κυροπαιδείᾳ, Justinus lib. 1. Frontinus lib. 2. & lib. 3. Polyænus lib. 7. aliique. Annum supplevi ex Eusebio, qui dicit Crœsum 15 annos Lydis imperasse: cui consentit etiam [c] Herodotus, qui dicit Crœsum postquam quatuordecem annos regnasset, i. e. in initio decimiquinti captum fuisse: Si igitur Epochæ Marmoreæ annus 292. sit primus annus regni Crœsi, annus Ep. Mar. 278, est ultimus illius. Post annum Epochæ Ἄρχοντος Ἀθήνησι, observata per totum Chronicon methodus jubet supplere; nomen autem illius qui hoc anno Archon Athenis fuit in ultima Lacuna obliteratum è nulla historia possum supplere.

Ὑπὸ Πυθίης. [d] Pythia vates erat, quæ Oracula Apollinis Delphici consulentibus dabat responsa. Quoties enim aliquis ad Templum accesserat ad deum de re aliqua consulendum, peractis sacrificiis huic vati causam adventus exponebat, quæ conscenso Tripode, qui in specu erat, ubi spiritum acceperat, solutâ oratione Oraculum proferebat, quod Poetæ quidam fani administri in versus numerosque redigentes ei, qui Apollinem consulebat, carminibus tradidere.

Ἱππῶναξ ὁ Ἰαμβοποιός. Carmen Iambicum, quo Hipponax hic dicitur inclaruisse, sic dictum fuit [e] ἀπὸ τοῦ ἰάπτειν, quod est convitiari, maledicere; antiquissimus enim Iamborum usus in convitiando fuit. Cum enim [f] Archilochus Parius invectivum in Lycamben, quod ei filiam Neobolem despondens, deinde mutatâ voluntate non dederit, & in ipsam etiam Neobolem scripsisset, hoc carminis genus primus invenit, in quo tantam amarulentiam posuit, ut quos eo læserat, ad laqueum adegisse perhibetur. [g] Hanc igitur cum Homero gloriam communem habuisse dicitur, quod opus, cujus autor erat, in eo perfectissimum inveniatur. Præter Archilochum autem [h] duo tantum memorantur, qui in Iambis inclaruere, Simonides scilicet Amorginus, & Hipponax Ephesius, de quo in hoc loco agit Chronographus noster. [i] Huic notabilis vultus fœditas erat, quam ob rem imaginem ejus Bupalus & Anthermus Pictores Chii lasciviâ jocorum proposuere ridentium circulis; quod Hipponax indignatus, in injuriæ vindictam ad scribendum Amphilochium carmen se magna industria dedit, [l] illudque ut vehementius feriret in Scazontem primo deflectens, tantâ amaritudine in Bupalum & Anthemum distrinxit, [m] ut eodem successu, quo Archilochus socerum, ipse hos derisores suos ad laqueum adegisse perhibetur, atque ideo [n] Horatius utrosque jungit dicens,

[a] Lib. 9. [a] Lib. 10. [b] In libris περὶ τοῦ Εἶ τοῦ ἐν Δελφοῖς, καὶ περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν, καὶ περὶ τῶν ἐκλελοιπότων τῶν χρηστηρίων, aliisque in locis. [c] Lib. 1. [d] Vide ea quæ è Diod. supra attulimus. Strabonem lib. 9. Pausan. lib. 10. & Plutarchum in locis supra citatis. [e] Proclus in Chrestomathia. [f] Horatius in Epist. 3. ad Mecæn. lib. 1. & in Poetica, & Acron. Horatii. Schol. ad utraque hæc loca. Et etiam ad Epoda. Proclus in Chrestomathia. [g] Velleius Pater. l. 1. [h] Proclus in Chrestomathia. [i] Plinius lib. 36. c. 5. [l] Dionys. Hal. Athenæus lib. 15 vocat Scazontem Hyponacteum Iambum. [m] Eustathius ad Homeri Odyss. λ'. p. 1684. Cicero lib. 3. de Natura Deorum. [n] Epod. 6.

Cave, Cave, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

Ep. 43. Ἀφ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητὴς.... αχ ...... ος ἐδίδαξεν Ἀλ... σιν.. ... πιδη ο.. ρα-γος .... χ... ἔτη ΗΗΓ.... ἄρχοντος Ἀθ........ ναιυ τοῦ προτέρου. Has Lacunas à Palmerio & Seldeno hiantes relictas sic suppleo, Ἀφ' οὗ Θέσπις ὁ ποιητὴς ἐξ ἁμάξης πρῶτος ἐδίδαξεν Ἀλκέστιν, καὶ ἐπίδη τράγος ἆθλον νενικηκότι, ἔτη ΗΗΓΔΔΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀλκαίου τοῦ προτέρου. X enim in αχ, pro Ξ facile in exeso Marmore legi poterat. I, est dimidium literæ H, alterâ illius parte obliteratâ. X post sextam Lacunam pro K, ab exscriptore lectum puto. Difficile enim sæpe est in antiquis Marmoribus has literas distinguere. Ἀλκαίου in ultima Lacuna restituitur à Lydiato quem, vide in notis Chronologicis.

Θέσπις ὁ ποιητὴς ἐξ ἁμάξης πρῶτος ἐδίδαξεν Ἀλκέστιν. De hoc Thespide controversia est inter Grammaticos [o] an erat decimus sextus, an secundus, an omnino primus, qui Tragœdiam docuit. Qui decimum sextum dicunt, [p] inter Dores primo volunt natam fuisse Tragœdiam, & [q] ab Epigene Sicyonio primo inventam, qui cum Tragœdiam de Baccho docuisset, in qua nihil ad Bacchum erat, notissimo inter Græcos proverbio, [r] οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, quod ei post actam fabulam à populo acclamatum fuit, primo dedit initium. Hujus nonnullæ fabulæ [s] ab Athenæo citantur. Sed cum Tragœdia, quæ ante Thespidem apud antiquos edebatur, carmen valde rude, & αὐτοσχεδιαστικὸν esset, eodemque modo quo Comœdia è solo choro constaret; Thespis qui choro [t] personam addidit, fabulamque primo ex arte docuit, eamque totam fere mutatam ita excoluit, ut quæ prius à solis pastoribus, rudioribusque villarum incolis decantabatur, ipsis deinde esset Athenis digna, merito pro primo ipsius autore [u] à plerisq; habetur: atq; ideo de eo dicit Horatius in Epistola de Arte Poetica,

Ignotum Tragicæ genus invenisse Camœnæ,
Dicitur & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Thespis enim nondum exstructis Theatris plaustrum pro scena habuit, ex eoque docuit quas populo exhibuit Tragœdias, atque ideo in mutilo Marmore supplevi, ἐξ ἁμάξης. Quæ in his agebantur Tragœdiæ, eodem modo quo Comœdiæ, mordacissimæ erant, & convitiis in primates plenæ, atque inde quicunque convitia in aliquem jaciebat, ἐξ ἁμάξης λέγειν, seu ἐξαμαξεῖν notissimo apud Græcos proverbio cœpit dici. Hujus fabulæ argumentum trahebatur è calamitatibus heroum regum, & illustriorum hominum, [a] atque ideo, qui cum agebant, usque ad Æschylum, ut majorem incuterent terrorem, fæcibus vini ora perlinebant, indeque nonnulli deducunt vocis originem, voluntq; Τραγῳδίαν, dici quasi [b] Τρυγῳδίαν, à τρὺξ fæx, sed supra monui Τρυγῳδίαν, non tantum Tragœdiæ, sed etiam Comœdiæ, antiquitus nomen fuisse; atque ideo multo potior videtur aliorum Etymologia, qui dicunt Τραγῳδίαν dici [c] ἀπὸ τοῦ τράγου, καὶ τῆς ᾠδῆς, quia Tragici Poetæ hircum olim pro præmio habuere. Atque ideo dicit Horatius,

[d] Carmine qui Tragico vilem certavit ob hircum.

[o] Suidas in Θέσπις. [p] Aristot. Poet c. 3. [q] Suidas in Θέσπις. [r] Michael. Apostolius, cent. 15. prov 23. [s] Lib. 9. [t] Diogenes Laert. in vita Platonis. [u] Horatius in Arte Poet. Acron Scholiastes Horatii, Clemens Strom. lib. 1. Donatus in Prolegomenis ad Terentium Diomed. Gram. lib. 3. [a] Horatius in Arte Poetica. [b] Tzetzes in Prolegomenis ad Lycophronem. Donatus in Prolegomenis ad Terentium. [c] Diomed. Gram. lib. 3. Donatus in Prolegomenis ad Terentium. [d] De Arte Poetica.

De

De Thespide plura legas apud Plutarchum in vita Solonis, Julium Scaligerum Poetices, lib. 1. Lilium Gyraldum Hist. Poet. Dial. 6. Isaacum Casaubonum De Satyrica Poesi, lib. 1. cap. 5. & Vossium Institutionum Poeticarum, lib. 2. [e] Thespidis discipulus erat Phrynichus, qui ipse etiam Tragœdiam multum excoluit. Post hunc circa tempus primi & secundi belli Persici claruit Æschylus, qui secundam personam multaque alia Tragœdiæ ad eam excolendam addidit, De eo sic dicit [f] Philostratus. "Erat Æschylus Poeta Tragicus, qui cum "Tragœdiam incompositam inornatamque animadverteret, Choros in unum "contraxit, disjunctissimi antea cum forent, & histrionum crebras responsio-"nes auferens, unici cantus prolixitate intra scenas faciendam jugulationem "excogitavit, ne coram populo trucidationes hominum fierent, quæ licet "ipsa per se sapientia carere nemo dixerit, ulterius tamen aliquid excogitan-"di etiam in Poetica minus peritis præstitit occasionem. Cum rursus ipse ex-"cogitaret, quo pacto dignitatem Tragœdiis posset afferre, videretque ejus-"modi arti sublimitatem potius, quam humilitatem convenire, apparatus or-"natiores instituit, & heroum figuris magis accommodatas, & pulpitis histri-"ones superimposuit, ut alti sicut heroes graderentur, vestibusque primus "eosdem ornavit, quas heroas & heroinas decere putabat. Quibus de causis A-"thenienses Tragœdiæ parentem putant, & in Bacchi festis etiam mortuum "advocant. Ejus igitur Tragœdiæ etiam à morte ejus actæ fuerunt, quique "eas docebant etiam Atheniensium decreto vicere denuo. His similia etiam habes apud Athenæum lib. 1. Aristotelem de Poetica, Horatium in Epistola ad Pisones, Acronem Horatii Scholiastem, aliosque. [g] Tertiam personam in Tragœdiam induxit Sophocles, à quo & Euripide omnino perfecta est Tragœdia, τὸ πρότερον οὖν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσε τὴν τραγῳδίαν. Tragœdiæ partes eædem erant, quæ Comediæ, quas supra descripsimus. Si de hoc Dramate plura velis, legas Aristotelem de Poetica, Diomedem Grammaticum lib. 3. Lilium Gyraldum Hist. Poet. Dial. 6. Scaligerum patrem Poetices, lib. 1. & 3. Vossium Institutionum Poeticarum lib. 2. & Isaac. Casaubonum de Satyrica Poesi, lib. 1. & Canonem Chronicum insignissimi viri Domini Johannis Marshami, pag. 621.

Ἄλκηστιν. Alcestis igitur erat prima Tragœdia quam docuit Thespis; cognominem habet Euripides. Sed in recensendis Thespidis Tragœdiis nemo scriptorum puto Alcestin memorat. Seld.

Ep. 45. Ἀφ' οὗ Δαρεῖος Περσῶν ἐβασίλευσε Μάγου τελευτήσαντος ἔτη....ΔΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθη.......... In prima Lacuna Seldenus, Lydiatus, & Palmerius supplent ΗΗΔΙΙΙ, sed annus Ep. Mar. 253 incidit in annum Julianæ Periodi 4197, qui est annus Nabonassari 231, secundum vero infallibilem Ptolemæi Canonem Darius Hystaspis non an. Nab. 231. sed quadriennio prius, anno scilicet 227 incepit regnare. De hoc Metachronismo multum se torquet [i] Lydiatus, quem vide. Seldenus [l] autem exclamat, manifestissimus est error; sed erroris ipse autor videtur, suspicor enim eum legisse ΔΙΙΙ pro ΔΠΙ; cum enim Marmor, è quo Seldenus hæc transcripsit, utpote 1893 an. priusquam ille librum suum edidit, exaratum, tam misere exesum fuerit, ut sine perspicillorum ope omnino esset non legendum, literæ numerales ΠΙ deletâ lineolâ transversa in litera Π in notas numerales III, facile poterant mutari. Annus autem Ep. Mar. 256, est Nab. 228, qui revera primus erat Darii Hystaspis. Cum enim Ptolomæus initium Darii ad an. Nab. 227 referat, illum annum, quo Magi regnarunt, ejus regno etiam adjecisse evidentissimum est. In initio se-

[e] Suidas in Φρύνιχος. [f] In Apollonii vita, lib. 6. cap. 6. [g] Suidas in Σοφοκλῆς. Aristot. Poet. cap. 4. Diogenes Laert. in vita Platonis. [h] Diogenes Laert. in vita Platonis. [i] In notis Chronologicis ad hanc Epocham. [l] In notis ad Canonem Chronicon.

cundæ

cundæ Lacunæ lego Ἀθήνησι. Quis vero hoc anno Athenis archon erat, cujus nomen in fine illius Lacunæ obliteratur, nulla docet historia.

Δαρεῖος Περσῶν ἐβασίλευσε. Post Cyrum [m] Persis imperabat Cambyses filius illius, qui Ægyptum imperio suo subjecit, in qua moratus, cum è somnio præcognovisset [n] Smerdem post se regnaturum, Susam ad occidendum fratrem eo nomine appellatum mittit: eo autem occiso Patizithes magus, quem Cambyses Susâ decedens urbi & Regiæ suæ præposuerat, illi fratrem suum Smerdem etiam dictũ, & Smerdi Cambysis fratri [o] oris totiusq; corporis lineamentis persimilem substituit, & vivente adhuc Cambyse [p] regem constituit, qui eodem mox mortuo ab omnibus existimatus Cyri filius fuisse per unum annum à nemine perturbatus regnabat; tunc autem dolo detecto, eoque à Persarum primatibus occiso, Darius Hystaspis filius, qui unus conjuratorum fuit, regnum obtinuit. Historiam plenius narratam habes apud Herodotum lib. 3. Justinum lib. 1. Polyænum lib. 7. Valerium Maximum, lib. 7. cap. 3. Ctesiam in Photio Cod. 72. & Ammianum Marcellinum, lib. 23.

Μάγου πλουτήσαντος. Smerdes, quo occiso Darius regnabat, Magus dicitur, quia è Magorum sectâ erat; quæ [q] à Zoroastre aut secundum alios ab [r] ipso Nimrode originem habens per totum Orientem, maxime vero in Persia, & Assyria viguit, ibique etiam ad hunc usque diem viget. Hi duo statuunt principia, Lucem & Tenebras, ab iisque hausit, quæ de suis duobus principiis docuit, Manes Hæreticus. Lucem deum primum & Rerum omnium principium, Tenebras vero Deum creatum, & hunc mali, illum boni autorem statuunt: Qui boni autor putabatur antiquioribus Oromasdes, recentioribus قديمان Kadiman, i. e. antiquus & يزدان Yazdan; qui mali ab antiquioribus Arimanius à recentioribus اهرمن Ahraman vocabatur. Lucem igitur quia boni causam maxime colebant Magi, honorisque, quem ei habebant testificandi gratiâ, solem, & ignem ut solis Symbolum, colebant, ipsasque etiam stellas, à quibus mundum regi putabant. Atque ideo ad malos earum influxus avertendos Telesmata faciebant, & cœli faciem, Planetarum, Stellarumque cursum quam accuratissime observabant; quique inde de futuris prædicere suscepere, Astrologiæque initium dedere, antiquissimi & primi fuere, alioque nomine etiam Chaldæi appellantur. De his legas Diog. Laert. in Prooemio, Herodot. lib. 1. Plutarchum in Iside, Agathiam lib. 2. Michaelem Psellum in libro περὶ τῶν παρ' Ἀσσυρίοις, καὶ Χαλδαίοις δογμάτων. Francisci Patricii Zoroastrem, Johannem Vossium de Idololatriâ lib. 1. c. 5, & lib. 2. c. 19. Instar autem omnium est Clarissimus Pocockius, qui è Libris Linguis Orientalibus scriptis, in quarum scientia nostrum est μέγα αὔχημα, tum magorum sectam, tum Zabiorum, qui à Magis videntur originem habuisse, & in iisdem quibus illi antiquitus locis viguere, & adhuc vigent, in specimine suo Historiæ Arabicæ quam optime descripsit.

Ep. 46. Ἀφ' οὗ Ἁρμόδιος, καὶ ……ιτων ἀπέκτε………ρχον Πεισιστράτου Ἀ……
………ον, καὶ Ἀθηναῖοι σ…ρ….ησαν τοὺς Πεισιστρατίδας εκ………κλασ..ιυ τείχους ἔτη ΗΗΔΔΔΔΠΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι……… In tribus prioribus Lacunis suppleo, Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων ἀπέκτειναν Ἵππαρχον Πεισιστράτου Ἀθηνῶν Τύραννον, in ceteris è Palmerio, καὶ Ἀθηναῖοι συμπαρέστησαν τοὺς Πεισιστρατίδας ἐκχωρεῖν τοῦ Πελασγικοῦ τείχους ἔτη ΗΗΔΔΔΔΠΙΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησι Κλεισθένους. Dicit enim [s] Herodotus de ejectione Pisistratidarum, παρέστησαν δὲ ἐπὶ μισθῷ τοῖσι τέκνοισι, ἐπ' οἷσι ἐβούλοντο οἱ Ἀθηναῖοι, ὥστε ἐν πέντε ἡμέρῃσι ἐκχωρεῖν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Ἁρμόδιος, καὶ Ἀριστογείτων ἀπέκτειναν Ἵππαρχον. Historiam, quomodo Har-

[m] Ptolomæi Canon. Euseb. Chron. Herodot. lib. 3. Justin. lib. 1. Ctesias apud Photium. [n] Herodot. lib. 3. [o] Justin. lib. 1. [p] Herodot. & Justin. ib. [q] Plutarch. in Isid. Diogenes Laert. in Prooemio. [r] Clemens Alexandrinus dicit Nimrodem primo ignem coluisse, ignis autem cultores Magi. [s] Lib. 5.

modius

modius & Aristogeiton, Hipparchum interfecerunt, legas apud Herodotum lib. 5. Thucydidem lib. 1. & lib. 6. Aristot. Rhet. lib. 2. c. 24. & Polit. l. 5. c. 8. Maximum Tyrium, Differt. 8. Justin. lib. 2. Ælian. Var. Hist. lib. 11. c. 8. & Platonem in Hipparcho. Cum per hanc cædem primo aperta esset via ad restituendam Atheniensium libertatem, evertendamque Pisistratidarum Monarchiam, Harmodius, & Aristogeiton, qui Hipparchum interfecerunt, quamvis hoc minime [m] animo patriæ liberandæ fecissent, ipseque quem interfecerunt, Regum optimus & Philosophorum sui temporis doctissimus esset, tanto Athenis in honore semper habebantur, ut [n] omnibus aliis, qui in eâ urbe unquam nascebantur civibus prælati, quam diu libera manebat Respublica, æque ac præstantissimi heroes, non multo minus, quam ipsi dii, in eâdem colebantur. Quotannis [o] illis parentatum fuit, illudque Polemarcho post Archontem Eponymum & Regem præstantissimo inter Atheniensium magistratus dabatur munus. [p] Lege Sancitum fuit ut eorum nomina nullis nisi liberis & ingenuis inderentur, ut [q] eorum laudes in omnibus conviviis symposiis etiam & diebus Festis, [r] maxime in Panathenæis peculiari carminum genere quæ Scolia dicebantur (quorum nonnulla habes apud Athenæum lib. 15.) canerentur, & ut [s] posteri ob parentum merita primum in omni consessu locum haberent, & publicis sumtibus in Prytaneo alerentur, multaque alia præ ceteris civibus privilegia & immunitates haberent. Et cum aliis lapideæ solæ statuæ, his honoris gratiæ [t] Æneæ eæque [u] in foro ponebantur, qui honos nisi [x] Cononi perpaucissimisque aliis, qui patriæ liberatores existimabantur, nulli alii dabatur.

Ἵππαρχον Πεισιστράτου Ἀθηνῶν Τύραννον. [y] Rex optimus & præstantissimus moribus & doctrina inter omnes Græcos fuit Hipparchus, summâque cum justitiæ & æquitatis laude Rempublicam administrabat, & tam propensi erga doctos animi fuit, ut quicunque per totam Græciam, aut Poeticâ, aut Philosophiâ, aut aliquâ aliâ arte, aut scientiâ excellebat, magnis datis stipendiis ad se alliciebat, atque ideo apud se habuit [z] Simonidem Ceium, & Anacreontem Teium Poetas insignissimos, & multos alios usque ad cædem suam. Controversia est inter antiquos, an primogenitus Pisistrati filius, an Hippia junior fuit, plerique Hipparchum seniorem tradunt, iis autem contradicit Thucydides, sed hujus objectionibus respondit Meursius, contenditque Hipparchum primogenitum Pisistrati filium fuisse, nec ante illius obitum Hippiam Athenis regnasse, eum vide in Pisistrato.

Ἐκχωρεῖν τοῦ Πελασγικοῦ τείχους. Murus Pelasgicus ille est, [a] quo Arx Athenis circumcincta fuit, sic dictus, quia à [b] Pelasgis condebatur. [c] Hi enim à Bœotis, qui circa 70 an. post bellũ Trojanum ab Arna Thessaliæ in patriam redierunt, Bœotia pulsi [d] in Atticam se receperunt, ubi agrum sub Hymetto monte ea conditione ab Atheniensibus accipientes, ut arcem [e] palis tantum spinosis prius septam muro lapideo circumdarent, hunc condidere, qui postea à conditoribus Murus Pelasgicus dicebatur, de eo vide etiam Johan. Meursium in Cecropia, & quæ prius habuimus in notis ad Ep. 6. De ejectione Pisistratidarum hæc narratur Historia, [f] Alcmæonidæ, potens Athenis familia à Pisistratidis pulsi mercede pacti sunt cum Amphictyonibus templum Delphicum, circa 40 annos antea incensum, de novo ædificare: Delphis igitur sedentes, [g] Pythiam

[m] Ut legas apud Thucyd. lib. 6. [n] Dion. Chrysostomus, orat. 11. Æschinis orat. in Timarchum, &c. [o] Pollux lib. 8. c. 9. sect. 4. [p] Libanius Declam. 29. A Gell. lib. 9. c. 2. [q] Athenæus lib. 15. Hesychius & Suidas in Ἁρμοδίου μέλος. Aristoph. in Acar. & Scholiastes illius. [r] Philostratus in Apollonii vita lib. 7. cap. 2. [s] Isæus περὶ Δικαιογένους κλήρου. Dinarchi orat. in Demosthenem. Theodoret. Therapeut. lib. 8. Demosth. orat. in Leptinem. [t] Theodoret. Therapeut. 8. Demosthenes orat. in Leptinem. Plutarchus in vita Antiphontis oratoris. Lucianus in Parasito. [u] Lucian. ib. Aristot. Rhet. lib. 1 c. 9. [x] Demosthenis orat. in Leptinem. [y] Thucyd lib. 6. Plato in Hipparcho. Ælian Var. Hist. lib. 8. c. 2. [z] Plato in Hipparcho. Ælian. Var. Hist. l. 8. c. 2. [a] Herodot. lib. 5. Philostratus in Herode Sophista. Lucianus in bis accusato Thucyd. lib. 2. Pollux lib. 8. c. 9. sect. 19. Aristoph. in avibus. Dionys. Hal. lib. 1. [b] Pausan. in Atticis. Herodot. lib. 6. Dionys. Hal. lib. 1. [c] Strabo lib. 9. [d] Herodot. lib. 6. Dionys. lib. 1. [e] Syrianus in Hermogenem. Sopater in libro cui titulus, Διαιρέσεις ζητημάτων. [f] Herodot. lib. 6. Thucyd. lib. 1. & lib. 6. [g] Herodot. l. 6.

datâ

datâ pecuniâ induxerunt, ut quoties Spartani venirent ad Oraculum consulendum, juberet illos liberare Athenas. Lacedæmonii igitur primo Anchimolium cum exercitu, & eo victo occisoque Regem, suum Cleomenem ad liberandas Tyrannide Athenas mittunt. Pisistratidæ autem à Cleomene victi relictâ urbe intra murum Pelasgicum in arce se muniunt, parati longam obsidionem sustinere; sed captis eorum liberis, quos clam ex Attica mittebant, eorum gratiâ cum Atheniensibus Lacedæmoniisque, qui ad eos liberandos venerunt, pacti sunt, ut intra quinque dies arce muroque Pelasgico, intra quem se munivissent, totaque Atticâ excederent. Et sic finita fuit Pisistratidarum Tyrannis. Historiam plenius habes narratam apud Herodotum lib. 5. & Thucydidem lib. 6. quæ alii de ea habent autores legas à Meursio collecta in illius Pisistrato.

*Ἔτη ΗΗΔΔΔΔΠΙΙΙ. Cum Pisistratidæ non eodem anno, quo Hipparchus occisus fuerat, [h] sed quarto postea testibus Herodoto, Thucydide, & Platone Athenis pellerentur, manifestum est hic à Chronographo nostro res diversis annis actas in eâdem Epocha simul conjungi, quod etiam ab eo in Epocha 23. factum observes. Eteoclus enim, Adrastus, & Amphiaraus non eodem anno, quo ad bellum Thebanum profecturi ludos Nemæos primo celebrarunt, sed ut eorum historiam legenti apparebit, multos annos antea inceperunt Argis regnare. Eodem igitur modo, quo ibi regnum eorum regum Nemæorum institutioni, sic hic cædes Hipparchi Pisistratidarum ejectioni per modum præfationis præmittitur, ita ut hoc solum, quod ultimo loco, & non illud, quod primo narratur, ad annum subjunctum debet referri. Ad annum igitur Ep. Mar. 248, qui est Olympiad. 67. an. 1. non Hipparchi cædes, sed Pisistratidarum ejectio à Chronographo nostro refertur. Ille igitur à Thucydide uno anno differt, quod non cum illo Pisistratidarum ejectionem viginti [i] tantum annos, sed viginti & unum pugnam Marathoniam facit antecedere: secundum illum enim pugnatum est Marathone an. Ep. Mar. 227. Inter autem an. 227, & 228. anni 21 intercedunt, sed hæc unius anni levis est differentia, & forsan non à Chronographo, sed ab exscriptore facta.

*Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Κλεισθένους. Sic locum restituit Palmerius, quia enim Clistenes dicitur post expulsos Pisistratidas [l] rempublicam Athenis ordinare, & leges statuisse, concludit inde illum in summo magistratu eo anno, atque ideo Archontem fuisse. [m] Hic autem Clisthenes è familia Alcmæonidarum fuit, omniumque sui temporis Atheniensium celeberrimus. Alcmæonidarum autem familia Athenis valde insignis erat, magnæ potentiæ, & vetustissimæ nobilitatis, [n] à Nestore enim Pyli Rege deducebat originem. Nestoris filius erat Thrasymedes, Thrasymedis Sillus, Silli Alcmæon, qui à Doribus circa 80 annos post bellum Trojanum Messeniâ, ubi regnabat, pulsus Athenas fugiebat, ibique huic familiæ nomen & initium dedit. Ex hujus posteris multis post eum seculis claruit Athenis [o] Megacles, qui Cylonii piaculi, quod urbem diutissime turbavit præcipuus autor erat. Cylon enim Atheniensis vetustæ nobilitatis & magni animi juvenis, cum in Olympiade 35 vicisset, & Theagenis Megaridis Tyranni filiam duxisset, superbia elatus de occupanda [p] Athenis Tyrannide cogitabat. Consulto igitur Oraculo, cum responsum accepisset, arcem τῇ μεγάλῃ ἑορτῇ τοῦ Διὸς, occupandum esse, ignorans Diasia (de quibus vide Meursium in Græcia feriatâ) esse illud Festum, sed ratus Deum Olympia intellexisse, quæ maxima Jovis Festa existimabat, dum ea agebantur collectis sociis suis, & copiis etiam à Theagene socero acceptis, facinus aggrediebatur, & arcem occupabat: quo cognito Athenienses ad eum expellendum concurrunt, arcemque diu obsidebant. Cylon igitur ejusque frater clam eva-

[h] Plato in Hipparcho. Thucyd. l. 6. [i] Thucyd. l. 6. [l] Herodot. lib 6. Plutarchus in Pericle. [m] Plutarch. & Herodot. ib. [n] Paulanias in Messenicis. Herodot. lib. 6. [o] Thucyd. lib. 1. Herodot. lib. 5. Plutarchus in Solone. [p] Thucyd. lib. 1. Herodot. lib. 5. Plutarch. in Solone. Scholiastes Aristophanis ad equites.

fere

ſere, ſocii autem, qui relicti fuerant, fame conſumpti ad aram Minervæ, quæ in arce erat ſupplices conſederunt, & cum coacti eſſent inde deſcendere ad cauſam dicendam filum aræ alligatum manibus tenebant, eo autem inter deſcendendum forte diſrupto, Megacles, qui eo anno Archon erat, cum collegis ſuis eos corripientes, quaſi à Dea cujus ſupplices erant rejectos, omnes interficiunt, ideoque iram Deæ implacabilem incurriſſe exiſtimati illi poſteriq; eorum ob violatam aræ religionem, ἐναγεῖς καὶ ἀλιτήριοι τοῦ Θεοῦ dicebantur, multæque Athenis turbæ ob hoc facinus ortæ fuerunt. Cum enim filii eorum, qui occidebantur, adulti eſſent, patrum interfectores continuo accuſabant admiſſi piaculi, ab iiſque & poſteris eorum diu mota eſt ſeditio contra eorum poſteros, qui admiſere, iiſque tandem Solonis temporibus, cum gravis peſtis, quâ tunc forte urbs laborabat, ob hoc piaculum à Dea immiſſa putababatur, Athenis pellebantur, & [q] Epimenides è Creta accerſitus fuit, ut urbem ob hoc ſcelus contra deam commiſſum luſtraret. Non diu autem poſtea iterum rediere. Alcmæon enim Megaclis filius valde Athenis claruit, magnumque familiæ ſuæ attulit ſplendorem. Cum [r] enim iis Lydis qui Sardibus à Crœſo ad conſulendum Oraculum Delphicum mittebantur, adminiſtrum ſe præbuiſſet, eoſque comiter accepiſſet, ob illud beneficium à Crœſo accerſitus, multas ab eo divitias accepit, domumq; inde ſuam valde locupletam habuit, digmuſque exiſtimatus fuit, qui [s] ex omnibus Græcis ab Amphictyonibus in bello, quod contra Cyrrhæos gerebant, dux eligeretur. Maximam autem Alcmæonidarum familiæ gloriam addidit Megacles Alcmæonis filius. [u] Cliſthenes enim Sicyoniorum Tyrannus, cum ea Olympiade, quâ ipſe victor erat, præſtantiſſimos Græcorum voce præconis invitaſſet ad ambiendas unigenitæ ſuæ filiæ nuptias, multique ex omni Græciæ parte conveniſſent, omnium eorum, poſtquam per anni ſpatium in ſingulorum virtutes inquiſiviſſet, digniſſimum judicabat Megaclem, eique ideo filiam dabat: quibus nuptiis Megacles opibus & ſplendore auctus valde inde Athenis claruit, & paulo ante Piſiſtrati Tyrannidem, cum Athenienſes in tres factiones dividerentur, [x] in Διακρίους, ſcilicet, Παραλίους, & Πεδιαίους, i. e. in eos qui in montanis locis, & qui in maritimis, & qui in vallibus habitabant, ipſe Παραλίους ducebat, ceteras duas factiones Piſiſtratus & Lycurgus. Cum autem Piſiſtratus Tyrannidem obtinuiſſet, [y] Megacles & cum illo omnes Alcmæonidæ ſecundo exulabant. Non diu autem poſtea [z] Megacles cum Lycurgo contra Piſiſtratum conſpirans, eo ejecto iterum rediit. Sed quinq; annis poſtea facto cum Lycurgo diſſidio Piſiſtratum datâ ei filiâ in uxorem [a] iterum reducit, & mox quod nolens ex Megaclis filia, qui piaculo tenebatur ſobolem ſuſcipere, cum eâ non concubuiſſet, ſecundo fecit exulare. [b] Cum igitur Piſiſtratus ope Thebanorum & Argivorum tertio Tyrannidem occupaſſet, tertio iterum exulant Alcmæonidæ, eique tunc defuncto Megacle illius filium [c] Cliſthenem avo materno cognominem (cujus nomen in mutilo hoc Marmoris loco à Palmerio reſtituitur) pro duce habuere, qui cum poſt Hipparchi cædem tentato in patriam reditu conatu excidiſſet, Lipſydrium ſupra Pœoniam occupabat, corruptâque Pythiâ, ut ſupra narravi, Lacedæmonios ad auxilium ſuum attraxit, eorumque ope ejectis Piſiſtratidis, Athenas Tyrannide liberavit, magnamq; ideo in ea urbe adeptus potentiam omnia fere in republica geſſit, multaque in ea mutavit. Senatorum enim numerum à quadringentis ad quingentos, & Tribuum à quatuor ad decem auxit, abolitiſque Τελεόντων, Ἐργαδέων, Ὁπλίτων, & Αἰγικορέων, nominibus, quæ iis antiquitus ab Ione indita fuere, eas ab Heroum nominibus, qui deinde ἐπώνυμοι dicebantur denominavit. [d] Hi autem ἐπώνυμοι erant Cecrops, Pandion, Erichtheus, Ægeus, Acamas, Reges Athenienſes, Hippothoon

[q] Diogenes Laert. in vita Epimenidis. Plutarchus in Solone. [r] Herodot. lib. 6. [s] Plutarch. in Solone. [u] Herodot. lib. 6. [x] Plutarch. in Solone. Herodot. lib. 1. [y] Plut. ib. [z] Herodot. lib. 1. [a] Herodot. lib. 1. [b] Herodot. ib. [c] Herodot. lib. 5, & 6. Plutarch. in Pericle. [d] Pauſanias in Atticis.

Neptuni filius, Antiochus Herculis filius, Ajax Telamonis filius, Leon, qui filias pro publica salute devovit, & Oeneus Pandionis secundi filius, quibus Athenienses postea Attalum Pergamenum, & Ptolomæum Philadelphum Ægyptium,ob beneficia ab iis regibus accepta addidere,& Tribus deinde duodecim fecerunt. Hi Athenis magno in honore habebantur, eorumque statuæ prope quingentorum curiam ponebantur, ad easq; & non ad Archontum Eponymorum (illi enim eo nomine statuas non habebant) ut [e] stupidissime hallucinatur Petitus, suspendebantur Leges à Nomothetis scriptæ, ut, priusquam latæ erant, ab omnibus approbarentur. Hic etiam Clisthenes [f] Ostracismum, quo in exilium Tyrannidis evitandæ causâ mittebantur potentiores, primus instituisse, eoque primus damnatus perhibetur, sed falso: non enim ab Atheniensibus, sed [g] à Cleomene Lacedæmoniorum Rege, ab Isagora, qui Tyrannidem affectabat, accersito sub prætextu reatus ob Cylonium piaculum cum septingentis militaribus familiis urbe pellebatur, ejectis autem ab Atheniensibus Cleomene & Isagora iterum rediit,& [h] Democratiam secundum Solonis leges stabilivit. [i] Clisthenis frater erat Hippocrates, qui genuit Megaclem, & Agaristam. Agarista à Xantippo ducta peperit Periclem. Megacles vero genuit Dinomacham matrem Alcibiadis; hinc Alcibiadis cum Pericle, & utriusque cum Alcmæonidis cognatio, ob quam utrique piaculo ob supplicum cædem tenebantur: [k] atque ideo in initio belli Peloponnesiaci Lacedæmonii, cum Pericle ejecto Athenienses facilius vinci sperarent, per legatos postulabant, ut de piaculi reis iterum Quæstio haberetur.

Ep. 47. Ἀφ᾽ οὗ Χορῷ πρῶτον ἠγωνίσαντο ἀνδρῶν ὃν διδάξας Ὑπο..κος Χαλκιδε....ενικ.... ἔτη ΗΗΔΔΔ..... Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσαγόρου. Lacunas sic supple, ὃν διδάξας Ὑπόδικος Χαλκιδεὺς ἐνίκησεν ἔτη ΗΗΔΔΔΔΙΙΙΙ, cum enim numerus restituendus debet esse unus eorum, qui inter numerum 248 & 231 intercedunt, numerum ΗΗΔΔΔΔΙΙΙΙ eligo, utpote qui omnium eorum, qui hic restitui possunt, Lacunæ spatio maxime mihi videtur convenire. Præterea non dubium est, quin hic pro Λυσαγόρου, reponendum sit Ισαγόρου. Isagoras autem archon fuit,testibus [l] Dionys.Hal.lib.5.& Anonymo ἀναγραφῆς Olymp. Autore, Olymp. 68. an.1. an. autem primus Olymp.68. est an. Ep. Mar. 244.

Χορῷ πρῶτον ἠγωνίσαντο. Sublatâ è veteri Comœdia Chororum licentiâ, agi cœperunt seorsim, ut primo ferme agebantur. Nam vetus Atheniensium musa nihil aliud erat præter χοροὺς παίδων καὶ ἀνδρῶν, *choros puerorum & virorum*, quod docet Maximus Tyrius dissertatione 21. Unde etiam Tragœdia & Comœdia tandem propagatæ. Trichoriam Lacedæmoniis instituerat Tyrtæus ad tres ætates, Puerorum scilicet chorum, Virorum, & Senum. Vide Pollucem lib. 4. De chori item vetustate, vide Eusebium numero DCCXXIV, ubi de Philammone, & Philostratum in vita Apollonii, lib. 4. cap. 6. ubi de Æschylo. Virorum autem non solum agebatur chorus, sed demum in certamen evasit, quod vicit primus choragus hic seu chori coryphæus (ita dictus, qui choro præerat & eum docuit seu edidit) cujus nomen pene in Marmore obliteratum aliunde restitui, puto, nequit. *Hypodicus* si legam, favent satis & elementorum quæ supersunt vestigia & lacunæ spatiolum. Chalcidensem fuisse palam est. Nam Χαλκιδεὺς tantum non integrum in Marmore habetur. Quisquis demum heic fuerit, & Poetam & Musicum fuisse insignem dubitandum non est. Viderint igitur perspicaciores an *Hippicus* carminum scriptor numero Eusebiano MCCCCLXXVII. (qui æque ignotus est) aut *Hippasius*, nomen apud Capellam æque controversum lib. 9. aut *Pondos & Hyperides*, in libello cum Censorino plerunque edito, aut medelam heic subministrent, aut hinc accipiant. Seld.

[e] In libro De Legibus Atticis. [f] Var. Hist. l. 13. c. 24. [g] Herodotus lib. 6. [h] Aristot. Polit. lib. 5. c. 4. & lib 6. c. 1. [i] Herodot. lib. 6. Plutarch. in Pericle, & Alcibiade. [k] Thucydides lib. 1. Plutarchus in Pericle.

Ep.

Ep. 48. Ἀφ' οὗ ἱε...... Ἱππία...... ἐν Ἀθήναις ἔτη ΗΗΔΔΔΙ ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Πυθοκρίτου. Quid ſit, quod de Hippia in hoc mutilo Marmoris loco obliteratur, neſcio, nec Seldenus, nec Palmerius, nec Lydiatus reſtituerunt, nec ipſe poſſum reſtituere. De Hippia narratur, quod poſtquam Athenis pulſus fuerat, [m] in Sigeum Helleſponti conceſſit ad Hegeſiſtratum fratrem ſuum nothum, [n] quem Piſiſtratus hujus urbis, poſtquam eam à Mitylenæis eripuerat, conſtituit Tyrannum. Inde non diu poſtea Lacedæmonem accerſitus fuit, Cum enim Athenienſes in liberâ patria potentiâ valde creverint, ad eos reprimendos Lacedæmonii [o] in animo habuerant eum Athenas iterum reducere; ſed cum huic conſilio omnes ſocii reſtitiſſent, Hippias, ubi nullam recuperandæ per Græcos Tyrannidis ſpem viderat, Sigeum iterum redit, & cum Amyntas Macedonum Rex Anthemuntem, Theſſali Iolcum urbem obtuliſſent, neutram recipere voluit, ſed animo ulciſcendi Athenienſes [p] primo Lampſacum ad Hippoclum Æantidem illius urbis Tyrannum generum ſuum, ab eoq; ad Perſas profectus iis bellum Athenienſibus illaturis ſe ducem præbuit, cum iiſque contra patrem pugnans, [q] tandem in prælio Marathonio jam valde ſenex, & ſecundum [r] Meurſii computum nonagenario major occubuit. An vero de fuga Hippiæ ad Perſas hic agatur, ſive de aliqua alia re ab eo geſtâ, quæ ob defectum Hiſtoriarum ignoratur, cum tam pauca in mutilo hoc Marmoris loco earum vocum, quæ obliterantur, reſtent veſtigia, non poſſum conjectare.

Ep. 49. Ἀφ' οὗ ἡ ἐμ Μαραθῶνι μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς τοὺς Πέρσας..... Ἀριέντα σ......ων Δαρείου ἀδελ.....ν τὸν ϛρατηγὸν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, ἔτη ΗΗΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθην......δευτέρου Φ..ν..... ἐν μάχῃ συνηγωνίσατο Αἰσχύλος ὁ Ποιητὴς ἐ...ω..ων ΔΔΔΠ. Lacunæ omnes, ſic à Palmerio ſupplentur, μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς Πέρσας, καὶ Ἀριέντα Σατράπην τὸν Δαρείου ἀδελφιδοῦν τὸν Στρατηγὸν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, ἔτη ΗΗΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι τοῦ δευτέρου Φαινίππου, καὶ ἐν μάχῃ συνηγωνίζετο Αἰσχύλος ὁ Ποιητὴς ἐτῶν ὢν ΔΔΔΠ. Ad quæ ſupplementa Hiſtoria, & vocum reliquiæ ſatis manifeſte dirigunt. Sola manet difficultas, quis ſit hic Arientes, qui dux Perſarum in pugna Marathonia dicitur fuiſſe. [s] De Artapherne Artaphernis Darii fratris filio, & Dati Perſarum in pugna Marathonia ducibus in omni legitur hiſtoria, de Ariente vero in nulla. Ille autem Artaphernes, [t] Herodoto dicitur, παῖς Ἀρταφέρνεος ἀδελφιδέος Δαρείου. Palmerius igitur, quia ei haud veriſimile videtur nomen patris in filio repetitum fuiſſe, Herodotum ex Marmore corrigit, putatque aut ipſius Hiſtorici, aut Librariorum errore Artaphernem appellari, qui Arientes revera dicebatur. Sed hoc nimis audax inceptum eſt à recepta lectione ex tam levi conjecturâ decedere. Præſertim cum non tantum [u] Herodotus, ſed [x] Pauſanias, [y] Cornelius Nepos, aliiq; etiam illum qui, Perſarum in pugna Marathoniâ dux fuit, Artaphernem vocant. Multo igitur mihi veriſimilius videtur Seldenum in fracto, & exeſo Marmore, ΑΡΙΕΝΤΕΑ, male pro ΑΦΕΡΝΕΑ reliquias vocis ΑΡΤΑΦΕΡΝΕΑ, legiſſe literis fere diſparentibus. Φ enim deleta priori literæ parte in Ρ, & Ε deletis tribus lineolis tranſverſis in Ι facile mutari poterant; Ρ impactâ in Marmore ad pedem literæ tranſverſâ fiſſurâ pro Ε poterat legi, atque ideo deletâ literâ Τ, quæ poſt Ν ſuperabundat, locum ſic reſtituo, καὶ Ἀρταφέρνεα Σατράπην τὸν Δαρείου ἀδελφιδοῦν. Artaphernes enim, qui Perſis in pugna Marathonia imperabat, Darii è fratre nepos fuit. De hac pugna, & victoria, quam Athenienſes in ea obtinuerunt, legas Herodotum

[m] Thucyd. lib. 6. Herodot. lib. 5. [n] Herodot. lib. 5. [o] Herodot. lib. 5. [p] Thucyd. lib. 6. Herodot. lib. 5. [q] Cicero ad Atticum, lib. 9. epiſt. 10. Tertul. adverſus gentes. Juſtinus lib. 2. [r] In Piſiſtrato cap. ult. [s] Herodot. lib. 6. Cornelius Nepos in Miltiade. Pauſanias lib. 1. &c. [t] Lib. 6. [u] Lib. 5. [x] Lib. 1. [y] In Miltiade.

lib. 6. Justinum lib. 2. Pausaniam in Atticis, Cornelium Nepotem in vita Miltiadis, Plutarchum in Themistocle & Aristide. In quarta, quinta, & sexta Lacuna, restituo Ἄρχοντος Ἀθήνησι τοῦ δευτέρου Φαινίππου, Phænippum enim eo anno, quo ab Atheniensibus contra Persas in Marathone pugnatum fuit, Archontem Athenis fuisse testatur Plutarchus in vita Aristidis.

Καὶ ἐν μάχῃ συνηγωνίσατο Αἰσχύλος ὁ Ποιητής. Hic Æschylus insignissimus Poeta Tragicus fuit, cujus septem Tragœdiæ adhuc supersunt. Vitam ejus habes iis à Scholiaste præmissam, in qua etiam narratur, illum in pugna Marathonia fortissimi militis officio functum fuisse, quo tantum postea gloriatus fuit præsertim in senectute, ut cum paulo ante obitum carmen aliquod de pugna Marathonia [a] scripsisset, in ipso operis fronte suum, & patriæ nomen inscripsit, καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας μάρτυρας ἔχοιτο Μαραθώνιον ἄλσος καὶ Μήδων τοὺς εἰς αὐτὸ ἀποβάντας. Multo autem major in bello gloria fuit fratrum illius Arminiæ & Cynægiri, quorum hic [b] in pugna Marathonia contra Persas fortissime pugnans occubuit, ille in prælio Salaminio omnium Atheniensium [c] primas fortitudinis laudes obtinuit.

Ep. 50. Ἀφ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Σιμωνίδου πάππος τοῦ Ποιητοῦ ποιητὴς ὢν καὶ....... ....νησαι καὶ Δαρεῖος τελευτᾷ Ξέρξης δὲ ὁ υἱὸς βασιλεύει ....ΔΠ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστείδου. Lacunas obvium est, sic supplere, ποιητὴς ὢν καὶ αὐτὸς ἐφάνη Ἀθήνησι, καὶ Δαρεῖος τελευτᾷ, Ξέρξης δὲ ὁ υἱὸς βασιλεύει, ἔτη ΗΗΔΔΠ. De Simonide vide quæ infra annotantur ad Ep. 55. De Darii autem morte, & quomodo Xerxes regnum illius obtinuit, legas Herodotum lib. 7. Justinum lib. 2. & Plutarchum in libro περὶ Φιλαδελφίας.

Ep. 51. Ἀφ' οὗ Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς Τραγωδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε, καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐγένετο, καὶ Στησίχορος ποιητὴς τὴν Ἑλλάδα ......ο, ἔτη ΗΗΔΔΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλοκράτους. Lacunam suppleo, εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀφίκετο. Stesichorus enim Siculus fuit, vocem autem εἰς ante τὴν inserendam esse requirit verbum ἀφίκετο, eam cum in fine lineæ restituenda sit, ob fractum Marmoris marginem in illo desideratam fuisse bene poterat Seldenus non observare.

Αἰσχύλος ὁ ποιητής. De hoc, & quantum Tragœdiæ addidit satis diximus [d] in superioribus, plura de eo habes ex antiquis scriptoribus collecta apud Lilium Gyraldum. Histor. Poet. Dial. 6. & Vossium Institutionum Poeticarum lib. 2. in quibus etiam de Euripide multa habes.

Στησίχορος εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀφίκετο. Stesichorus hic ex Himera in Sicilia fuit, & inter decem insignissimos Poetas Lyricos numeratur. [e] Ceteri fuerunt Bacchilides, Ibycus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, & Corinna, & cum [f] Coream Alcman Lacedæmonius, Amatoria Anacreon Teius, ὑπόρχησιν seu Canticum ad saltandum accommodatum Pindarus Thebanus, Stesichorus Hymnum primo invenisse perhibetur. Lyrica hic sua [g] Dorice scripsit, Doricus enim ille fuit è Sicilia. Plura de eo legas apud Lilium Gyraldum Poet. Hist. Dial. 6.

Ep. 52. Ἀφ' οὗ Ξέρξης τὴν σχεδίαν ἔζευξεν ἐν Ἑλλησπόντῳ, καὶ ....εναιν ἐν Θερμο....ς μάχη ἐγένετο, καὶ Ναυμαχία Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα πρὸς τοὺς Πέρσας, ἣν ἐνίκων οἱ Ἕλληνες, ἔτη ΗΗΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλ....δου. In duabus primis Lacunis restituo, καὶ Ἑλλήνων ἐν Θερμοπύλαις μάχη ἐγένετο; cum enim nulla Græca vox, quæ hic inseri potest exeat in εναιν, eas literas ex aliarum reliquiis

[a] Pausan. lib. 1. [b] Justin. lib. 2. Plutarchus in Parallelis. Herodot. lib. 6. Suidas in Κυναίγειρος. [c] Diodor. Sic. lib. 11. Ælian. Var. Hist. lib. 5. c. 19. [d] In notis ad Ep. 40. [e] Tzetzes in Prolegomenis ad Lycophronem. [f] Clemens Strom. lib. 1. [g] Pausan. In Corinthiacis, Arcadicis, Bœoticis, & Phocicis. Plutarch. περὶ Μουσικῆς. Tzetzes in Prolegomenis Lycophronis.

collectas

collectas fuisse manifestissimum est. In tertia Lacuna suppleo Καλλιάδης; illum enim hoc anno Archontem fuisse testantur [h] Herodotus, [i] Laertius, [l] Diodorus Siculus, [m] Dionysius Halicarnasseus, & Thomas Magister in vita Euripidis.

Ξέρξης τὴν σχεδίαν. Quomodo Xerxes junctis navibus pontem supra Hellespontum fecit, per quem exercitus in Græciam transiret, legas Herodotum in Polyhymnia & hujus rei explicationem eruditam apud Dionysium Petavium, ad Themistii orationem decimam. Seld.

Ἐν Θερμοπύλαις. Thermopylæ erant angustiæ, per quas solas è Thessalia in australes Græciæ partes patebat aditus, per eas igitur Xerxi Atticam invasuro erat transeundum. Θερμοπύλαι dicebantur, ἀπὸ τῆς πύλης, quia, ut janua, angustæ erant, & τῶν θερμῶν, quia in illis angustiis multæ Thermæ, seu fontes aquæ calidæ fuerunt. Non erant inter montes, ut plerique in Tabulis Geographicis describunt, sed ex uno tantum latere montes; ex altero sinum Meliacum habuerunt, uti in perspicacissima tabula eas descripsit peritissimus Geographorum Philippus Brietius, in qua uno intuitu videbis omnia ea, quæ [n] Strabo, [o] Herodotus, & [p] Pausanias satis prolixe descripserunt. De pugna quæ in his Angustiis inter Xerxem, & Leonidem Lacedæmoniorum regem, commissa fuerat. Legas etiam [q] Herodotum, [r] Pausaniam, [s] Diodorum Siculum, [t] Justinum, & [v] Plutarchum. De pugna etiam navali prope Salaminem à Græcis contra Persas commissa, ingentique, quæ ibi parta erat victoria, eosdem legas autores.

Ep. 53. Ἀφ' οὗ ἡ ἐν ...ταίαις μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς Μαρδόνιον τὸν Ξέρξου στρατηγὸν, ἣν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, καὶ Μαρδόνιος ἐτελεύτησεν ἐν τῇ μάχῃ· Καὶ τὸ πῦρ ἐρρύη..........ελία περὶ τῆς Αἰτνίδος, ἔτη Η...ΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ξαντίππου. Primam Lacunam supple, ἐν Πλαταίαις, secundam καὶ τὸ πῦρ ἐρρύηκε, seu potius ἐρρύηκε, cum autem hoc verbum cum iis vocibus, quibuscum in hoc loco construi debet, mihi non videtur tam proprie posse convenire, multo potius vellem hic supplere ἠρύχθη, si hæc vox iis, quæ relinquuntur, literis bene potuisset adaptari; sed sive hæc, sive illa, sive aliqua alia hic inseratur, sensus debet idem esse, eo scilicet anno, quo ad Platæas pugnatum fuit, Ætnam ignes evomuisse.

Literas numerales debere esse ΗΗΔΠΙ, eæ, quæ sunt in præcedenti & sequenti Epochâ, satis ostendunt. De pugna ad Platæam commissâ, & victoria ibi à Græcis contra Persas partâ legas Herodotum, lib. ult. Plutarchum in Themistocle & Aristide, Cornelium Nepotem in Pausania, Diodorum Siculum lib. 11. eodem die quo hæc Platææ parta est victoria, Persæ etiam, ad Mycalen Ioniæ promontorium in prælio navali ab Atheniensibus duce Xantippo Periclis patre, qui hujus anni Archon dicitur, æquali clade superati fuerunt. De ea eosdem quos supra citavi legas autores.

Ep. 54. Ἀφ' οὗ ...λων ὁ Δεινομένους .... ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΗΔΠ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Τιμοσθεν... In prima & secunda Lacuna legas, Γέλων ὁ Δεινομένους Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, in ultima, Τιμοσθένους. Quomodo Gelo, cum prius Gelæ Tyrannus esset, Syracusas etiam obtinuit, supra ex Herodoto narravi in notis ad Ep. 37. Cum de eo satis multa in Lydiati notis Chronologicis habeantur, non opus est ut plura annectam.

[h] Lib. 7. [i] In vita Anaxagoræ. [l] Lib. 11. [m] Lib. 9. [n] Lib 9. [o] Lib. 7. [p] Lib. 10. [q] Lib. 7. [r] In Atticis. [s] Lib. 11. [t] Lib. 2. [v] In Themistocle.

Ep. 55. ..... Σιμωνίδης, ὁ Λεωπρέπους ὁ Κεῖος, ὁ τὸ μνημονικὸν εὑρὼν ἐνίκησεν Ἀθήνησιν διδάσκων. Καὶ αἱ εἰκόνες ἐστάθησαν Ἁρμοδίου, καὶ Ἀριστογείτονος, ἔτη ΗΗ.... Ἄρχοντος Ἀθήνησι ....μάντου. In prima Lacuna lege Ἀφ' οὗ, in secunda ΗΗΔΙΙΙΙ, in tertia, Ἀθήνησιν Ἀδειμάντου. [x] Adimantus enim archon erat proximo post Timosthenem anno. Si igitur Timosthenes archon fuerit, An. Ep. Mar. 215, annus, quo Adimantus hunc Magistratum gessit, erat 214. Restituendum autem hic Ἀδειμάντου literæ μάντου, quæ integræ relinquuntur, satis ostendunt.

Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους. Bini Simonides clariores apud Scriptores habentur. Avus & ex filia nepos. Avus Leoprepis filius vocatur Suidæ; atque ei memorandi artis inventio tribuitur, de qua item Cicero de Oratore Secundo. At ex nostro liquet Leoprepem avi generum fuisse & nepotis patrem. De avo antea dixerat. Heic de nepote. Ceius uterque fuit; uterque Poeta. Neque igitur avo sed nepoti inventio illa debetur. De Simonide hoc, vide Joannem Tzetzem Chiliade 1. cap. 24. ubi victorias reportasse ait quinquagenta sex. Consule etiam Valerium Maximum, lib. 8. cap. 7. Seld.

Καὶ αἱ εἰκόνες ἐστάθησαν Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος. Statuæ de quibus hic agit Chronographus noster, non primæ erant, quæ Harmodio & Aristogitoni ponebantur; longe enim antea, quarto scilicet postquam Hippias Athenis [y] eodem, quo Tarquinius Româ pellebantur, anno æneæ illis statuæ in foro erectæ fuere, eæque primæ erant, quæ Tyrannicidis unquam publice ponebantur. [z] Sed captis à Xerxe Athenis hæ Susam translatæ fuerunt, novæ igitur illis post finitum bellum Persicum & restauratas iterum Athenas, quas Persæ destruxerunt, ponebantur, de iisque hic agere videtur Chronographus noster. Quæ autem Susam à Persis avectæ fuerunt, [a] Alexander captâ eâ urbe iterum remisit, quæ suis locis in foro iterum erectæ, ibi usque ad tempora Bruti & Cassii permansere, qui cum Cæsarem eodem modo, quo Harmodius & Aristogiton Hipparchum interfecissent, inter alios honores, quos sibi ob illud parricidium arrogarunt, hunc Athenis, ut maximum, quem in illa civitate consequi poterant, habuere, [b] quod statuæ æneæ juxta statuas Harmodii & Aristogitonis illis etiam in foro ponebantur.

Ep. 56. Ἀφ' οὗ Ἱέρων Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν ἔτη ΗΗΠΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χ...η..ος. Ἦν δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ὁ ποιητὴς κατὰ τοῦτον. In Lacuna supple Χάρητος, [c] Chares enim Athenis Archon erat proximo post Adimantum anno, si igitur Adimantus Archon esset, anno Ep. Mar. 214, an. Ep. Mar. 213 Archon erat Chares.

Ἱέρων Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν. Mortuo Gelone ei successit frater illius [d] Hiero, quem carminibus suis celebrat Pindarus Poeta, & Syracusis regnavit annos decem, ei successit [e] frater Thrasybulus, qui, cum non ut fratres illius, sed crudeliter imperium exercuisset, undecimo regni mense Syracusis pulsus apud Locros exulavit, & democratia deinde restituta per 60 annos usque ad Tyrannidem Dionysii senioris in Republica Syracusanâ fuerat stabilita. De his legas Diodorum Siculum lib. 11. De Epicharmo, qui hic dicitur Hieronis temporibus floruisse, satis diximus in notis ad Ep. 40.

Ep. 57. Ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς Σοφίλλου ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἐτῶν ὢν ΔΔΠΙΙΙ, ἔτη ΗΗΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀψηφίονος. Hæc Periocha, cum tota integra sit, nullo egit supplemento. Sophoclis adhuc ex 130, [f] quas

[x] Diod. Sic. lib. 11. [y] Plin. lib. 34. c. 4. [z] Arrian lib. 3. Plin. lib. 34. c. 8. [a] Arrian. ib. [b] Dion Cassius lib. 4. Zonaras Anal. lib. 2. Xiphilin in Augusto. [c] Diod. Sic. l. 11. [d] Aristot. Polit. lib. 5. c. 12. Pindari Scholiastes ad Pyth. 3. [e] Diodor. Sic. lib. 11. Aristot. Polit. lib. 5. c. 12. [f] In vita illius Tragœdiis à Scholiaste præfixâ.

scripserat

ſcripſerat, Tragœdiis ſeptem ſuperſunt, quibus præfixam habes vitam illius, quam etiam legas apud Lilium Gyrald. Hiſt. Poet. Dial. 6.

Ἐκ Κολωνοῦ. Κολωνὸς eſt nomen vici, [g] ſeu δήμου Attici, [h] è quo Sophocles fuit, cujus Tribus incertum eſt. Populus enim Athenienſis in Tribus, & Tribus in δήμους dividebantur. Tribus ab Heroibus, δῆμοι à villis, è quibus Theſei temporibus populus Athenas commigrabant, denominationes habuere. Duo [i] autem erant Athenienſes Κολωνοὶ, unus [k] circa 10 ſtadia ab Athenis diſſitus, alter intra urbem in ipſo foro [l] inde Ἀγοραῖος dictus ſitus fuit. In urbano [m] Colono mercenarii, in Ruſtico Muliones dominos quærentes conveniebant, atque ideo hic [n] ἵππιος, ille [o] μίσθιος etiam dicebantur. Qui autem δήμῳ ſeu populo Athenienſi nomen dedit, erat Κολωνὸς extra urbem ſitus, qui celebris fuit, quod [p] Oedipus à Creonte regno exutus illuc fugiebat, ubi cum filia Antigona miſere aliquandiu vitam pauper & cæcus degebat, donec tandem Athenienſes miſericordiâ tacti illâ ſede eximerunt, eiq; in ipſis Athenis hoſpitium & alimentum, quamdiu vixerat, præbuere, & mortuum in Areopago ſepulchro & monumento donavere. De hujus poſt exilium miſeriis Tragœdiam ſcripſit Sophocles dicta Οἰδίπους ἐν Κολωνῷ, quam inter ſeptem illius, quæ adhuc ſuperſunt, Tragœdias habes editam.

Ep. 58. Ἀφ' οὗ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσ.. καὶ Σιμωνίδης ὁ Ποιητὴς ἐτελεύτησε βιοὺς ἔτη ΠΔΔΔ, ἔτη ΗΗΠ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεα...νίδου. In prima Lacuna ſupple, ἔπεσε in ſecunda è Diodoro Siculo Θεαγενίδου.

Ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσε. De ſaxo illo quod è cœlo in Ægos flumen cecidiſſe dicitur, vide Plinium lib. 2. cap. 58. Ejuſdem caſus & prædictionis Anaxagoræ meminit Laertius in ejus vita. Et apud eundem Silenus hiſtoricus ἐπὶ ἄρχοντος ſcribit δημύλου λίθον ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν, *Archonte Dymilo lapidem è cœlo decidiſſe.* Sed hujus nominis archon alibi non reperitur. Unde Joſephus Scaliger librarios in Laertii exemplaribus Lacunam, quæ archontis nominis locus fuerat, ita præteriiſſe exiſtimat, ut ex δίμυλον λίθον, quod lapidem inſtar duarum molarum ei ſignificant & autoris verba erant archontem ſequentia, archontis nomen perperam crearent. Legi igitur voluit ille ἐπὶ ἄρχοντος Λυσανίου δίμυλον, &c. Vide eum ad Euſebianum numerum MDLI. Certe & ipſum Anaxagoram dixiſſe ſolem fuiſſe μύλον διάπυρον, ſeu *molarem lapidem ignitum* legimus apud Joſephum contra Appionem; ubi tamen μύδρον διάπυρον, ut apud Laertium habetur, id eſt, *maſſam candentem* reponi vult Iſaacus Caſaubonus. Sed demum ſi archontis nomen fuerit apud Laertium, ita ut vult Scaliger, prætermiſſum, noſtro heic autore, interſere Θεαγενίδου. Philoſtratus autem ait Anaxagoram prædixiſſe ὡς λίθοι περὶ Αἰγὸς ποταμοὺς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἐκδοθήσονται *Lapides,* pluraliter, *in Ægos flumen è cœlo caſuros*; De vita Apollonii lib. 1. cap. 2. Seld.

Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ἐτελεύτησε βιοὺς ἔτη ΠΔΔΔΔ. De duobus Simonidis avo & nepote Poetis Lyricis ſupra [q] dicitur. Avus erat, qui hic poſt tam longævam ſenectutem occubuiſſe fertur, idemque qui Hipparcho Piſiſtrati filio familiaris erat; ſi enim annos natus eſſet 90 an. Ep. Mar. 205, naſcebatur an. Ep. Mar. 295. qui erat annus Tyrannidis Piſiſtrati tertius, quum igitur Hipparchus ad Tyrannidem acceſſiſſet, annos natus erat triginta. De eo & altero Simonide nepote illius vide quæ ſupra annotantur ad Ep. 50. Alii etiam erant hujus nominis Poetæ, quorum unum in Amorgo inſula natum inter tres

[g] Scholiaſtes Ariſtoph. ad aves. Demoſthenis orat. in Neæram. [h] Vide vitam Sophoclis Tragœdiis præfixam. [i] Harp. in Κολωνέτας. Pollux lib. 7. c. 29. Etymolog. in κολωνὸς. Suid. in Κολωνίτας. [k] Thucyd. l. 8. [l] Harpocrat. ib. [m] Harp. Pollux, Suid. & Etymol. ubi ſupra. [n] Iidem Autores ibid. & Schol. Sophoclis ad Oedipodem in Colono, & Pauſan. in Atticis. [o] Schol. Ariſtoph. ad aves. [p] Pollux ib. Pauſan. in Atticis. Didymus ad Il. Homeri Χ'. Apollodor. lib. 3. Schol. Statii ad Theb. 12. [q] In notis ad Ep. 50.

celeber-

celeberrimos Iamborum ſcriptores ſupra memoravi ad Ep. 43. De ceteris vide Voſſium in libello de Poetis Græcis.

Ep. 59. Ἀφ' οὗ Ἀλ...δρος ἐτελεύτησεν ὁ δὲ υἱὸς Π...δίκκας Μακεδόνων βασιλεύει ἔτη Η𐅅ΔΔΔΔΠΙΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐθίππου. In prima Lacuna lege Ἀλέξανδρος, in ſecunda Περδίκκας. Qui hic Εὔθιππος dicitur, in Diodoro Εὔιππος vocatur, ibique traditur 79 Olymp. an. 4 Archon fuiſſe, atque ideo Lydiatus è numeralibus Η𐅅ΔΔΔΔΠΙΙΙΙ, unam virgulam ſubducit, ut Marmor cum [r] Diodoro conveniat; at ſecundum meum computum annus quartus Olympiadis 79 eſt annus Ep. Mar. 197, & non 198, atque ideo ſi admittenda eſſet in Marmore mutatio, Numerales literæ debuerant ſcribi Η𐅅ΔΔΔΔΠΙΙ. Sed cum Chronographus noſter in pleriſque aliis Epochis uno anno, & in nonnullis etiam duobus à Diodoro differat, nullam video neceſſitatem, quare hic putaretur cum eo convenire.

Ἀλέξανδρος ἐτελεύτησεν, ὁ δὲ υἱὸς Περδίκκας Μακεδόνων βασιλεύει. Ne nobis in ſequentibus moram faciant Macedonum Reges, notandum hic eſt, quod [s] ſupra etiam diximus, Macedones ab Argivis originem habuiſſe, & Caranum Phidonis Argivorum Tyranni fratrem Regno Macedonico primo initium præbuiſſe. [t] Poſt hunc Cænus, Thurimas, Perdiccas, Argius, Philippus, Alcetas, & Amyntas ſucceſſionis ordine regnarunt. Amyntæ filius erat Alexander, de quo hic agit Chronographus noſter, [u] qui & potentia, & virtute majoribus ſuis longe erat ſuperior, primuſque eſt è Macedoniæ Regibus, de quo aliquid hiſtoriâ dignum memoratur. [x] Cum enim ſororem ſuam Bubari nobili Perſæ in uxorem dediſſet, conciliato ſibi iis nuptiis Perſarum favore eorum liberalitate multum crevit, & cum Xerxes Græciam occupaſſet, ab eo quicquid eſt inter Olympum & Hæmum montes dono accepit. Animo autem multo amicior erga Græcos quam Perſas fuit: atque ideo cum Mardonius ſtatuiſſet cum Græcis prope Platæas pugnare, [y] proximâ ante pugnam nocte Athenienſibus indicavit; ob quod beneficium à Græcis omni benevolentiâ & honore exceptus ad ludos Olympiacos [z] admittebatur, in iiſque nonnullis certaminibus vicit. Huic cum regnaſſet annos 43 [a] ſuccedit filius illius Perdiccas, cujus primum regni annum Euſebius Olympiadis octogeſimæ anno primo, Chronici Marmorei autor Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ anno tertio; ejuſdemq; exitum hic Olympiadis nonageſimæ anno primo, ille Olympiadis octogeſimæ ſeptimæ anno primo aſcribunt. Sed cum apud Thucydidem gravem, & ſummæ autoritatis hiſtoricum [b] anno decimo quinto belli Peloponneſiaci, qui eſt annus quartus nonageſimæ Olympiadis, mentio fiat Perdiccæ in Macedonia regnantis, quam fœdiſſime errant utrique. Ut ambo igitur corrigantur, ad annum decimum ſeptimum belli Peloponneſiaci, ſeu Olympiad. 91. an. 2. protrahendum eſt Perdiccæ regnum, cui defuncto ſucceſſit filius [c] Archelaus Euripidis Poetæ Tragici fautor & patronus, qui à Cratero amaſio ſuo per imprudentiam ſauciatus occubuit, cum regnaſſet annos quatuordecim. Ei ſuccedit filius illius Oreſtes puer adhuc, atque ideo ei datur Tutor Aëropas, qui occiſo pupillo ſuo cum tres annos regnaverat, ipſe regnum occupat, filioque ſuo Pauſaniæ poſt annos quatuor moriens reliquit. Pauſaniam autem, cum regnaſſet annum unum, occidit Amyntas, regnumque, utpote ſibi debitum, ſucceſſionis jure [d] accepit, filius enim erat Aridæi, qui erat filius Amyntæ fratris Perdiccæ Regis. Eo autem non diu poſtea ab Illyriis Macedoniâ pulſo, per duos annos regnabat Argius, donec Amyntas à Theſſalis reductus regnum iterum recuperavit tenuitque annos 24. Filii illius

[r] Lib. 11. [s] In notis ad Ep. 6. [t] Euſebius in Chronicis. Dexippus apud Euſebiana Scaligeri, & Syncellum. [u] Juſtin. lib 7. [x] Juſtin. lib. 7. [y] Herodot. lib. 9. [z] Herodot. [a] Euſebius in Chronicis. Dexippus ubi ſupra. [b] Lib. 6. [c] Euſeb. & Dexippus ubi ſupra. [d] Euſeb. & Dexippus ib. Juſtin. lib. 7. Diodorus lib. 14.

ex

ex uxore Euridice susceptí numerantur [e] Alexander, Ptolomæus Alorites, Perdiccas & Philippus, qui omnes post Amyntam successionis ordine, Alexander scilicet annum unum, Ptolomæus annos tres, Perdiccas quinque regnarunt. Perdicca autem in bello contra Illyrios occiso, regnum accepit Philippus Alexandri magni pater, de quo satis multa in Justino, & Diodor. Sic.

Ep. 60. Ἀφ' οὗ Αἰσχύλος ὁ πο...της βιώσας ἔτη 𐅄ΔΠΙΙΙΙ, ἐτελεύτησεν ἐν ....α τῆς ...κελίας ἔτη Η𐅄ΔΔΔΔΙΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ προτέρου. In prima Lacuna supple, ὁ ποιητὴς. In secunda & tertia, ἐν Γέλᾳ τῆς Σικελίας.

Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη 𐅄ΔΠΙΙΙΙ ἐτελεύτησεν ἐν Γέλᾳ τῆς Σικελίας. De Æschyli Poetæ obitu hæc narrantur. Cum ille jam ætate provectus Tragœdia cum [f] Sophocle certaret, ab eoque tunc valde juveni superaretur (quæ eadem est forsan Sophoclis victoria, cujus meminit Chronographus noster Ep. 57.) ex animi ægritudine Athenis in Siciliam secessit, ibique [g] Catanæ, eo tempore [h] quo Hiero Syracusarum Tyrannus eam urbem de novo condens à vicino monte Ætnam appellavit, sedes fixit. Post obitum autem Hieronis & Thrasybuli Hieronis fratris exilium Gelam videtur migrasse. Ibique [i] quum in aperto quodam loco sedisset, quod eo die è quodam vaticinio timuerat se tegulæ casu periturum, ab Aquila, quæ supervolans testudinemque in unguibus tenens eam in calvi senis caput putans album saxum fuisse demisisset, ut fractâ testâ, quod intus erat, eliceret & vesceretur, confracto elisoque cerebro interfectus fuisse perhibetur. Mortuum autem [l] Geloi magnifice sepelivere, juxtaque eorum urbem illius sepulchrum diu videbatur, in quod inscriptum erat hoc Epitaphium,

> [m] Αἰσχύλον Εὐφορίωνος Ἀθηναῖον τόδε κεύθει,
> Μνῆμα καταφθίμενον πυροφόροιο Γέλας.
> [n] Ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι,
> Καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιστάμενος.

Et profecto non tantum ex hoc Epitaphio, sed etiam è Plutarcho, qui in vita Cimonis dicit, Æschylum prope Gelam sepultum fuisse, satis manifeste probatur, illum Gelæ occubuisse. Fallitur igitur Lydiatus, qui in mutilo Marmoris loco supplet Αἴτνᾳ, quasi Æschylus Ætnæ seu Catanæ, quod nemo unquam dixit, & non Gelæ, diem suum obiisset. Magnos hic honores post obitum suum in Sicilia, Athenis, totaque Græciâ est consecutus. Filii illius erant Bion & Euphorion utrique Tragœdi, qui & suis & patris Tragœdiis, quas iterum edidere, victorias obtinuerunt. Plura de Æschylo legas apud Lilium Gyraldum, Hist. Poet. Dial. 6. & in notis Stanleii ad vitam Æschyli.

Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου. Cum Marmore consentit Scholiastes Aristophanis ad Acharnenses, dicit enim, Ἐτελεύτησε γὰρ Αἰσχύλος ἐπ' Ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον.

Ep. 61. Ἀφ' οὗ Εὐριπίδης ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔΙΙΙ, Τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησεν ἔτη Η𐅄Δ..............οντος Ἀθήνησι Διφι..............ὃς ἦν κατ' Εὐριπίδην Σωκράτης, καὶ ....ξαγόρας. Lacunas sic supple, ἔτη Η𐅄ΔΔΔ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλου, ἐβίωσε δὲ κατ' Εὐριπίδην Σωκράτης, καὶ Ἀναξαγόρας. Numerales notas debere esse Η𐅄ΔΔΔ, ætas Euripidis satis manifeste ostendit. Si enim ille natus esset an. Ep. Mar. [o] 222, ille annus, qui erat ætatis illius 43, est an. Ep. Mar. 180. De Euripide Tragœdo legas vitam illius à Thoma Magistro scriptam, quæque

[f] Justin. l. 7. Plut. in Cimone. Schol. Æschyli in vita illius. [g] Schol. Æsch. ib. [h] Schol. Æsch. ib. Diodorus lib. 11. [i] Scholiastes Æschyli ib. [l] Plutarchus in vita Cimonis. Scholiastes Æschyli in vita illius. [m] In vita Æschyli Plutarchus in libello de exilio. [n] In vita Æschyli & in Athenæi lib. 14. [o] Ep. Mar. 51.

ex eo aliisque autoribus à Lilio Gyraldo, colliguntur Hist. Poet. Dial. 7. De Socrate & Anaxagora legas Diogenem Laertium.

Ep. 62. Ἀφ' οὗ Ἀρχέλαος Μακεδόνων ἐβασίλευσε Περδίκκου τελευτήσαντος ἔτη Η............οντος Ἀθήνησιν Ἀστυφίλου. In Lacuna lege ἔτη ΗΙΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀστυφίλου. Astyphilus enim archon Athenis erat, [p] anno primo nonagesimæ Olympiadis, qui est annus Ep. Mar. 156. De Archelao modo diximus in notis ad Ep. 59. Vide etiam, si placeat, Lydiati notas Chronologicas, pag. 6, & 7.

Ep. 63. Ἀφ' οὗ Διονύσιος Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν ἔτη ΗΔΔΔΔΠΙΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκτήμονος. Quomodo Dionysius abolitâ Democratiâ, quæ ab exilio Thrasybuli per annos 60 Syracusis stabilita fuit, Tyrannidem invasit, eamque per annos duodequadraginta satis feliciter gessit, nimis longa est Historia, eam legas apud Diodorum Siculum, lib. 13.

Ep. 64. Ἀφ' οὗ Εὐριπίδης ρ.........................λεύτησεν ἔτη ΗΔΔΔΔΠ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιγένους. In Lacuna legas, Εὐριπίδης βιώσας ἔτη ΠΔΔΠΙΙ ἐτελεύτησεν. Euripides enim natus erat an. Ep. Mar. 222. Anno igitur Ep. Mar. 145, quo obiit, annos natus erat 77, atque ideo bene observat Palmerius Seldenum, cum in Canone Chronico dicat Euripidem septuagenarium occubuisse, turpiter errasse. P proxima ante Lacunam litera est literæ B pars relicta.

Εὐριπίδης βιώσας ἔτη ΠΔΔΠΙΙ ἐτελεύτησεν. De Euripidis morte narratur, [q] quod cum uxor illius cum Cephisophonte proprio ejus mimo deprehensa fuisset, atque ideo à Comicis in omni fere scenâ irrideretur, illius contumeliæ impatiens Athenis decessit, & in Macedoniam ad Archelaum regem proficiscebatur, à quo cum honeste reciperetur, & magnos honores, summamque dignitatem in illius aulâ consecutus fuisset, aulicorum contraxit invidiam, [r] atque ideo illi, cum Euripides nocte quadam à regis cœnâ rediret, ei immittunt canes rabidos, à quibus dilaceratus interiit. Sic historiam narrant Valerius Maximus, & A. Gellius. Diogenianus Parœmiographus dicit illum, qui hos canes immittebat, Promerum dictum fuisse, indeque proverbium Προμέρου κύνες originem habuisse. Sed Thomas Magister in Euripidis vitâ tradit eum in silvâ quâdam à Regis canibus, quibuscum venatum iverat, dilaceratum periisse. Ad nuncium illius mortis magnus Athenis per totam civitatem erat luctus, & inter alios maxime eum lugebat Sophocles æmulus illius, atque ideo in certamen tunc temporis celebratum ipse pullâ amictus tunicâ mimos suos sine Coronâ introduxisse narratur. Cetera, quæ de hoc insignissimo Poeta Tragico traduntur, habes apud Lilium Gyraldum in Hist. Poet. Dial. 7.

Ep. 65. ....Σο....λῆς ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη ...ΔΔΔΔΙ, ἐτελεύτησεν, καὶ Κῦρος ἀνέβ.............................οντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ προτέρου. Lacunas sic supple, Ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη ΠΔΔΔΔΙ, ἐτελεύτησεν, καὶ Κῦρος ἀνέβη εἰς Περσίαν ἔτη ΗΔΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ προτέρου. Callias enim [s] secundum Diodorum Siculum, Archon erat Athenis anno tertio 93 Olympiadis, qui est an. Ep. Mar. 142. Sed cum Sophocles annos natus esset [u] 28 an. Ep. Mar. 206; anno Ep. Mar. 142 annos natus esset 92; & literæ relictæ satis manifestæ ostendunt in tertia Lacuna legendum esse ΠΔΔΔΔΙ; annus igitur quo Sophocles annos natus erat 21, est annus Ep. Mar. 143. Chronici igitur autor Diodorum,

[p] Diodorus Siculus lib. 6 [q] Thomas Magister in vita Euripidis. [r] A Gellius lib. 15. c. 20. Valerius Maximus lib. 9. c. 12. Diogenianus in Parœmiis. [s] Thomas Magister in vita Euripides. [t] Lib. 13. [u] Epoch. 57.

non

uno anno antecedit, quod non tantum in hac Epocha, sed in omnibus fere aliis ab eo factum observes.

Σοφοκλῆς ὁ Ποιητὴς βιώσας ἔτη ΗΔΔΔΔΙ, ἐτελεύτησεν. De Sophoclis morte narratur à nonnullis quod uvæ grano [y] strangulatus fuerat; alii autem dicunt eum, quod cum Tragœdiam suam Antigonem, quæ adhuc superest, in extrema senectute scriptam docuisset, præter spem victoriam obtinuerat, præ repentino gaudio expirasse. [*] Pausanias & qui Sophoclis vitam scripsit illius Tragœdiis præfixam, dicunt eum eo tempore, quo Lysander Athenas obsidebat, occubuisse, atque ideo, cum ejus ossa Decelæam in paternum tumulum deportari non poterant, Liberum patrem Lysandro apparuisse, jussisseq; eum, ut novam Serenem sepeliri permitteret, omnibusque, qui mortuis haberi consueverant, honoribus prosequeretur; Lysandrum igitur à transfugo edoctum Sophoclem defunctum fuisse, per præconem veniam concessisse, ut ad sepulchrum deportaretur. Sed huic historiæ contradicit tempus, ad quod Chronographus noster Sophoclis mortem refert: secundum illum enim occubuit Sophocles Olymp. 93. an. 2. qui est belli Peloponnesiaci annus 25; non autem eo anno, sed anno 27, qui illius belli ultimus erat, Lysander Athenas obsidebat.

Καὶ Κῦρος ἀνέβη εἰς Περσίαν. Cyrus, de quo hic agitur, filius erat secundus Darii Nothi Persarum Regis: primogenitus fuit Artaxerxes Mnemon. [a] Artaxerxi pater legavit regnum, Cyro Lydiæ aliarumque omnium minoris Asiæ provinciarum præfecturas, quas ille vivente adhuc patre obtinuerat. Ex his bis in Persiam regni gratiâ, cujus valde cupidus erat, primo vivente adhuc patre ad nuncium illius morbi è quo occubuerat, ut per matris favorem paterno Testamento, secundo post patris obitum ingenti exercitu, ut bello illud obtineret, dicitur ascendisse. De primo ascensu hic dicit Chronographus noster, de secundo in Ep. 67. Totam Historiam plenius narratam habes apud Plutarchum in vita Artaxerxis, Diodor. Sic. lib. 14. & Xenophon. qui de ultima illius expeditione plenam scripsit Historiam.

Καλλίου τοῦ προτέρου. Calliam Archontem Athenis fuisse anno tertio Olymp. 93. testatur [b] Diodorus Siculus. Sed, cum duos ejusdem nominis ante eum annum apud Diodorum Archontes fuisse invenimus, quare Callias, qui eo Archontis Magistratum gessit, πρότερος vocatur, merito lectorem torqueat. Seldenus opinatur hunc Calliam eundem fuisse, qui 50 retro annis Epoch. 60. dicitur Archon fuisse, atque ideo hic iterum πρότερον appellari; sed cum Callias, qui Epoch. 60 Archon dicitur, esset ille dives Atheniensis, qui [c] Elpenicen Cimonis sororem circa initium secundi belli Persici, annis retro 74 duxerat, tot anni prohibent illum jam in vivis fuisse. Bene igitur Palmerius & Lydiatus pro προτέρου, δευτέρου restituendum putant; circa hoc enim tempus floruit Callias iste, qui sororem suam Hipparetam Alcibiadi in uxorem dedit, eumque eundem fuisse, quem in hoc Marmoris loco Archontem dicit Chronographus noster, non omnino dubito. Hic autem Callias erat filius Hipponici, & prioris Calliæ nepos, cujus respectu merito Callias δεύτερος dici potest, quia secundus erat ejus nominis ex eadem familia, qui & hunc Magistratum gessit, & omnium Atheniensium erat ditissimus.

Ep. 66. Ἀφ' οὗ ...ελέστης Σε..............νίκησεν Ἀθήνησιν ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Μικῶνος. Lacunas sic restituo, Ἀφ' οὗ Τελέστης Σελινούντιος ἐνίκησεν.

Τελέστης Σελινούντιος. Telestes [d] insignis erat Dythyramborum scriptor, è Selinunte Siciliæ urbe ortus, atque ideo dialecto Dorica scripsit: ejus tamen

[*] In vita illius cum Tragœdiis edita. [y] Valerius Maximus lib. 9. c. 12. Lucianus in Macrobiis. & Scholiastes in vita Sophocl. [z] Lib. 1. [a] Plutarchus in vita Artaxerxis. [b] Lib. 13. [c] Plutarch. in Cimone. [d] Athenæus lib. 14. Diodor. Sic. lib. 14.

dithyrambi adeo celebres fuere, ut cum Alexander ex ulterioribus Asiæ partibus ad Harpalum scripsisset, ut ei libros mitteret, Ille post Homerum, Æschylum, Euripidem, & Sophoclem [e] Telestæ, & Philoxeni Dithyrambos, ut dignissimos qui à doctissimo illo rege legerentur, dicitur misisse. [f] Dithyrambi autem erant Cantilenæ in honorem Bacchi decantatæ, atque ideo Dithyrambi dicebantur (Dithyrambus enim [g] Bacchi nomen apud Græcos, quia ille erat δὶς θύρας ἀμείβων, i. e. bis natus.) Ab invocatione illius dei incipiebant, eorumque initium plerumque erat ἀμφί μοι ἄναξ, atque inde etiam [h] Ἀμφιάνακτες dicebantur. [i] Ebriorum hoc carmen erat, & vix unquam nisi in Symposiis aut Bacchi festis à temulentis & Bacchico furore correptis canebatur, & ut his magis conveniret, [l] turgidis novis & sesquipedalibus vocibus plerumque constabat, ita ut, quando à Bacchico furore correptis canebatur, illud etiam aliquid furoris visum est in se habuisse: & ut omnia haberet furori convenientia, [m] cum insanis motibus, saltu, & ad tibias, & modos Phrygios canebatur, indeque, qui furebant, διθυραμβεῖν, & qui aliquid inconsiderate aut temere agebant, διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχειν ἐλάττονα, proverbio apud Græcos dicebantur. De Dithyramborum origine dicit Proclus, ἔοικε δὲ ὁ μὲν Διθύραμβος ἀπὸ τῆς κατὰ τὰς ἀγροὺς παιδιᾶς, καὶ τῆς ἐν τοῖς πότοις εὐφροσύνης εὑρεθῆναι. Eos autem primus excoluit & ex agris in urbes transtulit [n] Arion è Lesbo Methymnæus, de [o] quo & Delphino fabula narratur, & in Dionysiacis Corinthi primus canebat. Philoxenus autem Cytherius, de quo infra agitur Epoch. 70. hoc carminis genus perfecit, & in iisdem etiam Dionysiacis Corinthi dicitur cecinisse, & à Diodoro Siculo eodem tempore [p] quo Telestes Selinuntius, & Timotheus Milesius traditur floruisse. Tam de Philoxeno, quam Teleste plura legas apud Lilium Gyraldum, Hist. Poet. Dial. 9. De Dithyrambis legas Scaligerum patrem Poetices, lib. 1. cap. 46. & Vossium Institutionum Poeticarum, lib. 3.

Ep. 67. Ἀφ' οὗ ....α Κύρου ἀναβάντες, καὶ Σωκράτης φιλοσοφ..... ελευτ ....ο.. ἔτη ΗΔΔ, ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λαχη... Lacunas sic supple, Ἀφ' οὗ ἀπῆλθον οἱ μετὰ Κύρου ἀναβάντες, καὶ Σωκράτης φιλόσοφος ἐτελεύτησεν βιοὺς ἔτη ΗΔΔ, ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λάχητος. De iis Græcis qui cum Cyro in Persiam contra Artaxerxem ascenderunt, & reditu eorum, plenam & accuratam historiam habes à Xenophonte eorum duce scriptam. Legas etiam si placeat [p] Diodorum Siculum, lib. 3. Diogenem Laertium in vita Xenophontis, & Plutarch. in vita Artaxerxis.

Σωκράτης ὁ φιλόσοφος ἐτελεύτησεν. Narrat Plato in Apologiâ pro Socrate scriptâ, quod cum Chærephonti datum esset Delphis Oraculū, ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, Socrates ut intelligeret, quomodo ipse ceteris sapientior, quid sapientiæ erat in aliis hominibus diligenter inquirebat, atque ideo Poetas, opifices, oratores, ceterarumque professionum homines adiit, quos cum omnes desipere & sapientia carere deprehendisset, eos valde carpebat. Melitus igitur è Poetis, Anytus ex opificibus, & Lycon ex oratoribus se à Socrate rideri non ferentes, primo Aristophanem Comicum instigarunt eum in scena traducere, & cum hoc populo placere vidissent, audaciam inde sumentes actionem capitalem contra eum intendebant, & impietatis erga deos & corruptæ juventutis accusabant. Cum igitur Socrates à judicibus de more interrogatus esset, quânam potissimum pœna se dignum existimaret, ut inquit in Prytaneo alar è publico, quo responso irritati judices eum temere capitis damnantes cicutam bibere coegerunt. Cujus mortis Athenienses adeo postea pœnituit, ut Palæstras & Gymnasia clauderent, & accusatoribus Socratis indictâ causâ ad

[e] Plutarchus in vita Alexandri. [f] Proclus in Crestomathia. [g] Proclus ib. Tzetzes in Prolegom. ad Lycophronem. [h] Suidas, Scholiastes Aristophanis ad Nubes. [i] Athenæus lib. 14 [l] Aristot. Rhet. lib. 3. c. 3. [m] Plato in Phædro, & Proclus in Crestomathia. Aristot. Polit. lib. 8. c. 7. [n] Herodot. Lib. 1. [o] Vide Plutarch. in conviv. Sapientum. Herod. l. 1. [p] Lib. 14.

mor-

mortem damnatis, cum jam mortuum æneâ statuâ publice donarent, summisque honoribus ut virum de republica optime meritum coerent. Hæc legas in Apologiis pro Socrate, à Platone, & Xenophonte scriptis, Diodoro Siculo lib. 14. Diog. Laert. in vita Socratis, Ælian. Var. Hist. lib. 2. c. 16. Tusc. Quæst. lib. 5. Max. Tyr. dissert. 2. aliisque.

Ep. 68. .... ι .. ι ...... Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΔΔΠ; Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοκράτους.

Ep. 69. Ἀφ' .... ος .... Με...γενος διθυράμβῳ ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη Η. .... In duabus hic Epochis, cum tam pauca earum vocum, quæ obliterantur, maneant vestigia, nemo credo potest aliquid restituere.

Ep. 70. Ἀφ' οὗ Φιλόξενος Διθυραμβοποιὸς τελευτᾷ βιοὺς ἔτη ΠΔΠ, ἔτη ΗΔΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθέα. De Philoxeno Dithyramborum scriptore modo diximus. Si plura de eo velis, adeas Diodor. Sic. lib. 14. & Lilium Gyraldum Hist. Poet. Dial. 9.

Ep. 71. Ἀφ' οὗ Αναξανδρίδης ὁ Κωμ............................ Ἀθήνησι Καλλέου. In Lacuna lege, ὁ Κωμῳδοποιὸς ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου. Callias enim Archon fuit tertio post Pytheam anno. Si igitur Pytheas Archon esset, an. Ep. Mar. 116, annus debet esse 113, quo Callias hunc Magistratum gessit. Cetera ex observata in aliis Epochis Methodo restituimus.

Ep. 72. Ἀφ' οὗ Ἀστυδάμας Ἀθήνησιν ἐνίκησεν, ἔτη ΗΠΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀστείου. Κατεκάη δὲ τότε καὶ .... In Lacuna restitue, κατεκάη δὲ τότε καὶ ἐν οὐρανῷ μέγας κομήτης.

Ἀστυδάμας Ἀθήνησιν ἐνίκησεν. Secundum [a] Suidam duo erant Astydamæ, pater & filius, utrique Tragici Poetæ, quorum pater 240 Tragœdias scripsisse, & quindecies vicisse dicitur. An vero hic aut filius sit, qui in hoc Marmoris loco è Tragœdia vicisse, & in Diodoro Siculo anno secundo nonagesimæ quintæ Olympiadis primo Tragœdias docuisse dicitur, non possum certo statuere.

Κατεκάη δὲ τότε καὶ ἐν οὐρανῷ μέγας Κομήτης. Quidnam id fuerit, quod hic autor interseruerat, satis perspectum non habeo, sed si bene ariolor Cometæ flammis cœlum micans, seu ardens notarat. Certe sub Archonte, Aristotelis exemplaribus Aristæo dicto, ingens in Achaia visus est cometa, in hyeme circa occasum æquinoctialem, cujus radii etiam tertiam partem cœli illuminarunt. Vide eum Meteorologicorum, lib. 1. cap. 6. Ei ὁ μέγας κομήτης, & ὁ μέγας ἀστὴρ dicitur. Τὸ δὲ, inquit, φέγγος ἀπέτεινε μέχρι τοῦ τρίτου μέρους τοῦ οὐρανοῦ, "Lumen ejus se extendebat usque in tertiam cœli partem, id est, circa occasum, ἐφωτίζετο τὸ τρίτον μέρος τὸ ὑφ' γῆν, "tertiam Hemispherii partem illuminabat, quæ verba sunt Olympiadori ad eundem locum. Loquitur de eo Aristoteles ac si suo ævo apparuisset. Natus est Aristoteles Olympiade 99, teste Laertio, atque ita 12 annum ætatis agebat, Olympiadis 101 quarto, seu archonte Asteio, de cujus nomine in Marmore non dubitandum. Nam etsi quintum elementum non satis manifestum sit, haud aliud tamen fuisse quam quod Ἀστείου formet ex vestigiis palam est. Neque lacunæ spatium quam τοῦ ἰώτα amplius est. At vero neque dum vixit Aristoteles, Aristæus archon reperitur, nec in perpetua illa serie archontum 150 aut circiter, quæ Aristotelis excessum proxime antevertit, nec alibi occurrit aut nomen archontis ejusmodi, aut aliud quod tam Aristæo proximat quam Asteius, uti vocatur etiam in Fastis archon hujus anni. Sub Alcisthene autem archonte qui proxi-

[a] In Ἀστυδάμας.

mum

mum occupat annum, id ipsum quod Aristæi anno apud Aristotelem tribuitur, collocare videtur Olympiadum ἀναγραφὴ Scaligeriana. Λαμπὰς, inquit, ὤφθη κατ' τὸ ὐρανὸν ἐπὶ πολλὰς νύκτας τοσαύτην ἔχουσα λαμπρότητα καὶ δύναμιν τῦ φωτὸς, ὥστε ἐπὶ τῆς γῆς σκιὰς ποιεῖν παραπλησίως τῇ σελήνῃ, "Fax cœlo visa est plures noctes, cujus tantus erat luminis fulgor, vis tanta, ut etiam vix "minores fecerit in terra, quam luna, umbras. Sed vitium solenne est, in annos proximos Epochas ex locis propriis desilire; & non semel in ea ἀναγραφῇ commissum. Seld.

Ep. 73. .... ἐγένετο Θηβαίων καὶ Λακεδαιμονίων, ἣν ἐνίκων Θηβαῖοι, ἔτη ΗΠΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Φρασικλείδου .... βασιλεύει. In prima Lacuna lege, Ἀφ' ὗ μάχη ἐν Λεύκτροις ἐγένετο, in secunda, καὶ ἐτελεύτησεν Κλεόμβροτος Λακεδαιμονίων βασιλεύς. Pugna enim, in qua Thebani hoc anno Lacedæmonios vicerunt, in Leuctris commissa fuit, in eaque occisus fuit Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex. De hac pugna legas Cornelium Nepotem in vitis Pelopidæ, & Epaminondæ, & Plutarchum in vita Pelopidæ, Diodor. Siculum lib. 15. & Xenophontem de Rebus Græcis lib. 6.

Ep. 74. Ἀφ' ὗ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος ὁ δεύτερος ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, καὶ ᾠκίσθη Μεγάλη πολ.................. Lacunam sic supple, καὶ ᾠκίσθη Μεγάλη πόλις ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἔτη ΗΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δυσκινήτου. Megalopolis in Arcadia paucis post pugnam Leuctricam mensibus, eodem quo pugna commissa est anno, qui erat secundus Olympiadis 102, & Epochæ Marmoreæ nostræ ΗΠΙΙ, archonte Athenis Phrasiclide secundum [r] Pausaniam condebatur. Sed secundum mentem Chronographi nostri hanc urbem Archonte Athenis Phrasiclide conditam fuisse prohibet methodus illius per totum Chronicon observata, in quo nunquam bis ponit ejusdem Archontis nomen, sed semper omnia, quæ sub eodem Archonte evenerunt, simul enumerat; atque ideo in Lacuna potius ponimus Archontem Dyscinetum, qui proximo post Phrasiclidem anno Magistratum gessit, & annum ΗΠΙ, quo Megalopolis ab Epaminonda Thebanorum Duce condi inceperat. Perfecta autem fuit duobus annis postea archonte Athenis Nausigene, quod dicit Diodor. Sic. lib. 15.

Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος ὁ δεύτερος ἐνίκησεν Ἀθήνησι. De primo Stesichoro dicitur in notis ad Ep. 51. de quo & secundo etiam Stesichoro legas in notis Chronologicis Seldeni ad eandem Epocham.

Καὶ ᾠκίσθη Μεγάλη πόλις. [s] Megalopolim post pugnam Leuctricam condidit Epaminandas Thebanus, in eamque magnam Arcadum multitudinem congregavit, ut illi, qui prius per vicos dispersi facile Lacedæmoniorum imperio subjiciebantur, jam in unam magnam urbem collecti illius beneficio semetipsos, & libertatem suam melius possent contra eosdem tueri. Quo consilio idem Epaminondas non diu postea conditâ Messene omnes fere Messenios in eam congregavit, per easque duas civitates, ut præviderat sapientissimus Thebanus, effectum fuit, ut Lacedæmonii deinde nec Græciæ, nec Peloponnesi domini fuere.

Ep. 75. Ἀφ' ὗ Διονύσιος Σικελιώτης ἐτελεύτησεν ὁ δὲ υἱὸς Διονύσιος ἐτυράννευσεν, καὶ Ἀλε.......................λεύει, ἔτη ΗΙΙΙΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ναυσιγένους. In Lacuna lege, Ἀλέξανδρος ἐν Φεραῖς βασιλεύει. [t] Alexander enim Pheræus occiso patruo suo Polyphrone ejus loco Pheris hoc anno inceperat regnare.

Διονύσιος Σικελιώτης ἐτελεύτησεν, &c. De morte Dionysii senioris, & filio il-

[r] In Arcadicis. [s] Pausanias in Arcadicis. [t] Plutarch. in vita Pelopidæ.

lius etiam Dionysio dicto, qui ei in regno successit legas Diodor. Sic. lib. 15. Plutarch. in Cornel. Nepot. in vita Dionis.

Ἀλέξανδρος ἐν Φεραῖς βασιλεύει. Hic Alexander nepos erat Jasonis Pheræi viri eximii, & in bellicis artibus præstantissimi, * qui cum Thessalos persuasisset, ut Græcorum sibi imperium vindicarent, ab iis summæ rerum præfectus omnibus Thessalis imperabat. Cum autem inito cum Macedonibus fœdere, multisque è finitimis in armorum societatem pertractis, paratus esset Græciam invadere, illum Polydorus & Polyphron fratres illius, tanti imperii cupidi immissis sicariis interficiunt, & in illius imperio succedunt: sed Polyphron consortis impatiens mox Polydorum dormientem jugulat. Polydori filius erat Alexander, de quo hic agitur, qui non diu postea patrem ultus Polyphronem etiam interficit, ejusque Regnum adeptus * undecim annos Phæræis aliisque Thessalis summa immanitate imperavit. Plura de eo & bellis, quæ cum Thebanis gessit legas Diodorum Siculum lib. 15. & Plutarchum, & Cornelium Nepotem in vita Pelopidæ.

Ep. 76. Ἀφ' οὗ Φωκεῖς τὸ ἐν Δέλφοις ....ντος Κηφισοδώρου. In Lacuna lege, τὸ ἐν Δέλφοις ἱερὸν ἐσύλησαν, ἔτη ΠΔΔΔΔΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κηφισοδότου. Κηφισοδώρου enim pro Κηφισοδότου aut exaratum in Marmore, aut à Seldeno transcriptum fuisse, evidentissimum est; Cephisodorus enim Archon erat anno tertio Olympiadis 103; hoc autem anno nemo unquam dixit Phocenses Templum Delphicum expilasse; sed novem annis postea, Olympiadis scilicet centesimæ quintæ anno quarto, quo Archon fuit Agathocles, secundum * Pausaniam & Anonymum Olympiadum ἀναγραφῆς autorem hoc sacrilegium commissum fuit. Proximo autem ante Agathoclem anno archon erat Cephisodotus, atque ideo Phocensium sacrilegium ad illius potius, quam Cephisodori, qui novem retro annis archon erat, Magistratus annum à Chronographo nostro relatum fuisse multo melius possumus supponere, annus autem tertius centesimæ quintæ Olympiadis est annus Ep. Mar. ΠΔΔΔΔΙΙΙΙ, hunc igitur numerum in Lacuna restituimus. De hoc Phocensium sacrilegio & bello sacro dicto, quod inde originem habuit, legas Diodor. Sic. lib. 16. & Pausan. lib. 10.

Ep. 78. Ἀφ' οὗ Τιμόθεος βιώσας ἔτη ΠΔΔΔΔ ἐτελεύτησεν ετ..κεδόνων βασιλεύει, καὶ Αρτοξέρξης ἐτελεύτησεν ......ὁ δὲ υἱὸς β.......................... ἐνίκησεν, ἔτη ΠΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Αγαθοκλε... Sic locum legit Seldenus, & hunc Marmoris locum in duas Epochas distribuens, sic putat ultimam primæ Lacunæ partem debere suppleri, Ἀφ' οὗ Φίλιππος ὁ Αμύντου τῶν Μακεδόνων βασιλεύει, καὶ Αρτοξέρξης ἐτελεύτησεν, Ὦχος δὲ ὁ υἱὸς βασιλεύει τῶν Περσῶν, ἔτη. Sed cum Agathocles proximo post Cephisodotum anno Magistratum gessit, si hunc Marmoris locum in duas Epochas distribuamus, in utrisque ejusdem Archontis nomen debet poni, quod prohibet methodus à Chronographo nostro in omnibus aliis Epochis observata. Præterea diu ante expilatum à Phocensibus Templum Delphicum, & Artaxerxes occubit, & Philippus cœpit regnare, atque ideo secundum mentem Lydiati, sic mihi potius placet locum restituere. Ἀφ' οὗ Τιμόθεος βιώσας, ἔτη ΠΔΔΔΔ, ἐτελεύτησεν ἐν Ἀθήνησι, καὶ Φιλίππους τὴν πόλιν ἔκτισεν ὁ Φίλιππος Μακεδόνων βασιλεύς, καὶ Αλέξανδρος ὁ Φεραῖος ἐτελεύτησεν, καὶ τοὺς Διονυσίου στρατηγοὺς ὁ Δίων ἐνίκησεν, ἔτη ΠΔΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Αγαθοκλέους. Anno enim Ep. Mar. 93. qui est Olymp. 105. an. 4, & Philippus Philippos urbem condidit, & Alexander Pheræus ab uxore sua jugulatus interiit, & Dion Dionysii Tyranni Duces superavit. De his lege Diodor. Sic. lib. 16. & Plutarch. in vita Pelopidæ, & Di-

* Lib. 10.

onis

onis. Timotheus, qui in hac Epocha nonagenarius occubuisse dicitur, videtur fuisse insignis ille Lyricus Milesius, qui Lacedæmone mulctatus fuit, quod chordarum Lyræ numerum à septem usq; ad undecem augens antiquam Musicam mutasset. De eo lege Athenæum lib. 14. Boetium de Musica lib. 1, Lilium Gyrald. Hist. Poet. lib. 9. & Joseph. Scaliger. in Manilianis pag. 416.

Ep. 79. ....του, ἐπὶ ΠΔΔΔΔΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλισ......... σοφος.....τ...τουτου. Lacunas has, quas Seldenus, Lydiatus, & Palmerius, se supplere posse desperarunt, sic restituo Ἀφ' οὗ Ἀλέξανδρος Μακεδόνων βασιλεὺς ἐγένετο, ἐπὶ ΠΔΔΔΔΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιστράτου, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Φιλόσοφος κατὰ τοῦτον. Secundum [a] Eusebium enim, qui iisdem autoribus, quibus Chronographus noster, cum in omnibus fere cum eo consentiat, in componendo Chronico suo videtur usus fuisse, Alexander Magnus ille Macedonum Rex hoc anno, secundo scilicet Olympiadis centesimæ sextæ, nascebatur; [b] alii autem uno anno, alii biennio prius natum volunt. De nato autem Alexandro hic agi à Chronici nostri autore suadet, quod hoc dignissimum illius observatione, nec aliquid aliud præter Sacrilegium Phocensium, & bellum inde ortum, de quo prius dixerat, hoc anno actum, cujus hic meminisse Chronographus noster supponi potest, in ulla historia memoratur. Aristotelem eo tempore, quo Alexander natus fuit, cum illius magister esset, floruisse satis notum est. [d] Natus enim fuit Aristoteles anno primo nonagesimæ nonæ Olympidis, & anno ætatis 17 in Platonis Scholam admittebatur, anno igitur Ep. Mar. 91, qui est Olymp. 106 annus secundus, natus erat annos triginta, & tredecem in audiendo Platone posuerat.

Ep. 80. Αφ' οὗ Κλ...............ν Π...... ἄρχοντος .... Mutilum hoc locum sic restituo, Ἀφ' οὗ Κάλιππος Δίωνα ἀποκτείνας Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἐπὶ ΠΔΔΔΔ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διοτίμου. In exeso enim Marmore literis pene evanidis Λ pro Α post K facile legi poterat. Calippum autem, quem [c] Cornelius Nepos vocat Callicratem, hoc anno, quo Archon Athenis erat Diotimus, Dionem occidisse & Tyrannidem Syracusis occupasse, testatur Diodor. Siculus lib. 16. Sed si literas Κλ, quæ in Seldeni autographo habentur, potius placet retinere, De Clearchi Heracliæ Ponticæ Tyranni morte, quem anno sequente, quarto scilicet centesimæ sextæ Olympiadis, Archonte Athenis Eudemo occisum fuisse idem narrat Diodorus, hic agi supponas, & locum sic suppleas, Ἀφ' οὗ Κλέαρχος Ἡρακλείας Τύραννος ἐφονεύθη, ἐπὶ ΠΛΔΔΠΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐδήμου. Sed magis ad propositum Chronographi nostri Res Siculæ, quam Ponticæ videntur pertinere, præsertim cum quo tempore omnes Syracusani Tyranni inceperint regnare diligenter adhuc observavit. Quæ per 88 deinde annos usq; ad primum annum primi belli Punici in Chronicum suum redegit extremâ Marmoris parte distractâ amissâque omnino desiderantur.

[a] In Chronicis. [b] Plutarchus enim narrat Alexandrum eodem tempore, quo ludi Olympiaci celebrati erunt natum fuisse. [c] Solinus. [d] Diog. Laert. in vita illius. [e] In vita Dionis.

APPARATUS

APPARATUS CHRONOLOGICUS, ET CANON CHRONICUS AD EPOCHAS MARMOREAS;

Maximam partem ad mentem

JOHAN. SELDENI.

UT satis intelligantur clariora vetustissimæ, quam Marmori debemus, Epocharum descriptionis vestigia, & usui facilius accommodentur, post Notas Historicas, adjecimus etiam *Apparatum Chronologicum, & Chronicum Canonem.* Ad primum recte instituendum, Tria item aperienda sunt, & argumentis, pro viribus, firmanda. Annorum nempe quibus Tempora putantur, ratio; Annus in quem Termini, ad quos intervalla deducuntur, sive citeriora calculi parapegmata incidunt; & demum Astyanactis archontis Parii (ita enim mutilum illud in fronte nomen supplere liceat) & Diogneti Athenarum archontis ἐπωνύμου initia; quibus porro accedat de archontum ceterorum, quorum annis singulis Epochæ notantur complures, quantum sane fieri potest, initiis & finibus indicium. Horum enim quodpiam quo minus scimus, eo in Epocharum & intervallis & parapegmatis, ut magis cæcutiamus necesse est. Atheniensibus, ad quorum tempora omnia plane heic exigenda sunt, quemadmodum & plerisq; aliis gentibus, in usu fuisse annos tum Naturales, seu hierophanticos, tum Civiles, seu populares, tam certum est ut de ea re dubitari nequeat. Naturales dico, quos Tropicos esse seu Astronomicos, id est, circulari Solis εἰς τὰ ἐπόμενα motu terminatos credebatur. Atque redeuntis ævi constans, communis, & æquabilis mensura hi erant; systemata nimirum dierum 365, & plerunque quadrantis, qualia sunt ipsi Juliani quibus hodie utimur, aut eis proximantia. Horum, ante alios, insignis est testis autor vetustissimus Geminus. Civiles anni erant Lunares, qui scilicet Festis celebrandis, Magistratibus ineundis, creditis, usuris, stipendiis, pensionibus solvendis, & id genus aliis statis temporibus, perficiendis aptati, inæquales quidem fuere, adeo ut Communes Naturalibus, diebus aliquot, essent minores; Embolimæi, pro embolismi varietate, pluribus majores. Utrique tamen ita dispositi erant, ut, per solennes integrorum, suis locis, mensium embolismos, & dierum, ad patrium ritum, prosthaphæreses, post certam annorum Naturalium absolutam periodum, ab eodem naturali initio denuo Civiles redintegrarentur, & utriusque sideris rationum ejusmodi fieret pariatio, quæ in orbem deinceps similiter rediret. Lunarium horum annorum, puto, quantitas primo dierum erat 360, quot scilicet menses pleni 12 conficiunt. De hisce capio Herodotum in Clio, seu Solonis ibi de infelicitate humana ad Crœsum orationem. Neque vero Lunares appello, perinde ac si veris Lunæ motibus is numerus dierum respondisset. Sed, rudi hactenus Mathematices in Græcia ævo, menstrui Lunæ motus quam annui Solis imperitiores non minore quam 30 dierum spatio Lunam circulum suum peragrare falso autumabant, & ad eum calculum neomenias, exactiori artificio carentes, & cetera tam sacra quam civilia cele-

lebrabant. Postea, exploratâ, quæ vero proprior erat, mensis atque anni Lunaris quantitate, diebus 354, cum horis & scrupulis appendicibus Civilis annus terminabatur, post certas etiam (uti vetustior) periodos, anno Solari seu Naturali per embolismos & prosthaphæreses conciliatus. Atque, ad hujus generis formulas, annis eorum peractis, primo in Trieteridibus, postmodum Octaeteridibus Cleostrateâ & Harpaleâ, inde in Metonica Enneadecaeteride seu cyclo decemnovennali,& demum in Calippica Hebdomecontaexaeteride seu cyclo annorum 76, (neque enim infra autoris nostri Marmorei ævum descendimus) utriusque sideris circulares motus & tempora ab iis mensurata, pro vario cyclorum artificum ingenio, æquabantur. Et de hisce Censorinus satis, ad rem nostram, de Die Natali capite 18. Sed vero non solum adinvicem erant inæquales civiles anni seu Lunares, verum etiam ipsa inæqualitas per frequentem periodorum novationem & multiplices artificum errores adeo incerta erat & tumultuaria, ut, superioribus maxime seculis, Festa sua, variatim inde revertentia, ne ipsi quidem Dii (ut lepide, apud Aristophanem in Nubibus, conqueritur Luna) cognoscerent; Sed, cum sacrarum epularum lautitias, sive ad verum Lunæ motum, sive ad elapsi ultimo anni rationem, expectabant, τῆς ἑορτῆς, ob dierum sive anticipationem, sive comperendinationem, μὴ τυχόντες καὶ τοῦ δείπνου ψευσθέντες, *tam festo die quam epulis frustrati* redirent jejuni, eoque nomine Lunæ ipsi graviter minarentur. Quin postea quam propius ad veras Lunæ rationes accesserant novæ periodi, ita ut non tam dissimiles locos neomeniæ, panegyres, & festa quotannis redeuntia sortirentur; ejusmodi nihilominus mansit Communium & Embolimæorum inæqualitas, atque ea alternationis disparitas, ut ne sic quidem communis mensuræ omnino præstare potuissent officium sine accuratissimâ simul embolismi cujuslibet, præter id genus cetera quæ inæqualitatem pariebant, cognitione, quâ operosius vix quidquam erat in calculo, aut in turba periodorum incertius. Quamobrem, tametsi anni vocabulo, ubi veteribus Græcis de stipendiorum, verbi gratiâ, solutionis tempore, quod ad civilis anni rationem accipiendum erat, verba fiunt, Lunaris denotâtur (cujus rei expressissimum est apud Aristotelem in Oeconomicorum secundo, ubi Cleomenis fraudem memorat, exemplum) attamen, intervallis per annos generatim designandis, alium quam Naturalem seu Solarem annum, æquabilem scilicet, stabilem, communem & notissimam mensuram, Scriptorem apud eos quempiam, adeoque inter eos Autorem nostrum, adhibuisse credibile puto non est. Maxime autoris nostri seculo, quod in periodum Calippicam primam, ut mox demonstrabitur, incidit, cui, uti & proxime saltem superiori, non modo ad æquandam Lunarium anomaliam, sed etiam ad annos simpliciter designandos, Solares in usu fuisse manifestum est. Inde annus absolute Platoni in Timæo dictus, Solaris est. *Lunæ motu Mensis*, inquit, *conficitur*, ἐνιαυτὸς δὲ ὁπόταν ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθοι κύκλον, *annus vero postquam Sol suum absolverit circulum*, quod nec de alio anno solari quam quo nunc utimur intelligit, ad eundem, scriptor vetustus Chalcidius. Neque de alio sane anno loqui Aristotelem, summorum aliquot virorum pace, existimo, ubi, temporum spatia explicando, dies duntaxat 360, numero rotundo, annuæ tempestati tribuere videatur. Libro 6, de Historia animalium cap. 20. Κύει, inquit, ἡ μὲν Λακωνικὴ (κύων) ἕκτον μέρος τοῦ ἐνιαυτοῦ, τοῦτο δ' ἐστὶν ἡμέραι ἑξήκοντα· κἂν ἄρα μιᾷ ἢ δυσὶν ἢ τρισὶ πλείονας ἡμέρας, καὶ ἐλάττους μιᾷ. « Gestat uterum canis Laconica, sextam anni partem, quæ sex« agenis ex diebus constat; quanquam uno alterove, aut tertio die plures; « pauciores vero uno; ut recte vertit Julius Scaliger, & Theodorum Gazam, « qui aut uno vel altero die plus minusve habet, in corruptum notat incidisse exemplar. Et paulo post etiam Aristoteles, ἔνιαι δὲ κύουσι τῶν κυνῶν τὸ πέμπτον μέρος τοῦ ἐνιαυτοῦ· τοῦτο δ' ἐστὶν ἡμέραι ἑβδομήκοντα, καὶ δύο. « Nonnullæ canes « uterum ferunt quintam anni partem, id est, dies 72. Annus hic Solaris intelligitur.

telligitur. Neque enim, aut Aristotelis ævo, aut eo quod eum præcessit, Lunaris tot dierum systema esse credebatur; quod ex periodorum Cleostratæ, Harpaleæ, Metonicæ, etiam Callipicæ, (nam post ejusce etiam initia Aristoteles circa sexennium vixit) ratione satis deprehenditur. Scio locum illum; ad æquabilem Græcorum annum, uti appellatur, Minorem, trahi ab incomparabili viro Josepho Scaligero. Atqui nec de ipso anno, ita ei dicto, mihi quidem persuadet. Ingeniosissimum agnosco Inventum. Sed qua ratione veterum testimoniis ita subnitatur, ut fides ei sit habenda, nondum ex eruditissimis ejus lucubrationibus, quarum nec indiligens fui, mihi compertum est. Sed vero neque Aristotelem ex tot solum diebus annum Solarem constituisse quis, sine summa in magnum Philosophiæ parentem injuria, autumet. Nam tum in Metonica enneadecaeteride tum in hebdomecontaexaeteride Calippi (quibus utrisque labentibus floruit Aristoteles) annum Solarem dierum fuisse 365, præter horas appendices, ab eo ignorari plane nequibat. Sed rotunde ad morem loquutus est vulgi, quod, utcunque receptâ, ob æquationem & temporum per secula dinumerationem, accuratiori anni Solaris quantitate, atque ea quæ à vero propius aberat; exprimendis tamen anni partibus, quibus agriculturæ, uteri gestationis,& id genus aliorum tempestates mensurabat, ejusmodi dierum numerum qui maxime multiplices haberet ex diebus integris conflatas partes, unde scilicet divisioni esset commodissimus, uti fieri amat, retinebat: quinque, qui appendices erant, diebus, eo quod multiplicem divisionem impedirent, non minus quam horis & momentis, neglectis, Nam etsi quinta pars anni Solaris, sive Metonici, sive Calippici, dies habuit 73, atque ita totidem dies pro quinta anni parte vulgo usurpari potuit; attamen, si ad eum modum porro supputassent, nullam aliam ex diebus integris constantem habuissent; sed in divisione, seu partium pro vario usu, indicatione, admomenta non ad dies satis incommode necessário numerâssent. Sed notissima plerunque fuit numeri 360, ut etiamnum est in calculo Astronomico, commoditas. Alias autem integer annus, ut communis erat intervallorum mensura, solis integra revolutio Aristoteli æstimabatur. Et tralatitium satis est numeros rotundos, momentis quæ calculum turbarent prætermissis, ubi pernecessaria non sunt, adhiberi. Id ipsum fere quod heic Aristotelem fecisse censemus, fecit olim Gregorius Magnus, cum dies 36 anni Juliani pars decima ei habiti sunt; uti videre est Homilia ejus 16 ad Evangelia, & Dist. 5. de Consecratione c. 16. Neque aliud Jurisconsulti Romani, qui in eodem anno, menstruum tempus simpliciter dictum nec termino diei quoti, à quo, signatum, triginta tantum diebus, atque hisce multiplicatis menses plures metiri solent, quod habetur C. de jure deliberandi l. 22. sect. 1. & 2. Idem docet Alexander Consilio 114, Alciatus ad lib. 98. Cum bissextus D. de verborum significatione, alii. Haud aliter, opinor, intelligendum est illud Cleobuli, de duodecem anni filiis, quorum singulis triginta filiæ, ænigma Græcum quod in disputationibus de anno Græcorum afferri solet; nisi forsan ad superiora secula, quibus annum Lunarem revera diebus 360 confici creditum est, spectet. Nec quid aliud innuere videtur togatorum ille Doctissimus Varro, ubi, apud Nonium, tot scribit statuas æneas Demetrio Phalereo Athenis dicatas,

Quot luces habet annus absolutus.

Signanter dicit *annus absolutus.* Non pro eo quod est annui Solaris motus tempus absolute finitum, sed pro absoluto illo & rotundo dierum numero, qui, diebus illis multiplicem divisionem minime ferentibus liber & absolutus, annum mensurare vulgo solebat. Inde est quod statuarum numerus erat 360, uti à Plinio libro 34, cap. 6, docemur. • Sed quod addit Plinius *nondum anno hunc numerum dierum excedente* ab hoc, ipso Varronis loco perperam intellecto emanâsse suspicor, & temere viro alioquin scientissimo excidisse. Neque enim

hujusmodi anni sive Lunaris, sive Solaris vestigium, puto, circa Demetrii Phalerei seculum in Græcorum monimentis omnino occurrit. Erat autem Demetrius autori nostro & primæ periodo Calippicæ labenti coævus. Ita tandem annorum simplex dinumeratio, tum alibi apud Aristotelem, tum apud vetustiores Græcos, qui extant, de solaribus, seu Julianis, saltem qui Julianis proximant, intelligenda est. Ejusmodi habendus etiam Decennii calculus apud Homerum in Iliados secundo, quod nempe belli Trojani mensura. Inde Themistius ad Physicorum quarti extremum, πόσῳ, inquit, χρόνῳ τὸ Ἴλιον ἑάλω; δέκα ἔτεσιν· τοῦτο δ' ἐστὶν ταῖς δέκα περιφοραῖς τοῦ ἡλίου *Quanto tempore Ilium captum est? Decem annis, id est, decem solis revolutionibus.* Annis ejusmodi signantur apud Herodotum & Thucydidem (quorum uterque Nostro antiquior est) Induciæ, Fœdera, & quæ sunt id genus aliæ temporum durationes. Atque inde est quod Thucydides, ubi annos Peloponnesiaci belli numerat, non per archontum series aut nomina, quod idem est ac si dixisset, non per annos Lunares (quibus singulis archontes singuli imperabant) sed per æstates & hyemes, quæ annos plane solares significant, se putare profitetur; & decennium ejudem belli integrum, & hujusmodi nempe annis conflatum αὐτοδικαστῶν vocabulo denotat, quod ὁλοκλήρων seu solidorum & Naturaliter revertentium annorum spatio recte interpretatur Scholiastes. Vide eum libro quinto. Hinc vetustissimis Græcorum, annum simpliciter dictum nomine à Sole, quem Λύκον vocabant, sumto, indicari credebatur. Id Λυκάβας est. Homero usurpatum Odyss. ξ. Macrobius Saturnalium 1. cap. 17. *Annum vetustissimi Græcorum* Λυκάβαντα *appellant,* τὸν ὑπὸ τοῦ ἡλίου, *id est, Sole* βαινόμενον καὶ μετρούμενον. Λύκον *autem Solem vocari Lycopolitana Thebaidos civitas testimonio est, quæ pari religione Apollinem itemque Lupum, hoc est,* Λύκον *colit, in utroque Solem venerans.* Nec quisquam alios quàm solares in Eratosthenis, Nostro coætanei, Canonibus Chronicis intellexit. Iidem usurpabantur in Chaldæorum veterum, & Ægyptiorum temporis calculo. Et tandem universe id verum fuisse videtur etiam ab initio seculi, quod scribit Cicero in Somnio Scipionis (idque antequam in civilem usum Romanis receptus est annus Solaris, aliter quam ad Lunares æquandos) *homines populariter,* seu vulgari temporum dinumeratione, *Annum tantummodo Solis reditu metiri.* Quin nostrum & coætaneos, in Græcia & ubicunque periodus Calippica civiles annos æquabat, scriptores ita reditu Solis tempora mensos esse verisimillimum est, ut etiam diem integrum ex quatuor quadrantibus confectum cuilibet quadriennio non minus nec aliter adjicerent quam Romani post Julianam anni novationem, & Christianæ etiamnum Europæ gentes. Sic ratio certissima temporum constare potuit, & revertentium annorum initia satis retineri, quæ, quadrantibus illis neglectis, per totum annum post periodum annorum 1440, prorsum vagari necesse erat; uti in veteri Ægyptiorum rationibus. Calculus autem hujusmodi quadrantum in Calippica periodo nemini non obvius erat. Nam anni ejusdem solares, ipsissimi erant Juliani. Et de Annorum, quibus usus est Noster, ratione, hactenus. Plura de ea multa dici poterant. Sed doctioribus hæc multa nimis videantur; quæ tamen, ne harum rerum rudiores variis apud veteres annorum formis turbati, in limine hæsitarent, præmonere duximus. Quod vero ad Terminorum ad quos, seu citeriorum parapegmatum, Annum attinet: cum intervalla omnia usque ad Astyanactem Parium & Diognetum Athenienses Archontas (quos ἐπωνύμους seu annuos fuisse dubitandum non est) deducantur, par sane est ut ante eorum initia quodlibet intervallum penitus absolutum esse existimemus, atque sic putata ab Autore tempora fuisse, ut in annum Solarem qui proxime Archontū horum initia antecedebat, universi termini citeriores incidant; habita nempe, ut necessarium est, ratione varietatis mensium, dierum, & anni tempestatum, ad quas sigillatim spectabant termini à quibus, sive ulteriores. Scio nihilominus τὸ ἕως, seu ἐξ, uti nostro scribitur, id est, *usque,* tam inclusionem, quam exclusionem sæpius signare.

Et

Et si inclusio heic eo intelligatur, Annus terminorum erit ipse archontum, quos diximus, annus; non autem qui præcedit, nisi exclusionem denotari sentiamus, uti & ego quidem sentio, & in hujusmodi rationibus res ipsa fermè exigit. Atque ita sane verisimillimum est Autorem nostrum ipso Archontum anno Chronologiam suam scripsisse. Quotus igitur annus ille Archontum initia præcedens, seu Annus Terminorum citeriorum fuerit in Periodo Juliana, quæ tum communis, tum optima annorum mensura est, perpendamus. Ut is rite eruatur, Epochæ Autoris nostri, de quibus omnino consensus est apud Scriptores alios fide dignissimos, observandæ; atque ex eis per annorum adjectionem annus, quem quærimus, prodibit. Cum autem, juxta tria illa, de quibus Varro apud Censorinum, temporum discrimina, Obscurum nempe seu, ut vocat ille ἄδηλον, Mythicum sive Fabulosum, & Historicum; in primo nullas, in secundo & tertio complures habeat noster Epochas; eæ vero, quæ ad secundum spectant, non minus sint plerunque incertæ quam quæ ad primum, adeo ut de illis etiam inter veteres passim disconveniat; è tertio duntaxat sumendæ sunt quæ hic usui esse possunt. Secundum autem, quod Olympiadum Iphitearum initia antevertit, apud nostrum durat usque ad Epocham de Colonia Syracusas deducta ab Archia, regnante Athenis Æschylo. Quæ hanc præcedunt, intervalli sunt Mythici. Hæc autem & quæ sequuntur, Historici. In Historico tamen intervallo, ad eliciendum annum Terminorum, non sine delectu adhibendæ sunt Epochæ. Etenim in hoc etiam sunt nonnullæ huic rei nimis incertæ; quippe controversæ. Controversam autem Epocham heic in partes trahere, est ipsam, quam venamur, rem æque controversam imprudentur relinquere. Superest igitur ut certissimas seligamus. Eæ sunt de quibus non solum unanimis inter Scriptores editos, sed etiam inter hosce & Nostrum reperitur consensus, quales sunt anni aliquot Archontum qui proximo ante Nostrum seculo Imperia tenuêre, adeoque etiam ei ante alias notissimi. Hujus generis sunt omnium Archontum anni qui, Marmore numeris notati, Socratis mortem & Lachetem Archontem sequuntur, Aristocratis scilicet, Pytheæ, Asteii, Phrasiclidis, Nausigenis, & Agathoclis, quos singulis ad hunc modum Epochis adjectos exhibet Marmor.

	Anni	*Archonte.*
Ex quo	CXXXV	Aristocrate.
Ex quo mortuus est Philoxenus	CXVI	Pytheâ.
Ex quo Astydamus vicit	CIX	Asteio.
A pugna Leuctrica	CVII	Phrasiclide.
A morte Dionysii Siculi	CIV	Nausigene.
A morte Timothei	XCIII	Agathocle.

Rerum aliarum in hisce Epochis, præter ipsos Archontas, nihil ad id quod impræsentiarum agimus, spectat. Anni autem horum Archontum in Fastis Atticis, nemine contradicente, Olympiadum & proinde periodi Julianæ annis quos subjicimus, signantur.

	Olympiadis	*Anno;*	*Periodi Julianæ.*
Aristocratis	XCV	2	4315.
Pytheæ.	C	1	4334.
Asteii.	CI	4	4341.
Phrasiclidis.	CII	2	4343.
Nausigenis.	CIII	1	4346.
Agathoclis.	CV	4	4357.

Ineundus igitur ita est calculus. Singulis Archontum annis, in Periodo Juliana, adjice singula Marmorei autoris intervalla. Conficitur annorum numerus qui Terminorum annum indicat. Aristocratis annus est in Periodo

4315.

4315. Autoris intervallum 135, cui annis 4315 adjectis, fiunt 4450 in Periodo. Itaque annus 4450, qui Olympiadi 129 respondet, est annus citerioris Termini Intervalli quod Aristocrate signatur. Eadem dinumeratione in ceteris, quæ sequuntur, adhibita, idem prodit annus. Sed monendum interea, anni in Periodo ejusmodi heic rationem habendam, ut non aliud initium & finem sortiatur quam initia binorum in fronte Marmoris Archontum, quæ jam demum eruenda sunt, patiantur. Neque enim Periodi hujus anni minus ab alio quovis, in Chronologicis explicationibus, die exordium pro re nata sumere possunt quam à Calendis Januariis; ut nemini non liquet cui varius ejus usus incognitus non est. Cum igitur, labente Periodo Calippica prima, sub qua Noster scripsit, anni Attici civilis seu Lunaris aut Magistratuum, sive τῆς πρυτανείας, caput sub æstivum solstitium figeretur, nemo non videt finem & initia anni terminorum circa eandem cecidisse tempestatem. Unde fit, ut, sub æstivum solstitium anni 4450 Periodi Julianæ à Calendis Januariis, ut vulgo, putati, initium habuerit Terminorum annus; circa idem quod secutum est, solstitium, anni nempe Periodi Julianæ 4451, finitus; pridie scilicet neomeniæ Hecatombæonis mensis (in qua Magistratus iniri soliti) seu ultimo anni præcedentis. Atque ita à Solstitio æstivo ad solstitium, ad Atticorum temporum rationem, non à Calendis Januariis, ut plerique hodie ad Christianorum annos Periodi Marmori mox aptatos dinumeramus. Restat igitur ut binorum, quos diximus, Archontum initiorum diem, caput nimirum anni Lunaris seu τῆς πρυτανείας, id est, neomeniam Hecatombæonis, anni Periodi Julianæ 4451, in diebus item Julianis disquiramus. Eâ repertâ, ipsa etiam anni solaris Terminorum inde retro putandi initia æque erunt manifesta. Periodus Calippica, seu hebdomecontaexaeteris, quæ annorum 76 cyclus est, ad cujus rationes Lunares Magistratuum quotannis initia aliter atq; aliter se habuere, incepit sub æstivum solstitium anni Periodi Julianæ 4384. quod satis ex Ptolemæo non uno in loco liquet. Id item pluribus & expressius post virum summum Josephum Scaligerum, ostendit pridem vir sane etiam summus Dionysius Petavius in secundo de Doctrina Temporum, lib. 2. cap. 18. cujus ideo libentius hoc nomine obiter memini, ut Exemplarium Ptolemæi editorum apud eum ibi castigationem saltem unicam, quæ ad periodi hujus exordium spectat, ex Manuscripto Ptolemæi Codice, firmarem. Memorat Ptolemæus sub extremum libri 4 Almagesti, tres ab Hipparcho defectiones Lunares observatas. Τούτων γ', inquit, τὴν πρώτην φησὶ γεγονέναι τῷ νβ'. ἔτει τῆς δευτέρας κατὰ Κάλιππον περιόδου, *primam ait commissam anno quinquagesimo secundo periodi Secundæ Calippicæ.* Mendosum heic numerum esse quovis pignore contendere vult Petavius, & νδ' pro νβ' substituendum. Idque rectissime. Quod non modo Georgii Trapezuntii versio, ubi 54, habetur, suadet, verum etiam tum Calculus Astronomicus, quo in 26 gradu Piscium eclipsis illa anno 54 Periodi reperitur, tum Periodi ipsius alibi apud Ptolemæum computus demonstrat. Et Codex, quem dixi, qui ante annos 200 aut circiter pulcherrime exaratus κειμήλιον est Bibliothecæ instructissimæ Reverendissimi Archiepiscopi Cantuariensis, eo in loco, νδ' habet. Annum item 54 heic notari in Latino Codice Ms. ex Arabico verso, qui servatur in Bibliotheca Collegii Omnium Animarum Oxoniis, pridem monuit, idque amicissime, vir doctissimus Joan. Banbrigius, Astronomiæ ibidem Professor dignissimus. Ceteros autem annorum ejusdem Ptolemæi capitis non aliter exhibet Codex Cantuariensis, ac exemplaria typis vulgata. Sed vero, primo ita primæ Periodi Calippicæ anno indicato, annum Julianæ Periodi 4451, anno Calippicæ primæ 68. respondere palam est. Neomenia autem Hecatombæonis mensis anni, Periodi Calippicæ primæ 68, seu initium Magistratuum in anno eo Lunari, tam ad Petavianas, quam ad Scaligerianas rationes, cadit in 8 Julii. Eo igitur die inibant Magistratus Astyanax noster Parius &

Dio-

Diognetus Atheniensis Archontes. Itaque septimo Julii, seu, quod in hoc anno idem est, pridie neomeniæ Hecatombæonis finitus est annus noster Terminorum, qui cum Solaris, ut ante disputatum est, fuerit, ab 8 die Julii retro putatus, ab eodem die in anno præcedente, seu 4550 Julianæ Periodi, & 67 Periodi ejusdem Calippicæ sumsit exordium. Atque ita inter 7 Julii anni alterius & alterius 8, omnes intervallorum termini citeriores collocandi. Hisce nixi fundamentis Canonem construximus Chronicum tum Per. Jul. tum eis qui vulgarem D. N. Epocham antevertunt aliisq; item Epocharum annis signatum, quo, sine operiosiori aliquo calculo, Epochæ cujuslibet Autoris Nostri annus indicetur. Reges item Athenarum adjecimus, & Archontas annuos seu ἐπωνύμους quemadmodum in Marmore habentur. Sed & horum tandem initia & fines, quantum scilicet à doctissimis temporum interpretibus edocemur, qua ratione eliciantur heic subjungimus. Ad hanc rem, Tempora quæ in Canone, quem infra exhibemus, primam annorum Archontum institutionem sequuntur, trifariam dividimus; In intervallum quod ab anno Periodi 4030 usque ad 4178 inclusis Terminis protenditur; Id quod hunc annum & 4294 interjacet; & demum quod inde ad extremum succedit. Intervalli primi, fateor me nulla ratione ita Attica tempora hactenus assecutum esse, ut qualesnam Periodi annorum ad æquandos utriusque luminalis motus in usu fuerint, satis cognoverim. In obscuro sunt & incerto posita quæ de ea re Scriptores reliquere. Atqui ex Tetraeteridibus hebdomecontaexaeteridem confecit Vir magnus Josephus Scaliger, quam ut vetustissimam Atticorum temporum & certissimam mensuram, Periodi Atticæ vocabulo, tam in libris de Emendatione quam in Canonibus edidit. Sed ingenium scientissimi Herois & immensam eruditionem multo magis semper admiratus sum, quam doctrinæ illius periodi assentiri potui. Etiam ipsa quibus nititur ipse testimonia (& res est ejusmodi quæ non tam artificis ingenio quam vetustatis testimonio ponderanda est) lectoris benignioris, si bene perpendantur, etiam cohibent assensum, saltem non pariunt; quin adversariis tela fiunt, quibus sententia ejus fidenter nimis tradita, non mediocriter enervatur. Consule, si placet, quæ contra disputarunt & popularis noster Thomas Lydiatus, & Dionysius Petavius. Ceterum quoniam impense autori periodus illa placuit, & aliis forsan non paucis ob incomparabilis viri autoritatem nondum displicet, tabellam adjicimus quâ laterculum neomeniarum periodi Atticæ apud Scaligerum in 1. de Emendatione, pagina 42. & primo Canonum pag. 59. cuiquam ingredi liceat, & facillime Neomeniam seu caput anni cujusque Archontis atque finem in primo Canonis nostri Intervallo reperire. Neomenia autem ea est heic Gamelionis mensis. Nam, seculis vetustioribus, Gamelion anni civilis caput habetur cui locus est sub hibernum Solstitium. Dato nimirum, in hoc Canonis intervallo, Periodi Julianæ anno, abjice numerum qui in tabella proxime minor est. Nam 3976 primus est primæ Periodi Atticæ seu Scaligerianæ hic labentis.

Anni *Periodi Julianæ.*
3975.
4051.
4127.

Qui residuus habetur, in laterculo Scaligeriano Neomeniam Gamelionis seu archontis initium indicat. Proximus demum in eodem laterculo, demto triduo, finem ostendit. Nam, etsi pridie Neomeniæ Gamelionis proxime sequentis annus lunaris finiebatur, attamen, ad Scaligeri rationes, duo annum clauserunt, ad finem Posideonis ultimi mensis, adjectitii dies qui ἄναρχοι dicti, eo quod per illud biduum Athenæ Magistratibus carebant. Imperiis enim, ut vult ille abibant ultimo die, seu τῇ τριακάδι Posideonis, adeoq; triduo ante Neomeniam. Biduo autem interjacente, comitia creandis Magistratibus habita. Verbi gratia Agon Pythicus, in Canone nostro, Coronarius denuo fit anno Periodi Julianæ 4132, archonte Damasiâ Secundo. Numerus in tabella proxime minor est 4127; quo abjecto, residuus est 5. Huic respondet in Laterculo Scaligeriano dies 22 Januarii pro Neomenia Gamelionis, qua Magistratum iniit Damasias. Neomenia Gamelionis anni insequen-

tis

tis est Januarii 19, unde triduo demto, dies ejusdem Januarii 16, anni Damasiæ exitum indicat. Intervallo autem Canonis nostro secundo, omnia ad hanc disquisitionem adeo incerta sunt ob Octaeteridum Cleostrateæ & Harpaleæ usus ignorationem, ut futile nimis esset contendere in eo initia & fines archontum certis diebus signare. Sed sub hujus intervalli extremum saltem, si non antea, caput anni τῆς πρυτανείας seu Magistratuum à Gamelione seu cardine hiberno translatum est, quod necessario monendum, ad Hecatombæonem seu æstivum cardinem, quod non solum ex Antiphontis coævi oratione 16 seu περὶ τοῦ χορευτοῦ, sed etiam, ut alia omittamus, ex Thucydide liquet. De Rege Sacrorum (qui in Magistratibus annuis) locutus Antiphon τῆς δ' ἀρχῆς, inquit, αὐτῷ λοιποὶ δύο μῆνες ἦσαν Θαργηλιὼν, καὶ Σκιῤῥοφοριὼν, *Imperii ejus duo menses supererant, Thargelion & Scirrophorion*; quibus verbis manifesto innuit insequentis mensis, qui Hecatombæon est, Neomeniam caput anni Magistratibus creandis aptati fuisse. Thucydides autem de ipso anno, à cujus initio enneadecaeteridem suam (quæ nondum in usu recepta erat) auspicabatur Meton, verba faciens libro 2. Πυθοδώρου, ait, ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις, μετὰ τὴν ἐν Ποτιδαίᾳ μάχην, μηνὶ ἕκτῳ, καὶ ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ, Θηβαίων ἄνδρες ὀλίγῳ πλείους τριακοσίων ἐσῆλθον ἐς Πλάταιαν τῆς Βοιωτίας. "Cum Pythodoro duo præterea menses fungendi Magistratus superessent, sexto scilicet mense à pugna "in Potidæa commissa, & ver jam incepisset, Thebanorum quidam paulo "plures trecentis ingressi sunt Platæam Bœotiæ. Et versioni huic adstipulatur plane Scholiastes vetus. Mensis igitur, de quo loquitur, Munichion erat jam labens; is scilicet qui vernorum primus erat; adeoque duo illi qui Pythodoro, primi enneadecaeteridis Metonicæ anni archonti ἐπωνύμῳ, supererant, ut Thargelion & Scirrophorion fuerint necesse est, & proinde ut Hecatombæonem caput anni πρυτανείας teneret, uti postea, perpetuo tenuit. Tertium demum Intervallum Periodus illa Metonica seu enneadecaeteris occupat, ad cujus neomenias Hecatombæonis, quæ ad nostri spectant archontas, eruendas, similem priori tabellam adjungimus, usu non omnino dissimili. Numero residuo ingredere Laterculum sive Scaligerianum sive Petavianum enneadecaeteridis Metonicæ. Neomenia quam quæris in diebus Julianis, statim occurrit; sed diversimode pro diversis, quas amplexantur illi putandi rationibus. Scaligerianum habetur in 2 de Emendatione pag. 77. & Canonum 1. p. 64. Petavianum lib. 2. de Doctrina Temporum, cap. 13. Discrepantiæ autem cardo in hoc versatur, quod alter neomenias Hecatombæonis solstitium æstivum nunquam vult antevertisse, alter tam antevertisse quam secutas esse. Nam de Periodi hoc initio & Embolismorum numero controversia non est. De horum vero locis, non exigua. Sed de ea re non est hic disputandi locus. Vide quæ in Canone notamus ad annum Periodi 4305. In archontis autem cujuslibet exitu seu anni fine heic eruendo, pro triduo quod in Periodo Attica, à proximi anni neomenia, demitur, dies quinque heic subtrahere oportet. Nam αἱ ἄναρχοι ἡμέραι, sub Metonica Enneadecaeteride quatuor erant, de quibus diserte Ulpianus Rhetor ad Demosthenis orationem contra Androtionem.

Anni *Periodi Julianæ.*
4281.
4300.
4319.
4338.
4357.

Absoluto demum Apparatu nostro ad Epochas Chronologico; loco non ita importuno, obiter adjicere liceat de Mensium Atticorum ordine & textu corallarium non omnino contemnendum, quod ad calcem Ptolemæi Magnæ Constructionis, quam diximus, manu exaratæ reperitur. De mensibus iis atque singulis eorum locis diu est quod desudârunt viri Doctissimi, Theodorus Gaza, Gregorius Giraldus, Hadrianus Junius, Joannes Lalamantius, & alii. Sed frustra nimis plerique. Feliciori multo pridem operâ Josephus Scaliger, & nuperrime Dionysius Petavius tam ad S. Epiphanium quam in Doctrina Temporum. Sed nec in eorum contextu Scaligero adversatur Petavius, præterquam quod Mæmacterionem Boedromioni proximâsse vult, nec Byanepsionem

nem interveniſſe, ut Scaliger, ſed eſſe ſecutum. Ad calcem autem Ptolemæi, quo utimur, eâdem ipſiſſimâ contextus formâ qua Scaliger eos diſpoſuit, occurrunt, à vetuſto aliquo, nec imperito, quod dubitari nequit, Mathematico, cum Romanorum, Macedonum, Perſarum, Arabum & Ægyptiorum menſibus, in Chronologorum uſum, ad hanc faciem, non alio quam ſcriptus eſt codex ipſe charactere, adjecti,

ΑΘΗΝΩΝ.	ΡΩΜΑΙΩΝ.	ΜΑΚΕΔΑΝΩΝ.	ΠΕΡΣΩΝ.	ΑΡΑΒΩΝ.	ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ.
Ποσειδεών.	Σεπτέμβρος.	Ξανθικός.	Φαρφαρδίν.	Μυχαρράμ.	Θώθ.
Γαμηλιών.	Οκτόβριος.	Αρτεμίσιος.	Αρδιμπεάς.	Σαφάρ.	Φαωφί.
Ανθεστηριών.	Νοέμβριος.	Δαίσιος.	Χορτάτ.	Ραμπαὰ αυαλ.	Αθύρ.
Ελαφηβολιών.	Δεκέμβριος.	Πάνεμος.	Τυρμά.	Ραμπαὰ ἄχειρ.	Χοιάκ.
Μουνιχιών.	Ιανουάριος.	Λῶος.	Μερτάτ.	Ντζαματύλε.	Τυβί.
Θαργηλιών.	Φεβρουάριος.	Γορπιαῖος.	Σαρεβάρ.	Ντζαματλάχειρ.	Μεχείρ.
Σκιρροφοριών.	Μάρτιος.	Υπερβερεταῖος.	Μίχιρ.	Ραντζάπ.	Φαμενώθ.
Εκατομβαιών.	Απρίλλιος.	Δῖος.	Απάν.	Σαμπάν.	Φαρμουθί.
Μεταγειτνιών.	Μαῖος.	Απελλαῖος.	Αδέρ.	Ραμαδάν.	Παχών.
Βοηδρομιών.	Ιούνιος.	Αδιναῖος.	Νταί.	Σαυάλ.	Παυνί.
Πυανεψιών.	Ιούλιος.	Περίσιος.	Μπαχμάνι.	Δυλκαντάν.	Επιφί.
Μαιμακτηριών.	Αύγουστος.	Δύστρος.	Αυφαντάρ.	Δυλχεντζίι.	Μεσορί.
			ὦ αἱ κλοπιμαῖς ε΄ ἡμέραι.		Επαγόμεναι.

non ut gentis alterius menſium loci, in anno naturali, menſium alterius locis ubique reſponderent (quid enim Septembri Romanorum cum Attico Poſideone, qui primus menſis eſt hibernus?) ſed ut tum menſium cujuſque gentis textus, tum diverſa veterum annorum civilium initia, menſibus primis ſignata, exhiberentur. Fideliter deſcripſi etiam ea in quibus à librario plane peccatum eſt. Illud enim ὦ αἱ κλοπιμαῖς ε΄. ἡμέραι in Perſarum laterculo legi debet καὶ αἱ κλοπιμαῖαι ε΄. ἡμέραι *furtivi quinque dies*, ſeu מסתרקאת *Muſterakath*, uti eodem ſenſu vocant Perſæ. Eos inde μασαρχά appellat Iſaacus Monachus in Canone Perſico, apud Chriſtmannum. De hiſce & Perſicorum menſium nominibus, quæ heic, uti etiam in tabulis Alfonſinis, Alfragano, & Iſaaco jam dicto depravate nimis leguntur, vide Joſephum Scaligerum de Emendatione lib. 3, capite de anno vago Jezdegird, pag. 200, & Canonum lib. 3. ad cap. 11, & ibi Georgium Chryſococcem. Adde Petavii de Doctrina Temporum lib. 3. cap. 9. & ſequentia. Arabicos item menſes, quorum aliqui in portentoſa vocabula (ut fieri ſæpius amat cum quid ex orientalibus linguis Europæis characteribus exprimitur) degenerarunt, habes apud Scaligerum de Emendatione libro 2. pag. 107. Ράμπαὰ αυάλ in Arabum laterculo & Ράμπαὰ ἄχειρ, Arabice ſunt רביע אלאול *Rabiu alawol*, & רביע אלאחר *Rabiu alacher*, id eſt, *Rabiu prior*, & *Rabiu poſterior*. Eadem vocabula priorem & poſteriorem notant in binis ſequentibus quorum uterque גמאדי *Gumedii*, dictus. Id hic Græcis characteribus ſonat Ντζαμάτ, aut Ντζαματ. Conſule Scaligerum in Canonibus, pag. 235. Sed de Mæmacterionis loco præter Scaligerum de Emendatione lib. 1. pag. 31. vide porro Petavii diſputationes, lib. 1. cap. 10. & libro 4. cap. 8. & ad S. Epiphanii Hæreſin 51. pag. 135. Adi etiam Gaurici additiones, quæ ad calcem Almageſti, à Georgio Trapezuntio verſi, habentur. Laterculus autem, qui præ oculis etiam eſt, menſium Macedonum (in quo pro Περίσιος, Περίτιος legendum) non ſinit ut caſtigationem Editorum Venerabilis Bedæ noſtri exemplarium de Temporum ratione prætermitta-

termittamus. In ejus quem diximus libelli capite 12, Græcorum menses ita recensentur. *Vocatur autem apud eos ipse December* Ελαφηβολιών; *Januarius* Νυχιών, *Februarius* Θαργηλιών, *Martius* Δίστρος, *Aprilis* Ξαντικός, *Maius* Αρτεμίσιος, *Junius* ΔίCιος, *Julius* Πάνεμος, *Augustus* Λῷος, *September* Γορδιαῖος (*pro* Γορπιαῖος) *October* Υπερβερεταῖος, *November* Δῖος. Portentosa plane est enumeratio. Quid Elapheboliοni cum Distro, Xantico, & Macedonum ceteris? Quid Thargelioni? Hi enim Attici menses, inter illos Macedonum, locum nunquam habuere. Νυχιών vero omnino verbum nihili est. Forsan Munichionis reliquiæ. Sed & ita hinc non minus àblegandum quam Attici menses ceteri. Et nimis oscitanter Joannes Noviomagus, qui seriem mensium Græcorum ex depravatissimo hoc loco excerptam Bedæ autori tribuit. Ceterum Græcorum vocabulo, Macedonas tantum seu Syromacedonas æternum illud Britanniæ decus heic innuit, nec alios quam Macedonum menses revera nominavit. Ita scilicet scripsit ipse; *Vocatur autem apud eos ipse December* Απελλαῖος, *Januarius* Αδιναῖος, *Februarius* Περίτιος, *Martius* Δίστρος, *Aprilis* Ξανθικός, *&c.* Id discimus ex vetustissimo Bedæ exemplari Ms. in instructissima Nobilissimi viri Roberti Cottoni Bibliotheca, ubi ad hunc modum locus ille exaratur; Græcis, ut fit, nominibus aliquantulum corruptis. *Vocatur autem apud eos ipse December* Apileos, *Januarius* Exdynios, *Februarius* Perithios, *Martius* Distrios, *Aprilis* Xanthicos, *Maius* Artemiseos, *Junius* Deseos, *Julius* Panemos, *Augustus* Loos, *September* Gorpieos, *October* Hyperberetæos, *November* Dios. Ita notissimo & perpetuo mensium Macedonum textu usus est doctissimus Beda. Elapheboliοni, Thargelioni, Nychioni seu Munichioni, nempe Atticis, nullus ibi locus erat, antequam, sive ab exscriptoribus imperitis, sive à negligentibus Editoribus, perperam, neque summa sine injuria, præberetur. Quin satis obvium sane fuisset etiam, ex ipsius Ephemeride, sua mensibus heic tribus nomina restituisse. Nam in ea Græcorum duodecem menses vocabulis item Macedonicis adnotantur.

Canon

Canon Chronicus.

Veterum Græcorum Epochas ab Anonymo in Marmore descriptas, annis tum Periodi Julianæ, tum qui vulgarem D. N. Jesu Christi Epocham antevertunt singulatim indicans. Adjectæ etiam sunt, ut Syncronismus melius cognoscatur, Epochæ Græcæ, Romanæ, & Sacræ. Epochæ Græcæ sunt ante Trojæ excidium, post Trojæ excidium, & Olympiadum. Epochæ Romanæ sunt ante Urbem conditam, & post Urbem conditam. Epochæ Sacræ sunt ante Exodum Israelitarum ex Ægypto, post Exodum, post conditum Templum Solomonis, *& post destructum Templum* Solomonis. *Literæ* I. P. *in prima numerorum Columnâ denotant Julianam Periodum* : A. C. *in secunda, Ante Christum natum secundum computum vulgarem* : Ep. M. *in tertia , Epocham per quam in Marmore computatur* ; *In quarta* Ant. E. T. *ante excidium Trojæ*, P. E. T. *Post excidium Trojæ*, Olymp. *annos Olympiadum : In quinta* Ant. V. C. *ante urbem seu Romam conditam*, V. C. *Post urbem conditam* : *In sexta* Ante Ex. *ante Exodum*, P. Ex. *post Exodum*, C. T. S. *post conditum Templum Solomonis*, P. T. D. *post Templum destructum.*

I. P.	A. C.	Ep. M.		A.E.T.	A.V.C.	A.Ex.
3132	1582	1318	Cecrops primus Athenarum Rex regnare cœpit, ab eoque Regio circumjacens prius ab Actæo Actica dicta nominata est Cecropia, regnat an. 50.	373	830	86
3140	1574	1310	Deucalion incepit regnare Lycoriæ in Parnasso, anno quo Cecrops regnabat Athenis nono.	365	822	78
3182	1532	1268	Cranaus secundus Athenarum Rex incepit regnare, regnatq; annos novem, quorum primo Mars Athenis ob cædem Hallirrothii filii Neptuni à patre ejus in judicium vocatus fuit, & locus ubi causam dixit inde Ἄρειος πάγος, i. e, Martia rupes dicebatur.	323	780	36
3185	1529	1265	Diluvium tempore Deucalionis evenit, & ipse Deucalion ex eo servatus Athenas evasit, Templumque ibi condens Jovi Φυξίῳ (i. e. qui fecit evadere) ob vitam præservatam sacrificavit, an. Cranai quarto.	320	777	33
3191	1523	1259	Amphictyon Deucalionis filius, & Cranai gener expulso socero Athenis regnum invadit, tenetque an. decem.	314	771	27
3192	1522	1258	Amphictyon defuncto patre Deucalione in Thermopylis etiam regnat, ibique è gentibus vicinis Amphictyonicum concilium primo congregat, anno quo ipse Athenis	313	770	26

I. P.	A.Chr.	Ep.M.		A.E.T.	A.V.C.	A. Ex.
			regnabat secundo.			
3193	1521	1257	Hellen Deucalionis filius in Phthiotide regnat, & incolas illius regionis prius Græcos dictos à suo nomine Hellenas appellat. Et Athenis decretum est Agonem Panathenaicum in Minervæ honorem agendum, anno regni Amphictyonis Athenis tertio.	312	769	25
3195	1519	1255	Cadmus è Phœnicia in Bœotiam veniens Cadméam condidit an. regni Amphictyonis Athenis quinto.	310	767	23
3198	1516	1252	Eurotas & Lacedæmon, qui Lacedæmonem condidit, in Laconica simul regnant anno regni Amphictyonis Athenis octavo.	307	764	20
3201	1513	1249	Erichthonius pulso Amphictyone Regnum Athenis occupat, tenetque annos quinquaginta.	304	761	17
3203	1511	1247	Navis, quæ appellata est Pentecontorus, in Græciam primo allata est à Danao, qui fratrem Ægyptum fugiens, in eâ primo ad Rhodum insulam cum quinquaginta filiabus, quæ ibi prope Lindum Templum exstruentes Minervæ Lindiæ sacrificabant, indeque in Græciam navigabat, anno Erichthonii Athenis tertio.	302	759	15
3208	1506	1242	Erichthonius Athenarum Rex, celebratis primis Panathenæis, primus currum junxit. Simulacrum Matris Deorum in Cybelis montibus primo inventum fuit, & Hyagnis Phryx Tibias primus invenit in Celænis urbe Phrygiæ, & Harmoniam Phrygiam iis primo cecinit, & aliorum nomorum Matris Deorum Bacchi, Panis autor fuit, anno quo Athenis regnabat Erichthonius octavo.	297	754	10
						P. Ex.
3218	1496	1232	Exodus Israelitarum ex Ægypto, regnante Erichthonio Athenis anno decimo octavo.	287	744	1
3251	1463	1199	Pandion post Erichthonium regnat Athenis annos quadraginta.	254	611	34
3282	1432	1168	Minos ejus nominis primus in Creta regnat, & Cydoniam condit; in eâque insula ab Idæis Dactylis Celme & Damnaneo in Ida monte ferrum primum inventum fuit, anno regni Pandionis Athenis tricesimo secundo.	223	680	65
3291	1423	1159	Erichtheus post Pandionem Athenis regnat annos quinquaginta.	214	671	74
3305	1409	1145	Ceres Athenas venit, & fruges seminavit, easque ad alias etiam urbes per Triptolemum mittit anno Regni Erichthei Athenis decimo quinto.	20	657	88
3308	1406	1142	Triptolemus hordeum primo seminavit in Campo Rhario prope Eleusinem, regnante Athenis Erichtheo an. decimo octavo.	197	654	91
3315	1399	1135	Antiqui alicujus Poetæ scil. Orphei, vel Pamphi, vel Eumolpi poemata de Proserpinæ raptu, Cereris investigatione, iisque, qui fruges à Cerere acceperunt, edita fuisse existima-	190	647	98

bantur,

A. P.	A. Ch.	Ep. M.		A.E.T.	A.T.	CP. Ex.
			bantur, regnante Athenis Erichtheo an. 25.			
....	.....	.....	Eumolpus Musæi poetæ filius mysteria Eleusinia, quorum primus antistes fuit, primo exhibuit, & patris sui Musæi Poemata edidit, regnante Athenis Erichtheo.	....	....	....
3341	1373	1109	Cecrops illius nominis secundus post Erichtheum regnat Athenis an. 40.	164	621	124
3381	1333	1069	Pandion ejus nominis secundus post Cecropem Athenis regnat an. 25.	124	581	164
3388	1326	1062	Lustratio primo facta est Athenis, Regnante Pandione an. octavo.	117	574	171
....	.....	.....	Gymnicum certamen in Eleusine primo proponebatur.	....	....	....
....	.....	.....	Lycæa, Latine Lupercalia dicta, in Arcadiâ primo instaurata fuere.	....	....	....
3406	1308	1044	Ægeus Pandionis filius Athenis regnat post Pandionem an. 48.	99	556	189
....	.....	.....	Hercules Athenis mysteriis minoribus initiatus fuit.	....	....	....
3419	1295	1031	Frugum sterilitas apud Athenienses fuit, de qua Oraculo consulto, datum est responsum debere Athenienses Minoi ob cædem Androgei filii illius, qui Athenis occisus fuit, pœnas dare, quascunque ille postularet: indictum igitur à Minoe tributum adolescentum impuberum & virginum subiere, regnante Athenis Ægeo an. decimo quarto.	86	543	202
3454	1260	996	Theseus Ægei filius regnat Athenis post Ægeum an. 30.	51	508	237
3455	1259	995	Theseus sparsos Atheniensium vicos in unam civitatem collegit, statum popularem instituit, & in Isthmo Corinthiaco Isthmicorum certamen in honorem Neptuni post occisum Sinin instauravit, anno regni sui Athenis secundo.	50	507	238
3463	1251	987	Eteoclus Adrastus & Amphiaraus, qui Argis simul regnarunt, ad bellum Thebanum gratiâ Polynicis profecturi, in honorem Archemori Nemeorum certamen in Nemea primo instituerunt, regnante Athenis Theseo anno decimo.	42	499	246
3484	1230	966	Menestheus pulso Theseo Athenis regnat, an. 23.	21	478	267
3496	1218	954	Græci ad Trojam expeditionem susceperunt regnante Athenis Menestheo anno decimo tertio.	9	466	279
				P.E.T.		
3505	1209	945	Troja capta est mensis Thargelionis die vicesimo quarto, regnante Athenis Menestheo an. vicesimo secundo.	1	457	288
3507	1207	943	Demophoon Thesei filius post Menesthei obitum paternum regnum recuperat, regnatq; an. 33.	3	455	290
3508	1206	942	Orestes ob occisos Ægisthum & Clytemnestram in Ariopago Athenis causam dixit, &, quod judicum suffragia æqualia essent, abso-	4	454	291

lutus

I. P.	A.C.	Ep.M.		P.E.T	A.V.C	P.Ex.
			lutus fuit, regnante Athenis Demophoonte anno 2.			
3512	1202	938	Teucer Telamonis Insulæ Salaminis Regis filius, à patre post reditum à Troja non receptus, in Cyprum insulam solvit, ibiq; Salaminé insulæ, è qua exulaverat, cognominem condidit, regnante Athenis Demophoonte an. 6.	8	450	295
3540	1174	910	Oxyntas Demophoontis filius Athenis regnat post patrem annos 12.	36	422	323
3552	1162	898	Aphidas Oxyntæ filius regnat Athenis annum unum.	48	410	335
3553	1161	897	Thymætes Aphidantis frater Athenis regnat post Aphidantem an. 8.	49	409	336
3561	1153	889	Melanthus Andropompi filius Messenius è Nestoris posteris, cum in bello, quod Athenienses contra Bœotos gesserant, Xanthum Bœotiæ regem monomachiâ occidisset, illiusque cæde finem bello feliciter imposuisset, deposito Thymæte Erichthidarum ultimo, quamvis peregrinus & exul Rex ab Atheniensibus creatur, regnatque annos 37.	57	401	344
3584	1130	866	Heraclidarum in Peloponnesum descensus, regnante Athenis Melantho an. 24.	80	378	367
3598	1116	852	Codrus Melanthi filius post patrem Athenis regnat an. 21.	94	364	381
3619	1095	831	Post Codri mortem, cum Athenienses in Codri honorem, quod se pro patria devovisset, neminem regnare permitterent, abolito regio nomine primus Archon creatur Medon Codri filius, eoque titulo reipublicæ præfuit annos 20.	115	343	402
3625	1089	825	Neleus Codri filius fratrem Medontem, illius clauditatem pro injuriæ prætextu habens, à principatu per violentiam detrudit, illiusque loco reipublicæ præest an. 13.	121	337	408
3637	1077	813	Neleus, cum principatum, quo fratrem Medontem exuerat, 13 annos tenuisset, ab oraculo Delphico eo iterum cedere jussus, cum Ionibus (qui è Peloponneso pulsi ab Achæis, quos Lacedæmone & Argis prius expulerant Dores, regnante Melantho Athenas venerant) in Asiam solvit, Regionemque ibi, quæ à gentis nomine, quam in Coloniam duxerat, Ionia deinde dicebatur, & duodecim illius civitates occupavit, anno à quo ipse primo, decimo tertio, à quo frater decimo nono, Athenis principatum obtinuere.	133	325	420
3639	1075	811	Acastus Medontis filius post patris obitum archon erat Athenis an. 36.	135	323	422
3675	1039	775	Archippus Acasti filius Archon post patrem reipublicæ præfuit an. 19.	171	287	458
3694	1020	756	Thersippus Archipi filius Archon Athenis post patrem reipublicæ præfuit an. 41.	190	268	477
						A.C.T.E.
3697	1017	753	Jactum est fundamentum Templi Solomonis an. 480 post Exodum.	193	265	1

Phorbas

I. P.	A.Chr.	Ep.M.		P.E.T.	A.V.C.	C.T.S.
3735	979	715	Phorbas post Thersippum est archon Athenis, an. 31.	231	227	39
3766	948	684	Megacles post Phorbam est archon Athenis, an. 30.	262	196	70
3770	944	680	Hesiodus Poeta floruit, archonte Athenis Megacle, an. 5.	266	192	74
3796	918	654	Diognetus post Megaclem est archon Athenis, an. 28.	292	166	100
3807	907	643	Homerus Poeta floruit archonte Athenis Diogneto, an. duodecimo.	303	155	111
3819	895	631	Phidon Argis Tyrannidem occupat, & mensuras, & pondera invenit, & nummum Argenteum in Ægina insulâ primo excudebat, archonte Athenis Diogneto, an. 24.	315	143	123
3824	890	626	Pherecles post Diognetum est archon Athenis, an. 19.	320	138	128
3843	871	607	Ariphon post Phereclem est archon Athenis, an. 30.	339	119	147
3873	841	577	Thespieus post Ariphontem est archon Athenis, an. 37.	369	89	177
3910	804	540	Agamestor post Thespieum est archon Athenis, an. 26.	406	52	214
3936	778	514	Æschylus post Agamestorem est archon Athenis, an. 22.	432	26	240
				Olymp.		
3938	776	512	Prima celebrata est Olympias, anno post Trojam captam 434 archonte Athenis Æschylo, an. tertio.	1. an. 1.	24	242
3956	758	494	Archias Corinthius ob cædem pueri Actæonis, quem ei vim inferendo occiderat, exulare coactus, educto secum exercitu primo Corcyram occupat, quam cum uni copiarum parti tradidisset incolendam, ipse cum alterâ in Siciliam solvit, ibique, eodem tempore quo Myscellus Achæus Crotonem in Italia, ille Syracusas condidit, archonte Athenis Æschylo, anno vicesimo primo.	5. an. 3.	6	260
3958	756	492	Alcmæon perpetuorum archontum ultimus reipublicæ præest, an. 2.	6. 1	4	262
3960	754	490	Alcmæone defuncto aboletur Athenis perpetuorum Archontum imperium, eorumque loco rempublicam deinde administrant archontes Decennales, quorum primus fuit Charops.	6. 3	2	264
					V.C.	
3962	752	488	Roma Condita est secundum computum Catonis anno 1. Olymp. 7.	7. 1	1	266
3970	744	480	Asimedes secundus decennalis archon Athenis constituitur.	9. 1	9	274
3980	734	470	Clidius tertius decennalis archon Athenis constituitur.	11. 3	19	284
3990	724	460	Hippomenes quartus decennalis archon Athenis constituitur.	14. 1	29	294
4000	714	450	Leocrates quintus decennalis archon Athenis constituitur.	16. 3	39	304
4010	704	440	Apsander sextus decennalis archon Athenis constituitur.	19. 1	49	314
4020	694	430	Erixias septimus decennalis archon Athenis	21. 3	59	324

con-

I. P.	A. Ch.	Ep. M.		Olymp.	A.V.C	P.T.D
			constituitur.			
4030	684	420	Abolito decennalium archontum imperio annuus archon Athenis primo constituitur Creon.	24.1	69	334
4032	682	418	Tyrtæus Poeta Lacedæmoniis contra Messenios ab Atheniensibus dux, datur archonte Athenis Lysia seu Tlesia.	24.3	71	336
4069	645	381	Terpander Lesbius nomos Lyricos primo invenit, & tibiis cecinit, & Lacedæmone in jus vocatus, quod antiquæ tetracordi Lyræ tres nervos addidisset, populi suffragiis absolutus fuit, archonte Athenis Dropilo.	33.4	108	373
4109	605	341	Alyattes Crœsi pater Lydiæ incepit regnare archonte Athenis Aristocle.	43.4	148	413
4120	594	330	Sappho Poetria Lyrica Mitylenæ in Lesbo floruit, indeque in Siciliam navigat Phaontem juvenem Lesbium, quem misere deperibat, secuta, archonte Athenis Critia priori, & Syracusis rerum potientibus optimatibus Geomoris dictis.	46.3	159	424
4123	591	327	Amphictyones victis Cyrrhæis, quibus ob sacrilegium bellum intulerant, ludos Pythicos instaurant, & captæ Cyrrhæ spolia victoribus præmia proponunt, unde Agon χρηματίτης dictus, archonte Athenis Simone.	47.2	162	427
						P.T.D
4124	590	326	Templum Solomonis à Chaldæis destruitur annos 427 postquam exstructum fuit 300 post initium Regni Rehoboami.	47.3	163	1.
4132	582	318	Secunda Pythias celebrata fuit nono post primam anno, in qua, cum nulla è captæ Cyrrhæ spoliis relicta essent, Coronæ laureæ secundum vetus institutum, quod in certaminibus Musicis antiquitus Delphis in honorem Apollinis celebratis observatum fuit, pro præmiis victoribus dabantur, & agon inde Στεφανίτης dictus, qui ab eo tempore quinto quoq; anno, i. e. post exactos quatuor plenos, eodem modo, quo ludi Olympiaci, agi cœperunt, archonte Athenis Damasio secundo.	49.3	171	9
....	....	....	Comœdia primo acta fuit Athenis à Susarione & Dolone Icariensibus.	....	....	....
4153	561	297	Pisistratus Athenis Tyrannidem occupat, archonte Athenis Comia.	54.4	192	30
4156	558	294	Simonides Poeta avus nascitur, anno enim Ep. Mar. 205. erat annos natus 90.	55.3	195	33
4158	556	292	Crœsus in Asia regnat, & legatos ad Oraculum Delphicum mittit, Archonte Athenis Euthydemo.	56.1	197	35
4172	542	278	Cyrus Persarum Rex Sardes expugnat, & Crœsum vivum capit, circa quod tempus floruit Hipponax, Ephesius Iamborum scriptor insignissimus.	59.3	211	49
4178	536	272	Thespis Icariensis Alcestidem, primam quæ Athenis exhibita fuit, Tragœdiam è plaustro docuit, & hircum pro præmio reportavit, ar-	61.1	217	55

chonte

I. P.	A.Chr.	Ep.M.		Olymp.	V.C.	P.T.D
			chonte Athenis Alcæo priore.			
4186	528	264	Mortuo Pisistrato, cum regnasset annos 33, ei succedit in Tyrannide Hipparchus filius illius.	63.1	225	63
4189	525	261	Æschylus Poeta nascitur; anno enim Ep. Mar. 227. erat annos natus 35.	63.4	228	66
4197	517	253	Darius filius Histaspis occisis Magis Rex Persarum constituitur.	65.4	236	74
4198	516	252	Hipparchus Pisistrati filius Athenarum Tyrannus ab Harmodio & Aristogitone interficitur, cum regnasset annos 13, ei succedit frater illius Hippias.	66.1	237	75
4202	512	248	Hippias cum ceteris Pisistratidis Athenis pellitur quarto post Hipparchi cædem anno, & archontis Magistratum accipit Clisthenes Alcmæonida.	67.1	241	79
4206	508	244	Chororum virilium certamen primo agitur, quo vicit Hypodicus Chalcidensis archonte Athenis Isagorâ.	68.1	245	83
4217	497	233	Sophocles Poeta Tragicus Sophillo patre nascitur; anno enim Ep. Mar. 206 annos natus erat 28.	70.4	256	94
4219	495	231	De Hippia Pisistratida nescio quid habet hic autor.	71.2	258	96
4223	491	227	Athenienses Duce Miltiade Persas prope Marathonem magna clade superant, cui pugnæ interfuit Æschylus Poeta annos natus 35. Archonte Athenis Phænippo.	72.2	262	100
4225	489	225	Simonides Ceius Poeta avus Simonidis, qui etiam Poeta fuit, Athenis claruit. Darius mortuus est, & Xerxes filius illius in Persia regnat, archonte Athenis Aristide.	72.4	264	102
4228	486	222	Æschylus Poeta annos natus 40 Tragœdiâ primo vicit. Euripides Poeta nascitur, & Stesichorus è Sicilia in Græciam venit, archonte Athenis Philocrate.	73.3	267	105
4233	481	217	Xerxes facto super Hellesponto navigiorum ponte in Græciam ad Thermopylas cum Lacedæmoniis pugnat, & prælio navali prope Salaminem insulam à Græcis superatur, archonte Athenis Calliade.	74.4	272	110
4234	480	216	Pugna ad Platæas à Græcis contra Persas commissa est, quo Persæ amisso Mardonio duce superati Græciâ iterum excidere. Ætna ignem evomuit archonte Athenis Xantippo.	75.1	273	111
4235	479	215	Gelon Dinomenis filius Syracusis Tyrannidem occupat, archonte Athenis Timosthene.	75.2	274	112
4236	478	214	Simonides nepos, Leoprepis filius, Ceius, is, qui memorandi artem invenerat, ludis Athenis vicit, & statuæ positæ sunt Harmodio & Aristogitoni, qui Hipparchum interfecerunt. Archonte Athenis Adimanto.	75.3	275	113
4242	472	208	Hiero Syracusis Tyrannidem occupat Geloni fratri succedens, cujus temporibus floruit Epicharmus Poeta Comicus. Archonte A-	77.1	281	119

I. P.	A. C.	Ep. M.		Olymp.	V. C	P. T. D
			thenis Charete.			
4244	470	206	Socrates Philosophus nascitur, anno enim Ep. Mar. 137. annos natus erat 70. Et Sophocles Poeta Tragœdiâ primo vicit annos natus 28, archonte Athenis Apsephione.	77.3	283	121
4245	469	205	Saxum cecidit in Ægos Potamos, & Simonides Poeta moritur nonagenarius, archonte Athenis Theagenida.	77.4	284	122
4251	463	199	Alexander Macedonum Rex moritur, & ei succedit filius illius Perdiccas, archonte Athenis Euthippo.	79.2	290	128
4257	457	193	Æschylus Poeta annum agens *69* moritur in Sicilia, archonte Athenis Callia primo.	80.4	296	134
4268	446	182	Timotheus Milesius nascitur: anno enim Ep. Mar. *93*. annos natus erat *90*.	83.3	307	145
4271	443	179	Euripides Poeta ætatis annorum 43 Tragœdiâ primo vicit, archonte Athenis Diphilo. Euripidi coævi erant Socrates & Anaxagoras.	84.2	310	148
4275	439	175	Philoxenus Poeta Dithyrambicus nascitur: anno enim Ep. Mar. 116 annos natus erat 60.	85.2	314	152
4294	420	156	Perdiccas Macedonum Rex moritur, eique succedit filius illius Archelaus, archonte Athenis Astyphilo, seu Aristophilo.	90.1	333	171
4303	411	147	Dionysius senior Syracusis Tyrannidem occupat, archonte Athenis Euctemone.	92.2	342	180
4305	409	145	Euripides Poeta moritur annos natus 77, archonte Athenis Antigene.	92.4	344	182
4307	407	143	Sophocles moritur annos natus 91, & Cyrus minor in Persiam ascendit, archonte Athenis Callia secundo.	93.2	346	184
4311	403	139	Telestes Poeta Dithyrambicus Athenis vicit, archonte Athenis Micone.	94.2	350	188
4313	401	137	Qui cum Cyro in Asiam ascenderunt Duce Xenophonte in Græciam, iterum redeunt, & Socrates Philosophus senex septuagenarius ab Atheniensibus condemnatus haustâ cicutâ moritur, archonte Athenis Lachete.	94.4	352	190
4315	399	135	.... archonte Athenis Aristocrate.	95.2	354	192
4334	380	116	Philoxenus Poeta Dithyrambicus sexagenarius moritur, archonte Athenis Pythea.	100.1	373	211
4337	377	113	Anaxandrides Comicus Athenis vicit, archonte Athenis Callia.	100.4	376	214
4341	373	109	Astydamus Poeta Tragicus Athenis vicit, archonte Athenis Astio, & ingens in cœlo arsit cometa.	101.4	380	218
4343	371	107	Pugna Leuctrica Lacedæmoniorum & Thebanorum commissa est, in qua Thebani Duce Epaminanda vicere, & in pugna occisus est Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex, archonte Athenis Phrasiclide.	102.2	382	220
4344	370	106	Stesichorus Himeræus secundus vicit Athenis, & Megalopolis condita est in Arcadia, archonte Athenis Dyscineto.	102.3	383	221

Dio-

I. P.	A. C.	Ep. M.		Olymp.	V. C.	P. T. D
4346	368	104	Dionysius senior Syracusarum Tyrannus moritur, & ei succedit Dionysius filius illius, & Alexander Pheræus, Pheræ in Thessalia incipit regnare, archonte Athenis Nausigene.	103.1	385	223
4356	358	94	Phocenses Templum Delphicum expilarunt, archonte Athenis Cephisodoto.	105.3	395	233
4357	357	93	Timotheus Milesius insignis Lyricus nonagenarius moritur Athenis, & Philippus Macedonum Rex urbem Philippos condidit, & Alexander Pheræus ab uxore sua occisus fuit, & Dion Dionysii duces superavit, archonte Athenis Agathocle.	105.4	396	234
4359	355	91	Nascitur Alexander Magnus archonte Athenis Callistrato, cujus tempore floruit Aristoteles Philosophus.	106.2	398	236
4360	354	90	Calippus occiso Dione Tyrannidem Syracusis occupat archonte Athenis Diotimo.	106.3	399	237

Cetera desiderantur.

Notæ Chronologicæ ad Canonem Chronicum.

AD an. 3132. Epocha hæc recentior est Eusebio, annis 26. Nec major firme consensus est inter eum & nostrum ante annuorum archontum initia, seu Periodi Julianæ, an. 4030.

Ad. an. 3185. Convenit Varro apud D. Augustinum de Civitate Dei, lib. 18. cap. 10. uti etiam Græca Eusebii, pag. 27. Etsi in Chronico ab Hieronymo verso & in Canone pag. 74. sub Cecrope ab eodem collocetur. Adstipulatur nostro etiam Cedrenus, cujus tamen Græca male distincta, non melius versa legimus. Diluvium contigit in Thessalia, ἐπὶ Δευκαλίωνος, inquit, βασιλεύοντος Ἀθήνῃσι δευτέρου Κραναοῦ αὐτόχθονος, *sub Deucalione, regnante Athenis Rege secundo Cranao indigena.* Sed perperam typis editur, ἐπὶ Δευκαλίωνος βασιλεύοντος Ἀθήνησι, δευτέρου Κραναοῦ αὐτόχθονος, quod à Xylandro pejus redditur, *Deucalione Athenis regnante, secundo à Cranao indigena.* Quin cum nostro consentiunt Tatianus adversus gentes, & Clemens Alexandrinus Stromat. ά. quorum uterque sub Crotopo Argivorum Rege, Atheniensium Cranao coævo, Diluvium hoc ponunt. Sed Orosius lib. 1. cap. 9. sub Amphictyone. Seld.

Ad an. 3463. Bellum igitur Thebanum secundum Chronographum nostrum 42 annis Trojæ excidium antecessit. Vetus apud Clementem Alexandrinum Chronographus, Strom. 1. illud 5 annis serius statuit. Sed hæc in re tantæ & tam obscuræ antiquitatis levis est differentia. Hoc bellum ad quod profecti sunt hi Argivorum Reges post instituta Nemæa primum bellum Thebanum dicitur, in quo omnes duces excepto solo Adrasto periere. Illorum igitur filii Epigoni dicti in patrum vindictam secundum bellum Thebanum, [a] decem annos post primum gesserunt, quorum Diomedes, Sthenelus, & Euryalus bello Trojano etiam interfuere.

Ad an. 3505. Is dies ad Scaligerianæ Periodi Atticæ rationes, est 23. Junii Juliani. De mense convenit nostro cum plerisque veterum. Nam Thargelione captum Ilium plures scripsere. Plerunque etiam ὀγδόῃ φθίνοντος seu 23; alii etiam Scirrophorionis, mensis sequentis, eodem die. Vide Clementem Stromat. ά. & Dionysium Halicarnassensem, lib. 1. Certe, ea anni tempestate, scilicet sub æstatis initium, captum esse etiam indicat Virgilius Æneidos 3.

——Vix prima inceperat æstas
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.

Ut autem die septimo & die octavo idem dies innui posset palam est; diversa scilicet initii ratione habita. De anno quo capta est Troja alia fuit plerunque Atticorum scriptorum sententia. Ultimo Menesthei tribuunt, qui scilicet sub Menestheo collocant; aliis sub Demophonte Rege, captam tradentibus. At noster proculdubio vigesimum secundum Menesthei, penultimum scilicet ejus annum, heic adjecerat, utcunque quadratarii incuria τοῦ εἰκοστοῦ prætermittatur, ut supra monuimus. Et ad annum usque 23 regnasse eum plerunque volunt; etsi in Græcis Eusebii non semel ἔτος λγ'. ei assignetur, & diserte legamus, *Τούτου τῷ λγ'. ἔτει τὸ Ἴλιον ἥλω, hujus anno* 33 *Troja capta est.* Sed vide item addenda Græcis ejus, pag. 215. ubi κγ'. leguntur. Plerunque etiam 407. anni ab excidio hoc ad Olympiadem primam Iphiteam numerantur. Vide Eratosthenis Canones, Eusebium numero 835. & ibi Scaligerum, quem etiam consule in 1 de Emendatione pag. 43. & 5. pag. 355. & 3. Canonum

[a] Diodor. Sic. lib. 4. Apollodor. lib. 3.

pag.

pag. 283 & Dionysium Petavium de Doctrina Temporum, lib. 9. cap. 27. & sequentibus. Constantinus autem Manasses bellum Trojanum, annis 150. circiter recentius facit. Nam, unde edoctus nescio, Priamum à Davide Judæorum Rege copias frustra poposcisse auxiliares scribit,

> Ἐκ πάντων ἓν, inquit, ἀπορηθεὶς ὁ Δαρδανίδης γέρων
> Εἰς τὸν Δαβὶδ τὸν ἄνακτα τῶν Ἰουδαίων πέμπει
> Ἀλλ' ὁ Δαβὶδ οὐ δίδωσιν, &c.

Et præter Chronologorum, qui perpetuas temporum series ducunt, turbam, videsis item Herveti Collectanea in Clementem Alexandrinum, pag. 797. Sed demonstrativam esse hanc Epocham asserit Scaliger, utpote quæ suo tempestatis charactere nititur; adeoque, rationibus subductis, collocat ille in anno Periodi Julianæ 301, qui, anno à nostro notato, annis etiam 26 recentior est. Uno anno vetustius numero Scaligeriano conjectat fuisse hoc excidium Petavius. Utriusque rationes perpendant & porro viderint heic doctores. Quin Novennium tantum integrum intervenit post expeditionem Græcorum ad urbem excisam. Et Tempore verno expeditiones fieri solebant, de qua re vide plura postea Notis ad Smyrnæorum Fœdus. Absoluto demum post expeditionem novennio, sub æstatis initiis, id est proximo seu decimo anno capta est urbs.

> *Et Danaum decimo vere redisse rates*

ait Propertius lib. 4. quod & Chalchantis passerum portenti interpretamento apud Homerum Iliade secunda est consonum. Seld.

Ad an. 3561. Hoc anno secundum Eusebium Melanthus Messenius 23 an. ante Heraclidarum in Peloponnesum descensum Athenis primo cœpit regnare. Non igitur ab Heraclidis pulsus, ut dicunt [b] Strabo, [c] Pausanias, & [d] Conon, sed ab aliquam aliam rationem è Patriâ commigravit, quando Athenis regnum obtinuerat. Erroris autem ansam supra citatis autoribus præbuit, quod Nestoridæ omnes ab Heraclidis pulsi Athenas fugiebant, atque ideo existimarunt cum iis etiam Melanthum ad eam civitatem primo commigrasse. Sed ob eam potissimam rationem videntur Nestoridæ, cum è Messenia pellerentur, Athenas potius quam ad aliquam aliam Græcam civitatem fugisse, quod in ea Melanthus eorum cognatus, à quo hospitium poterant sperare, antequam expulsi fuerant regnum obtinuisset, quod idem etiam ea, quæ Pausanias in alio loco dicit, satis innuunt. [e] Tradit enim Iones, qui eodem anno, quo Nestoridæ Peloponneso exacti fuerunt, à Melantho tunc Athenarum rege receptos fuisse. Melanthus igitur priusquam aut Iones, aut Nestoridæ Peloponneso pellebantur, atque ideo ante Heraclidarum descensum, Athenis regnabat.

Ad an. 3637. Tribuuntur hæc plerunque anno octavo Acasti Regis Atheniensium, seu Periodi Julianæ 3673. Vide Eusebium numero 975. Et annorum 140 intervallum plerunque habetur inter Trojanum excidium & hanc migrationem, uti diserte etiam numerat Eratosthenes in canonibus. Vide Clementem Stromat. α. Scaligerum ad dictum Eusebii locum, & Petavium de Doctrina Temporum, lib. 9. cap. 30. Atqui, licet prior pars numeri apud nostrum disparuerit, tamen ΔIII. seu 13 eum terminat. Sed nullus est numerus qui ternario terminatus & ex 945 (quo scilicet Epocha Trojæ captæ Nostro notatur) deductus relinquit 140. Si scripsit noster ΠΗΗΗΔIII, id est, 813 intervallum illud ei erit tantum annorum 132. Neque alius est numerus ita terminatus unde aut intervallo quod diximus numerus propior elici potest, aut quo propius ad aliorum rationes accedat noster. Ceterum & ita

[b] Lib. 9. [c] In Corinthiacis. [d] Apud Photium narrat. 39. [e] In Achaicis.

non

non ſolum in anno regis (quocunque is fuerit nomine dictus) annis aliquot ab aliis diſcrepat, ſed etiam prochroniſmo annorum 36 in Epochæ conſtitutione. Nam ſi detur numerum quem diximus cum heic adnotâſſe, reſpondet, in Periodo, annus 3637.

Ad an. 3770. Suadet Lacuna quæ veſtigia reliqua numeri, qui ad Heſiodi ſpectat, ſequitur, cum integrum fuiſſe 𐅅Η𐅄ΔΔΔ ſeu 680, unde annus, quem adjecimus, exit. Si aliter fuit terminatus, pauculorum utcunque annorum diſcrimen eſſe duntaxat palam eſt. Annum autem notatum fuiſſe puto non alium quam quo primum Heſiodus poemata publice recitavit, aut in certamen Poeticum deſcendit; quod ipſum ſentiendum eſt de anno Homero proxime aſſignato. Seld.

Ad an. 3807. Ita 37 annis Heſiodus artis ſuæ ſpecimina publice edidit ante Homerum. De horum ætate, quæſtio eſt & vetuſtiſſima & celeberrima. Et uter natu antiquior. Sed L. Accius Poeta, & Ephorus hiſtoricus, ut noſter, Heſiodum priorem faciunt. Vide Agellium lib. 3. cap. 11. Varias autem de Homeri ævo ſententias vide apud Clementem Stromat. ά. & Euſebium numero 908. & in Chronico Græco, pag. 31, 33, 34, & 215. Adi porro ſi placet Scaligerum ad dictum numerum, Petavium de Doctrina Temporum, lib. 9. cap. 30. Paterculum lib. 1. &, ad eum, Lipſium, Philoſtrati Ἡρωικῷ in Euphorbo, &, præter ea quæ congeſſit Gregorius Gyraldus dialogo 2. Apollodorum atque alios apud Joannem Tzetzem Chiliad. 12. cap. 399. Recentiores, qui perpetuas annorum ſeries obiter contexunt, prætermittimus. Seld.

Ad an. 3824. Hactenus in aſſignandis annis regnorum regum Athenienſium Euſebium ſecuti ſumus, in ſequentibus vero in quibus Marmor ab Euſebio differt uſque ad Archontes decennales ſecundum hypotheſin Lydiati (quem vide pag. 51.) annos aſſignamus

Ad an. 3956. Conditas Syracuſas numero 1284. ſcribit Euſebius, id eſt anno Clidici Athenarum Regis primo. Epochæ numerus annorum in Marmore evanuit. Sed annus regis manet, nimirum 21 Æſchyli regis, qui primum Clidici annis 24 antevertit, & anno 4. Olympiadis 5 reſpondet, ſeu Periodi 3957. Videſis Scaligerum ad Euſebianum numerum & Hubertum Goltzium in Sicilia pag. 21. qui Euſebium heic ſequuntur. Sed inſtauranda forſan hinc eſt Chronologia tam de Naxo condita quam de Syracuſis, ſi Thucydidi item fides habenda, cui, proximo poſt Naxum conditam anno, colonia ab Archia deducta eſt. Vide eum ſub initio libri 6. Quinto item, inquit ille, poſt habitatas Syracuſas anno, Chalcidenſes è Naxo profecti Catanam condidere, & ſub idem tempus Lamis, coloniâ Megaris deductâ, Trotilum condidit; alia item enumerat quæ pariter ab hoc Archiæ Epocha ita pendent, ut, eâ ignoratâ, ſimul etiam illa ut ignorentur neceſſe eſt. Hæc omnia à Chronologicis inſtaurentur, noſtro autore, qui 150 duntaxat annis aut circiter poſt Thucydidem ſcripſit. Seld. Sed cum Lydiati hypotheſin ſequamur, qui 22 annos Æſchylo aſſignat, à Seldeno uno anno differimus.

Ad an. 3970. Secundum [f] Pauſaniam Æſimedes tres annos citius principatum adeptus eſt, dicit enim ille annum ſecundum nonæ Olympiadis eſſe quintum à quo Æſimedes Æſchyli filius decennalis archon ſummæ reipublicæ præerat.

Ad an. 3990. [g] Pauſanias eodem modo quo Æſimidis ſic etiam Hippomenis initium tres annos citius ponit; dicit enim Hippomenis annum quartum eſſe Olympiadis decimæ quartæ primum.

Ad an. 4030. Conſentit heic noſter ad amuſſum cum Euſebio. Et firmat id uterque quod impugnat Scaliger ad numerum Euſebianum, & 1296. & 1333. Sed & vide Euſebii Græca, pag. 215. ubi item Olympiade 24. primus archon annuus præficitur; qui idem eſt annus. Atqui ex Pauſaniæ loco in

[f] In Meſſenicis pag. 226. [g] Meſſenicis pag. 241.

Meſſe-

Messeniicis de Hippomenis archontis decennalis anno quarto, adstruere hic vult Scaliger metrachonismum integri quadriennii commissum esse Eusebio, quem arguit ac si in confesso esset, decennales illos archontas quatuor singulis decenniis integris præfuisse; id quod etiam admittit Eusebius. Sed discedendum à receptiori de hac Epocha sententia non sentio. Ea scilicet proculdubio notior multo erat quam singulorum archontum qui præcesserunt, anni, qui etiam pro imperiorum prorogatione, morte præveniente, aut Decreto summovente, plures aut pauciores esse potuissent, nec satis scriptoribus cogniti; ipsa interim annuorum Epochâ, utpote Olympiadibus aut alio quovis charactere certissimo signatâ, notissimâ. Sed & vide porro Eusebii Græca, pag. 39. lin. 42. & Συναγωγὴν historicam Scaligerianam, ubi triennio recentius quam nostro collocatur Creon, primus ἐνιαύσιος ἄρχων, scilicet anno Olympiadis 24, tertio, uti etiam Carolo Sigonio in Fastis Atticis. Adi insuper Meursium de Archontibus lib. 1. cap. 8. & Petavium lib. 13. pag. 548. Seld.

Ad an. 4032. Seldenus in hoc Marmoris loco archontis nomen legit Lysiam, sed pro Lysia restituendum esse Tlesiam supra indicavi in Notis Historicis; Tlesias enim secundum [h] Pausaniam archon erat anno quarto 23 Olympiadis; sed eo anno secundum Chronographum nostrum nondum constituti erant annui archontes Athenis; anno enim sequenti primo scilicet Olympiadis 24 ab eo primus archon statuitur Creon, eodem igitur modo, quo supra in statuendis initiis Æsimedis & Hippomenis, sic etiam hic in statuendo Tlesiæ magistratus anno Pausanias computationem Chronographi tres annos antecedit. Additis igitur tribus annis quarto anno 23 Olympiadis erit annus tertius 24 Olympiadis, & Ep. Mar. 418. quo secundum mentem Chronographi nostri Tlesias Athenis archon erat, & bellum Messenium secundum habuit initium, & Lacedæmoniis à Messeniis ad Deras superatis ex Oraculi responsu ab Atheniensibus datur Dux Tyrtæus poeta.

Ad an. 4069. Annus est Olympiadis 33 quartus. Ejusdem secundo Terpander insignis habetur Eusebio. Huic etiam ævo eum tribuit Hellanicus de anno dissentiens, apud Athenæum lib. 14. ubi in Carneis primum eum vicisse ait. Carneôrum autem Festum institutum est 26 Olympiade, teste ibidem Sosimo. Sed Hieronymo, eodem in loco, Plutarcho etiam libro de Musica, & Nichomacho Geraseno lib. 2. cap. 1. multo vetustior est, & Olympiadibus Iphiteis prior. Unde etiam collocatur à Josepho Blancano in Mathematicorum Chronologia, an. 800. ante Christi Epocham. De Terpandro vide item Joannem Tzetzem Chil. 1. cap. 16. & Eusebium in Chronico Græco pag. 40. Seld.

Ad an. 4109. Prochronismus est apud Chronologos aliquot, qui accuratius rem æstimant, novennii; Eusebio, septennii. Ex vestigiis quæ in Marmore nondum obliterata sunt, cum systemate ejusdem ævi comparatis, alium heic præter hunc Alyattem innui persuasum non habeo. Numeri, qui Epocham designaret, partem priorem disparuisse verum est. Sed reliquiæ illæ .....Δ-ΔΔΔΙ, si conjecturæ fides, HHHΔΔΔΔΙ indicant. Major esse annorum numerus nequit, quod tum ex instituto autoris ordine, tum ex veteri Græcorum numerandi ratione scimus. Si minor fuerit, ut decennio minor sit necesse est, adeoque ut eo longius à recepta Chronologia discrepet. Vide Eusebium num. 1405. & Canonum Scaligerianorum lib. 2. & 3. atque ejusdem sequaces. Seld.

Ad an. 4132. Sic firmat noster sententiam receptam de anno quo heic agon coronarius factus est; tertio scilicet Olympiadis 49, uti diserte Pausanias etiam in Phocicis. Sed dum hoc firmat, convellit interim, quæ de Pythiade præcedente habent scriptores. Vide Συναγωγὴν historicam cum Eusebii Chronico editam in Olympiadis MH anno tertio. Quin vero Agonem pentaetericum ante hanc instaurationem fuisse, pro confesso habent, hoc est, post quar-

[h] In Messenicis pag. 243.

tum

tum quemlibet annum agi, uti Olympicum, ſolitum, adeoque præcedentem inſtaurationem quâ χρηματίτης, Cyrrhæis exciſis, factus eſt, tertio Olympiadis 48. tribuunt, uti etiam, apud Pauſaniam in Phocicis, habetur. Et videſis Scaligerum operis magni libri 1. capite de Periodo Delphorum Pythia & ad numerum Euſebianum 1435. Adde Petavium de Doctrina Temporum lib. 1. cap. 33. & Eraſmum Schmidium in prolegomenis ad Pindari Pythionicas. Atqui inſtauratio illa, quæ Cyrrhæ excidium ſecuta eſt, noſtro cadit in annum 2. Olympiadis 47, Julianæ nempe, ut vides, Periodi 4123. Ita novennium interceſſit, non tantum quadriennium. Et certe legimus agonem hunc olim fuiſſe novennalem. Argumenti tertii Pythiorum Pindari autor, ἐτελεῖτο δὲ, inquit, ὁ ἀγὼν κατ' ἀρχὰς μὲν διὰ ἐννεατηρίδος, *Celebrabatur antiquitus certamen Pythium quolibet novennio.* Et Cenſorinus de die Natali capite 18. *Delphis quoque ludi, qui vocantur Pythia, poſt octavum olim conficiebantur.* Ceterum συναγωγῆς quam diximus autor (qui ipſe Scaliger eſt) ab inſtaurata, anno Olympiadis 48 tertio, Pythiade, ipſas dinumerari Pythiadas ſcribit, neque aliter dinumerat. Res non omnino levis eſt momenti. Et porro viderint eruditi. Quod autem ad archontas attinet, gratiſſima à noſtro lux eſt. Et Simon, & Damaſias ſecundus, in archontum Faſtis, ſuis locis, unde apud viros doctiſſimos hactenus exularunt, reſtituendi. Vide loca ſuperius in notis ad hunc agonem indicata. Damaſias vero apud Diodorum, qui Olympiade 35 præfuit, primus erat; hic, ſub quo inſtauratus agon, ſecundus; quod primo ex hoc Marmore cognitum facem præbet inſignem viro doctiſſimo lib. 1. de Archontibus cap. 11. quem unicum Damaſiæ nomen fefellit. Seld.

Ad an. 4172. Si noſtro heic cum Euſebio convenit, tunc ſcripſit noſter HHΠΔΔΔII, ſeu 282, unde fit Periodi 4168. Nam Euſebio hæc Epocha eſt Olympiadis 58, annus tertius. Sed neque hiſce acquieſcas. Conſule quæ adnotat Scaliger ad numeros Euſebianos 1462, & 1471, & Olympiadum ἀναγραφὴν, in NH. Sed de Hipponacte complurium annorum heic apud Euſebium prochroniſmus eſt. Is Olympiade 23 collocat Hipponactem, ſeu periodi Julianæ 4026. At Plinius certum eſſe ait Hipponactem fuiſſe Olympiade 93, quæ ſeculo quod à noſtro indicatur ſatis reſpondet, Vide item Scaligerianam illam συναγωγὴν hiſtoricam Olympiade Ξ. Seld. Sed rationem ob quam à Seldeno diſcrepamus legas in notis Hiſtoricis.

Ad an. 4178. Olympiade 61 docuiſſe ſeu Tragœdiam primo edidiſſe Theſpim, autor eſt Suidas. Noſtri numerus in Lacunam deſinit. At ſi Suidæ fides, ſpatio Lacunæ non refragante potius annuente, habenda ſit, ita ſupplendus eſt HHΠΔΔIII, 273. Inde prodeunt numeri quos adnotavimus. Certe minorem fuiſſe quam 291 liquet ex Crœſi Epocha; & cum noſtro exacte ita convenit ἀναγραφῇ Olympiadum. Sed de hirco pro præmio dato & Tragœdia inde dictâ, prochroniſmus eſt apud Euſebium annorum ſane 55. Vide Numerum ejus 1426. Seld.

Ad an. 4186. Piſiſtratus enim occubuit 33 annis poſtquam Tyrannidem obtinuiſſet: ſi igitur ille an Ep. Marmor. 297. ſucceſſor illius anno Ep. Marm. 264 incepit regnare.

Ad an. 4197. Quæ reliqua ſunt numeri, autorem ſcripſiſſe HHΠIII, 253, ſatis demonſtrant. Sed metachroniſmus eſt quadriennii, & manifeſtiſſimus error, niſi alia noſtro fuerit annorum ejus ratio quam hactenus didicimus. Nam binas habemus apud Ptolomæum in quarto Magnæ Conſtructionis, Eclipſes Lunares, quarum alteri annus Darii 20 & dies vigeſimus octavus Epiphi, Novembris ſcilicet 19, alteri annus 31 & dies tertius Tybi ſeu Aprilis 25 tribuitur. Nec aliter ejus anni in Ms. quem diximus codice Reverendiſſimi Archiepiſcopi Cantuarienſis notantur quam in vulgatis, niſi quod numerus 31, τῷ πρώτῳ καὶ τριακοστῷ αὐτοῦ ἔτει, non numeralibus literis exprimatur. Et conſenſus hic eſt tam exemplarium Græcorum quam verſionum ſive

ex

ex Græcis, sive ex Arabicis, uti ab eximio Mathematices Oxonii professore Joanne Banbrigio, peramice monitum est. Eclipsium harum altera in annum Nabonassari 246 incidit, altera in 257, id est, in annum Periodi Julianæ 4212 altera, altera in 4223. Ergo annus Darii primus congruit Periodi anno 4193 qui quadriennio solido nostri calculum antevertit. Videsis Josephum Scaligerum lib 5. de Emendatione, pag. 379. & Dionysium Petavium de Doctrina Temporum, lib. 10. cap. 18. Seld.

Ad an. 4198. Hipparchus ab Harmodio & Aristogeitone occisus fuit quatuor annis priusquā Pisistratidæ Athenis exulabant. Si igitur secundum Chronographum nostrum Pisistratidæ Athenis exularent, an. Ep. Mar. 248. Hipparchus interfectus fuit an. Ep. Mar. 252.

Ad an. 4202. Prope abest noster à sententia quam V. CL. Joannes Meursius de Pisistratidatum initio stabilire nititur libro de Fortuna Attica cap. 10. Sed tamen abest. Vide ejus rationes tum ibi, tum in Pisistrato ejus cap. 5. Adde Dionysii Petavii Paralipomena ad libros de Doctrina Temporum pagina 856. Seld.

Ad an. 4219. Fuga ejus in Sigeum non aliud videtur quam tyrannidis Pisistratidarum finis, quem supra indicaverat. Neque finis ille locum omnino heic obtinere potuit. De Hippiæ rebus vide Herodotum in Terpsichore & Thucydidem lib. 6. Annus hic est quartus ante pugnam Marathoniam, qua Hippias sub Dario stipendia meritus est, & in patriam pugnans occubuit. Notatur eidem anno ab aliis Philippus archon. Vide Meursium de archontibus lib. 2. cap. 3. Seld.

Ad an. 4223. Discrepant de anno hujus pugnæ Scriptores. Olympiadis 72 anno primo (qui ipse nostri possit esse annus; Saltem plusquam anno unico discrepare nequit) Epocham hanc collocat Olympiadum ἀναγραφὴ Scaligeriana. Adi Scaligerum ad numerum Eusebianum 1525, & Meursium de archontibus lib. 2. cap. 4. Sed ingeniosissimas Scaligeri rationes exacte firmat noster. Vide eum de Emendatione Temporum lib. 5. pag. 382. Sed adversatur Petavius de Doctrina Temporum lib. 10. cap. 22. & anno sequenti tribuit. Hac pugna, quod ex vestigiis orationis contextus elicitur, Æschylus poeta annos natus 35, certamine strenue contendit, cum fratre scilicet Cynægiro. Annus est Olympiadis 72 secundus. Suidas autem concertâsse scribit Pratinam cum Æschylo & Chærillo Olympiade 70, in Πρατίνας, neque aliud puto voluit in Æschylo ubi, ut codices editi habent, ἠγωνίζετο, inquit, αὐτὸς ἐν τῇ θ'. Ολυμπιάδι ἐτῶν ὢν κε'. *Certavit Olympiade* 9. *annos natus* 25. Rescribendum forsan, modo sit ipse sui medela, ἐν τῇ ο. Ολυμπιάδι. Et proclivis lapsus erat, ut ex O, in numeris Θ fieret. Ita inter Suidam & nostrum de ætate consensus est. Atque ita recte, puto, Suidas emendatus. Satis item consentit Olympiadum ἀναγραφὴ. Videsis Isaacum Casaubonum de Satyra Poesi lib. 1. cap. 5. & 1. Meursium de Archontibus lib. 2. cap. 2. & 19. & Periodi heic annos 4228. & 4257. Seld.

Ad an. 4225. Quæ restant ex notis numeralibus sunt ΔΠ. aut ΔΠΙ. Nam utrum ex vestigiis eliciendum sit, non satis liquet. Scripsisse puto autorem ΗΗΔΔΠ. Inde natus est in Periodio Juliana, annus 4225. In Darii excessu heic prochronismus est, ut in initiis metachronismus, si ad aliorum rationes exigas. Si alium fingamus numerum integrum ita finientem, longius à recepta Epocha vagabimur. Vide Josephum Scaligerum de Emend. Temp. lib. 5. pag. 382. Ad Simonidem hunc spectat illud apud Eusebium num. 1530. Sed & vide eum numero 1354. & Græce pag. 40. & infra, annum Periodi 4245. Seld.

Ad an. 4228. De Æschyli victoriis, vide Scholiastem ejus in Persas, Suidam, vitam ejus, Gregorium Giraldum Dialog. 6. & quæ supra citavimus anno Periodi 4223. Instauratio Olympiadum aliquot, quæ ei tributæ, à nostro

forsan accipienda. Sed trinis ferme Olympiadibus integris, ante nostri Epocham Æschylum agnitum fuisse notat Eusebius; quod ipsum etiam notat Olympiade plusquam integrâ recentius.

Euripidis autem natales, apud nostrum, sexennio antevertunt annum à Diogene Laertio in vita Socratis assignatum, qui est Olympiadis 70 primus seu Periodi 4234, qui annus dicitur vulgo Xerxis transitus in Græciam, ut alter regni ejus initiorum. Etiam Suidas & Thomas Magister, Olympiadum item ἀναγραφῆ Scaligeriana Laertii sunt sequaces. Vide porro Giraldum Dialog. 6. & 1. Meursium de Archontibus lib. 2. cap. 8. Sed Eusebio clarus habetur anno tertio Olympiadis 77. Certe ad Laertii rationes ita admodum puer clarus erat. Ad nostri vero, annum agens sextum decimum.

Stesichoros autem habet noster binos. De altero seu juniore, inferius proxime post annum Periodi 4343. Natum autem scribit Stesichorum Suidas ἐπὶ τῆς λζ΄. Ὀλυμπιάδος, *Olympiade* 37. Et ad summam senectutem eum pervenisse, annum scilicet 85, ex Luciani Macrobiis docemur. At si natus fuerit Olympiade 37; ad nostri rationes, jam ad annum 146 pervenerat, ætatem eo ævo rarissimam. Atqui & mortem obiisse ait Suidas Olympiade 56, seu annis 70 ante annum quo noster eum collocat. Eusebio autem clarus habetur Olympiade 42, mortuus 55. Stesichorus vero, Poeta etiam insignis, de quo mortuo Phalaris tyrannus scribit tum ad filias suas, tum ad Himeræos Epistolas 31, 54, & 103, obiit saltem ante Olympiadis 38 annum secundum, quo nempe ipsa Phalaridis tyrannis juxta Eusebium finita. Vide etiam Phalaridis Epistolas alias. Anne igitur tres Stesichori? Adi etiam, si placet, Giraldum Dialog. 6. & Joannem Tzetzem Chiliad. 1. cap. 25. Sed Suidæ etiam convenit cum συναγωγῇ historiarum Scaligeriana, quam videsis Olympiadibus ΛΖ΄. & Νϛ΄. Geloni autem Siciliæ tyranno coævum fuisse Stesichorum habet Conon, nostro astipulatus, apud Photium Cod. 186. sect. 42. vide infra, annum Periodi 4235. Seld.

Ad an. 4233. Hæc vulgo anno tribuuntur proximo. Alii aliter. Sed de ea re vide quæ Scaliger disputat lib. 5. de Emendatione pag. 383. & in tertio Canonum pag. 231. ubi etiam de die, ingeniosissime, ut solet. Sed exacte cum nostro conveniunt Petavii rationes, quas vide de Doctrina Temporum lib. 10. cap. 24. Adde ejus caput 22. libri 1. & notas ad Themistii orationem 12. Archon heic erat Calliades uti etiam ex Marmoris vestigiis liquet. Ita etiam nominatur Laertio in vita Socratis, Dionysio Halicarnassensi lib. 9. Diodoro lib. 11. & Thomæ Magistro in vita Euripidis. Sed eidem Laertio in Anaxagora Callias vocatur, uti & Eusebio, & D. Hieronymo ad Danielem cap. 11. & Olympiadum ἀναγραφῇ. Seld.

Ad an. 4234. Neque enim Marmore alius hic potuit esse numerus integer quam ΗΗΠΙ qui annum hunc indicat. Transitus Xerxis præcedente hanc pugnam anno suffragiis plerumque omnium collocatur. Itaque Pausaniæ cum nostro de utroque forte convenit. Is enim in Eliacorum 2 pugnam hanc Olympiadi 75 tribuit qui hic ipse annus est; ergo, ut videtur, Xerxis transitum præcedenti. Sed apud Eusebium metachronismus est quadriennii; pugna hac Olympiade 76 positâ.

De Ætnæ flammis consule Philippum Cluverium in Sicilia antiqua lib. 1. cap. 8. Sed nunc primum montem ignem evomuisse, innuit, ni fallor, noster. Seld.

Ad an. 4235. Sed mirum heic inter nostrum & Scriptores alios, quos inter neque consensus est, discrimen. Vide Eusebium numero 1530, &, ad eundem, Scaligerum. Adde Pindari Scholiasten ad Pythionicarum 1. & 3. & Scaligerum ad numerum porro Eusebianum 1542. item Olympiadis ΟΒ΄. anni secundi ἀναγραφήν. Seld.

Ad an. 4236. In Lacunam desinit numerus. Sed ex eo quod archontis nominis reliquum est ....μάντου, manifestum est satis Ἀδειμάντου, exaratum fuisse.

Is

Is proximum post Timosthenem annum occupat in Fastis Atticis. Numerus igitur erat ΗΗΔΙΙΙΙ, 214, qui nostros facit; aut proxime minor. De Simonide hoc, nihil, ni fallor, occurrit in Eusebii Chronicis. Videsis supra ad annum Periodi 4225. & inferius ad 4245. ubi de Simonide avo. Nepotem autem legimus, ἐν τῇ συναγωγῇ historica à Josepho Scaligero edita, floruisse Olympiade 56, anno scilicet 80 aut circiter ante nostri Epocham. Seld.

Ad an. 4242. Ergo annos duntaxat 7 non 17 regnavit Gelo; quod tamen in Eusebii Græcis, &, pro rationum fundamento, Scaligero habetur. Annus hic est Olympias 77. Prochronismus est, in Hieronis initiis, triennii apud Eusebium; spatii item amplioris, si perochæ, quæ de Hierone præcedit, fides apud eundem magis habenda. Vide eum numero 1538, & 1542. Pindari Scholiastes ad Pythiorum 3, καθίσατο, inquit, ὁ Ἱέρων βασιλεὺς κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, τῆς εἰκοστῆς ὀγδόης Πυθιάδος τῇ προκειμένῃ συγχρόνου οὔσης. *Regnare cœpit Hiero Rex Olympiade 76, quæ Pythiadi 28 respondet.* Id est anno Olympiadis 76 tertio, qui ipsa est Pythias 28, ab eo tempore quo agon Pythicus coronarius factus est dinumerata; de qua re vide ante numerum Periodi 4132. Tertii autem Olympiadum anni Pythiades sunt. Sed Pindari Scholiastis calculus, biennio tantum antevertens, Nostri rationibus proximat. Vide supra citata ad numerum 4235. præter ἀναγραφὴν Olympiadum, in ΠΕ. Vestigia autem quæ in Marmore restant, Charetem satis indicant archontem qui hunc annum in Fastis Atticis tenet. Scripsit plane noster Χάρητος. Seld.

Ad an. 4244. De Socrate vide infra annum Periodi 4313. At natus igitur est Sophocles Periodi anno 4217. seu Olympiadis 70. quarto, ut supra notavimus. Metachronismus, de natalibus, novennii est apud Suidam, qui natum eum esse ait, κατὰ τὴν ογʹ. Ὀλυμπιάδα, seu Olympiade 73. Quadriennii, apud vitæ ejus autorem, qui 71. Olympiadis secundo & Philippo archonti tribuunt. Ita etiam Olympiadum ἀναγραφεὺς anonymus, quem vide item anno tertio 73 Olympiadis. Vide Meursium de archontibus lib 2. cap. 3. & Gregorium Giraldum. Sed hoc ipso anno id ipsum de victoria ejus forte innuerat Eusebius. Nam sub eodem in Latinis; *Sophocles & Euripides*, inquit, *clari habentur.* In Græco vero Canone, anno præcedente eum quem designat noster, Σοφοκλῆς, ait, τραγῳδοποιὸς πρῶτον ἐπεδείξατο, *Sophocles Tragicus Poeta primum ingenii sui opera publicavit*, id est, in certamen Poeticum descendit, quod tamen in Latinis Eusebii ipsa Olympiade ponitur. Vide eum numero 1545, & in priore parte Chronicorum Græce pag. 44. D. Hieronymum ad Danielem cap. 11. & Scaligerum ad dictum numerum. De Archonte hujus anni, vide inferius ad Periodi 4313. Seld.

An an. 4245. De archontis nomine non est cur dubitemus. Plane indicat quod est nominis in Marmore reliquum. Vide autem notas historicas. De Saxi casu (de cœlo nempe decidisse ferebant) quadrennii est apud Eusebium Metachronismus. Prochronismus Plinio biennii. Vide eum lib. 2. cap. 58. Sed non omnino heic doctissimo viro assentire queo, qui, ex Lysandri vita apud Plutarchum, putat eliciendum, Anaxagoram quidem casum, uti est apud Laertium, prædixisse, sed sexaginta aut circiter post annis saxum cecidisse; eo scilicet quod Lysandri in Athenienses victoriam, quæ tot annis postea parta est ad Ægos flumen, casum hunc portendisse tunc conjectabant nonnulli, aut ejus σημεῖον, quod ait Plutarchus, fuisse; ac si casus, qui tot annis anteverterat, victoriæ signum fuisse minime omnino conjectassent harioli. At vero ex astrorum positu, scimus, fata, quæ post multo plures annos eveniant, à futili Astrologorum gente quotidie, idque ritu veteri, prædici solere. Quod nemo nescit qui eorum ἀφέτας, ἀναιρέτας, Directiones, uti vocant, & Revolutiones tam in singularium hominum quam in urbium gentiumque thematis atque alias ejusdem farinæ nugas exploravit. Etiam celeberrimum

rimum est in historia Britannica saxum, quod, non semel translatum, certissimum futuri, post compluria secula in loco quem occupaverit, regni indicium & omen habitum est; idque divulgatissimo carmine. Nihil igitur vetat quin Saxum quod sub Anaxagora cecidit, victoriæ quæ tot annis postea parta est, sive signum sive portentum apud conjectores, qui tam libentissime rerum ejusmodi ansas quam vanissime arripiunt, æstimaretur. Sed porro de casu vide ibidem Plutarchum. Adi, si placet, I. Meursium de Archontibus lib. 2. cap. 14. Romæ certe lapidibus pluisse sæpius, & portentum sacris novendialibus ritu veteri lustrari solitum legimus apud Julium Obsequentem de Prodigiis. Et ejusmodi quid de lapidibus, ævis recentioribus non uno in loco memoratur. Seld.

De Simonide avo heic autorem locutum esse puto. Adi notas historicas, pag. 220. Simonidis nomen non semel luxatum legitur apud Eusebium. Vide supra, annum periodi 4225, Sed & vide eum numero 1457, qui Olympias est 55, id est, Periodi Julianæ 4154. *Simonides*, inquit, *clarus habetur*; & in Græcis Σιμωνίδης ἐγνωρίζετο. Certe circa eum ipsum annum, si nunc nonagenarius erat, natales ejus collocandi. Nonne igitur pro ἐγένετο illuc irrepsit ἐγνωρίζετο, quod tum Eusebium in annalibus quos exscripsit, tum D. Hieronymum fefellerit? Suadit sane temporis ratio. Ad eundem Simonidem etiam spectat illud, puto, quod habet Eusebius numero 1480. Sed quod occurrit de hoc nomine apud eum 1354, pertinere ad avum ibi nequit, nedum ad nepotem. Et certe submovendum. Vide Gregorium Giraldum. Adde quod habetur in ἀναγραφῇ Olympiadum ζβ'· & apud Synesium Epistola 49, ad Theotimum. Seld.

Ad an. 4251. De Archonte quem tamen Euhippum vocant, consensus aliquis est apud alios scriptores. De anno vix ullus apud veteres. Vide Eusebium, Diodorum, Scaligeri Canonum librum 3. pag. 335. & Dionysium Petavium in Paralipomenis ad Doctrinam Temporum, pag. 849. Marmoris autem vestigia reliqua tam patris quam filii nomina satis indicant. Seld.

Ad an. 4257. De eo vide supra ad annos Periodi 4189, 4223, & 4228. Apud Suidam autem ætas ejus annis undecem minor est. In vita ejus, sexennio. Adi item, præter Isaacum Casaubonum de Satyrica Poesi, lib. 1. cap. 5. & Gregorium Giraldum, Joannem Meursium de Archontibus, lib. 2. cap. 19. Seld.

Ad an. 4271. Vide supra ad annum Periodi 4228. Hoc ipso anno Eusebius, Εὐριπίδης ὁ τραγῳδοποιὸς ἐγνωρίζετο, *Euripides tragœdiarum scriptor clarus habetur*, ut habet D. Hieronymus. Victoria hæc innuitur. Numeri in Marmore literæ posteriores evanuere. Sed par satis est, ut credamus, ex iis quæ de natalibus Euripidis supra habentur, scriptum fuisse HΔΔΔ, sive CLXXX. Id firmat etiam lacunæ spatium. Sed & vide D. Hieronymum ad Danielem cap. 11. At Diphilus biennio post Archon est in Fastis. Seld.

Ad an. 4294. Obliterantur pleræque numerales literæ quæ Archelai initium signabant. Sed ex Archontis nomine forsan deprehendendi. Is est Astyphilus, aliis item Aristophilus dictus. Sed, cum nostro, Astyphilum eum nominat Athenæus lib. 5. Archon erat ille anno Olympiadis 90. primo, qui est Periodi Julianæ 4294. Vide Diodorum, & Meursium de Archontibus lib. 3. cap. 8. Ita scripsit noster HΔIII, seu 156, si ad Archontum Fastos vulgatos eum exigas. Quos inter & eum interdum tamen discrimen est. Ergo regnavit Perdiccas annos 63, qui sunt 15 plures quam ei tribuit Eusebius. Sed de Perdiccæ excessu & Archelai initiis immanis est apud veteres discrepantia, quorum nemini tamen adsentit noster. Certe Nicomedes Acanthius qui annos 41 Perdiccam regnasse scripsit, propius à nostro abest. Theopompus autem regnasse eum tradidit annos 35, Anaxamines 40, Hieronymus, vetus re-

rum Græcarum Scriptor, 28, (quem secutus est Eusebius) & ut aliquis demum reperiatur consensus, Marsyas & Philochorus 23. Horum sententias exhibet Athenæus lib. 5. Singularem item habet Diodorus sibi Perdiccæ excessus annum. Seld.

Ad an. 4303. Metachronismus est triennii apud Eusebium. Vide eum num. 1609, Diodorum, alios. Sed tamen ipsum annum, cui ejus initia tyrannidis plerunque tribuuntur, obtinet Euctemon (quem habet noster) Archon in Fastis vulgatis, in quibus Theopompus est nostri anno Archon, intercedentibus Glaucippo & Diocle ante Euctemonem. Vide Epocham heic proximam. Seld.

Ad an. 4305. Vide supra ad annum periodi 4228. & 4270. At Eusebio anno qui proxime insequitur, eodem scilicet quo ille Dionysii Siculi initia statuit, moritur Euripides. Videsis ad eum, Scaligerum, ad numerum 1609. Archon autem anni, quo vivere desiit Euripides, Callias est aliis; qui Antigenem scilicet excepit, & triennio tardius quam nostri rationes patiuntur Magistratum inivit, uti & Antigenes biennio; si scriptoribus vulgatis credimus. Vide Diodorum & Meursii Archontas, lib. 3. cap. 12. Et huic anno Diocles assignatur. Quin Euctemon & Antigenes archontes sunt in fastis continui, cum tamen inter Dionysii initia, archonte Euctemone, & Euripidis mortem, Antigene archonte, intercedat heic biennium integrum. Sed id recte satis fieri forsan potuit, servatâ interim exactissime successione illa continua, si annorum embolimæorum rationem habeamus, eorumque in enneadecaeteride Metonica ad Scaligeri calculum. Etenim sub hisce archontibus agebatur ennedecaeteris secunda, cujus in annum quintum, juxta nostrum, cadit annus Antigenis, qui Scaligero atque ejus sequacibus est embolimæus. Et rationibus ita subductis, Euctemonis initia sive Hecatombæonis ejus neomenia incidit in 12 Julii, Antigenis in ejusdem mensis redeuntis 1, cujus tamen annus, utpote embolimæus, Euctemonis superabat diebus saltem 15, & ad 16 diem Julii proximi anni protendebatur. Ita Euctemonis & Antigenis bini anni civiles præter duos integros annos solares communes, dies 4 occupabant. Cum quibus etiam quatuor alii dies ἄναρχοι censendi, de quibus supra. Itaque quod sub initiis evenit Euctemonis, biennio ante collocandum fuerit quam id quod sub Antigenis finem. Atque ita tempestas anni, ferme ipsi dies, in utraque Epocha hinc (si fides calculo) indicari possint. Ceterum, levi elementorum figuræ mutatione vulgatis heic rationibus consentiet fere noster in utroque archonte. Scilicet si in hac Epocha legerimus, quod mihi non permittit Marmor, HΔΔΔΔII, in illa vero HΔΔΔΔIIII. Sed ratio tunc intercalationis Scaligerianæ non procedit. Nam anni quibus collocantur hi archontes in fastis sunt ei utrique communes. Sextus nempe & septimus enneadecaeteridis. Sed de Metonico hoc cyclo, vide porro Dionysium Petavium, cui calculus alius est, alia embolismorum dispositio. Et nec Euctemonis neque Antigenis (ut nostro collocantur) annus ei embolimæus est. Discrepant enim sæpius Scaliger & Petavius in primæ anni Attici neomeniæ loco. Hic eam perpetuo fuisse quæ Solstitio proximabat asserit, ille eam quæ solstitium proxime insequebatur. Atque in ea re cardo certe est controversiæ quam de calculo Attico instituit in Scaligerum Petavius. Vide Petavium lib. 2. de Doctrina Temp. cap. 11, 12, & 13. Seld.

Ad an. 4307. Quamvis dispatuerit Epochæ numerus, & primum etiam ætatis Sophoclis elementum, tamen ex eo quod hujus reliquum est, & eis quæ superius de Sophocle occurrunt, annus quem annotavimus non obscure elicitur, vide supra ad annum 4244. Epocha igitur in Marmore heic erat HΔΔΔΔIII, seu 143. At tam Euripidis quam Sophoclis mortem statuunt eodem anno, alii plerique. Vide Meursium de Archontibus, lib. 3. cap. 12. Gregorium Giraldum Dialog. 6. & Olympiadum ἀναγραφὴν anno tertio nonagesimæ tertiæ. Cyri ascensum ex vestigiis illis ἀνέβ....... quod ἀνέβαινεν forte

forte indicat, adjecimus. Sed ἐπέχω. Hunc sexennio post ascendisse tam Eusebius quam Diodorus scribit, archonte Exæneto. Vide inferius ad annum periodi 4313. Sed nec ita, biennio intercedente inter hanc & eam quæ precedit Epocham, Antigeni proxime succedit Callias, quod tamen volunt fasti omnes. Neque heic ab intercalatione medicina est, juxta nostri rationes; si eas recte capimus. Atque ita hi in fastis collocantur, ut septimum alter, alter octavum enneadecaeteridis annum, id est embolimæum, occupet. Et Antigenis sic annus à 10 Julii ad 28 Junii, Callia autem inde ad 17 Julii redeuntis anni Scaligeriani extenditur. Certe sic biennium inter eorum præturis signatas Epochas locum habuerit. Adjectione autem τοῦ προτέρου innuit Calliam, ut videtur, etiam nunc archontem fuisse qui 50 antea anno, quo mortuus est Æschylus, archon item erat etiam tunc ὁ πρότερος dictus. Alius enim ejusdem nominis erat eodem ævo subinde archon annuus. Seld.

Ad an. 4311. Selinuntium poetam dithyrambicum intelligit. Athenæo citatur hic sæpius. Nec dubitari potest de nomine tametsi primum disparuerit in Marmore elementum. Quadriennio autem post, illustris habetur apud Diodorum, lib. 14. Ithycle scilicet archonte. Et cum ἐπισημοτάτοις διθυραμβοποιοῖς Timotheo Milesio, Philoxeno & Polyeido connumeratur. Vide infra ad annum periodi 4334. Telestis vitam scripsit Aristoxenus Musicus, uti memorat Apollonius in ἱστορίᾳ θαυμασίᾳ μ'. Seld.

Ad an. 4313. Hoc anno Græcos, qui cum Cyro contra Artaxerxem ascenderunt Duce Xenophonte in Græciam iterum rediisse ex ipso Xenophonte, qui hujus expeditionis scripsit Historiam, manifestum est; dicit enim ille totum tempus expeditionis in ascensu & reditu absumtum fuisse unum annum & tres menses: Ascensus autem fuit, teste Diodoro Siculo, Archonte Athenis Exæneto, reditus igitur fuit anno sequente quo Archon fuit Laches.

Eusebio Olympiadis 95 anno 2 moritur Socrates. Metachronismus est biennii, aut circiter. Sed & Eusebius in Græcis nonagenarium tempore mortis fuisse ait. πιὼν τὸ κώνειον ἀπέθανε ζήσας ἔτη G, *Hausta cicuta mortuus est nonagenarius.* Depravata forte est illa figura numeralis ex O. quod Septuaginta notat. Quin natales Socratis Eusebio, ipso anno tertio Olympiadis 78 tribuuntur. Ita mortuus est, postquam vicerat annos 65. In utroque igitur loco erratum est. Sed ad amussim ferme consentiunt noster & Apollodorus apud Laertium, qui Olympiadis 77. anno quarto sub Aphepsione, aut Apsephione, uti nostro vocatur, archonte natum scribit. Et tam de anno natalium expresse Olympiadum ἀναγραφὴ, quam de mortis, astipulatur. Vide supra annum periodi 4244. Neque omnino ullâ Laertii loco, in vita Socratis, de hac re medelâ opus est, quam tamen attulit vir doctissimus tam Aphepsionis & Phædonis nominibus eundem, apud Scriptores, annum designantibus, quam iteratis forte Aphepsionis præturis, ni fallor ipse, deceptus: nec tamen sine exemplo: videsis Αναγραφὴν Olympiadum, Olympiad. οδ' anno tertio & 1. Meursium de Archontibus lib. 2. cap. 7. & 12. Nam per totum annum τῆς Πρυτανείας, quo Socratem natum aiunt, aut Aphepsion magistratum gessit, Phædon etiam, nescio quare, vocatus, aut suffectus est ei mortuo Phædon, qui quod reliquum erat anni incepti implevit. Videsis fastos Atticos & Suidam. Etiam de morte adeoque de ætatis annis cum nostro satis convenit Laertio, quem consulas in vita Xenophontis, ubi idem dicit quod in Socratis. Laertius autem Xenophontem cum Cyro ascendisse ait proximo ante Socratis obitum anno. Certe de iis qui μετὰ τοῦ Κύρου ἀνέβαινον scripsisse etiam heic nostrum, vix est ut omnino dubitemus. Vestigia illa .... Κύρου ἀναβάντες satis suadent. Etiam sub hoc ipso tempore collocatur apud optimos Scriptores ipsa Cyri ἀνάβασις. Vide Scaligerum de Emendatione lib. 5. pag. 389. & supra, annum periodi 4037. Seld.

Ad

Ad an. 4315. Atqui in Fastis, archontes continui sunt Laches & Aristocrates; integro nihilominus heic inter Epochas bienhio putato. Neque opem fert heic Scaligeriana intercalatio, sive anni Πρυτανείας ratio. Secundæ enim enneadecaeteridis Metonicæ annos habent hi, uti in fastis locantur, 14 & 15, quorum uterque ad Scaligeri calculum communis est. Anne igitur inter hosce alius locum obtinuit? Atqui ad nostri rationes, Lacheti annus est embolimæus, decimustertius nimirum enneadecaeterici Cycli secundi, unde saltem res hæc salva fieri possit. Calculo autem Petaviano etiam annus Cycli hujus 14 est embolimæus. Seld.

Ad an. 4337. Annus Epochæ disparuit; sed manet archon qui Calleas est seu Callias, ut Diodoro atque aliis dicitur: quem Chabriam male nominat Sigonius. Post Aristocratem archontem, nostro cum fastis vulgatis, de annis, exacte convenit. Ita numerus heic erat HΔIII, seu 113, unde is quem adjecimus prodit. Optime consentit Suidas in Ἀναξανδρίδης. Et anno proximo ἐγνωρίζετο, in Olympiadum ἀναγραφῇ, archonte Chariandro.

Ad an. 4341. Fabulæ Astydamas, poeta utpote tragicus, commissione certabat annis antea 26, aut circiter, archonte Aristocrate. Ita tum Diodoro, lib. 14. tum Olympiadum ἀναγραφῇ legitur. De Cometa, vide Notas Historicas. Seld.

Ad an. 4343. In hanc Lacedæmoniorum cladem collocat diserte Pausanias in Arcadicis; ita alii. Anno insequenti potius tribuit magnus Scaliger. Vide eum de emendatione lib. 5. pag. 391. Saltem Phrasiclide in fine anni magistratum gerente, putat prælium commissum. Nam Plutarchus (quem de hac pugna vide in Pelopida & Epaminonda) contigisse ait Hippodromii mensis πέμπτῃ ἱσταμένου. Et Hippodromium cum Hecatombæone confert. Sed ea res satis est, si dies spectemus, incerta; de tempestate interim anni, non item. Phrasiclidis annus, ad Scaligeri rationes Metonicas, embolimæus, quintus nempe enneadecaeteridis quartæ Metonicæ, incepit 2. die Julii; finivit ejusdem mensis 15. in anno sequente. Et cum sub id tempus, æstivum scilicet Solstitium, quod Plutarchi de Hecatombæone mentio innuit, prælium commissum fuerit, atque noster annos solares ab 8 Julii retro putarit (de qua re, in apparatu diximus) secundum hasce rationes tam in finem Phrasiclidis, quam in initium conjici posset. Sed annus hic communis est Petavio, & incipit 3 die Julii, Junii 22 (aut si τῶν ἀνάρχων ἡμερῶν ratio habeatur) 18. finitus. Vide autem proximam Epocham, qua forte ad finem ejus præturæ necessario trahendum indicatur. Seld.

Ad an 4344. De Stesichoris vide supra ad annum 4228. Epochæ numerus heic cum ipsius Marmoris fragmentis aliquot amplis uti & alia plura disparuere. At si Pausaniæ fides, ipsum qui adjectus erat numerum revocare forsan non est difficile. Certe si nostro cum Pausania hic quemadmodum in priori Epocha, conveniebat, res erit manifesta. Ille in Arcadicis, Συνῳκίσθη, inquit, ἡ Μεγάλη πόλις ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ καὶ μησί τοῖς ὀλίγοις ὕστερον, ἢ τὸ πταῖσμα Λακεδαιμονίων ἐγένετο τὸ ἐν Λεύκτροις, Φρασικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ δευτέρας. "Condita est Megalopolis "eodem anno quo & mensibus paucis postquam cladem accepere Leuctris La"cedæmonii, Phrasiclide Archonte Athenarum, secundo scilicet anno Olym"piadis 102. Vide Epocham proxime superiorem. De initio Phrasiclidis anni loqui eum non opinor nisi à nostro plane discedat. Nam si menses illi pauxilli ab initiis ejus putandi, tunc hæ duæ Epochæ in unam concurrere debuissent non dividi. Nec eosdem annorum numeros alibi omnino iterat noster præterquam semel idque sub tempus mythicum: sed quæ ad eundem spectant numerum, sub eodem simul collocare solet. Ceterum annum hic ad Juliani formulam intelligi opinor à Pausania quæ, eo scribente, passim in usu; neque aliter quam si dixisset eodem anno Juliano, à Calendis scilicet Januariis putato, quo prælium contigit Leuctricum Archonte nempe Phrasiclide, seu Olympiadis

piadis 102 secundo, & paucis, post ipsum prælium, mensibus, conditam esse Megalopolin; id est, in annis Olympiadicis, anno post Phrasiclidem, proximo, seu Olympiadis tertio. Si ita intelligatur tunc ad finem Phrasiclidis non ad initia ejus spectat ipsum prælium in nostri Epocha; si nempe recte Plutarchus sub Solstitium æstivum id collocarit. Sic numerus in Marmore erat, HIII, 106. Sed tam Megalopolis conditum quam Pugnam Leuctricam sub Phrasiclidis anno ponit Scaliger in Olympiadum ἀναγραφῇ. Vide Petavium de Doctrina Temporum, lib. 10. cap. 31. Seld.

Ad an. 4346. De anno hoc, cum aliis nostro convenit. Exacte ita Eusebius; qui Olympiade 103 collocat Dionysii junioris initia. Sed si recte rationes nostri tenemus, plures aliquot anni Dionysio patri, quam vulgo assignantur, tribuendi. Certissimum est male tam in Græcis quam Latinis Eusebii octodecim duntaxat notari, quod ex ipso Eusebio, cui Dionysius tyrannidem invasit sub Olympiade 93. satis arguitur. Triginta octo habet Helladius in Chrestomathia. Id rationibus, ex Dionysii initiis apud Eusebium sumtis proximat, & à Chronologis magnis recipitur. Sed nostro sunt 43. Vide supra ad annum Periodi 4303. & Scaligerum ad Eusebianum numerum 1649. Quæ in lacuna hujus Epochæ supersunt vestigia Alexandri Amyntæ F. Macedonum Regis mors & Ptolomæi Aloritæ successoris initia fuerint notata, ne ariolari possum quid sibi velint. Spatium fragmenti quod evanuit non dissentit. Sed prochronismus est apud Eusebium quinquennii; apud quem Macedonum Regum etiam satis turbata sunt tempora. Sed vide Scaligeri Canonum lib. 3. pag. 335. Seld.

Ad an. 4348. Nausigenem excepit Polyzelus Archon, quem Cephisodorus, fastorum consensu. Sed quid de Phocensibus & Delphis annotatum fuerit, ne conjectari quidem possum. Græca habent φωκεῖς τὸ ἐν Δέλφοις .... Certe octennio post, Archonte Agathocle, οἱ φωκεῖς καταλαμβάνουσι τὸ ἐν Δέλφοις ἱερὸν *diripiunt Templum Delphicum* quod docent & Pausanias in Phocicis, & Olympiadis 105 anni quarti ἀναγραφή. Sed Cephisodori annus in fastis ei quem adjicimus respondet. Seld.

CXXII.

CXXII.

D.M.
T. STABERI
FELICISSIMI
VIXIT ANN. LIII.
M. VIII.

CXXIII.

D. M.
...... MNIO AVG.
VERNAE ......
ANN ....
D. ....
DIONYSIVS ...
AVG. LIB. ....

CXXIV.

P.TVRVLLIVS P.ET. Ɔ.L.APOLLONIVS
Θ CAPRIA Ɔ.L. ANDROMACHA
BETVTIA Q.L. FAVSTA
C.VICRANVS SECVNDVS
. . . .
CERCENIO M.L. VRANIO.

CXXV.

D. M.
CL. EVPHROSVNE
BENED. HIC .S. EST
FECERVNT
M.VLPIVS AVG. LIB.
NICANOR
CONIVGI KAR. DVLC. ET
L.BAEBIVS
ONESIPHORVS
MATRI DVLC. PIENT.

CXXVI.

CXXVII.

D. M.
. . . S ABASCANIVS
. . . . NIA RESTITVTA
. . . ET SIBI ET SVIS ET
LIBERTIS LIBERTABVSQVE SVIS
POSTERISQVE EORVM.

CXXVIII.

D. M.
DOMITIAE
PHILOTERI
IVLIA MVSA
FECIT MATRI. B. M.

CXXIX.

: ΓΕΣΣΙΟΣ
ΦΛΑΚΚΟΣ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ
ΕΠΙ ΤΩΝ ΟΠΛΩΝ
ΗΡΑΚΛΕΙ ΟΠΛΟ
ΦΥΛΑΚΙ.
ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥΝ
ΤΟΣ Γ. ΠΟΡΚΙΟΥ ΔΟ
ΜΙΤΙΟΥ ΚΛΕΟΔΗΜΟΥ
ΦΛΑΟΥΙΑΝΟΥ ΝΕΟΥ
ΣΑΓΑΡΕΙΤΟΥ,
ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ΤΗΣ
ΣΤΡΑΤΗΓΙΑΣ F. ΑΟΥΙ
ΔΙΟΣ ΝΙΓΕΡ ΜΗΝΟ
ΦΑΝΤΟΣ ΤΕΙΜΑΙΟΥ
ΜΑΚΡΟΣ ΤΑΜΙΑΣ ΚΑΙ
ΟΙ ΣΥΝΑΡΞΑΝΤΕΣ ΑΥ
ΤΩ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ
ΧΕΙΡΟΤΟΝΙΑΝ ΚΛ
ΡΟΥΦΕΙΝΟΣ ΚΑΡΤΩΡΙΑ
ΝΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ
ΖΩΣΙΜΟΥ ΙΕΡΟΝΥΜΟΣ
ΑΙΝΕΙΑΣ ΜΥΣΤΙΚΟΥ
ΠΟ.ΑΙΛΙΟΣ ΜΗΤΡΟΒΙΟΣ
ΝΕ. Λ. ΤΟΝΝΙΟΣ ΚΑΡΤΩ
ΡΙΑΝΟΣ Μ. ΡΑ. ΡΟΥΦΟΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΒΟΥΛΗΣ.
ΔΗΜΟΥ ΒΕΙΒΙΟΣ
ΜΕΙΛΗΤΟΣ ΝΕ.
ΟΙ: ΟΝΟΜΟΣ
ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΝΕ.
ΕΠΙ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ.

CXXX.

Γέσσιος
Φλάκκος
Στρατηγὸς
ἐπὶ τῶν ὅπλων,
Ηρακλεῖ ὁπλο-
φύλακι.
Στεφανηφοροῦν-
τος Γ. Πορκίου Δο-
μιτίου Κλεοδήμου
Φλαουιάνου νέου
Σαγαρείτου.
Επίτροπος τῆς
στρατηγίας F. Αυί
διος Νίγερ, Μηνό-
φαντος Τειμαίου,
Μάρκος ταμίας καὶ
οἱ συναρξάντες αὐ-
τῷ κατὰ τὴν τοῦ δήμου
χειροτονίαν, Κλ.
Ρουφεῖνος, Καρτωρία-
νος, Ερμογενὴς
Ζωσίμου, Ιερώνυμος
Αἰνείας Μυστικοῦ,
Πο. Αἴλιος Μητρόβιος
Νε. Λ. Τόννιος Καρτω-
ρίανος Μ. Ρα. Ροῦφος
Γραμματεὺς βουλῆς
Δήμου Βείβιος
Μείλητος Νε.
Οικονόμος
Πάμφιλος Νε.
Επὶ τοῦ Ιεροῦ
Ευεργέται.

Geſſius
Flaccus
Præfectus armorum,
Herculi armo-
rum custodi.
Stephanophori magiſtra-
tum gerente C. Porcio Do-
mitio, Cleodemo
Flaviano juvene
Sagirita.
Curator præfecturæ
F. Avidius Niger,
Menophantus Timæi fil.
Marcus ærarii præ-
fectus & Collegæ
ejus ſuffragiis populi electi,
Cl. Ruffinus Cartoria-
nus, Hermogenes
Zoſimi F. Hermogenes,
Æneas F. Myſtici,
Pu. Ælius Metrobius
juvenis, L. Tonnius Carto-
rianus; M. Ra. Rufus
Scriba comitiorum
Populi, Bibius
Miletus juvenis
Diſpenſator,
Pamphilus juvenis,
in Fanum
Benefici.

Ηρακλεῖ ὁπλοφύλακι. Ut Jovem Custodem, ita Herculem Custodem, ante alia numina, hoc nomine colebant veteres. Et festum celebrabant Romani pridie Idus Augusti, Herculi Magno Custodi in Circo Flaminio, quod ex antiquissimo Kalendarii fragmento in ædibus Capranicorum Romæ visitur. Idem Hercules memoratur Ovidio in Fastis, & Victori in Regionibus Urbis. Vide item, si placet, Ianum Gruterum pag. 45. & 134. in Inscriptionibus. Sed

CXXX.

Notat doctissimus Seldenus [a] in ultimo suo de Synedriis Tomo nec de die Ταυροκαθαψίων, nec de voce alibi, quam in hoc Marmore, unquam legi; atque ideo forsan in editione Marmorum Arundellianorum & suorum insigne hoc antiquitatis Monumentum inter alia non publicavit, quod nihil ad illud habuisset annotandum. Sed quamvis nec de die Ταυροκαθαψίων, nec de voce in aliquo authore legamus, Imagines tamen, quæ in figura supra excusâ videntur, satis indicant hanc Ταυροκαθαψίαν in illa expressam, eam fuisse Taurorum venationem ab equitibus habitam, quæ à Thessalis [b] primo instituta, tandem imperante C. Julio Cæsare in Circo Romano, & deinde per alias etiam civitates in spectaculum dabatur. Festa quibus hæ venationes editæ erant, Ταυροκαθαψίων ἡμέραι dicebantur; venationem, quæ in secunda earum habebatur, hic in figura habes expressam. In ea quinque equites vides, quorum primus & tertius Tauros in Marmore, quod fugâ longe præverterunt, non expressos incitato cursu persequuntur; secundus & ultimus cursu lassatos & anhelantes cornibus tenent; quartus lassatum intortâ cervice prostravit, & incumbit prostrato. Hinc discas hanc Taurorum venationem apud antiquos sic institutam fuisse. Primo Tauri emissi erant, deinde equites conscensis equis

[a] Lib. 3. c. 4. [b] Vide Plin. Nat. Hist. l. 8. c. 45.

cursu

Ὁπλοφύλαξ. seu *Armorum Custodis* nomine cultum Herculem alibi legisse me non memini. Seld.

ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ. Obscurius est hoc, in Marmore, vocabulum. Qui non sensu & notis Verborum terminationibus ductus legeret, ΕΥΕΡΓΕΣΣΟ magis exscriberet. Seld.

CXXX.



cursu celerrimo eos diu persequebantur, donec tandem lassatos assecuti eorum cornua apprehendebant, eaque tenentes juxta aliquandiu ulterius lassantes equitabant, donec tandem cum exhausto lassitudine spiritu viribus inferiores reddidissent, intortâ cervice ab equis desilientes humi prosternebant, & prostratis incumbentes jugulabant, illudque in hoc certandi genere victoria, summaque eorum, qui assequebantur, gloria æstimabatur. Venatio igitur hæc, ut modo monui, eadem est, quam è Thessalia Cæsar Dictator Romam transtulit, ibique in Circo inter alios, quos exhibuit, ludos in spectaculum dedit. De ea sic dicit [c] Plinius, *Thessalorum gentis inventum equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice Tauros necare. Primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar Dictator.* Illius etiam alii autores meminere. [d] Suetonius in Claudio, *Præterea Claudius exhibuit Thessalos equites, qui feros Tauros per spatia circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt.* Et Dio in Nerone, ἐν δέ τινι θέᾳ ἄνδρες ταύρους ἀπὸ ἵππων συμπαραθέοντες σφίσι κατέστρεφον, i. e. *quodam spectaculo viri Tauros ab equis juxta cursitando assectantes sibi prosternebant.* Hic igitur Tauros venandi Ludus apud Thessalos maxime in usu erat, iisque diu proprius fuit. Ab ipsis Centauris, qui inter antiquissimos gentis Thessalicæ progenitores numerantur, videtur originem habuisse; cum enim illi [e] in urbe

[c] Ib. [d] Cap. 21. [e] Servius in Virgil. Georg. lib. 3. pag. 120. Edit. P. Dan.

Peli-

Pelitronio prope Peneum fluvium habitantes primi inter Thessalos equitandi studio se dedissent, eoque ceteros excellere semper gestiissent, illud ex invento cujusdam regis sui his artibus promovebant. Tauros efferatos è quodam loco in latam planitiem, quæ ad fluvium Penæum erat, emittebant, & post eos equites stimulis armatos, qui eos cursu assectantes ad locum, unde emissi erant, revocarent. Illi igitur tum in assectandis his Tauris, tum in eorum ictibus evitandis, variis artibus utentes se exercebant, donec per varias ambages agentes, lassatos tandem stimulis, quibus armati erant, pungentes, ad locum, unde emissi fuere, iterum reducebant, atque inde ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους Κένταυροι, & quod equis insidebant dum Tauros sic stimulis agebant, ἱπποκένταυροι dicebantur. Postea vero cum hi non tantum agere Tauros, sed etiam in cursu prosternere aggressi sint, vice stimulorum retia & vincula acceperunt, quibus eos in cursu implicantes subvertebant, uti [f] magnus Salmasius observavit, ex Epigrammate Philippi prius inedito, in quo ille hanc Taurorum venationem Thessalis familiarem ita describit,

Θεσσαλίης εὔιππος ὁ Ταυρελάτης χόρος ἀνδρῶν
  Χερσὶν ἀτευχήτοις θηρσὶν ὁπλιζόμενος.
Δενδροτυπῆ πώλυς ζεύξει σκιρτήματι ταύρων
  Ἀμφιβαλεῖν σπεύδων πλέγμα μετωπίδιον.
Ἀκρότατον δ' εἰς γῆν κλίνας, ἅμα κ' εὔροπον ἅμμα
  Θηρὸς τὴν πόσσην ἐξεκύλισε βίαν.

Postea vero sine omnibus armis hoc certamen iniere: & sic in Marmore, qui Tauros venantur, vides descriptos. Et sic Heliodorus in Æthiopica Historia hanc venationem describit, usque enim ad illius tempora (i. e. regnum [g] Theodosii Magni, illi enim coævus fuit) hæc venatio apud Thessalos retinebatur. Atque ideo cum vellet Thessali sui Theagenis ante destinatam mactationem virtutem & fortitudinem indicare, illum hoc patrio more Rege populoque Æthiopico spectantibus, Taurum efferatum venantem introducit, ibique hanc Ταυροκαθαψίαν quam optime, utpote illi familiariter notam, cum Triccæ in Thessalia Episcopus fuisset, ita in Persona Theagenis describit. [h] Ἐνταῦθα ὁ Θεαγένης, εἴτ' οὖν οἴκοθεν ἀνδρείῳ τῷ λήμματι κινούμενος, εἴτε καὶ ἐκ τῶν Θεῶν ὁρμῇ χρησάμενος, τούς τε περιεστῶτας αὐτῷ φύλακας πρὸς τὴν καταλαβοῦσαν ταραχὴν διεσκεδασμένους θεασάμενος, ὠρθώθη τε ἀθρόον, καὶ εἰς γόνυ πρὸς τοῖς βωμοῖς πρότερον ὀκλάζων, καὶ τὴν ὅσον οὐδέπω σφαγὴν ἀναμένων, καὶ σχίζαν τῶν ἐπικειμένων τοῖς βωμοῖς ἀναρπάζει· καὶ τῶν ὑποδράντων ἵππων ἑνὸς λαβόμενος, τοῖς τε νώτοις ἐφίπταται, καὶ τῶν αὐχενίων τριχῶν ἐπιδραξάμενος, καὶ ὡς χαλινῷ τῇ χαίτῃ χρώμενος, μυωπίζει τε τῇ πτέρνῃ τὸν ἵππον, καὶ ἀντὶ μάστιγος τῇ σχίζῃ συνεχῶς ἐπισπέρχων, διαδράντα τὸν ταῦρον ἤλαυνε. Τὰ μὲν δὴ πρῶτα φυγὴν εἶναι τοῦ Θεαγένους οἱ παρόντες ὑπελάμβανον, καὶ σὺν βοῇ μὴ ξυγχωρεῖν διεξελάσαι τὸ ὁπλιτικὸν ἕρκος, τῷ πλησίον ἕκαστος διεκελεύετο· προϊόντος δὲ τοῦ ἐγχειρήματος, ὅτι μὴ ἀποδειλίασις ἦν, μηδὲ ἀπόδρασις τοῦ σφαγιασθῆναι, μετεδιδάσκοντο. καταλαβὼν γὰρ ὡς ὅτι τάχιστα τὸν ταῦρον, ἐπ' ὀλίγον μὲν κατ' οὐρὰν ἤλαυνεν, ὑπονύττων τε ἅμα καὶ εἰς ὀξύτερον δρόμον τὸν βοῦν ἐρεθίζων· καὶ ὅποι δὴ καὶ ὁρμήσειε τρεπομένῳ συνεφείπετο, τὰς ἐπιστροφάς τε καὶ ἐκβολὰς πεφυλαγμένως ἐκκλίνων· ὡς δὲ εἰς συνήθειαν τῆς τε ὄψεως ἑαυτοῦ καὶ πράξεως ἐνεβίβασεν, ἀντίπλευρος ἤδη παρίππευε, χρωτί τε χρωτὸς ἐπιψαύων, καὶ ἱππεῖον καὶ ταύρειον ἆσθμα καὶ ἱδρῶτα κεραννύων, καὶ τὸν δρόμον οὕτως ὁμόταχον, ὡς καὶ συμφυεῖς εἶναι τὰς κορυφὰς τῶν ζώων τοῖς πορρωτέρω φαντάζεσθαι· καὶ τὸν Θεαγένην λαμπρῶς ἐκθειάζειν, ξένην τινὰ ταύτην ἱπποταύρου ξυνωρίδα ζευξάμενον.---- Θεαγένης δὲ εἰς ὅσον εἶχε τάχους ἀφεὶς τῷ ἵππῳ χρήσασθαι καὶ προφθάσαντα μικρὸν τὰ στέρνα τῇ κεφαλῇ

[f] In Notis ad Trebellii Pollionis Gallienos. [g] Vide Vossium de Historicis Græcis, lib. 4. c. 18. [h] Lib. 10. non longe à fine.

τοῦ ταύρου παραθέουσαν, τὸν μὲν, ἄνετον φέρεσθαι μεθίησι μεθαλλόμενος· ἐπιῤῥίπτει δὲ ἑαυτὸν τῷ αὐχένι τοῦ ταύρου, καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον πρὸς τὸ μεταίχμιον ἐνιδρύσας, τοὺς πήχεις δὲ οἱονεὶ στεφάνην περιθεὶς, καὶ εἰς ἅμμα κατὰ τοῦ ταυρείου μετώπου τοὺς δακτύλους ἐπιπλέξας, τὸ τε ὑπόλοιπον ἑαυτοῦ σῶμα παρ' ὦμον τοῦ βοὸς τὸν δεξιὸν μετέωρον καθεὶς, ἐκκρεμὴς ἐφέρετο, πρὸς βραχὺ μὲν τοῖς ταυρείοις ἅλμασιν ἀναπαλλόμενος· ὡς δὲ ἀγχόμενον ἤδη πρὸς τοῦ ὄγκου, καὶ χαλῶντα τοῦ ἄγαν τόνου τοὺς πίνοντας ᾔσθετο, καὶ καθ' ὃ μέρος ὁ Ὑδάσπης προυκαθέζετο, περιελθόντα, προσφέρεται μὲν εἰς τοὔμπροσθεν, καὶ προβάλλει τῶν ἐκείνου σκελῶν τοὺς ἑαυτοῦ πόδας, ταῖς χηλαῖς δὲ συνεχῶς ἐναῤῥάττων τὴν βάσιν ἐνεπόδιζεν. ὁ δὲ τὴν ῥύμην τοῦ δρόμου προσποδιζόμενος, καὶ τῷ σθένει τοῦ νεανίου βριθόμενος, τά τε γόνατα ὑποσκελίζεται, καὶ ἀθρόον ἐπὶ κεφαλὴν σφενδονηθεὶς, κύμβαχός τε ἐπ' ὤμους καὶ νῶτα ῥιπισθεὶς, ἥπλωτο ὕπτιος ἐπιπλεῖστον. τῶν μὲν κεράτων τῇ γῇ προσπεπηγότων, καὶ εἰς τὸ ἀκίνητον τῆς κεφαλῆς ῥιζωθέντων· τῶν σκελῶν δὲ ἄπρακτα σκαιρόντων, καὶ εἰς κενὸν ἀερονομούντων, καὶ τὴν ἧτταν ἀλυόντων. ἐπέκειτο δὲ ὁ Θεαγένης ταῖν χεροῖν, τὴν λαιὰν μόνην εἰς τὸ ἐπερείδειν ἀποσχολῶν, τὴν δεξιὰν δὲ εἰς οὐρανὸν ἀνέχων, καὶ συνεχὲς ἐπισείων· εἴς τε τὸν Ὑδάσπην, καὶ τὸ ἄλλο πλῆθος, ἱλαρὸν ἀπέβλεπε, τῷ μειδιάματι πρὸς τὸ συνήδεσθαι, καὶ τῷ μυκηθμῷ τοῦ ταύρου καθάπερ σάλπιγγι τὸ ἐπινίκιον ἀνακηρυττόμενος. i. e. (Interprete Staniſlao Warſchewiczki Polono) Ibi Theagenes, ſeu proprio & virili ſpiritu incitatus, ſive etiam divinitus immiſſo impetu uſus, & cuſtodes, qui illi adſtiterant diſperſos propter tumultum exorſum conſpicatus, erexit ſe ſubito, cum antea ad aram genibus incumberet, & mactationem ſingulis momentis expectaret, lignumque fiſſum (quorum magnus numerus in ara jacebat) arripit, & ex equis, qui non effugerant, unius dorſum occupat, & apprehenſis crinibus ad collum propendentibus, jubâque tanquam freno utens, calcaneoque quaſi calcaribus equum urgens, & loco flagri ligno fiſſo continue concitans, Taurum, qui effugerat, agebat. Ac initio fuga eſſe Theagenis, ii qui aderant, ſuſpicabantur; & clamore, ne ſineret illum extra ſeptum armatorum evehi, quilibet alterum, cui proxime aſtiterat, cohortabatur. Ceterum procedente conatu, quod non formido eſſet, neque fuga mactationis, edocebantur. Aſſecutus enim celerrime Taurum, aliquandiu à cauda detentum egit, laſſitudine conficiens ſimul, & ad celeriorem curſum bovem incitans: quo ſe autem concitaſſet converſum ſequebatur, gyrationes & exitus anguſtos caute declinans. Poſtquam autem illi notum & familiarem conſpectum ſui actionemque ipſam reddidit, jam ad latus adequitabat, cute cutem attingens, & anhelitum taurinum ac ſudorem equeſtri miſcens, & curſum ita æquali celeritate moderans, ut hi, qui longius aberant, coaluiſſe vertices animalium opinarentur, & Theagenem aperte divinis laudibus extollerent, qui peregrinum quoddam ex equo & tauro jugum confeciſſet. ---- Theagenes vero cum permiſiſſet equo, quanta celeritate poſſet uti, & præcurrentem aliquantum, pectus capiti taurino adæquare, hunc quidem liberum ferri ſivit deſiliens: injicit autem ſe in collum tauri, & in medium ſpatium inter cornua facie collocata, ulnis vero tanquam corona circumpoſitis, ac digitis in taurina fronte in nodum complicatis, ac reliquo corpore juxta dextrum armum bovis demiſſo, dependens ferebatur, ita ut paululum taurinis ſaltibus concuteretur. Poſtquam autem jam fatigatum nimio pondere & languefactos eſſe illi muſculos ex nimia intenſione ſenſit, atq; id loci in quo ſedebat Hydaſpes, prætereuntem, obvertit eum in anteriorem partem, & illius cruribus ſuos pedes objicit, ungulis eos continue impingens, & greſſum bovis implicans. Ille autem in impetu curſus impeditus, & robore juvenis gravatus evertitur, ac repente in caput devolutus, & erectis pedibus in ſcapulas ac deorſum projectus, diu reſupinus porrectim jacuit, cornibus terræ infixis, & ita, ut caput movere non poſſet, radicatis: cruribus autem nequicquam ſalientibus, & opportune aerem findentibus, & victoriam languore confitentibus. Incumbebat vero Theagenes ſolâ ſiniſtrâ

manu

'manu ad deprimendum vacans, dextram autem in cœlum continue tendens, '& in Hydaspem, & reliquam multitudinem exporrecta fronte intuebatur, risu 'illos ob oblectationem provocans, & mugitu tauri tanquam tubâ celebritatem victoriæ denuncians. Hoc certandi genus in Circo Romæ primus, ut supra diximus, exhibuit Cæsar Dictator eo tempore, quo post victos Pompeianos [i] de Gallis, Alexandrinis, Ponticis, Mauritanis, ceterisque hostibus suis per multos dies triumphos egerat, & ad hoc nummum Julii Cæsaris,[l] qui in una parte Cæsaris imaginem cum Inscriptione, C. CÆSAR DICTATOR, & in reversa taurum concitatum & furentem cum Inscriptione, L. LAVINEIVS REGVLVS habet, respexisse, & L. Lavineium Regulum ei certamini præsidisse putat Jacobus [m] Dalechampius. Post Julium Cæsarem idem spectaculam Claudius, Nero, aliique Imperatores dabant. Et non tantum Romani, sed aliæ etiam gentes à Thessalis hunc tauros venandi ludum accepere, eoque magnopere delectati fuere; dicit enim Artemidorus, Ταύροις κατὰ προαίρεσιν ἐν Ἰωνίᾳ παῖδες Ἐφεσίων ἀγωνίζονται, καὶ ἐν Ἀττικῇ παρὰ ταῖς θεαῖς ἐν Ἐλευσῖνι κοῦροι Ἀθηναῖοι περιτελλομένων ἐνιαυτῶν, καὶ ἐν Λαρίσσῃ πόλει τῆς Θετταλίας τῶν ἐνοικούντων οἱ εὐγενέστατοι· ἐν δὲ τῇ ἄλλῃ οἰκουμένῃ τὰ αὐτὰ τοῖς ἐπὶ θανάτῳ κατακριθεῖσι συμβαίνει. i. e. " Cum Tauris ex instituto Ephesiorum filii in Ionia 'certant, & in Attica in spectaculis Eleusiniis annis circumvolutis, & in La'rissâ urbe Thessaliæ incolarum nobilissimi, & in aliis orbis partibus hæc ad 'mortem damnatis accidunt. In Ionia igitur apud Ephesios celebratum erat hoc Ταυροκαθαψίων certamen, ab iis ad Smyrnæos eorum vicinos facile poterat transire, à quibus tanta delectatione videtur acceptum fuisse, ut dies quotannis ei edendo in illa urbe destinati fuere, qui Ταυροκαθαψίων ἡμέραι dicebantur; in illa enim urbe hoc Marmor consecratum fuit, unde commercii beneficio, quod cum Smyrnæis habemus in Angliam ad magnum Seldenum translatum fuit, à quo Academiæ nostræ cum aliis antiquitatis Monumentis, ex summa illius benevolentiâ legatum, hic in Memoriam tam antiquissimi & clarissimi certaminis habemus repositum.

[i] Vide Dionem lib. 43. Plut. in Cæsare, Appianum belli Civilis, lib. 2. [l] Vide Ursinum pag. 119. Goltzium pag 177. Tristan. Tom. 1. pag. 31. [m] In notis Plinii lib. 8. cap. 45.

CXXXI.

DIS MANIBVS....
PARENTES FECIT....
CLAVDIVS MEN....
CL
κης τοῦ Μηνογένους
τῶν θρεψάντων
ἐκ τῶν ἰδίων.

Damaparadoxi
& Canidiæ Baſſæ
filiam, poſtquam
peregiſſet Deæ
myſteria & ſacri-
ficia ſplendide &
ſumptuoſe.
Erigentibus columnam
honorariam Andronico An-
dronici fil. & Stratoni-
ce Menogenis,
qui aluerunt,
ex propriis.

XX.

Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙ
ΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΛΩ
ΔΙΟΝ ΑΥΡ ΠΡΟΚΛΟΝ
ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ
ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΡΧΑΙΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ
ΓΙΑΙΣ ΠΑΣΑΙΣ ΔΙΑΤΕ ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ.

Ἡ κρατίστη Θυατει-
ρηνῶν βουλὴ Κλώ-
διον Αὐρ. Πρόκλον
Ἥρωα ἄνδρα Εὐγενῆ,
ἐπὶ σεμνότητι βίου,
καὶ ἀρχαῖς, καὶ λειτουρ-
γίαις πάσαις διάτε αὐ-
τοῦ, καὶ τοῦ γένους.

Præſtantiſſima Thyati-
renorum Senatus Clo-
dio Aurelio Proclo
Heroi, viro Nobili,
ob ſanctitatem vitæ,
& Magiſtratus, & munera
publica omnia geſta & ab eo,
& à familia illius.

XXI.

ΤΟΝ ΓΗΣ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣ
ΣΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΑΥ
ΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑ
ΡΑ Μ ΑΥΡ ΣΟΥΗΡΟΝ
ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ ΕΥΣΕ
ΒΗ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ...
....Η ΔΙΟΝ ΙΔΙ
ΟΙ ΚΕΡΑΜΕΙΣ.

Τὸν γῆς καὶ θαλάσ-
σης δεσπότην Αυ-
τοκράτορα Καίσα-
ρα Μ. Αυρ. Σευῆρον
Αντωνῖνον εὐσε-
βῆ Σεβαστὸν...
.... η δίον ἴδι-
οι κεραμεῖς.

Domino Terræ &
Maris Impera-
tori Cæsari
Marco Aurelio Severo
Antonino Pio
Augusto...
... divino pro-
prii figuli.

XXII.

Ο ΒΩΜΟΣ ΚΑΙ ΑΙ ΣΩΡΟΙ
ΑΙΛ. ΠΑΙΤΟΥ ΑΥΡΕΛΙΑΝΟΥ.

Ὁ βωμὸς καὶ αἱ σωροὶ
Αἰλ. Παίτου Αὐρελιανοῦ.

Ara & sepulchra
Ælii Pæti Aureliani.

XXIII.

ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΖΕΥΞΙΣ ΕΡΓΑΣΤΗΣ
ΠΛΕΥΣΑΣ ΥΠΕΡ ΜΑΛΕΟΝ ΕΙΣ
ΙΤΑΛΙΑΝ ΠΛΟΑΣ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ
ΔΥΟ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙ
ΟΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ ΦΛΑ
ΟΥΙΩ ΘΕΟΔΩΡΩ ΚΑΙ ΦΛΑΟΥΙΩ
ΘΕΥΔΑ ΚΑΙ Ω ΑΝ ΕΚΕΙΝΟΙ
ΣΥΝΧΩΡΗΣΩΣΙΝ.

Φλαούιος Ζεῦξις Εργάστης,
Πλεύσας ὑπὲρ Μάλεον εἰς
Ιταλίαν πλοὰς ἑβδομήκοντα
δύο, κατεσκεύασεν τὸ μνημεῖ-
ον ἑαυτῷ, καὶ τοῖς τέκνοις Φλα-
ουίῳ Θεοδώρῳ, καὶ Φλαουίῳ
Θεύδᾳ, καὶ ᾧ ἂν ἐκεῖνοι
συγχωρήσωσιν.

Flavius Zeuxis Ergastes,
qui navigavit per Maleum in
Italiam navigationes septuaginta
duas, præparavit hoc monumen-
tum sibi, & filiis Fla-
vio Theodoro, & Flavio
Theudæ, & cuicunque illi
concedent.

XXIV.

ΧΑΡΙΤΙΝΗ ΕΡΜΙΠΠΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΟΝΤΟΣ ΤΟ ΜΝΗ
ΜΕΙΟΝ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΝ
ΤΗ ΔΙΑΘΗΚΗ.

Χαρι-

Χαριτίνη Ερμίππου τοῦ
Επιτυγχάνοντος τὸ μνη-
μεῖον ἑαυτῇ καὶ τοῖς ἐν
τῇ διαθήκῃ.

Charitina fil. Hermippi filii
Epitynchanontis hoc mo-
numentum fecit ſibi, & illis,
qui ſunt in teſtamento.

XXV.

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΣΤΙΝ ΙΚΙΟΥ ΙΚΙΟΥ ΤΟΥ
ΕΥΗΜΕΡΟΥ ΙΕΡΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΡΟΦΙΜΗΣ
ΚΥΡΟΥ ΤΟΥ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΓΕΓΟΝΥΙΑΝ
ΕΚΧΩΡΗΣΙΝ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΑΠΟ
ΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ.

Τὸ μνημεῖόν ἐστιν Ἰκίου Ἰκίου τοῦ
Εὐημέρου ἱεροῦ Σμυρναίων, καὶ Τροφίμης
Κύρου τοῦ Ἑρμογένους κατὰ τὴν γεγονυῖαν
ἐκχώρησιν τῆς ἐπιγραφῆς. Ἀντίγραφον ἀπο-
τεθήσεται εἰς τὸ Ἀρχεῖον.

Hoc Monumentum eſt Icii filii Icii filii
Euemeri Sacerdotis Smyrnæorum, & Trophimæ
filiæ Cyri filii Hermogenis ſecundum
conceſſionem ſcripto factam. Scripti exemplar repo-
natur in Archivis.

XXVI.

ΤΑΤΙΑ ΗΡΩΘΕΜΙΔΟΣ ΜΑΓΝΗΤΙΣ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ ΖΩΣΑ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ
ΤΩ ΥΙΩ ΚΑΤΟΙΧΟΜΕΝΩ ΛΥΣΑΝΙΑ ΛΥΣΑ. ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΛΥΣ.

Τατία Ἡρωθέμιδος Μαγνητὶς ἀπὸ Σιπύλου Ζῶσα ἑαυτῇ, καὶ
Τῷ υἱῷ κατοιχομένῳ Λυσανίᾳ Λυσανίου καὶ τῷ πατρὶ Λυσανίου.

Tatia Herothemidis filia Magneſienſis à monte Sypilo, dū vixit, ſibi,
& filio defuncto Lyſaniæ filio Lyſaniæ, & patri Lyſaniæ.

Decem hæc Marmora in variis Aſiæ partibus jam extant, ibi ea tranſcripſit Smithius noſter, qui totam antiquam Aſiam in magnum reipublicæ literariæ commodum peragravit, eique illa debemus accepta.

XXVII.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΥ ΑΧΑΡΝΕΑ
ΕΠΙΜΕΛΗΤΗΝ ΔΗΛΟΥ ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ
ΚΑΙ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ ΞΕΝΩΝ
ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ ΚΑΙ ΠΑΡΕΠΙΔΗΜΟΥΝΤΕΣ ΕΝ ΔΗΛΩΙ
ΤΗΣ ΕΥΝΟΙΑΣ ΚΑΙ ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ
ΘΕΟΥΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΑΠΟΛΛΩΝΙ

Θεο-

Θεόφραστον Ἡρακλείτου Ἀχαρνέα
Ἐπιμελητὴν Δήλου γενόμενον Ἀθηναίων
καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων ξένων
κατοικοῦντες καὶ παρεπιδημοῦντες ἐν Δήλῳ
τῆς Εὐνοίας καὶ καλοκἀγαθίας, καὶ τῆς πρὸς τοὺς
Θεοὺς εὐσεβείας ἀνέθηκαν

Ἀπόλλωνι.

Theophraſto Heracliti filio Acharnenſi
Curatori Deli ii ex Athenienſibus
& Romanis, & aliis peregrinis,
qui habitant, & peregre agunt in Delo,
ob benevolentiam & probitatem & erga
Deos pietatem. Apolloni.

Hoc Marmor baſis ſtatuæ eſt; Deli in honorem Theophraſti Athenienſis popularis δήμου Acharnenſium ponebatur; jam videndum eſt in hortis Regiis Palatii Albæ Aulæ prope Weſtmonaſterium, unde ipſe tranſcripſi.

XXVIII.

ΗΡΩΔΗC ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΚΑΙ
ΤΟΥΤΟ ΕΙΝΑΙ ΤΗC ΑΥΤΟΥ
CΥΜΦΟΡΑC ΚΑΙ ΤΗC ΑΡΕ
ΤΗC ΤΗC ΓΥΝΑΙΚΟC
ΕΣΤΙΝ ΔΕ ΟΥ ΤΑΦΟC ΤΟ
ΓΑΡ CΩΜΑ ΕΝ ΤΗ ΕΛΛΑΔΙ
ΚΑΙ ΝΥΝ ΠΑΡΑ ΤΩ ΑΝΔΡΙ
ΕCΤΙΝ ΤΟΝ ΕΚ ΤΑΥΤΗC
ΠΑΙΔΑ ΕΙC ΤΟΥC ΕΥΠΑ
ΤΡΙΔΑC ΕΝ ΡΩΜΗ ΕΝΕΓΡΑ
ΨΕΝ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟ
ΚΡΑΤΩΡ ΕΥCΕΒΗC Υ
ΠΟΙΤΗC ΠΑΤΡΙΔΟC ΚΑΙ
ΠΑΝΤΩΝ ΚΛΗΘΕΙC
ΑΝΕΝΕΓΚΩΝ ΕΙC ΤΗΝ
ΒΟΥΛΗΝ CΥΝΚΛΗΤΟΥ
ΔΟΓΜΑΤΙ

Ἡρώδης μνημεῖον καὶ	Herodes hoc poſuit, Monu-
τοῦτο εἶναι τῆς αὐτοῦ	mentum eſſe infortunii
συμφορᾶς καὶ τῆς ἀρε-	ſui, & virtutis
τῆς τῆς γυναικός.	Conjugis.
Ἔστιν δὲ οὐ τάφος, τὸ	Non vero eſt Sepulchrum,
γὰρ σῶμα ἐν τῇ Ἑλλάδι	Corpus enim eſt nunc apud
καὶ νῦν παρὰ τῷ ἀνδρὶ	Maritum in Græcia.

Εστιν

ἐςιν· τὸν ἐκ ταύτης
παῖδα εἰς τοὺς εὐπα-
τρίδας ἐν Ῥώμῃ ἐνέγρα-
ψεν Ἀντωνῖνος αὐτο-
κράτωρ εὐσεβὴς ὑ-
πὸ τῆς πατρίδος καὶ
πάντων κληθεὶς
ἀνενέγκων εἰς τὴν
βουλὴν συγκλήτου
δόγματι.

filium ex hac gentium
in numerum patricio-
rum in Româ aſcrip-
ſit Antoninus Pius
Imperator à
patria & omni-
bus invocatus,
referens ad ſe-
natum Senatus
decreto.

Hoc Marmor eſt in hortis Palatii Sancti Jacobi prope Weſtmonaſterium.

XXIX.

ΕΥΤΥΧΙΔΗΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΖΩΝ ΕΑΥΤΩΙ
ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΚΑΙ ΤΑΤΙΑΙ ΑΠΟΛΛΟ
ΦΑΝΟΥΣ ΥΙΟΥ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΤΗΙ ΙΔΙΑΙ
ΓΥΝΑΙΚΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΕΑΥΤΩΝ
ΕΚΓΟΝΟΙΣ.

Εὐτυχίδης Διονυσίου ζῶν ἑαυτῷ
τὸ Μνημεῖον, καὶ Τατίᾳ Ἀπολλο-
φάνους υἱοῦ Μενάνδρου τῇ ἰδίᾳ
γυναικὶ, καὶ τοῖς ἰδίοις ἑαυτῶν
ἐκγόνοις.

Eutychides Dioniſii filius, dum vixit,
poſuit hoc Monumentum ſibi, & Tatiæ filiæ Apollo-
phanis filii Menandri, ſuæ
uxori, & propriis ſuis
poſteris.

XXX.

ΟΙ ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΣΕΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΤΟΙΣ ΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣ,
ΕΙ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΡΟΥΦΙΝΟΣ Ο ΠΟΛΕΙΤΗΣ ΥΜΩΝ Ο ΔΙΑ ΤΗΝ ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ
Η ΣΥΝΕΣΤΙΝ ΕΠΙ ΠΑΙΔΕΙΑ ΚΑΙ ΤΟΝ ΕΝ ΛΟΓΟΙΣ ΣΥΝΕΧΗ ΒΙΟΝ ΤΗΝ
ΠΡΟΧΕΙΜΕΝΗΝ ΤΟΙΣ ΣΟΦΙΣΤΑΙΣ ΚΑΤΑ ΤΑΣ ΘΕΙΑΣ ΤΩΝ ΠΡΟΓΟΝΩΝ
ΗΜΩΝ ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΤΩΝ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΩΝ ΚΑΡΠΟΥΜΕΝΟΣ
ΥΜΩΝ ΑΥΤΩΝ ΕΚΟΥΣΙΩ ΑΝΑΓΚΗ ΠΡΟΚΑΛΟΥΜΕΝΩΝ ΥΦΕΣΤΗ ΤΗΝ
ΣΤΡΑΤΗΓΙΑΝ ΚΑΤΑ ΤΟ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ ΦΙΛΤΡΟΝ ΤΗΝ ΓΟΥΝ ΕΙΣ ΤΑ
ΑΛΛΑ ΜΕΝΕΙΝ ΑΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗΝ ΑΚΕΙΝΗΤΟΝ ΑΥΤΩ ΔΙΚΑΙΟΤΑΤΟΝ
ΕΣΤΙΝ ΟΥ ΓΑΡ ΑΞΙΟΝ ΤΩ ΑΝΔΡΙ ΤΗΝ ΕΙΣ ΥΜΑΣ ΦΙΛΟΤΕΙΜΙΑΝ ΓΕΝΕ-
ΣΘΑΙ ΖΗΜΙΑΝ ΚΑΙ ΜΑΛΙΣΤΑ ΤΑΥΤΗΝ ΥΜΩΝ ΑΙΤΟΥΝΤΩΝ ΥΠΕΡ
ΑΥΤΟΥ ΤΗΝ ΧΑΡΙΝ ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ
ΕΠΡΕΣΒΕΥΟΝ ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΚΑΙ ΑΙΛΙΟΣ ΣΠΗΡΑΤΟΣ.

Οἱ Θειότατοι Αὐτοκράτορες Σευῆρος, καὶ Αντωνεῖνος τοῖς Σμυρναίοις·
εἰ Κλαύδιος Ῥουφῖνος ὁ πολείτης ὑμῶν, ὁ διὰ τὴν προαίρεσιν,
ἣ σύνεστιν ἐπὶ παιδεία, καὶ τὸν ἐν λόγοις συνεχῆ βίον, τὴν
προχειμένην τοῖς Σοφισταῖς κατὰ τὰς Θείας τῶν προγόνων
ἡμῶν διατάξεις ἀτέλειαν τῶν λειτουργιῶν καρπούμενος,
ὑμῶν αὐτὸν ἐκουσίῳ ἀνάγκῃ προκαλουμένων, ὑφέστη τὴν
Στρατηγίαν κατὰ τὸ πρὸς τὴν πατρίδα φίλτρον, τὴν γοῦν εἰς τὰ
ἄλλα μένειν ἀπραγμοσύνην ἀκείνητον αὐτῷ δικαιότατόν
ἐστιν, οὐ γὰρ ἄξιον τῷ ἀνδρὶ τὴν εἰς ὑμᾶς φιλοτειμίαν γενέ-
σθαι ζημίαν, καὶ μάλιστα ταύτην ὑμῶν αἰτούντων ὑπὲρ
αὐτοῦ τὴν χάριν. Ευτυχεῖτε
Επρέσβευον Αυρ. Αντωνεῖνος, καὶ Αἴλιος Σπήρατος.

Diviniſſimi Imperatores Severus & Antoninus Smyrnenſibus.
Si Claudius Rufinus civis veſter, qui ob ſtudium,
quod ei ineſt erga eruditionem, & vitam in dicendo aſſiduam, illâ,
quæ ſecundam divinas progenitorum noſtrorum conſtitutiones
Sophiſtis promulgata eſt, vacatione à publicis officiis fruitur,
ob amorem egra patriam, vobiſmetipſis ſponte ex neceſſitate
vocantibus, præfecturam ſubeat, ei igitur in
aliis ceſſationem à rebus agendis inturbatam manere juſtiſſimum
eſt. Indignum enim eſt hominis erga vos ſtudium ei
fieri in damnum, præſertim cum vos pro eo petiiſtis
hanc gratiam. Valete.
Legati erant Aurelius Antoninus, & Ælius Speratus.

XXXI.

. . . .
. . . . Ν ΤΩΝ ΑΘΗΝ . . . .
. . . . ΡΩΜΗ ΕΙΛΗΜΜΕΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΤΙΓΡΑΦΩΝ . . . . . .
. . . . ΑΙ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΩ ΑΥΤΟΝ ΜΗ ΔΥΝΑΣΘΑΙ ΧΩΡΙΣΘΗΝΑΙ . . .
. . ΥΠΑΡΧΕΙΝ ΤΗΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΟΥ ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΠΟΙΗΣΑΣΘΑΙ ΔΙΑ ΠΡΟΔΗΛΟΥ ΓΑΙΟΝΕΣ . .
. . ΤΟΥ ΘΕΟΠΡΟΠΟΥ Η ΤΙΣ ΙΕΡΩΣ ΞΥΝΗ ΑΚΟΛΟΥΘΕΙ ΤΟΙΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΜΥΣΤΗΡΙΟΙΣ ΔΙΟΣ-
ΦΙΛΟΘΕΕ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΕ ΚΑΙΣΑΡ ΚΕΛΕΥΣΑΙ ΔΟΘΗΝΑΙ ΜΟΙ ΤΑ ΑΝΤΙΓΡΑΦΑ ΤΩΝ ΥΠΟ-
ΜΝΗΜΑΤΩΝ ΩΣ ΚΑΙ Ο ΘΕΟΣ ΠΑΤΗΡ
ΣΥΝΕΧΩΡΗΣΕΝ.

IMP. CAESAR T. AELIVS ADRIANVS ANTONINVS AVGVSTVS PIVS SEXTILIO
ACVTIANO SENTENTIAM DIVI PATRIS MEI
SI QVID PRO SENTENTIA DIXIT RESCRIBERE TIBI PERMITTO RESCRIPSI
RECOGN. VNDEVICENSIMVS ACT. VI IDVS APRIL ROMAE CAESARE
ANTONINO II. ET PRAESENTI II. COSS.

O

Ο ΕΣΣΦΡΑΓΙΣΘΗ ΕΝ ΡΩΜΗ ΠΡΟ ΤΡΙΩΝ ΝΩΝΩΝ ΜΑΙΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ Τ. ΑΙΛΙΩ Α-
ΔΡΙΑΝΩ ΑΝΤΩΝΙΝΕΙΝΩ ΤΟ Β ΒΡΟΥΤΑΙΩ.
ΠΡΑΙΣΕΝΤΙ ΤΟ Β ΥΠΑΤΟΙΣ ΠΑΡΗΣΑΝ Τ. ΦΛ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ ΣΙΜΩΝΗΣ ΛΑΤΙΝΙΟΣ ΦΛΑΟΥΙΟΣ
ΔΗΜΟΣΘΕΝΙΑΝΟΣ ΛΑΙΤΙΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΑΙΛΙΟΣ . . . . . .
Μ ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΚΡΙΣΠΟΣ Λ. ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΑΛΒΕΙΝΙΑΝΟΣ Μ. ΚΟΣΚΩΝΙΟΣ ΚΑΡΙΚΟΣ ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙ-
ΟΣ ΑΚΤΙΟΣ......

Tria hæc Marmora Smyrnæ ſunt, Primum in ruinis Templi Jani, ſecundum in Cæmeterio Armeniorum, Tertium prope Theatrum videnda; ea ibi tranſcripta mihi tranſmiſit Frater meus Edmundus Prideaux, qui in ea urbe jam per multos annos degit. Secundum eorum à Smitheo noſtro prius publicatum erat, cujus etiam ſchedis,quarum mihi ex intima amicitia copiam fecit vir digniſſimus, quod tertium correctius, quam à fratre accepi, tibi exhibeam, agnoſco me debere, ſed illud nihilominus mancum ſemper & in omni linea valde imperfectum manet; cum tamen meminit ſecundi Conſulatus Antonini Imperatoris & Brutii Præſentis, qui hunc Magiſtratum ſimul geſſerunt, A. D. 139. tum ob antiquitatem, tum quod iis, qui in corrigendis faſtis Conſularibus operam impendunt, poſſit inſervire, judicavi dignum non perire.

XXXII.

ΑΛΚΗ ΤΕΙΜΟΚΡΑΤΟΥΣ ΤΟΥ
ΑΠΕΛΛΟΥ ΤΟΝ ΤΟΠΟΝ ΚΑΙ ΤΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΚΑΤ ΑΥΤΗΣ
ΔΙΑΙΤΑΝ ΚΑΙ ΤΑ ΕΝΣΟΡΙΑ
ΗΓΟΡΑΣΕΝ ΜΕΤΑ ΚΑΙ ΔΟΚΙΜΟΥ
ΔΟΚΙΜΟΥ ΚΑΙ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΔΟΚΙ-
ΜΟΥ ΤΩΝ ΣΥΝΤΡΟΦΩΝ ΚΑΙ ΕΘΗ
ΚΕΝ ΣΟΡΟΝ ΠΡΟΚΟΝΝΗΣΣΙΑΝ ΕΝ
Η ΚΕΚΗΔΕΥΚΕΝ ΤΟΥΣ ΣΥΝΤΡΟ
ΦΟΥΣ ΖΩΣΑ ΕΑΥΤΗ ΤΕ ΚΑΙ ΤΗ ΘΥΓΑ
ΤΡΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΑ ΤΟΥ ΤΕΙΜΟ
ΚΡΑΤΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕ
ΡΟΙΣ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΚΑΤΟΙΧΟΜΕΝΟΙΣ ΣΥΝ
ΤΡΟΦΟΙΣ ΤΟΙΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΔΕΣΠΟ
ΤΑΙΣ ΑΥΤΩΝ ΚΑΙ ΤΩ ΚΛΗΡΟΝΟΜΩ
ΑΥΤΩΝ ΚΟΥΔΙΩΝΙ.

Ἄλκη Τιμοκράτους τοῦ
Ἀπέλλου τὸν τόπον, καὶ τὴν
Καμάραν, καὶ τὴν κατ' αὐτῆς
δίαιταν, καὶ τὰ ἐνσορία
ἠγόρασεν μετὰ καὶ Δοκίμου
Δοκίμου, καὶ Τρυφῶνος Δοκί-
μου τῶν συντρόφων, καὶ ἔθη-
κεν σορὸν προκοννησίαν, ἐν
ᾗ κεκήδευκεν τοὺς συντρό-
φους ζῶσα ἑαυτῇ τε, καὶ τῇ θυγα-
τρὶ Ἀλεξάνδρᾳ τοῦ Τειμο-

κρέτυς, καὶ τοῖς ἰδίοις ἀπελευθέ-
ροις, καὶ τοῖς κατοιχομένοις συν-
τρόφοις τοῖς καὶ αὐτοῖς δεσπό-
ταις αὐτῶν, καὶ τῷ κληρονόμῳ
αὐτῶν Κυδίωνι.

Alca Filia Timocratis filii
Apellis locum, &
Camaram, & cœnaculum,
quod ſupra eam eſt, & loculos
emit cum Docimo filio
Docimi, & Tryphone filio
Docimi, qui cum eâ ſimul enutriti erant, &
poſuit Sepulchrum loricatum,
(in quo ſepelivit cum ea ſimul enutritos)
dum vixit ſibi, & filiæ
Alexandræ Timocratis fil.
& libertis ſuis, & cum eâ
ſimul enutritis, qui defuncti
ſunt, & ipſis dominis
eorum, & hæredi
eorum Cudioni.

Marmor, in quo exarata erat hæc Inſcriptio, Figuræ quadratæ, & entenſionis undique pedis ſeſquialterius, olim erat in Londini ſuburbiis trans Thamiſin, quæ **Southwork** vocamus, in popinæ veſtibulo videndum, uti mihi narravit vir inclytus & Doctiſſimus D^{ns} Johannes Marſhamus Celeberrimi Canonis Chronici Author. Ubi nunc latet neſcio: quæ tibi ex eo exhibemus, à neſcio quo tranſcripta à Doctiſſimo Voſſio accepi communicata.

XXXIII.

Sequentem Inſcriptionem Seldenus ex oriente ſibi tranſmiſſam habuit: Chriſtiana eſt. Ejus elementa (ut monuit Seldenus) perperam connexa, inverſa, ſcandentia, nimiam vocabulorum pariunt obſcuritatem, eodem modo, quo iſte vir magnus in libro ſuo de Marmoribus Arundellianis edidit, tibi exhibemus cum verſione ejuſdem:

✠ EITICΘЄΛΗCΗΗΠCΡΑΘΗΔ.ΝΑΙΤΗΙΜΟΝΗΝΤΑΥΤΑΤΝΥΓΘΚ.Μ . . ΤΚΤΜ
ЄΤΟΧΙΑΥΤΗЄΙCΜΕΤΟΧΙΟΝC1.ΜΟΝΗΜЄΓΑΛΗΜΙΚΡΑΗЄΙΤ.VCΥΗSΓΗΟΙΗ
ΔЄξΟϛΟΙΤ.ΤΟЄΧЄΤ.... ΤΑC.. . . Τ.ΝΑΤ . . ΙΗΘЄΟΘΟΡΠΡ.ΝΚΑΙΕΜ.Τ.ΑΜΑ
?Τ.Λ.Ι..ΜΟΝΑΧ..CΑΥΤ.ΚΑΤΠΓΘΚΟΝΑΝΤΙΔΙΚΟΝЄΝΗΜΕΡΑΚΡΙCЄ.C ✠

✠ ΜΗΝΙΙ...... V..Η.ЄΤ.CΧ.ΛΓ ✠

Sanſus,

Senſus, puto, eſt.

✠Si quis erga Monaſterium Sanctiſſimæ Dei Genitricis beneficus extiterit, eum Monaſterii, ſpiritualium ſcilicet ejuſdem bonorum, participem illa faciat. Qui damnum intulerit, ſortiatur is tum Sanctorum patrum tum mei peccatoris Joannis Monachi imprecationes; ut nempe & ipſe ſanctiſſimam Dei Genitricem adverſariam habeat in die Judicii ✠

✠ Menſe I..... o...die.... anno (*ni fallor*) VIMDCCCCXXXIII. ✠

Nimium fallimur niſi in abbreviante illa, primæ depravatiſſimæ hujus Inſcriptionis lineæ, ſcriptura, ΥΓΘΚυ, uti in quartæ, ΠΓΘΚΟΝ, venerandum illud Παναγίας nomen Θεοτόκῳ tribuatur. Et forte in utroque loco ΠΓΘΚ potius ſcribendum. Atque ut ΘΚ. ΘΕΟΤΟΚ. ita ΠΓ. ΠΑΝΑΓ. ſatis exprimit. Ad hujus vero illius caſus terminandus eſt. Ideo propria terminatione illud caruit. Qua ratione autem Παναγία θεοτόκος in Græcorum ſacris primo ſignantius & nomine tam velut proprio quam appellativo indigetata ſit Dei Genetrix, oſtenditur in Græcorum Rituali libro qui Horologium dicitur lemmate περὶ τῆς ὑψώσεως τῆς Παναγίας, ὅπως γίγνεται καὶ διὰ τί. Id fuſius etiam habetur apud Jacobum Gretſerum lib. 3. capite 7. ad Georgium Codinum.

*Ἔτυς ϚωΛΓ. Pro ϚωΛΓ opinor, ſeu 6833 anno Mundi Græcorum, id eſt, anno Chriſti 1325. Deductis enim ex anno Mundi Græcorum 5508 perpetuo remanet annus æræ Chriſtianæ.

Hactenus

Hactenus Græca; sequuntur Latinæ, una Arundelliana à Seldeno olim edita, quæ apud nos non est, aliæque.

I.

SILVANO HERCVLI LIBERO
TI IVLIVS ALEXANDER DO DIIS SANCTIS.

Hæ duæ lineæ in duobus circulis prior in interiori posterior in exteriori scribuntur.

Silvano, Herculi, Libero. Ne Deorum cuiquam loci, ante alium, prærogativa daretur, ita in circulo eorum nomina, ni fallor, inscribi voluit hic Julius Alexander. Sic enim, nullus eorum erat primus, imus nullus, aut secundus. Sed par omnibus honor. Hanc rationem, ad eandem rem, nomina inscribendi memorat Ausonius in Ludo septem Sapientum, ubi Solonis verba sunt,

' Neque me esse primum vestrum aut imum existimo
' Æqualitas quod ordinem nescit pati.
' Recte olim ineptum Delphicus jussit Deus
' Quærentem, quisnam primus sapientum foret,
' Ut in orbe tereti nomina eorum inscriberet,
' Ne primus esset, ne vel imus quisquam.

Quin Caius lib. 1. Instit. tit. 2. de numero suorum manumittendorum. ' Si ' ita in testamento servorum manumissio adscripta fuerit, id est, in Circulo, ' ut qui prior, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci, nulli ex hiis li- ' bertatem valere manifestum est. Hoc scilicet scriptum est ad Legem illam Fusiam Caniniam, quam, ut libertates impedientem & invidiosam, postmodum sustulit Justinianus, uti videre est tam in Codicis quam in Institutionum titulo de ea lege tollenda. Etiam proavorum memoria, cùm sodalitio Franciscano jussisset Urbanus...... Pontifex Romanus, ut ei nomina exhiberent ex ipsis tria, quorum unum in Cardinalitiam dignitatem eveheret, illi circulari figura exhibuere, ne loci nominis prærogativa quis dignior eis censeri videretur. Sed ille *Ordinem,* inquit, *pervertistis & ego ordinem pervertam,* omissisque sodalibus ita designatis, Præfectum Ordinis, quem Generalem vocant, Cardinalem creavit. Narrant Cardinalis Alexander in C. Nicolao tit. de Appellationibus & Felinus in C. cum dilecta tit. de Rescriptis. Adde Tiraquellum de Jure Primigeniorum quæstione 19. ubi tamen perperam *Circulum* in Novella 15. quæ ordinationem Defensorum Civitatum præscribit, de Circulari hujusmodi designatione interpretatur, quod recte ibi notat Dionysius Gothofredus.

II.

In Brigantum Agro ante annos aliquot reperta tria Marmora, quæ sequuntur; debemus V. Cl. Gulielmi Cambdeni τῶ μακαρίτε collectaneis, quibus Britanniam suam augere destinaverat. Seld.

FORTVNAE CONSERVATRICI.

III.

III.

DEAE NYMPHAE BRIG.

Dea Nymphæ Brig. Montana an Fluviatilis hæc Brigantum Dea non liquet. Sed cum Nympha indigetetur, veri eſt ſimillimum harum alteram fuiſſe. Montes enim & Fluvios inprimis divino honore colebant veteres Britanni. Eis nempe, ut ſcribit Gildas in Epiſtola de excidio Britanniæ, *Divinus honor à cæco populo cumulabatur.* Nec ſub Angloſaxonum imperio, etiam adulto, hujuſmodi cultus plane in deſuetudinem abierat. Colligo ex Canuti Regis legibus, cap. 5. ubi Adoratio barbara, quam hæðenſcype dixere, vetatur. Ejuſce pars ibi eſt *Fluvios* ſeu flodwæter adorare. Ita veteres in Germania Saxones frondoſis arboribus Fontibuſque venerationem exhibebant, uti apud Adamum Bremenſem ait Einhardus. Seld.

IV.

DEO. QVI. VIAS
ET SEMITAS COM
MENTVS EST T. IR
DAS. S. C. F. V. L. L. M.
Q. VARIVS VITA
LIS ETECOS ARAM
SACRAM RESTI
TVIT
APRONIANO ET BRA
DVA COS.

Repertus eſt hic Lapis apud Thornburgh ad Swalæ fluvii ripam, 17 Julii 1620. quod Scedulâ inſertâ notavit Cambdenus ad Britanniæ ſuæ, p. 595. Seld.

Deo qui Vias. Certe Mercurius erat. Deus ἐνόδιος. ſeu viarum præſes; de quo videſis De Diis Syris Syntagma 2. cap. 14. Seld.

Aproniano & Bradua Coſ. Extremo Commodi Imperatoris anno Conſules erant Caſſius Apronianus & Metilius Bradua. Seld.

V.

DEO
SILVANO
L. TANICVS
VERVS
PRAEF. V. S. L. L. M.

Sua manu adjecit Camdenus in margine pag. 699. hanc Silvano Inſcriptionem à Cadir. in agro Sterlinenſi, qui Scotiæ eſt, cum aliis, quas inde ediderat, viſendam.

VI.

ODDA DVX IVSSIT HANC REGIAM AVLAM
CONSTRVI ATQVE DEDICARI IN HONORE S.
TRINITATIS PRO ANIMA GERMANI SVI ELFRICI
QVE DE HOC LOCO ASVMPTA EALDREDVS VERO EPS.
QVI EANDEM DEDICAVIT II. IDIBVS APL. XIIII. AVTEM ANNO
S. REGNI EADWARDI REGIS ANGLORVM.

Hæc Inſcriptio exarata eſt in magno Lapide quadratæ formæ nuper è terra effoſſo in Villa vocatâ **Deerhurst**, circa milliaris ſpatium à Tewksburia in

Comitatu Glocesteriæ, dissitâ, in domo Abbatis Aula vocata, quam cum adjuncto Manerio à Decano & capitulo Westmonasteriensi tenet Johannes Powel Armiger Hospitii Templi interioris Barristarius, & Jurisconsultus Doctissimus. Idem Lapis jam videndus est in Ædibus ejusdem D[ni] Powel, quas Glocestriæ habet, inde huc Oxoniam intra paucos dies est transferendus ab illo eximio viro ex ingenti benevolentia ejus erga locum bonis studiis consecratum Academiæ dono datus.

Edwardus Rex, quo regnante hic Lapis exaratus fuit, erat Edwardus Confessor. Odda, qui Regiam Aulam construi, & in honorem Sacrosanctæ Trinitatis dedicari jussit, videtur ille Odda fuisse, qui Cartæ, quâ Edwardus Confessor Episcopatum Cornubiensem Episcopatui Exoniensi conjungebat, nomen suum subscripsit. Vide Monasticon Anglicanum pag. 230. In eodem Monastico Anglicano pag. 154. mentio fit cujusdam Ducis Oddonis, qui A. D. 715. Monasterium Teukesburiæ in honorem Dei ac gloriosæ Virginis Mariæ ædificari jussit. Cum locus, in quo hic Lapis inventus fuerit, Teukesburiæ tam vicinus sit, Hunc Oddonem eum fuisse crederem, de quo hic agitur, si non temporis ratio omnino prohibuisset. Annus enim à Christo nato agebatur millesimus quadragesimus quintus cum Edwardus Confessor in Anglia primo inceperit regnare. In adversariis Lelandi Vol. 5. mentio est Oddæ Comitis filii Elferi, qui restituit prædia Monachis Persorensibus, quæ prius Elferus abstulerat. Ealdredum in nullo Episcoporum Angliæ Catalogo invenio, sed in Carta Edwardi Confessoris de restauratione Cœnobii Westmonasteriensis, quæ extat in Monastico Anglicano, pag. 60. Ealdredi Episcopi, qui ab eo Rege ad Papam Legatus mittebatur ad obtinendam absolutionem à voto, quod ille temere susceperat, mentionem fieri invenies, quem eum fuisse, cujus in hoc Lapide nomen est, suadet temporum convenientia. Exaratus enim erat hic Lapis anno 14 Edwardi Confessoris, cujus hic Ealdredus Legatus fuit. Annus 14 hujus Regis erat annus Christi 1058. Elapsi igitur anni sunt 618, à quo Odda dux hunc Lapidem in Monumentum pietatis suæ ponebat.

Inscriptiones Hebrææ.

I.

וארץ ע..........
חקדושה........
אברהם ט........
שנפטר ברנ.......
שנתקעאתנ......

II.

ואהמי
החפ...
שמי...

III.

III.

....אתמצבתך
....רפייחאת
....ב....

IV.

. . . .

...ידתאבנאו
...תהחכדרכ
...ההשנפטר
...וכברכ...
....שבט...
....טח...

Hæc Hebraicarum Inſcriptionum fragmenta, quæ, dirutâ ante annis 47, ad refectionem, portâ Londini boreali **Alders-gate** dictâ, in veteris ſtructuræ ſaxis ſingulatim reperta ſunt, tranſcripſit Seldenus, & in libro ſuo de Marmoribus Arundellianis edidit cum notis, quæ ſequuntur.

Ebraica ſaxa non adjecimus perinde acſi tanti viſa fuerint ea quæ ſuperſunt vocabula pretii, ut inde locum hic juſte mererentur. Et breviuſcula erant & conciſa, etiam dum integra extabant, nec magni omnino momenti; ad hunc modum lacunoſa minimi ſunt. Unum & alterum vocabulum, quod *Terram Sanctam* & *Abrahamum* indicat, in primo legimus. Sed in ſingulis non tam ſenſum aliquem, quam vocabula duntaxat paucula, aut potius elementa, ſatis etiam interdum incerta, reſtare, inter exſcribendum, comperiebamus. Veruntamen quoniam rariſſima ſunt ejuſmodi Saxa, & inter ea non ſemel cenſita fuere, quæ, utcunque leviſſimi forſan pretii, eorum nihilominus, qui accuratius bonis ſtudiis incumbunt, deſiderium impenſe irritare ſolent, ut qualianam ea demum fuerint ſigillatim ſatis cognoſcant, ideo viſum eſt ea libri noſtri partem facere. Ex dirutis Judæorum Synagogis & monumentis eorum ſepulchralibus ad veterem portæ inſtaurationem proculdubio olim transferebantur. Et ſive Synagogarum parietibus ſive mortuorum tumulis primo conceptæ ſunt Inſcriptiones, quæ à lapicidis arctiores commiſſuras molientibus, ut vides, mutilatæ. Sub Elizabethæ item glorioſiſſimæ memoriæ Regina; cum anno 1586. reficiebatur porta Londini occidentalis, **Ludgate** dicta, reperta eſt in veteris ſtructuræ ſaxis inſcriptio hujuſmodi חוא מצבה הר׳ משה בן הר׳ כבר יצחק "Hic tumulus eſt Rabbi Moſis 'filii Rabbi illuſtris Iſaac. Ita enim legenda & intelligenda eſt Inſcriptio illa depravatiſſime typis non ſemel edita in Joannis Stowæi Notitia Londini, Anglice Scripta, ubi nullo ſenſu exaratum habemus חך מצבךך משה כך הרכן פצחת Et verſio Latina, quæ adjicitur, item reprehendenda. 'Hæc eſt Statio Rab'bi Moſis Filii inſignis Rabbi Iſaac, quod de ædibus ibi intelligitur, ac ſi ædium Rabbi Moſis fronti, pro titulo, adſcriptum fuiſſet. Dubium mihi non videtur ſaxum fuiſſe Sepulchrale. Sepulchrum aut tumulum מצבה vocabant Judæi, quod in Ebraicis Epitaphiis alibi etiam occurrit. Et frequentiſſimos fuiſſe olim Londini cippos Judæorum ſepulchrales veriſimilimum eſt. Nam ante annum Salutis reparatæ 1177. ſeu Henrici Regis ſecundi 23, Judæum alibì ſepeliri non licuit. Rogerus Hovedenius, "Eodem anno, in'quit

'quit, Dominus Rex Pater dedit licentiam Judæis terræ ſuæ habendi cœmi-'terium in qualibet Civitate Angliæ extra muros civitatum, ubi poſſent ra-'tionabiliter & in competenti loco emere ad ſepeliendum mortuos ſuos. 'Prius enim omnes Judæi mortui Londonias ferebantur ſepeliendi. De Judæis autem qui olim in Anglia agebant, plurima occurrunt tum in vetuſtis Commentariis, tum in tabulis publicis. Antiquiſſima eorum mentio eſt in legibus aliquot Edwardo Confeſſori tributis. "Sciendum, ibi legimus, quod 'omnes Judæi ubicunque in regno ſunt, ſub tutela & defenſione Regis ligea 'debent eſſe. Nec quilibet eorum alicui diviti ſe poteſt ſubdere ſine Regis 'licentia. Judæi enim & omnia ſua Regis ſunt. Quod ſi quiſquam detinue-'rit eos vel pecuniam eorum, perquirat Rex ſi vult tanquam ſuum proprium. Ad hunc ſenſum in Decreto illo quod 'Regis Edwardi primi ſtatutum de Ju-'daiſmo vocamus, Judæi non ſemel dicuntur *tailliables au roy come les ſoens ſerfs & a nul autre*, i. *Capitationi*, quæ *talliagium* appellari ſolebat, *ad placitum Regis & non cujuſquam alius, obnoxii, non aliter ac ſervi ejus.* Et ſatis hæc fuſius interpretantur ea quæ conditionis hi miſeræ homines ſæpius, pro principum arbitratu, tulere, idque non ſine publica comminatione Exilii, quod poſtmodum etiam ſubierunt, nullo redimendum tributo. Et ſingularis erat in Anglia Judæorum plerunque ſtatus & rerum earum adminiſtratio Cauſarum civilium ad Judæos ſpectantium diſceptationem coram judicibus qui *Juſtitiarii ad Cuſtodiam Judæorum aſſignati* dicebantur, & jure ſingulari moribuſque ad *Judaiſmum* (ut phraſis erat) proprie ſpectantibus in judiciis utebantur, habemus in Archivis. Item *Starra.* Hoc nomine Inſtrumenta, quibus & Ebraice & Latine plerunque ſcriptis contractus ab eis ſive initi, ſive diſſoluti erant, ita dicebantur à שטר quod *Schetar* aut *Schtar* ſonat. Elias in Thisbite, שטר שטר חוב שטר כתובה וכן כל לשון שטר ברדול חוא כתב שכתוב בו הממשלה שנותן אדם לזלתו עליו והוא לשון ההשים משטרו בארץ id eſt, "Schetar 'aut Shtar dicitur ut Schetar ſive Cautio ſeu Inſtrumentum debiti, Shetar ſive 'Cautio ſeu Inſtrumentum Dotis. Similiter omne vocabulum Schetar in 'Rabbinorum noſtrorum (quorum beata ſit memoria) ſcriptis, Inſtrumen-'tum ſignificat quo quis poteſtatem aut dominium ſuum ad aliud transfert. 'Eſtque deſumptum ab illo. Num pones poteſtatem ejus (ſeu משטרו Mi-'ſchtaro) in Terris? Locus quem deſignat eſt in Jobi cap. 38. Commate 33. Inde habent מנין שטרות *Minyain Schetaroth* aut *Schtaroth* quod *Æram contractuum* ſonat & pro Epocha annorum Alexandreorum iis uſurpatur in tractatu שאר השנה Roſch Haſchana, ſeu de Capite Anni qui octavus eſt Seder Moed ſeu Ordinis 2. in Talmude. Et in Commentario vetuſto juris noſtri quem Fletam dicimus; "Contrahentes cum Judæis vel Judæabus, pecorantes, '& Sodomitæ in terra vivi confodiantur; dum tamen manuopere capti per 'teſtimonium legale vel publice convicti. Ita libro 1. cap. 37. Alia quamphiria fuere de Pignoribus, Hypothecis, Actionum ceſſionibus, Creditorum exactionibus, Uſuris & ejuſmodi ceteris jura Judæis, apud majores noſtros, propria quæ prætermittimus. Sed quod de ſummo eorum, ſeu ut vocabantur, *Communitatis Judæorum Angliæ*, in Anglia Presbytero, Sacerdote ſive Epiſcopo in Archivis legimus; quoniam de ea dignitate vix quidpiam omnino apud Scriptores editos occurrit, id adnotare libuit. Hunc tam creare ſolebant Reges ſuo arbitratu quam latâ ſententiâ ſummovere, idque jure & certiſſimo & uſitatiſſimo uſque ad poſteriora Henrici tertii Regis tempora. Id manifeſtum videtur ex Regiis ævi, quo apud nos floruere Judæi, diplomatis. Quod ad Creationem Regiam attinet; ſatis ſcimus ex Johannis Regis diplomate quo Jacobum Judæum in hanc evexiſſe dignitatem fratrem ſuum Ricardum Regem primum, innuit, idemque firmat. Diploma in Tabulis publicis quæ Cartas Joannis Regis exhibent, ita legitur, Parte ſcilicet

ſcilicet 1. membrana 28. Cart. 171. anni ejus primi. "Rex omnibus fide-
'libus ſuis & omnibus & Judæis & Anglis ſalutem. Sciatis nos conceſſiſſe &
'præſenti charta noſtra confirmaſſe *Jacobo* Judæo de London, Presbytero Ju-
'dæorum, Presbyteratum omnium Judæorum totius Angliæ, habendum &
'tenendum, quamdiu vixerit, libere & quiete, & honorifice, & integre, ita
'quod nemo ei ſuper hoc moleſtiam aliquam aut gravamen inferre præſu-
'mat. Quare volumus & firmiter præcipimus, quod eidem Jacobo quoad
'vixerit, Presbyteratum Judæorum per totam Angliam garantetis, manu-
'teneatis & pacifice defendatis; & ſi quis ea ſuper hoc foriſfacere præſum-
'ſerit, id ei ſine dilatione (ſalva nobis emenda noſtra) de foriſfactura no-
'ſtra emendari faciatis, tanquam dominico Judæo noſtro, quem ſpecialiter
'in ſervitio noſtro retinuimus. Prohibemus etiam ne de aliquo ad ſe perti-
'nente ponatur in placitum, niſi coram nobis, aut coram capitali Juſtitia no-
'ſtra ſicut Carta Regis Ricardi fratris noſtri teſtatur. Teſte S. Bathonienſi
'Epiſcopo, &c. Dat. per manus H. Cantuarienſis Archiepiſcopi Cancellarii
'noſtri apud Rothomagum 31 die Julii anno Regis noſtri primo. Crearat ſci-
licet Jacobum hunc Presbyterum Ricardus primus. Dignitatem ei diplo-
mate hoc firmat Johannes. Submoviſſe item Presbyterum hunc Regem
(interveniente ſcilicet Judicum, ad quorum cognitionem ſpectabant res Ju-
dæorum, ſententia) conſtat ex alio Henrici tertii diplomate, quo item Judæ-
orum Communitati Angliæ primo conceditur, ut impoſterum Presbyte-
rum ſeu Sacerdotem, ſive Epiſcopum ſibi eligerent, ita tamen ut Regi e-
lectum præſentarent; atque ejuſdem impetrarent, non aliter, puto, ac ſoda-
litia Decanorum & Capitulorum Chriſtiana in Epiſcopis elegendis, aſſenſum.
Hæc diſcimus ex Tabulis publicis quas *Patentes* anni 41. Henrici tertii voca-
mus. In eis, membrana 4. numero 6. habetur quod item interſerere heic
viſum eſt. 'Rex omnibus, &c. Cum Elyas Epiſcopus Judæus noſter Lon-
'don, pro tranſgreſſione quam fecit tam nobis quam dilecto fratri noſtro
'Regi Alemanniæ, à Sacerdotio Communitatis Judæorum Angliæ, coram
'dilectis & fidelibus noſtris Philippo Baſſet, Philippo Luvel, Henrico de Ba-
'thon, Simone Paſſel, & ceteris Juſtitiaris ad Cuſtodiam Judæorum aſſi-
'gnatis, quos ad tranſgreſſionem illam convincendam Juſticiarios noſtros
'aſſignavimus, per judicium eorundem ad ſaccarium noſtrum fuerit ab-
'judicatus, & de ejuſdem Sacerdotii officio & de omnimodis aliis officiis, &
'Ballivis, quas de nobis prius obtinuit, ſit depoſitus; Nos de conſilio eorun-
'dem Juſticiariorum conceſſimus prædictæ Communitati Judæorum noſtro-
'rum Angliæ, per finem trium marcarum auri, quem Creſſe & Haginus fra-
'ter ejuſdem Judæi nobis pro eadem Communitate fecerunt, quod prædi-
'ctus Elyas Sacerdotium illud nunquam in poſterum habeat & recuperet, &
'quod nullus de Communitate illa de cetero ſit Sacerdos, niſi per commu-
'nem electionem Communitatis ejuſdem, & quod illa Communitas poſt de-
'ceſſum cujuſlibet Sacerdotis ſic electi alium eligendi quemcunque voluerint
'Sacerdotem, liberam habeat facultatem, ac ipſum nobis præſentandi, ut no-
'ſtrum ſuper hoc aſſenſum obtineat & favorem. In cujus &c. T. R. apud
'Wodestock 20 die Julii. Sacerdotium ejuſmodi Hagino filio Deulares Ju-
dæo conceditur ab Edwardo I. ut videre eſt in ejuſdem diplomate, quod ha-
betur in *Patentibus* anni ejus 9. membrana 20. Sed Judæi tandem anno ejuſ-
dem Regis 18, qui reparatæ ſalutis eſt 1293. ex Anglia in exilium pulſi ſunt.
Et mirum eſt, quod, cum inſignes faceret in Calendario Judæorum Rabbi Ori
Ben-Simeon Epochas eorum exilii ex Francia, Hiſpania, & Portugallia, id,
quod in Anglia ſubiere, omnino omitteret. Et numerus & gentis calamitas
ſatis etiam exilii Anglicani memoriam exegiſſe videatur. De eo conſulas
imprimis Thomam Walſinghamium in Hypodigmate Neuſtriæ & Florilegum.

Adijicimus nos iis, quæ scriptores illi habent, Regii ad complures Vicecomites (qui Provinciarum apud nos annui Custodes sunt) rescripti formulam, qua publica in exilium proficiscentibus fides præstabatur. 'De Judæis regnum Angliæ exeuntibus, Rex Vicecomiti Gloucestriæ, cum Judæis regni 'nostri universis certum tempus præfixerimus à regno illo transfretandi. 'Nolentes, quod ipsi per ministros nostros, aut alios quoscunque aliter quam 'fieri consuevit indebite pertractentur, tibi præcipimus, quod per totam bal-'livam tuam publice proclamari & firmiter inhiberi facias, ne quis eis infra 'tempus prædictum injuriam, molestiam, damnum inferat seu gravamen. Et 'cum contingat ipsos cum catellis suis, quæ eis concessimus, versus partes Lon-'don, causa transfretationis suæ, dirigere gressus suos, salvum & securum 'conductum eis habere facias Sumptibus eorundem. Proviso quod Judæi præ-'dicti ante recessum suum vadia Christianarum, quæ penes se habent, illis quo-'rum fuerint, si ea acquietare voluerint, restituant ut tenentur. T.R. apud 'Westmonasterium 18 die Julii. Legitur in Tabulis publicis, quas *Clausas* vocamus anni 18, qui ipse exilii est, membrana 6. Et similia rescripta ad Vicecomites Essexiæ, Eboraci, Northamptoniæ, Lincolniæ, Herefordiæ, & Southamptoniæ diriguntur. Ejusmodi aliud rescriptum occurrit in Patentibus ejusdem anni membrana 14. numero 4. De Civitatis autem jure, apud Christianos, Judæis sive permittendo, sive negando, consulendi imprimis sunt Sixtus Medices Theologus, libro de Fœnore Judæorum, & Marquardus de Susanis Jurisconsultus, De Judæis & aliis Infidelibus.

Notæ in Marmora Sepulchralia.

MArmoribus Sepulchralibus nullibi fere in hoc opere notas adjeci, de iis enim omnibus hic in fine mihi propositum erat pleno Tractatu agere, in eoque omnia, quæ ad Sepulturam antiquorum pertinent, explicare; sed cum consultis modernis autoribus, tot ex iis inveniam, qui hanc provinciam optime prius excoluerunt, depono consilium, nec rem à viris longe doctioribus actam omnibusque numeris absolutam iterum agere volo. Hic igitur pauca tantum ad intelligenda ea, quæ in nostris Marmoribus occurrunt, necessaria breviter explicabo: si plura de his rebus cognoscere velis, remitto te ad Alexandrum ab Alexandro, lib. 6. cap. 14. Meursium de funere, Gutherium de jure Manium, Kirchmannum Lubecentem de Funere, Gothofredi notas ad Cod. Theod. lib. 9. Tit. 17. Cœlium Rhodoginum, Rosinum, Fabricii Chemnensis Romam cap. 20. Lilium Gyraldum, & Pauli Aringhi Romam subterraneam, aliosque.

Sepulchra, uti Athenienses, ceterique fere omnes Græci, sic etiam Romani extra muros singuli in fundis suis habuere; Lex enim duodecim Tabularum fuit, & postea Duillio Consule Senatus decreto iterum sancita, *Hominem in urbe ne sepelito, neve urito.* Hâc autem Imperatores, Virgines Vestales, & viri clariores, qui ob ingentia merita privilegium Sepulchra in urbe habendi consecuti fuerant, non tenebantur; ii igitur soli intra muros, ceteri omnes extra in agris sepeliebantur. Plerumque vero apud Romanos prope vias publicas sepulchra locata erant, ut humanæ conditionis & fragilitatis viatores & commeantes admonerent, atque inde est, quod in titulis sepulchrorum toties legimus aspice, siste, cave Viator, &c. Locum Sepulchro designabant Pontifices, designatus sacer erat; si igitur aliquis postea eum ad alium usum converteret, aut Religionem illius quocunque modo violaret, magnum reatum ad-

admiſiſſe putabatur, ut ex legibus ſeveriſſimis contra Sepulchrorum violatores apud Romanos latis ſatis conſtat. Ut igitur omnibus innoteſceret, quanta agri pars ad Sepulchrum pertinebat, eique eo melius evitarent illius violandi crimen, ejus limites ſæpe in Marmore Sepulchrali indicabatur, & ſic ſupra in Marmore XXIV indicatur. IN. FRONTE. P. XII. IN. AGRO. P. XII. i. e. in fronte pedes 12, à fronte ad poſticam partem pedes 12. & in Marmore LXI. IN FR. P. VII. IN AG. P. V. i. e. in fronte pedes 7, à fronte ad poſticam partem pedes 5; & in Marmore LXIV. IN FR. P. VI. IN AGR. P. VIIII. i. e. in fronte pedes 6, à fronte ad poſticam partem pedes 9 Sepulchrum patere. Et ad hoc alludit Horatius, ubi dicit,

> Mille pedes in Fronte trecentos cippus in agros
> Hic dabit, hæredes monumentum ne ſequeretur.

Si quis in alieno agro locum in Sepulchrum emiſſet, viam etiam ad Sepulchrum per illum agrum ſimul emebat, quod in Marmore LXXXVIII habemus indicatum, in quo legitur, *τοῦτο τὸ μνημεῖον ἔχει εἴσοδον καὶ ἔξοδον*, i. e. habet ingreſſum & egreſſum, ſeu potius aggreſſum & regreſſum, i. e. viam per quam ad Sepulchrum ire indeque redire poterant illi, ad quos jus in eo ſepeliendi pertinebat. Sepulchra autem erant vel uni tantum, vel pluribus condita; quæ uni tantum condebantur, ſingularia dicta fuere, qualia erant, ad quæ Marmora è noſtris V. VI. XII. XIV. aliaque hujus generis pertinebant. Quæ pluribus exſtructa erant, aut eorum tantum, qui in Epitaphio nominabantur, aut totius familiæ, aut hæredum etiam juris fuerunt. Eorum tantum, qui in Epitaphio nominabantur, illa fuerunt, quibus Marmora è noſtris XIII, XL, LIII, aliaque hujus generis impoſita fuere. Quæ totius familiæ erant, familiaria; quæ Hæredum etiam, hæreditaria dicebantur. In familiaribus omnes, qui è Conditoris familia erant, filii ſcilicet, filiæque, alumni, liberti, libertæque, poſterique eorum ſepeliebantur. Familiaria igitur Sepulchra omnia ea ſunt in quorum titulis legimus. *Sibi, & ſuis, libertis, libertabuſque, poſteriſque eorum.* In Hæreditariis conditoris etiam Hæredes, quamvis è familia non erant, condebantur, eaque in titulis habebant has literas H. M. H. S. i. e. *Hoc Monumentum hæredes ſequitur;* Familiaria vero, è quibus Hæredes excluſi erant, has H. M. H. N. S. i. e. *Hoc Monumentum hæredes non ſequitur;* ad quod alludunt illa, quæ ſupra ex Horatio citavimus ---*Hæredes Monumentum ne ſequeretur.* Literas H. M. H. S. è noſtris Inſcriptionibus nulla, literas vero H. M. H. N. S. CXV ſubſcriptas habet. Marmor igitur illud ad Sepulchrum familiare pertinebat, quod Hæredes extraneos non ſequebatur: cujus generis etiam eſt Marmor CXXXIII, in quo non abbreviate literis, ſed his plenis vocibus, *Τοῖς δὲ κληρονόμοις μου οὐκ ἐπακολουθήσει τοῦτο τὸ μνημεῖον*, hæredes Sepulchro interdictos fuiſſe invenimus. Sæpe autem hæc Sepulchra, ſive erant hæreditaria, ſive familiaria ab Hæredibus & familiis, quibus appropriata erant, aut venditione aut donatione alienabantur, ita ut alterius familiæ, aut alterius Hæredum deinde juris eſſent. Sic in Marmoribus LXXIX, & XCII Sepulchra, ad quæ pertinebant, emta fuiſſe invenimus, & jus in iis ſepeliendi, ſic ad alios, quam quibus condebantur, tranſlatum fuiſſe. Sed cum hoc directe contra conditorum voluntatem fuerat, qui Sepulchra ſua aut familiis, aut hæredibus appropriaverant, ſæpe in Monumentorum inſcriptionibus, ne fieret, ſub mulctæ pœna prohibetur, & ſic intelligendæ ſunt tam noſtræ, quam aliæ antiquæ Monumentorum inſcriptiones, quibus eorum alienatio per venditionem, donationem, aut alium quemcunque modum prohibetur; & non ut multi opinantur de alienatione ad alium uſum; ſepulchrum enim, aut aliquam illius partem ad alium uſum convertere apud antiquos læſæ religionis crimen erat, contra quod cum ſeveriſſimis reipublicæ legibus

gibus ſatis cautum eſſet, ridiculum eſt opinari idem Monumentorum inſcriptionibus ſub mulctarum pœnâ etiam prohibitum fuiſſe; præſertim cum hujus impietatis ſupplicium ab ipſis legibus inſtitutum multo gravius eſſet, quam quod in aliqua Monumenti inſcriptione mandatur. Mulcta apud Romanos Arcæ Pontificum, uti videas in Marmoribus CXIII, & CXV, apud Græcos vero, uti videas in Marmore CXXXVI, & Appendicis Marmore XVI publico ærario erat inferenda; unde indicatur Sepulchrorum & locorum ſacrorum curam apud Romanos penes Pontifices, apud Græcos in iis urbibus, in quibus Senatus erat, penes Senatum fuiſſe. Hæc Sepulchra ſecundum dignitatem perſonæ vel familiæ ad quam pertinebant vel majora vel minora erant: In Marmore LXIV Julii Jaſonis Sepulchrum tantum in fronte pedes VI, & in agro pedes IX; in Marmore vero XLVII M. Anni Aucti Sepulchrum cum Uſtrino in Fronte pedes LIV, & in agro pedes XXIV legimus patere. Uſtrinum autem locus erat Sepulchro vicinus, in quo cremata erant cadavera, quorum cineres erant in Sepulchrum inferendi. Sepulchra, quorum limites latius extendebantur, ſepto muniebantur, quod plerumque palis terræ infixis, à ditioribus vero Marmore factum erat; Latinis Maceria, Græcis Θωράκειον dicebatur à Θώραξ *pectus*, quia ſeptum illud altitudinem pectoris humani æquabat, nos Anglice vocamus **a Brest-work**; intus hoc ſeptum erant Διαίτη, Καμάρα, σοροὶ, ἐνσόρια, aliaque item ædificia, & loca ad peragendos Sepulchrales ritus conſecrata. Διαίτη cœnaculum erat, in quo Epulum Sepulchrale (cujus mentio eſt Marmore XLIX) exhibebatur. Καμάρα domus erat concamerata ſub terrâ condita, in quâ erant σοροὶ, & ἐνσόρια, in quibus ipſa cadavera vel cadaverum cineres recondebantur. Σοροὶ enim cavamina quadrata & oblonga erant in parietibus Camaræ circumcirca facta, in quibus ponebantur arcæ lapideæ recentioribus Latinis Sarcophagi, in noſtris Marmoribus ἐνσόρια dictæ, quæ cadavera defunctorum, & Urnæ, quæ cineres eorum, ſi cremata eſſent, continebant; è Romanis enim nonnulli cremabant, nonnulli ſine crematione ſepeliebant mortuos ſuos; Macrobii autem tempore, ut ipſe teſtatur lib. 7. cap. 7. omnino omiſſa fuit crematio. Sed de hac re conſule autores, ad quos te ſupra remiſi. Vox Διαίτη invenitur in Appendicis Marmore XXXII, in Latinis autem ſcriptionibus apud Gruterum ſæpius legitur. Θωράκειον occurrit in Marmore LXXIX, & Appendicis Marmore XVI. Καμάρα in Marmoribus XVIII, LXXIV, LXXIX, & LXXXI, & Appendicis Marmore XXXII. Σορὸς in Marmoribus LXXIX, CXXXVI, & CXXXVIII, & Appendicis Marmoribus XVI, XXII, & XXXII. Ενσόρια in Marmore XIX, & Appendicis Marmoribus XVI, & XXXII. In iiſque ita hæ voces intelligendæ ſunt, uti ſupra explicavi. In ſingulis igitur Καμάραις plures σοροὶ, in ſingulis σοροῖς pluria ἐνσόρια erant, in ſingulis ἐνσορίοις, ſi ſingularia eſſent, unum tantum cadaver, ſi duplicia, vel triplicia eſſent, uti ſæpe, plura recondebantur. In veſtibulo τῆς Καμάρας poſitum erat Marmor, quod titulum Sepulchralem inſcriptum habuit, quo indicatum erat, ad quos ille Sepulturæ locus pertinebat, & qui in eo Sepulti erant, atque ideo apud A. Gellium lib. 18. cap. 7. à Catone Gloſſarium mortuarium vocatur; & hujus generis multa è noſtris Marmoribus videntur fuiſſe. Et ſic etiam Σοροὶ Titulos ſuos habuere; Σορὸς enim uti ſupra indicavi cavamen erat quadratum & oblongum in parietibus τῆς Καμάρας factum; foramen ſeu oſtium illius cavaminis anguſtius erat, Marmor ideo habuit ſibi adaptatum, quo obturabatur, in eoque inſcriptum erat, ad quos illa Σορὸς pertinebat, & qui in ea Sepulti erant; nam ut tota Conditoris familia totam Καμάραν, ſic partes illius, ſeu familiæ minores inde ortæ σορὺς in parietibus diſpoſitas ſibi appropriatas habuere. Multas harum Camararum cum Sepulchris & loculis ſeu ſarcophagis,

cophagis, quæ in iis erant, in Pauli Arhingi Româ subterraneâ videas delineatas. Hactenus de Monumentis Sepulchralibus. Alia etiam fuere, quæ Sepulchralia non erant, sed tantum honoraria, & hæc Κενοτάφια dicebantur, quia vacua erant, & nulla cadavera infra Sepulta habuere, quale fuit, quod Marmor Appendicis XXVIII Herodem (Atticum scilicet insignem illum Sophistam) uxori suæ (Regillæ scilicet, quam ipse invitus occiderat) indicat posuisse. Hæc Κενοτάφια frequentius ab antiquis in memoriam amicorum, quos maximo in pretio habuere, præsertim si illi naufragio intereuntes Sepulchris caruissent, condita fuere. De iis satis multa habes in illis autoribus, quos supra indicavi de rebus Sepulchralibus plenius egisse.

F I N I S.

Digitized by Google

SERTORII URSATI EQUITIS DE NOTIS ROMANORUM COMMENTARIUS

A.

A. Absolvo. Ædes. Ædilis. Ædilitas. Ære. Ærarium. Ager. Albo. Amica. Amicus. Anima. Anni. Annis. Anno. Annos. Annus. Antiquo. Argentum. Augusta. Augustalis. Augusto. Augustus. Aula. Aulus.
A. Ager. Annis.
AA. Augusta. Augustalis. Augusti, *duo nempè.*
AA. Augustales. Augustalis.
A. A. Apud Agrum. Auro. Argento.
AAA. Augusti. *Tres scilicet.*
A. A. A. Auro Argento Ære.
A. A. A. F. F. Auro Argento Ære Flando Feriundo.
AA. COSS. Augustis Consulibus.
A. A. L. Aulorum Libertus. *hoc est duorum.*
A. ALB. A. F. A. N. Aulus Albinus Auli Filius Auli Nepos.
A. A. L. M. Apud Agrum Locum Monumenti.
A. A. L. R. Apud Agrum Locavit Requietorium.
A. A. S. L. M. Apud Agrum Sibi Legavit Monumentum. Apud Agrum Sibi Locum Monumenti.
A.A.S.L.M.P. Apud Agrum Sibi Locum Monumenti Posuit.
A. ATIL. A. F. C. N. Aulus Atilius Auli Filius Caii Nepos.
A. A. V. S. E. V. Alter AmboVe Si Eis Videbitur.
A. A. V. S. L. M. Apud Agrum Vivens Sibi Locum Monumenti.
AB. Abdicavit.
AB. AC. Ab Actis.
AB. AC. SEN. Ab Actis Senatus.
AB. AVG. M. P. XXXXI. Ab Augusta Millia Passuum Quadraginta Vnum.
AB. AVGOSTB. M. P. X. Ab Augostobriga Millia Passuum Decem.
ABDIC. IN. E. L. F. E. Abdicavit In Ejus Loco Factus Est.
AB. EPIST. LAT. Ab Epistolis Latinis.
ABET. SEDE. Habet Sedem.
AB. HORT. CVL. Ab Hortorum Cultura.
A. B. M. Amicæ Benemerenti. Amico Benemerenti. Animæ Bene Merenti.
AB. MARMORIB. Ab Marmoribus.

A.

ABN. ABN. } Abnepos.
AB. R. P. Ab Ripa Proxima.
A. CAE. Aulus Cæcina.
A. CAMB. M. P. XI. A Camboduno Millia Passuum Vndecim.
ACC. ACC. } Accepta.
ACCENS. COS. Accensus Consulis.
A. Ɔ. L. Auli Conliberta. Auli Conlibertus.
AƆLECTO. Adlecto.
ACOL. Accolitus.
A. COMMENTA. A Commentariis.
A. COMPL. XIII. A Compluto Quatuordecim.
A. C. P. VI. A Capite Pedes Sex, *vel*, Ad Caput.
ACT. Actiacus. Actor.
A. CVB. AVGG. A Cubiculo Augustorum.
A. CVR. AMIC. A Cura Amicorum.
ACVSTO. Augusto.
A. D. Ante Diem. Agris Dandis.
AD. Adjutor.
ADF. Adfuerunt.
AD. FRV. EMV. EX. S. C. Ad Fruges Emundas Ex Senatus Consulto.
ADI. ADI. } Adjutor.
ADIAB. Adiabenicus.
ADIECT. H-S IX∞. Adjectis Sestertiis Novem Mille.
ADI. P. ADI. P. } Adjutor Provinciæ.
ADIVT. TAB. Adjutor Tabularii.
ADIVT. TAB. RAT. Adjutor Tabularii Rationum.
ADIVT. TAB. RAT. VEST. Adjutor Tabularii Rationis Vestiariæ.
ADLOCVT. COH. Adlocutio Cohortis, *vel*, Cohortium.
ADN. ADN. } Adnepos.
ADOP. ADOPT. } Adoptatus. Adoptivus.
A. D. P. Ante Diem Pridie.
AD. PROX. CIPP. Ad Proximum Cippum.

ADQ. Adquiescit.
ADTR. IVD. Adtributus Judicio.
ADVENT. AVGG. Adventus Augustorum.
AE. Ædilis. Ære.
AE. CVR. Ædilis Curulis, *vel*, Curavit.
AED. Ædilis. Ædilitas. Æditatio. Æditius.
AED. COL. Ædilis Coloniæ.
AED. COL. AVG. NEM. Ædilis Coloniæ Augustæ Nemausi.
AED. COL. CEL. Ædilis Coloniæ Celciæ.
AED. CVR. Ædilis Curulis.
AED. DESIG. Ædilis Designatus.
AED. D. S. P. Ædem De Suo Posuit.
AEDET. Ædetuus, *hoc est*, Æditius.
AEDICVL. ET. SACELL. CVM. DISTEG. Ædiculam Et Sacellum Cum Distego.
AED. II. II. VIR. II. Ædili Iterum Duum Viro Iterum.
AED. II. VIR. QVINQ. Ædilis Duum Vir Quinquennalis.
AEDIL. Ædilis.
AEDIL. ALIM. Ædilis Alimentarius.
AEDIL. COL. F. C. Ædilis Coloniæ Faciundum Curavit.
AEDIL. C. C. N. D. D. S. P. P. Ædilis Curulis Coloniæ Numini Devotus de Sua Pecunia Posuit.
AEDIL. CVR. } Ædilis Curulis.
AEDIL. CVRVL. }
AEDIL. II. VIR. PRAEF. COL. FABR. Ædili Duum Viro Præfecto Collegii Fabrorum.
AEDILL. Ædiles.
AEDILL. C. Ædiles Curules.
AEDIL. POLEN. Ædilis Polensis.
AEDIL. PL. ædilis Plebis.
AED. MART. æditus Martis.
AED. PL. ædilis Plebis.
AED. POTEST. ædilitia Potestate.
AED. Q. ædilis Quinquennalis.
AED. Q. II. VIR. ædilis Quinquennalis DuumVir.
AEL. ælia. ælius.
AEM. }
AEMI. } æmilia.
AEMIL. }
AEO. Eorum.
AEQ. M. æquator Monetæ.
AEQ. P. æquator Pecuniæ.
AEQVIT. AVG. æquitas Augusti.
AER. ærarium. ærum. *pro stipendio.*
AER. C. } ære Conlato.
AER. CONL. }
AER. P. ære Publico.
AET. AVG. æternitas Augusti.
AETE. æternæ.
AETER. AVG. æternitas Augusti.
A. F. Ara Facta. Auli Filius.
A. F. A. N. Auli Filius Auli Nepos.
A. F. AP. N. Auli Filius Apii Nepos.
A. F. C. N. Auli Filius Caii Nepos.
A. F. CN. N. Auli Filius Cnæi Nepos.
A. F. D. N. Auli Filius Decimi Nepos.
A. F. K. N. Auli Filius Kæsonis Nepos.
A. F. L. N. Auli Filius Lucii Nepos.
A. F. M. N. Auli Filius Marci Nepos.
A. F. M. N. Auli Filius Manii Nepos.
A. F. P. N. Auli Filius Publii Nepos.
A. F. Q. N. Auli Filius Quinti Nepos.
AFRIC. Africa. Africanus.
A. FRVM. A Frumento.
A. F. SER. N. Auli Filius Servii Nepos.
A. F. SEX. N. Auli Filius Sexti Nepos.
A. F. SP. N. Auli Filius Spurii Nepos.
A. F. TI. N. Auli Filius Tiberii Nepos.
A. F. T. N. Auli Filius Titi Nepos.
A. G. Animo Grato.
AG. Ager. Agrippa.
AG. F. AG. N. Agrippæ Filius. Agrippæ Nepos.
AGON. Agonalia.
AGRIP. F. SP. N. Agrippæ Filius Spurii Nepos.
A. H. D. M. Amico Hoc Dedit Monumentum.
AID. ædilis.
AIM. Aimilia.
A. K. Ante Kalendas.
A. L. Animo Libens. Annis Quinquaginta. Auli Libertus, *vel*, Liberta.
AL. AE. Alexandria ægypti.
ALAE. I. FL. AVG. BRIT. ∞ C. R. Alæ Primæ Flaviæ Augustæ Britannicæ Miliariæ Civium Romanorum.
ALA. I. CON. Ala Prima Contariorum.
ALA. I. PR. C. R. Ala Prima Prætoria Civium Romanorum.
ALA. I. PANN. Ala Prima Pannoniorum.
ALA. I. VLP. CONTAR. Ala Prima Vlpia Contariorum.
ALAVD. P. F. Alauda Pia Felix.
A. LB. Animo Libens. Auli Libertus.
ALB. Albata. Albo. Albus.
A. L. F. Animo Libens Fecit.
A. LIB. Auli Libertus.
ALIM. ITAL. Alimenta Italiæ.
ALL. Allectus.
A. L. P. Animo Libens Posuit.
A. L. V. S. Animo Libens Votum Solvit.
AM. B. M. CVR. Amico Benemerenti Curavit.
AMIC. OPT. Amico Optimo.
A. MILL. XXXV. A Milliaris Trigintaquinque. Ad Milliaria Trigintaquinque.
AM. M. CON. ET. SIB. Amico Monumentum Condidit Et Sibi.
AM. P. Amico Posuit.
A. MR. A Marmoribus.
A. M. SACR. A Municipalibus Sacris.
A. M. S. D. A. A Monumento Suo Dolus Absto.
AM. S. P. Amico Suo Posuit.
A. M. XX. Ad Milliare Vicesimum.
AN. Aniensis; *scilicet Tribus*; Anni. Annis. Anno. Annos.
A. N. Auli Nepos.
AN. AB. V. C. Anno Ab Vrbe Condita.
AN. C. H. S. Annorum Centum Hic Situs Est.
AN. DC. LX. Anno Sexcentesimo Sexagesimo.
ANI. } Aniensis.
ANIEN. }
AN. IIS. Annos Duos Semis.

AN. IVL.

B. M. D. Bene Merenti / Bonæ Memoriæ } Dedit.
B. M. D. S. Bene Merenti / Bene Merito } De Se.
B. M. E. Benemerenti Erexit.
B. M. ET. S. P. Q. S. Bene Merenti Et Sibi PosterisQue Suis.
B. M. ET. S. S. E. Bene Merenti Et Sibi Sepulcrum Elegit.
B. M. F. Bene Merenti Fecit. Bene Meritæ Feminæ.
B. λλ. F. Bene Merenti Fecit.
B. M. F. C. Bene Merenti Faciundum Curavit.
B. M. F. C. R. Bene Merenti Faciundum Curavit Requietorium.
B. M. F. C. V. Bene Merenti Faciendum Curavit, *vel*, Fecit Contra Votum.
B. M. FE. Bene Merenti Fecit.
B. M. H. E. Bonæ Memoriæ Hic Est.
B. M. H. ET. L. Bene Merenti Heredes Et Liberti, *vel*, Liberi.
B. M. H. I. C. Bene Merenti Hoc Ipse Curavit.
B. M. IN. PACE. Bonæ Memoriæ In Pace, *vel*, Bene Maneat.
B. M. IN. P. FERVNT. Bonæ Memoriæ In Pace Fecerunt.
B. M. L. D. Bene Merenti Libens Dedit, *vel*, Locus Datus.
B. M. M. P. Bene Merenti Monumentum Posuit.
B. MN. Bene Maneat.
B. M. P. Bene Merenti Posuit, *vel*, Bene Meritæ.
B. M. P. C. Bene Meritæ Ponendum Curavit, *vel*, BeneMerenti.
B. M. P. F. BeneMerenti Ponere Fecit, *vel*, Publicè Fecit.
B. M. P. I. BeneMerenti Posuit Infelix.
B. N. P. P. BeneMerenti Publicè Posuit.
B. M. PQ. BeneMerenti PosterisQue.
B. M. P. T. BeneMerenti Posuit Titulum, *vel*, Tumulum.
B. MR. C. Bene Merenti Curavit.
B. MRT. Bene Merenti.
B. M. S. C. Bene Merenti Sepulcrum Condidit.
B. MT. Bene Maneat. Bene Merenti.
BN. M. / B̄N. M. } Bene Meritæ. Benemerenti.
BN. M. F. / BN. M. FEC. { Bene Meritæ / BeneMerenti } Fecit.
BN. M. P. BeneMerenti Posuit.
BOLTINIA. Voltinia.
BON. EVEN. Bonus Eventus.
BON. R. P. N. Bono Reipublicæ Nato.
BO. R. E. C. H. Bonum Requietorium Ei Curavit Heres.
B. P. Bivus Posuit. Bono Publico.
B. P. D. Bono Publico Datum.
-B. PR. / -B-. PR. } Beneficiarius Præfecti, *vel*, Prætoris.
B. PRCOS. Beneficiarius Proconsulis.
-B-. PROPR. Beneficiarius Proprætoris.
-B. PR. PR. Beneficiarius Præfecti Prætorio, *vel*, Proprætoris.
B. Q. Bene Quiescat.
B. QVES. IN. PAC. Bene Quiescat In Pace.
BRACARAVG. Bracaraugustanus.
BREG. PVBLIC. Bregetionenses Publicani.
BRIT. / BRITAN. } Britannia. Britannicus.
BRIX. Brixia. Brixianus.
B. RP. Bono Reipublicæ.
B. R. P. N. / B. RP. N. } Bono Reipublicæ Nato.
BRT. Britannicus.
BRVT. Brutus.
BRVT. IMP. Brutus Imperator.
B. S. D. Beleno Sacrum Dedit.
